UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacrosancto Missæ Sacrificio Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

urn:nbn:de:hbz:466:1-94659

Visual Library

Th. 914a.

G. VII
16.

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO

DECISIONES

AUCTORE

JOANNE CLERICATO
PRÆPOSITO PATAVINO

Juris utriusque Doctore, olim in Curia Episcopali Patavina Advocato, & promotore Fiscali, deinde Auditore, ac demum Vicario Generali.

IN QUIBUS

Ex Studio, & Responsis Cleri Patavini Anno 1690.

Non solùm præcipuæ Quæstiones concernentes veritatem, essentiam, fructum, actionem, applicationem, & stipem Sacrificii Eucharistici explicantur: sed etiam de Sacrificiis, ac Sacerdotibus Legis Naturæ, & Mosaycæ plenè disseritur; de Tabernaculo, Temploque Judæorum, de cunctis Levitarum ordinibus, de Prophetis, Prophetissis, ac Sibyllis. & demum de Ecclesiis, ac Altaribus Christianorum, Campanilibus, Campanis, Horologiis, Organis, deque Tonsura, Veste Talari, ac aliis Ornamentis, & obligationibus Sacerdotum.

OPUS

Episcopis, Vicariis, Animarum Rectoribus, Confessariis Monialium, Religiosis, ac Sæcularibus, aliisque eruditionum Studiosis utile, ac jucundum.

Cui Decreta plurima Sacr. Congreg. Sacrificium Missæ concernentia sunt addita.

TOMI PRIMI LIBER TERTIUS.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
Sumptibus
MARTINI HAPPACH ET FRANC. XAV. SCHLÜTER,
MDCCXXX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Eminentiſs. ac Reverendiſs. D.D.

JOANNIS R.E. CARDINALI BADUARIO

Olim Venetiarum Patriarchæ, ac Dalmatiæ Primati, nunc EPISCOPO *BRIXIENSI.*

Joannes Clericatus Præpoſitus Patavinus
Vitæ per ennitatem.

MVltiplici jure, *Eminentiſs. ac Reverendiſs. Præſul, Deciſiones has de* SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO, *Religioſiſſimo Nomini Veſtro, ſicut ſex ab hinc annis in prima, ita nunc in ſecunda earum Editione, inaugurare convenit. Siquidem cùm inter cæteras Diſputationes Sacras, hæc de Liturgia ſit prorſùs Divina, ſecurius ſibi Aſylum aſciſcere non poterat, quàm apud Purpuratum Antiſtitem, qui undique redolet Sanctitatem, cùm Pietatis Veſtræ in quocunque Sacrificiorum genere Splendor refulgeat. Si enim mihi loqui liceat de Mortificatione corporis, quam Apoſtolus vocat* Hoſtiam viventem, Sanctam, *Ad Rom. 12. v. 1.* Deo placentem, *ſivè de Orationis frequentia, quæ à Regio Pſalte dicitur:* Elevatio manuum, Sacrificium Veſpertinum; *aut de Miſericordia in pauperes, quæ à Divo Chryſoſtomo deſcribitur,* Sacrificatio munda, & immaculata, *aliiſque heroicis Virtutibus* EMINENTIÆ VESTRÆ, *quæ per metaphoram Sacrificia à Sanctis Patribus nuncupantur, Hunc de* SACRIFICIO, *etſi tenuem Tractatum, Humanitas Veſtra benignè ſuſceptura creditur, quæ in hoc præcipuo Religionis genere cunctis ſe Admirabilem, & Venerabilem reddit. De Sacrificiis autem Legis Naturæ, ac Moſaycæ, eorumque Sacerdotibus, Victimis, Templis, Ritibuſque diſcurſus in his Deciſionibus inſerti haud dedecent eruditionem* EMINENTIÆ VESTRÆ, *quæ in Sacrorum revolutione Librorum enutrita, ſingularis intelligentiæ, univerſaliſque cognitionis gratia præcellit. Porrò quæ de* EUCHARISTICO *Legis gratiæ* SACRIFICIO *Quæſtiones Theologicæ examinantur circa ejus veritatem, eſſentiam, fructum, actionem, & applicationem, fas eſt, ut delectent* EMINENTISSIMAM *Amplitudinem* VESTRAM *in ſcholaſticis verſatiſſimam diſputationibus; prout etiam quæ de Eccleſiarum ædificatione, conſecratione, benedictione, reconciliatione, cultu, ac munditia traduntur, tanquam eximiæ devotioni EJUS conformia, opus eſt, ut illam illiciant; alliciant verò quæ de Muſica: Organis, Cantu Gregoriano, aliiſque ad ſolemnem Immolationem ſpectantibus, ob animi IPSIUS Spiritualem comitatem, hîc diſquiruntur. At quæ de Sacerdotum ornatu in doctrina, moribus, tonſura, modeſtia, Sacrorumque*

rumque Rituum observantia exponuntur, non minorem sunt plausum consecutura ab EMINENTIA VESTRA, cujus præcipuus scopus est, ac semper fuit, non nisi pios, doctosque Clericos promovere, nullumque ad Mystarum gradum admittere, quem bonitas, disciplina, & scientia non exornet. Sed & alia accedit inaugurationis Libri hujus urgens ratio, has scilicet Decisiones esse partus, ac partes egregii illius Zeli, quo, Venerabilis memoriæ, Eminentissimus, ac Reverendissimus GREGORIUS S. R. E. Cardinalis BARBADICUS olim Episcopus Patavinus fervebat; Cujus jussu ego, inter ejus Ministros minimus, per plures continuatos annos, Parochis, ac Confessariis totius hujus Paduanæ Diœcesis illas proposui, quarum studio Clerus omnis valdè profecit in Morali, Prudentialique Theologia, summa cum laude, ac merito ejusdem Eminentissimi Præsulis, cujus Spiritum EMINENTIA VESTRA ab initio, ejus impositione manuum PATRIARCHA Venetiarum consecratus, attraxit; & subindè illius Sanctitatem vitæ, Pastoralem sollicitudinem, Vigilantiam, ac (quæ in Animarum Pastoribus magis est plausibilis laus) egenorum levamen, & solamen mirificè imitata semper fuit.

Hæc sunt argumenta, Eminentissime, atque Religiosissime ANTISTES, quæ meam adegerunt humilitatem, ut Librum hunc ad Thronum Celsitudinis Vestræ, primò, ac secundò deferrem, præter certam in me scientiam, & notitiam aliarum omnium Virtutum, quibus VESTRA EMINENTIA, usque dum in hoc augusto Patavinorum Canonicorum cœtu erat aggregata, coruscabat: quarum fragrantia Serenissimus VENETÆ REIPUBLICÆ DUX excitatus illam ad Insulam Primicerialem Ducalis Basilicæ S. MARCI primùs vocavit, & non multò post Excellentissimus SENATUS ad Pastoralem curam Veneti Patriarchatus provexit; nunc autem Catholicæ Ecclesiæ Supremus Pastor CLEMENS PAPA XI. earumdem Virtutum odore perfusus, eximiam Personam Vestram Sacra Purpura induit, in Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Collegio collocavit, & ad amplissimum Brixiæ Episcopatum transtulit regendum; ut ibidem numerosissimum illum CHRISTI Gregem radii Paternæ Charitatis EMINENTIÆ VESTRÆ foverent, ac illustrarent; & ille exterorum ingluvie exercituum territus respiraret, videns se habere Pastorem,

1. Thi. 3. 2. *quale desiderabat Apostolus,* Sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non litigiosum, non cupidum, sed domui suæ bene præpositum,

Has itaque exiles Decisiones, ac in ipsis, & cum ipsis non exiguum Auctoris obsequium, EMINENTISSIME PRINCEPS, benevolo dignetur Humanitas Vestra affectu suscipere; dum Eidem à DEO OPTIMO MAXIMO felicem, ac perennem deprecor vitam; & Purpurei fimbriam Paludamenti ejus venerabundus deosculor.

Patavii Nonis Septembris 1706.

AU-

AUCTORIS
AD VEN. PATAVINUM CLERUM aliósque eruditos Lectores.
PARÆNESIS.

TArdè quidem in lucem prodeunt hæ de SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO Decisiones, in quibus novem ab hinc annis studia vestra impendistis, eaque mihi, tunc in Episcopali Curia Præsidenti, mandastis; sed veniam meretur & opus, & Auctor, pluribus aliis occupatus laboribus, inter quos EROTEMATUM Liber, qui ad instantiam plurimorum huic antecessit. Cæterùm tarditatem Decisionum harum compensabunt eruditiones, quibus politæ reperientur: ita tamen, ut adinstar monilium, & inaurium, quibus cum Annulis, & Mitra, aureaque veste ornata incessit Regina Esther, in nihilo Sanctitati hujus materiæ sit derogatum. Subjectum præsentis Operis est Sacrosanctum MISSÆ Sacrificium, in quo Victima, quæ immolatur, est CHRISTUS DOMINUS, & de eodem juxta Scholasticam, & Moralem Theologiam exponuntur, quæ ejusdem Sacrificii veritatem, essentiam, fructum, actionem, applicationem, aliaque intimiora ipsius Sacri operis concernunt. Ad ornatum verò ejusdem congesta est non inutilis, nec injucunda notitia Mystarum, ac Sacrificiorum Legis Naturæ, ac Mosaycæ, Tabernaculi, ac Templi descriptio, Levitarum omnium ordinum declaratio, aliarumque plurium religiosarum personarum ad Divinum cultum spectantium expositio; ut studiosi Lectores, quæ longa serie annorum, & verborum Chronologi sacri disputant, compendiosè in harum Decisionum lectura comprehendant. Sequuntur posteà plurima, quæ nunc in Lege Gratiæ necessaria sunt ad dignè litandum, Templa, Altaria, eorum ædificatio, consecratio, & dum polluuntur reconciliatio, aliaque accessoria, idest Campanæ, Campanilia, Horologia, Organa, Supellectilia Sacra, in quarum provisione, ac manutentione ad quem spectent expensæ, juxta Sacros Canones, & forensium doctrinam breviter, sed lucidè demonstratur. Tandem de ornatu Sacerdotum disseritur, videlicet de conscientiæ puritate, Tonsura, Veste talari, ejusque colore, de Matutini, ac Laudum præmittenda recitatione; observatione Rubricarum, nec non de Sacrarum Vestium mysteriis, tali methodo, ac forma, ut Lector mysta absque tædio instruatur, atque erudiatur exemplis, ac Historiis non injucundis. Quod verò ad me attinet, benignitas studiosorum, qua præteritas Decisiones amplexati sunt, ab omni censura non benevola securum facit, prout tot mihi exhibentur testimonia, quot applausus à doctissimis Viris his, & cæteris meis retribuuntur impressis Libris. Valete.

TENOR DECRETORUM

Sacræ Rituum, ac Concilii Tridentini Congregationis ad Missas celebrandas spectantium, & post Missalis Romani recognitionem conditorum.

POtest celebrari Missa pro Defunctis Ritu de Requiem, in Dominicis, & festis insepulto, & in Ecclesia præsente corpore: sic decrevit Sac. Rit. Congregat. die 23. Maji 1603. *Ubi nimirum viget consuetudo sepeliendi defunctos simul cum Missa. Si quis autem moriatur in die Paschæ, corpus ejus reservetur in sequentem diem ob reverentiam Paschæ: ex Rituali Romano Pauli Quinti.*

2. Cineres, qui imponuntur capitibus fidelium, debent esse aridi; non in modum luti sunt distribuendi 23 Maji 1603.

3. In Canone nomine Antistitis non sunt nominandi Superiores Regularium, die 12. Novembris 1605. *Nec inferiores Episcopo.*

4. Missa de Annunciatione B. Virginis non est celebranda à feria v. majoris hebdomadæ, usque ad feriam III. Paschæ inclusivè die 9. Maji 1606.

5. Gloria in excelsis cum Credo omittitur in votivis pro re gravi, quando dicuntur cum paramentis viol. die 19. Maji 1607. *Res autem gravis ea est, pro qua convenit totus Clerus cum Episcopo, ut eadem Sacr. Rit. Congreg. decrevit eadem die.*

6. Cereus Paschalis regulariter accendi debet ad Missas, & Vesperas solemnes in triduo Paschatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis usque ad Ascensionem: in aliis servanda est consuetudo locorum: die 19. Maji 1607.

7. Tolerari possunt Missæ de Requiem in festo duplici, quod non est de præcepto pro voluntate Testatorum implenda: die 1. Septembris 1607. *Non autem ad arbitrium vivorum, quod bene nota, sed pro implenda lege defunctorum.*

8. In Altari privati Oratorii, cui conceditur ex privilegio Apostolico celebratio Missæ (exceptis solemnioribus festis) non potest in eo celebrari in Natali Domini, Epiphania, Paschate, Pentecoste, Annunciatione, Assumptione B. Virginis, festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum. Die 17. Novemb. 1607.

9. Communio Cleri facienda est in Cœna Domini: die 27. Sept. 1608.

10. Missæ defunctorum certo die dicendæ, eo impedito transferuntur in sequentem: die 27. Septembr. 1608.

11. Sabbato Sancto non sunt pulsandæ Campanæ ante Cathedralis, seu Matricis signum. Die 21. Martii 1609. Neque in Diœcesi antè Parochialis signum. 9. Februar. 1608.

12. Abbates, & alii Superiores Regularium non possunt benedicere Paramenta Ecclesiarum non sibi subditarum: die 24. Aug. 1609. Neque Prothonotarii: die 17. Julii 1627. Neque valet consuetudo Abbatum abrogata: die 18. Augusti 1629.

13. Diaconus non debet dare pacem laicis, neque Domino loci: die 5. Julii 1614.

14. In Oratione, *A cunctis*, nomina Patronorum Sancti Michaelis, vel Sancti Joannis Baptistæ præponi debent Apostolis. Die 22. Augusti 1620.

15. In Paraseeve si incidat festum Annunciationis B. Virginis, non tenentur fideles ad Missam audiendam; die 19. Februarii 1622. Nec in eadem die distribuenda est Eucharistia aliis, quàm infirmis: eadem Sac. Congregat. eadem die.

16. Missæ certis Regularibus concessæ non possunt ab aliis dici, etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis: 19. Novembris 1622.

17. Usus annuli in Missa prohibetur Prothonotariis non participantibus, & quibuscunque aliis Doctoribus: die 11. Februarii 1623. Item & Canonicis Cathedralium fuit prohibitus: die 20. Novembris 1628.

18. Qui habet onus celebrandi Missam de Rosario (exceptis Dominicanis) possunt aliam dicere de Beata Virgine Die 6. Maji 1623.

In Festo Stigmatum S. Francisci color albus adhibetur: die 9. Decembris 1623.

19. Usus pileoli in Missa etiam extra Canonem concedi debet à Papa, & non ab alio. *Congregatio Cardinalium super negotia Episcoporum 2. Januarii 1590. & 17. Januarii 1595. concessit extra Canonem usum pileoli Episcopo Faventino; & respondit Archiepiscopo Urbinati, eo non posse uti sine licentia Sedis Apostolicæ. Idem postea sensit Sacra Rituum Congreg. die 31. Januarii 1626. & Canon ipse prohibet Episcopo velatum caput, ergo neque secum, neque cum aliis dispensare potest.*

20. Celebrans, qui distribuit Cineres, Candelas, & Palmas, detecto capite distribuat: die 18. Junii 1626.

21. In Missa Feriæ 4. temporum occurrentis in die octava Nativitatis Beatæ Virginis, Præfatio ferialis dicitur: die 12. Decembris 1626.

22. Signum, quod fit cum Patena à fronte ad pectus, fit integrè cum signo Crucis: die 13. Martii 1627.

23. In Altari, certis diebus privilegiato, non potest in iis dici Missa de Requiem in festo duplici de præcepto. 24. Aprilis 1627.

24. Communicantes infra oct. Ascensionis contingit separari à propria Præfatione: 28. Augusti 1627. *Casus autem talis esse potest: Si occurrat festum Sancti Philippi, & Jacobi Apost. infra Oct. Ascensionis; nam Præfatio erit de Apostolis, Communicantes de Ascensione; licèt in Missa nulla fiat commemoratio: idque accidere potest etiam in Inventione Sanctæ Crucis, & in Missis solemnibus votivis, quæ dicuntur infra eandem Octavam, & habent Præfationem propriam.*

25. In festis primæ classis non dicitur Oratio, *Deus refugium*, jussa dici à majoribus per annum: die 28. Augusti 1627. *Accidit enim à Superiore decerni pro publica causa, quotidie dicendam Orationem*, Deus refugium, *seu aliam, & tunc vel dicitur loco tertiæ ad libitum, vel additur uti commemoratio.*

26. In fine Missæ ad quodcumque Altare celebratæ fit reverentia Cruci, infra gradus, capite semper aperto: die 28. Augusti 1627. *Rubrica enim generalis in Missali recogniti p. 2. tit. 12. num. 6. sic*

est

est corrigenda: Quibus omnibus absolutis extinguuntur per Ministrum candelæ; interim Sacerdos accipit finistra Calicem, dexteram ponens super bursam, ne aliquid cadat, descendit ante infirmum gradum Altaris, & ibi in medio vertens se ad illud, caput inclinat, vel si in eo est tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, genuflectit, & facta reverentia, accipit birretum à Ministro, caput cooperit, &c. Hæc Rubrica habetur in recognito Missali, licèt fuerit tantùm edita in ultimo Missali Vaticano anno 1609. quàm ideò retinendum esse omninò decrevit Sacra Rit. Congregatio die, & anno, ut supra.

27. In diebus quibus prohibetur fieri de festo duplici, non possunt dici Missæ votivæ, neque de Requiem: die 28. Augusti 1627. *nimirum infra Oct. Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in Hebdomada majori, Feria quarta Cinerum, & in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecostes.*

28. In Paraseeve non immittitur particula in Calicem cum signis Crucis consuetis: die 28. Augusti 1627.

29. Gloria in excelsis in votivis Beatæ Mariæ omninò non dicitur, nisi in Sabbato, nec etiam in Ecclesia Beatæ Mariæ. Dicitur etiam in Missis festivis de Sancto, licèt officium de eo non fiat in ejus festo.

30. Si ob terræ frigiditatem populus veniat ad Ecclesiam tardè pro solemni Missa, decrevit Sacra Rituum Congregatio præstare, quòd recitetur tardiùs Hora Tertia, quàm quòd cantetur Missa de festo post Sextam. *De hoc Decreto testatur Joan. Alcocer in suo Cæremoniali.*

Eodem Alcocer teste eadem Sacra Congregatio concessit insignioribus Regularium Ecclesiis usum planetarum plicatarum.

Eodem teste eadem decrevit Celebrantem, & Ministros sedere posse, dum cantantur Epistola, & Graduale.

31. Missas, quæ circumferuntur, à Sac. Rit. Congreg. non approbatas, Sancti Gregorii pro vivis, & defunctis, XV. Auxiliatorum, & de Patre Æterno, & quascumque alias, exceptis iis, quæ sunt permissæ certis Regularibus tantùm, veluti Rosarii, Sanctæ Mariæ de Carmelo, & aliis; sicut etiam officia ab eadem non approbata, Sacra eadem Congreg. prohibuit, rejecit omninò, & damnavit respectivè, & pro prohibitis, rejectis, & damnatis haberi voluit. 8. Aprilis 1628.

Declaravit autem novissimè eadem Sac. Rit. Congregat. per hoc Decretum non prohiberi Missas XXX. pro Defunctis à D. Gregorio institutas, in Dial. c. 55.

32. Abrogatus fuit abusus deferendi nocte in fer. 6. Paraseeve Sanctissimam Eucharistiam, à Sac. Congregat. super negotia Episcoporum: die 22. Martii 1596.

33. Conventualis Missa cantari debet quotidie in collegiatis, quarum Clerus est numerosus, & redditus non tenues: 1603. Cirenza 14. Jan. 7.

Nec potest omitti pro Missa Defunctorum 1602. Fondi 5. Martii 20.

Missa Conventualis in festis tempore æstivo hora 14. hyemali hora 17. 1602. Castellaneta 27. Julii 75. §. 11.

In feriis potest dici paulò citiùs, modò non valde diluculò. 1601, Aliffe 20. Febr. 86. §. 2. 1602. Castellaneta 17. Septembris 101.

34. Votivæ Missæ non sunt tolerandæ in festo duplici, licet non sit de præcepto, exceptis Missis Defunctorum, præsertim in Altaribus privilegiatis. Idem decretum est de illis diebus, in quibus festum duplex transferri jubetur. Si verò sit festum de præcepto non sunt tolerandæ, neque in Altaribus privilegiatis, præter unam cantatam præsente corpore, ex Suar. & S. Congr.

35. Missæ triginta S. Gregorii dici debent successivè singulis triginta diebus, ut latiùs explicavi in Can. lib. 3. tit. 41. de Celebrat. Missarum num. 17. & in Collect. ad Jerem. 48. 10. 12.

36 Onera perpetua celebrandarum Missarum absque Episcopi licentia in scriptis, à sæcularibus sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda, à Regularibus verò sine licentia Provincialis in scriptis sub pœna privationis officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vocisque activæ & passivæ, absque alia declaratione ipso facto incurrenda, non recipiantur. Sac. Congr. Conc. sub Urban. VIII. Constitut. 43. *Cùm sæpè contingat*, Pro existentibus in Italia, & in Insulis adjacentibus 21. Jun. 1625.

Quæ præcipit sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda iis, ad quos pertinet, ut pecuniæ, ac bona mobilia, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus tam sæcularibus, quam regularibus, atque illorum personis, in futurum simpliciter acquirenda, statim à die realis acquisitionis deponi debeant, apud Ædem Sacram, vel Personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quam primùm investiendi in bonis immobilibus, fructiferis cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur. Ac si eadem bona auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, pretium eorundem sub eadem pœna debeat deponi, ac in aliis bonis stabilibus converti cum repetitione ejusdem oneris.

37. Episcopus sequestrare potest fructus Beneficii pro adimplendis Missarum oneribus, modò apertè constet de obligatione, vel ex fundatione, vel ex antiqua consuetudine. 1593. Fondi 15. Februar. 45. Non tamen molestare potest pro Missis omissis eum, qui se cum Rev. Fabrica composuit. 1655. Aequa pendente 25. Junii 133.

38. Episcopus dispensare non potest ut Missæ relictæ à Testatore in una Capella dicantur, vel remittantur in alia, quando satisfieri possunt in propria. 1580. Hispalen. 30. Septembris. 156.

39. Etiam regulares tenentur in libro scribere quando celebrarunt. 1628. Observanti 16. Junii 95. Licèt satisfactio Missarum non solùm per scripturam, sed etiam per omnes genus probationum probari possit. 1655. Cesena 25. Jun. 136.

40. Regulares celebrantes in Ecclesia Monialium debent esse quinquaginta annorum. 1621. Faenza 4. Maji 68.

41. In Ecclesiis Parochiæ non celebretur Missa antequam sit finita Missa Parochialis; neque in ipsa Parochiali nisi post elevationem Sacramenti: & ubi plures Sacerdotes eodem tempore celebrant, non egrediatur unus antequam alter Sacramentum elevaverit, si commodè fieri possit. Sac. Congreg. Episc. Sarzanen. 13. Maji. 1585.

42. Eleemosynam, seu stipendium aliquis pro Missa celebranda manualem accipiens, non potest illam celebrare per alium, retenta sibi parte eleemosynæ, Sac. Conc. Congreg. in Decreto supracitato. n. 10.

43. Beneficiarii tamen, vel tenentes legata celebrandarum Missarum, vel Officiaturas, etiam ad nutum

nutum amovibiles, non tenentur dare, nisi eleemosynam consuetam, seu præscriptam ab Ordinario, ut declaravit ead. Sac. Congr. ad dictum Decretum, Barbosa de officio Parochi c. 11. n. 13.

44. Moniales singulis Missis pro singulis diebus debent esse contentæ; exceptis diebus celebrationis propriorum festorum, vel exequiarum alicujus Monialis. Possunt item permitti duæ in Monasteriis ita numerosis, ut omnes eidem Missæ nequeant intervenire. 1620. Lucca 22. Decembr. 220.

45. Per indultum Altaris privilegiati à Monialibus obtenti, in quo dicitur: *Ut quandocunque ad dictum Altare per quemcunque Sacerdotem sæcularem, sive regularem Missa celebrata fuerit, &c.* Non intelligitur derogatum prohibitioni etiam Ordinarii, ne quis celebret in Ecclesia Monialium sine sua licentia. 1610. Napoli 10. Junii.

46. Intra clausuram omninò prohiberi debet celebratio, etiam ad communicandas infirmas. 1593. Lisbona 23. Aug. 263. 1611. 21. Jan. 7.

47. Parochi tenentur diebus Dominicis, ac aliis Festis applicare Sacrificium Missæ pro suis populis, ex pluribus Decretis S. Congregationis Concilii, & præcipuè *die* 10. *Maji* 1692. *die* 30. *Augusti* 1698. *& die* 14. *Februar.* 1699. relatis in sequenti Brevi Pontificio Innocentii XII. *die* 24. *Aprilis* 1699. videlicet.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper à Congregatione Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum, emanavit super quodam dubio pro parte Venerabilis fratris moderni Episcopi Pistorienſis, & Pratensis Congregationi hujusmodi proposito, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Pistorien. & Praten. Cùm Parochi Ecclesiarum Pistorien. & Praten. inter varias opiniones Doctorum involuti, negligant in dies celebrationem, & respectivè applicationem sacrificii pro populo, juxta dispositionem Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini; Episcopus ad consulendum ne dum propriæ, verùm etiam dictorum Parochorum conscientiæ, supplicat declarari: An dicti Parochi teneantur omnibus diebus Festis applicare Sacrificium pro populo, sive habeant congruam, sive non? Die 14. Februarii 1699. Sacr. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum censuit, dandas esse resolutiones aliàs hac de re editas, & signanter in Nullius Nonantulanæ Eminent. Abbati 30. Augusti 1698. tenoris. ut infrà. Cùm Præcepto Divino iis, quibus Animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis sacrificium offerre, sæpè aliàs Sacra Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, & præcipuè in dubio applicationis Sacrificii proposito, & respectivè resoluto sub die 10. Maji 1692. his præcisis verbis concepto. An Parochus Missam celebrare teneatur, & sacrificium applicare pro Parochianis in diebus Dominicis, & Festis, sive habeat congruam, sive non? Sacra &c. juxta alias declarationes censuit, teneri, nec posse eisdem diebus aliam Eleemosynam recipere. Ac proinde idem nunc respondendum esse censuerunt Eminentissimi Patres, quoad Parochos Nonantulanæ Diœcesis addentes insuper, quòd E. V. pro suo Pastorali zelo, detrectantes Parochos compellere non gravetur &c.

J. Cardinalis Sacripantes Præfectus.

Loco † Sigilli.

Cùm autem, sicut dictus Episcopus Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quò firmiùs subsistat, & servetur exactiùs, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimùm desideret: Nos specialem ipsi Episcopo gratiam facere volentes, eumque à quibuscumque Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus; & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis authoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes, easdem præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 24. Aprilis 1699. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

J. F. Card. Albanus.

48. In Nocte Nativitatis Domini post primam Missam cantatam aliæ duæ Missæ immediatè non celebrentur, nec Christi fidelibus Sacra Eucharistia ministretur. *Sac. Rit. Congr. die* 20. *Aprilis* 1641. *& die* 7. *Decembr.* 1641. ut apud Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 25.

49. Non licet Sacerdoti, qui ab uno eleemosynam accipit pro celebranda Missa, aliam quoque eleemosynam accipere ab altero, cui applicet partem illam fructus ipsimet celebranti debitam, *specialem* nuncupatam: sicut non licet duplex stipendium pro unica Missa recipere. *Sacr. Congreg. Conci. die* 25. *Januarii* 1659. approbante Alex. VII.

50. Nulli Sacerdoti Sæculari, aut Regulari licet celebrare Missas privatas *de Requiem.* in festis duplicibus. *Sac. Rit. Congreg. die* 5. *Augusti* 1662. Annuente Alex. VII. nisi præsente corpore, quando dies festus non est de Præcepto; nam tunc solùm Missa solemnis potest cantari pro Defuncto de Requiem; die Paschæ excepto.

51. Missæ de Requiem annuatim dicendæ juxta benefactorum præscriptum, si incidant in festo duplici,

duplici, dicantur de eodem festo cum applicatione Sacrificii. *Ead. Congreg. d. die 5. Aug.* 1662.

52. Missæ Anniversariæ de Requiem in cantu celebrari possunt etiam in duplici, qui non sit de præcepto. *Sacr. Rit. Congr. die 22. Novembr.* 1664. eodem Alex. VII. approbante.

53. Missæ, quæ celebrandæ forent de Requiem ad Altare privilegiatum, possunt dici de festo currenti ad idem Altare, & valet Privilegium ac si dictæ essent de Requiem, ut indulsit Clemens Papa IX. *die 25. Septembr.* 1669.

54. Officium, ac Missa recitari non potest de Sanctis, quorum corpora, aut Reliquiæ insignes habentur in Ecclesiis, nisi ea sint descripta in Martyrologio Romano, & fides certa habeatur de eorum identitate. *Sac. Rit. Congr. die* 11. *Aug.* 1691. approbante Innoc. XII. excepto tamen, si in contrarium staret præscriptio immemorabilis, quæ per hoc Decretum non censetur sublata

55. Missa in festo Patroni Principalioris loci est de præcepto audienda; & vacandum ab operibus servilibus. *Sac. Rit. Congregat. die* 13. *Septembr.* 1642.

56. Quæcunque dies Octava Beatæ MARIÆ Virginis concurrens cum alio duplici minori, habet integras utrasque Vesperas. *Ex Decreto S. R. C. diei* 11. *Augusti* 1691.

57. Concurrentibus duobus festis duplicibus minoribus, nullo habito respectu ad dignitatem Personarum (exceptis Festis B. M. V.) Vesperæ sunt inter ipsa dividendæ, ut specialiter de festo SS. Angelorum Custodum concurrente cum duplici minore statuit *S. Rit. Congr. die* 27. *Sept.* 1698.

Ex Commentariis in Rubrica Missalis.

QUando Rubrica dicit, quoad fieri potest, Missa cum officio conveniat, loquitur Rubric. de privatis Missis: nam Missa Conventualis debet semper concordare cum officio, & cum creatura de celebrat. Missarum.

Missæ votivæ, quamvis habeant Præfationem propriam, si infra Nativitatem Domini celebrantur, non aliam Præfationem admittunt, nisi de Nativitate; Sicut & festum Sancti Joannis Apostoli, & Evangelistæ argumento à fortiori.

Mutatio colorum in paramentis Altaris, & Ministrorum debet fieri in primis Vesperis festi. Si autem Vesperæ non sint integræ, is color adhibendus est initio Vesperarum, qui congruit illi, de quo dicitur Capitulum.

Si officium, & Missa discordant, color Altaris sequitur officium, excepta Missa solemni in Vigilia Pentecostes, & Litaniis majoribus, & minoribus.

Pro Missa quacumque solemni convenit, ut pallium etiam Altaris concordet cum colore paramentorum Missæ, quod adnotavit rectè P. Ruiz in suo Cærem.

Canonicus in Missa celebranda non debet uti Almucia, non enim spectat ad vestes Missæ, vel Altaris.

Qui Missas novas celebrant, non possunt circuire Ecclesiam ad oblationem. Ex Decreto Sacræ Congregationis Trid. sess. 22.

Quando Missa votiva exigitur v. g. de Assumptione Beatæ Virginis, de Nativitate ejusdem, & hujusmodi, potest dici Missa votiva de Beata Maria, prout in Missis votivis, cum intentione ad honorem Assumptionis, Nativitatis Beatæ Mariæ, &c.

Si dicatur aliqua Missa votiva de aliquo Sancto, mutatur in Collecta Natalitia, seu *festa* in verbum *Commemorationem*.

Orationes, quæ ab Ecclesia certum habent locum, præcedunt quibuscumque votivis, quæ ad arbitrium Sacerdotis dicuntur, & extremum occupant locum, & sicut votiva v. g. de Spiritu Sancto cedit commemorationi festi simplicis, ita cedere debet Orationi, *A cunctis*, vel aliis, quæ secundo, vel tertio loco jubentur dici: cæteris autem paribus attenditur dignitas eorum, de quibus est oratio.

Quando cantantur duæ Missæ à Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, scilicet de Feria, & de Sancto Semiduplici, tunc in Missa de Semiduplici Oratio secunda erit Ecclesiæ, vel pro Papa, neque dicetur tertia Oratio, & ita Romæ fit.

Quando occurrit fieri commemorationem alicujus Sancti v. g. in officio de Beata Maria in Sabbato, tunc in Missa ponitur commemoratio illius Sancti secundo loco, & tertia oratio dicitur, quæ aliàs secundo loco dicenda erat, & relinquitur, quæ tertio loco dicenda foret, nisi fuisset facta commemoratio.

Oratio pro seipso Sacerdote non debet dici in Missa, præsente Episcopo proprio, vel eo majori, vel Principe magno; potiùs est orandum pro Prælato, seu pro Principe præsente ob reverentiam eorumdem majorum.

Dominica privilegiata occurrens in die octava, duas tantùm habere debet Orationes, de Dominica, & de octava.

In die Depositionis, & Anniversarii Summi Pontificis, pro Cardinalibus, & Episcopis dicitur prima Missa. Pro Sacerdote autem dictis diebus in plerisque Ecclesiis majoribus Romæ dicitur secunda Missa pro Defunctis, mutata Oratione. Si tamen dicatur Missa prima, favet Rubrica in fine Missarum pro Defunctis, quæ concedit Epistolas, & Evangelia unius Missæ dici posse in alia quacumque Missa pro Defunctis.

Oratio in Tertio, Septimo, & Trigesimo dicenda non debet dici in iis diebus, qui occurrunt inter Tertium, Septimum, & Trigesimum, sed tantùm in propriis diebus assignatis.

Orationes extra Missam dicuntur semper junctis manibus.

Quando dicitur *Confiteor* in principio Missæ, non debet addi nomen Sancti Patroni loci, vel alterius pro libito Sacerdotis, quia Pius V. hoc expressè concessit Ecclesiis Hispaniarum, non igitur fieri debet sine Papæ licentia.

Dicto Evangelio non defertur laicis liber osculandus ipsius celebrantis, qui proprium eo casu semper osculari debet librum. Ita statuit Sac. Congreg. super negotia Episcoporum 22. & 23. Augusti 1589. Neque Commendatario 17. Septembris 1611. Sac. Rit. Congreg. Bullus Lit. E. num. 147. §. 16.

Omittens Sacerdos osculum libri, omittit etiam *Per Evangelica* &c.

Dari pacem cum patena in Missa prohibuit Pius V. in Epistola ad Episcopum Tarraconensem.

Beneficiatus quilibet habens Ecclesiam, quæ est Tit. beneficii, licèt apud eam non residеat, debet tamen festum ejusdem colere, uti primæ Classis, & cum octava celebrare, quia est festum tituli Ecclesiæ.

INDEX ARGUMENTORUM DECISIONUM.

DECISIO I.

ARGUMENTUM.

AGitur de Etymologia Sacrificii, & de multiplici ejusdem Denominatione. Voces Litare, Litaniæ, ac Liturgiæ unde dicantur.

DECISIO II.

ARGUMENTUM.

Disseritur de duplici Sacrificii acceptione, & de decem generibus Sacrificiorum metaphoricè nominatorum.

DECISIO III.

ARGUMEMTUM.

Ostenditur, Quæ, & quot sint de essentia Sacrificii.

DECISIO IV.

ARGUMENTUM.

Quid sit Sacrificium? Et de ejus vera, atque propria definitione, complectente omnia, quæ concernunt actum Sacrificandi. Et præcipuè materiam oblationum. De oblatione filiorum Religioni. A quibus non sint recipiendæ oblationes? Quomodò eas Parochus recipere possit in Missa?

DECISIO V.

ARGUMENTUM.

Quare in Definitione Sacrificium dicatur oblatio externa? Quare omnes oblationes non sint Sacrificia?

DECISIO VI.

ARGUMENTUM.

Explicantur illa verba definitionis, *Soli Deo facta*. Ostenditur Sacrificium nulli deberi præter Deum. Quæritur an saltem Christo Domino offerri possit Sacrificium ut homini? Narrantur actus latriæ interni, & externi, & quæ sint Adorationis signa? Ostenditur, quàm grave sit scelus eorum, qui Dæmonibus sacrificant; & quibus pœnis sint plectendi.

DECISIO VII.

ARGUMENTUM.

Sequitur declaratio definitionis Sacrificii circa illa verba: *Qua in testificationem ejus supremi Dominii*: Necnon illa, quæ sequuntur, videlicet: *A legitimo Ministro*. Et docetur quid sit Religio, ac Divinus cultus? Religionem non esse virtutem Theologicam, sed moralem. Non cuique homini litare licere; sed tantùm Sacerdotibus; Hi quinam fuerint in lege Naturæ, Mosaycæ, & Gratiæ, ac apud Gentiles? Quæritur, & ostenditur, quomodo Caro Christi propagata fuerit tum ex Regia stirpe David, tum ex Sacerdotali Aaron?

DECISIO VIII.

ARGUMENTUM.

Redditur ratio, ob quam dictum est in definitione Sacrificii, quòd in eo Res aliqua sensibilis, & permanens consecratur, nempè Hostia, vel Victima: Quæ sit horum nominum Etymologia? Quæve, & quot essent Hostiæ, & Victimæ, quibus litabant antiqui tam veri, quàm falsi adoratores? eleganter declaratur.

DECISIO IX.

ARGUMENTUM.

Explicantur sequentia definitionis verba: *Ritu Mystico consecratur*; Declaratur, qui & quot sint Ritus Sacri servandi in Sacrificio Missæ. De Origine, Varietate, Necessitate, & Utilitate Uniformitatis Sacrorum Rituum. Et an in Ecclesia sit potestas decernendi Sacros Ritus, & imperandi eorum uniformem observantiam. De Ritibus in Missa vestutis PP. Ord. Prædicatorum, Carmelitarum, & Carthusiensium.

DECISIO X.

ARGUMENTUM.

Exponitur verbum *Transmutatur* positum in definitione Sacrificii; de cujus essentia demonstratur esse Transmutatio, idest interemptio, & destructio Victimæ Oblatæ. Objecta non injucunda proponuntur, & resolvuntur.

DECISIO XI.

ARGUMENTUM.

Agitur utrum Martyria sint Sacrificia? & an Sancti Martyres, qui obierunt in odium fidei, Victimæ vocari possint, & Hostiæ Deo immolatæ?

DECISIO XII.

ARGUMENTUM.

Occasione Verborum, *In loco, & super Altari solemniter ad hoc deputato*, quæ in definitione sunt posita; agitur de Templis Deo Sacris; in quibus, & non extra, offerenda sunt Sacrificia, plu-

plura traduntur in materia templorum ab origine Mundi usque ad præsens. Et exactè describitur Tabernaculum Moysis, & Templum Salomonis. Disseritur de facultate celebrandi in Oratoriis privatis, & de extincta Religione Templariorum.

DECISIO XIII.
ARGUMENTUM.

Quia in definitione Sacrificii, ultra necessitatem Templi, dicitur esse necessarium etiam ALTARE; agitur de quidditate, & necessitate ALTARIUM ad celebrandam Missam.

DECISIO XIV.
ARGUMENTUM.

Exponuntur ultima Verba in definitione Sacrificii posita; scilicet: *Pro remissione peccatorum*; necnon *pro præsenti, æternaque fœlicitate populi obtinenda.* Et ostenditur Sacrificium Missæ prodesse ad obtinendam remissionem tum culparum, tum pœnarum, & ad consequendas gratias, & favores etiam temporales.

DECISIO XV.
ARGUMENTUM.

De Sacrificiis factis in lege Naturæ; & primò de Sacrificiis Adæ, Caini, & Abelis. An Adam sciverit scientiam cabalisticam? Et quid, & quotuplex sit Cabala Hebræorum?

DECISIO XVI.
ARGUMENTUM.

De Sacrificio Patriarchæ Noe. Quid significet ejus nomen? Quare Deus susceperit ejus Liturgiam in odorem suavitatis? Quid importet benedictio eidem à Deo data? Et de his, quæ vel concessa, vel vetita fuerint Noe, & posteris ejus, dubia curiosa.

DECISIO XVII.
ARGUMENTUM.

De Sacrificiis Patriarchæ Abrahami, & plura de ejus exitu; de Ur Chaldæorum, descensuque in Ægyptum, De Uxoribus ejus Sara, Agar, & Cetura; ac de filiis Ismaele, Isaaco, aliisque. De præcepto Circumcisionis, & an fuerit Sacramentum? De Immolando Isaaco. Cujus fuerit major virtus Isaaci, vel Abrahæ circa dictam immolationem? Compendium annorum, & vitæ Abrahami. Dubia quædam de Limbo, nuncupato sinu Abrahæ.

DECISIO XVIII.
ARGUMENTUM.

De Sacrificio Melchisedech Regis Salem; & de his, quæ ejus personam, dignitatem, & figuram concernunt, disputationes plurimæ, non injucundæ.

DECISIO XIX.
ARGUMENTUM.

De Sacrificiis, tum Isaaci, tum Jacobi ejus filii. De cæcitate ejusdem Isaaci Patriarchæ; de Primogenituræ privilegiis, & an intercesserit Simonia, in cessione ejus facta ab Esau Jacobo? Quando liceat redimere vexationem in beneficiis, & electionibus absque simonia? Et utrum Esau sit damnatus?

DECISIO XX.
ARGUMENTUM.

De Sacrificiis patientissimi Jobi, & plura de ejus ortu, vita, atque tentationibus.

DECISIO XXI.
ARGUMENTUM.

De Sacrificiis Paganorum, Gentilium, atque Idololatrarum. De initio Idololatriæ, ejusque progressu. An dari possit Idololatria absque peccato? Quot, & qualia Sacrificia profana, horrenda, & impia olim immolarentur Idolis, ac Diabolo?

DECISIO XXII.
ARGUMENTUM

De Clero in lege Moysis. Cur Deus elegerit pro rebus Sacris potiùs Levitas, de Tribu Levi, quàm Rubenitas, de Tribu Ruben primogeniti Jacobi? De divisione Cleri Levitici; & primùm de Summo Pontifice Aarone, ejusque descendentibus. An Moyses quoque fuerit Sacerdos, & Pontifex? Quibus Cæremoniis, & Ritibus Aaron sit consecratus? Quo Oleo Sancto unctus? Quibus vestibus indutus? Quæ officia, & quæ prærogativæ Summi Pontificis? Quomodo tempore Christi essent plures Summi Pontifices? & præcipuè Annas, & Caiphas? Quæ eorum Potestas judiciaria? Catalogus omnium Pontificum Hebræorum.

DECISIO XXIII.
ARGUMENTUM.

De Sacerdotibus Aaronicis, & eorum divisione in 24. Vices, seu Classes. Qui, & Quot essent Principes Sacerdotum? Relatio cujusdam Hebræi, quòd CHRISTUS Adolescens fuerit à Senioribus scriptus in numero Principum Sacerdotum. Quibus cæremoniis consecrarentur Sacerdotes Hebræi? Quibus, & quot Vestibus iidem uterentur, in Sacrificiis? Vestes CHRISTI cujus coloris essent, & quantæ? Quæ officia, & munia Sacerdotum Aaronicorum? Quo tempore, qua ætate, quibus requisitis ministrabant in Templo? Cur tecto capite, & nudis pedibus? Quid esset scindere Vestes? Alimenta Pontificum, & Sacerdotum Hebræorum unde desumpta?

DECISIO XXIV.

ARGUMENTUM.

De aliis Levitis, Caathitis, Gersonitis, & Meraritis, qui inserviebant Tabernaculo, ac Templo, & de eorum ministeriis. De urbibus Levitarum, atque eorum agris suburbanis, emptitiis, & votivis. De Nathinæis servis Tabernaculi, & Templi; ac de religiosis sectis Scribarum, Pharisæorum, Saducæorum, Nazaræorum, Rechabitarum, Essenorum, Assidæorum, Dosithæorum, Hemerobaptistarum, & Herodianorum. Circa quos omnes Origo, Virtutes, ac Vitia demonstrantur.

DECISIO XXV.

ARGUMENTUM.

De Prophetis Legis naturæ, Mosaycæ, & Evangelicæ. Quid sit Prophetia? A Quo detur hoc donum, & Quibus? An Dæmones possint revelare futura? Et an cognoscant occultas hominum cogitationes? Quot, & quibus modis fiant revelationes hominibus tum externæ, tum internæ; tam in somnis, quàm in extasi, & raptu? Signa cognoscendi revelationes veras à falsis. Compendiosa relatio sexdecim Prophetarum, de quibus in Sacra Scriptura. Quæsita plura curiosa circa materiam Prophetiæ.

DECISIO XXVI.

ARGUMENTUM.

De Mulieribus Prophetissis, quæ fuerunt tum in Lege naturæ, scilicet Eva, & Rebecca; tum in Lege Mosayca, nempè Maria Sorore Moysis, Debbora, Rahab, Holda, & Anna Matre Samuelis; tum etiam in Lege Evangelica; videlicet DEIPARA, Elisabeth ejus cognata, Anna filia Phanuelis, Samaritana, Uxore Pilati, Maria Magdalena, ac aliis Sanctis Mulieribus, filiabusque quatuor Philippi Diaconi. Item de Sibyllis; hoc est Virginibus gentilibus, quæ à Deo dono Prophetiæ ditatæ, Vitam, Mortem, ac Resurrectionem Salvatoris Nostri, ejusque finale judicium vaticinatæ sunt.

DECISIO XXVII.

ARGUMENTUM.

De Sacrificiis Hebræorum. De Victimis quadrupedibus, Volucribus, & rebus inanimatis, quæ ab eis litabantur. De Holocausto, Hostiis pacificis, & pro peccato, immolationibus, libaminibus, & juge Sacrificio. De Festis Hebraicis; & de Sacrificiis præscriptis in quocunque die festo. De Sacrificiis secundùm varietatem personarum, quarum intuitu offerebantur; & præcipuè pro consecratione Sacerdotum, & Nazaræorum; expiatione leprosorum, & laborantium legalibus immunditiis. De Mulieribus menstruatis, & de diversitate menstruorum. De Sacrificio Zelotypiæ, Vaccæ Rufæ, & Vitulæ pro homicidio occulto. De Ritibus, cæremoniis, atque causis totius Liturgiæ Legis Mosaycæ. Atque de Sacrificiis pro Defunctis.

DECISIO XXVIII.

ARGUMENTUM.

Quodnam sit verum, & proprium Sacrificium in Lege gratiæ? Eucharistia non solùm est Sacramentum, sed etiam Sacrificium CHristus obtulit Corpus, & Sanguinem suum in cœna sub speciebus Panis, & Vini. Utrùm etiam seipsum communicaverit? Vocis Missæ multiplex significatio. Oblatio Corporis, & Sanguinis CHRISTI sub speciebus Panis, & Vini in Missa est Sacrificium verum, & proprium in Lege gratiæ. Hæc veritas per annos 1500. à nemine fuit impugnata, nisi à Luthero, Calvino, & aliis hæreticis. Rationes, & fundamenta veritatis Sacrificii Missæ, Apostoli, & ejus Successores semper Missam celebrarunt. Hæreticorum objectiones, & solutiones earum. Sacrificium Crucis est sufficientissimum pro salute omnium; si tamen applicetur per media à Christo instituta; inter quæ unum est Sacrificium Missæ.

DECISIO XXIX.

ARGUMENTUM.

Veritas Sacrificii Missæ comprobatur ex facto Apostolorum, nec non Pontificum, & Sacerdotum primi, secundi, tertii, & sequentium sæculorum, qui omnes semper Missam celebrarunt; & in ea Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI sub speciebus Panis, & Vini obtulerunt. Apostoli quando cœperint celebrare? Et quis eorum primus Missam dixerit? Adhibebant in Missa lumina, & Vestes Sacras. S. Paulus Apostolus, & S. Barnabas ubi, & quando consecrati sint Sacerdotes, & Episcopi? Liturgia quid sit? Et de Liturgiis Apostolorum, ac in specie de Liturgia S. Petri Apostoli, S. Matthæi, S. Marci, S. Jacobi, S. Barnabæ, S. Clementis, ac Sancti Dionysii Areopagitæ. De Planeta pro Missa donata à Deipara S. Hildefonso Toletano Archiepiscopo, quæ servatur Ovieti.

DECISIO XXX.

ARGUMENTUM.

De Victima, & Hostia, quæ immolatur in Missa. CHRISTUS propriè, & principaliter offertur in Sacrificio Missæ, Utrùm etiam Suppositum Divinum cum Humanitate ejusdem CHRISTI? Panis, & Vini substantia an habeat rationem Victimæ in Missa? Et nùm etiam species Sacramentales? Referuntur Theologorum dicta; & solvuntur objecta.

DECI-

Index Argumentorum Decisionum.

DECISIO XXXI.

ARGUMENTUM.

Essentia Sacrificii Missæ in qua actione consistat? An in oblatione ante, vel post Consecrationem? vel in ipsa Consecratione, aut fractione, sive sumptione Hostiæ? Tres Sententiæ Theologorum referuntur, quorum aliqui essentiam Sacrificii ponunt in Consecratione; alii in sumptione, alii in utraque simul. Fundamenta, & rationes harum opinionum, & præcipuè pro tertia, quæ eligitur. Quid sit Missa sicca? An licita? An audienda de præcepto? Sacerdotes consecrantes in Missa alta voce, an mortaliter peccent.

DECISIO XXXII.

ARGUMENTUM.

Utrùm in Sacrificio Missæ, de ejus essentia sit consecrare utramque speciem, Panem scilicet, ac Vinum? Argumenta septem pro negativa; & totidem pro affirmativa. Hujus ratio præcipua quæ sit? Missa nunquam celebrata cum una sola specie. Fabulosum, quod Innocentius VIII. concesserit Norvegiis, celebrare sine Vino. Quis fuerit Cleophas vadens in Emmaus, & an ibi Christus consecraverit Eucharistiam? Celebrare cum una sola specie numquam licitum, neque ex dispensatione Papæ. Rubrica Missalis declarata circa plures defectus specierum.

DECISIO XXXIII.

ARGUMENTUM.

Celebris Theologorum Controversia, *An fructus, seu valor Sacrificii Missæ sit infinitus, vel finitus*? breviter, sed clarè examinatur, & resolvitur. Fructus Missæ triplex, generalissimus pro tota Ecclesia Catholica; Medius pro dantibus stipem; & Specialissimus pro celebrante. Utrum una Missa tantum prosit applicata uni, quantum si pluribus applicetur? Omnes cooperantes Sacrificio Missæ magnam fructus partem reportare auctoritatibus, & exemplis comprobatur. Stipendia plura pro una Missa an licitè recipiantur?

DECISIO XXXIV.

ARGUMENTUM.

Utrùm fructus Missæ Lautreticus, Satisfactorius, Propitiatorius, & Impetratorius sint separabiles, & independentes à se, ita ut in una Missa possint diversis personis, & ad diversos fines applicari? Prædicti fructus an semper dentur infallibiliter ex opere operato? Sacerdotes non celebrantes an graviter peccent? Exempla apparitionum Animarum duarum Purgatorii de anno 1640, & 1658. Æs alienum solvendum in hac vita. Pœnalitates juvant mortuos.

DECISIO XXXV.

ARGUMENTUM

Disputatur, An fructus specialissimus Missæ, proprius Sacerdotis celebrantis, possit per eum, accepto stipendio, alteri applicari? Referuntur argumenta pro utraque opinione: & eligitur Affirmativa, quò ad validitatem applicationis: Negativa, quò ad receptionem stipendii, quæ est illicita, & prohibita tum ab Urbano VIII. anno 1626. tum ab Alexandro VII. anno 1659. Avaritiam ab omnibus Ecclesiasticis evitandam esse, auctoritatibus, & exemplis modernis Sacerdotum luentium pœnas in Purgatorio confirmatur.

DECISIO XXXVI.

ARGUMENTUM.

Agitur de applicatione Sacrificii necessariò facienda à Celebrante. Circa illam resolvuntur undecim dubia; & docetur, an sufficiat intentio habitualis? In qua parte Missæ sit facienda applicatio? Antiquorum Diptycha quid essent? Anticipata Missa an dicenda pro eo, qui primùm daturus est stipem? An superior possit applicare Missam Sacerdotis sui subditi? An applicanda Missa pro Sanctis? pro infidelibus? pro catechumenis? pro excommunicatis? pro peccatoribus? Et utrum viventes possint sibi celebrare facere Missas de Requiem? De hoc exempla B. Alberti Magni, & aliorum; præcipuè Caroli V. Imp.

DECISIO XXXVII.

ARGUMENTUM.

Inquiritur, An sit major fructus Missæ solemnis, quàm Missæ privatæ? Docetur Missam solemnem esse, quæ celebratur cum Ministris, Musica, & Cantu. Exponitur, quid, & quotuplex sit Musica? Quis ejus Auctor? Quo tempore introducta sit in Ecclesia tam Vocalis, quàm instrumentalis? Organorum usus quando cœperint? Quomodò Organa sonanda? Ubi sint Organa famosa? Musica laudata. Item censurata. Quæ approbata? Gregoriani cantus commendatio, Tonorum Regulæ. An Monialibus Musica expediat? Tandem, majorem esse fructum Missæ solemnis, quàm privatæ tum ex opere operantis, tum ex opere operato rationibus demonstratur.

DECISIO XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Disceptatur de obligatione cantandi quotidie unam, vel plures Missas in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis. Usus Missarum Solemnium fuit semper in Ecclesia. Canonicorum origo, & institutum. Quibus horis sint cantandæ Missæ in Choro, & quale ob mysterium? Christus qua hora fuerit Crucifixus? An sit culpa gravis non cantare Missas diebus à Rubrica Missalis præscriptis?

ptis? An hæc afficiat Regulares? Celebrans an teneatur legere in Missa solemni, ea quæ cantantur à Choro, vel à Ministris.

DECISIO XXXIX.
ARGUMENTUM.

Differitur de tempore, quo licitum est privatis Missas celebrare. Docetur, olim fuisse in usu Missas Nocturnas, & Vespertinas; & Quid sit Missa Præsanctificatorum? Missæ nunc debent esse diurnæ, idest ab Aurora ad Meridiem. Quid, & quotuplex sit Dies? & quid sit Nox? Varia Horarum computatio ad constituendum diem. Dies indulgentiæ consequendæ quando incipiat, & desinat? Agitur de diebus Naturalibus, Ecclesiasticis, Artificialibus, Intercalaribus, Caniculatibus, & Criticis. Quid sit Aurora, & quanto tempore nascatur ante Solem? Casus plurimi, in quibus licèt litare ante Auroram, & post Meridiem. De Privilegiis Regularium circa horam celebrandi. Habitantes sub Polo, habentes diem longissimum per sex Menses, deinde consimilem noctem, quomodo cognoscant Auroram, & Meridiem pro Sacrificio?

DECISIO XL.
ARGUMENTUM.

Quia Sacrificium Missæ in Ecclesia est offerendum, agitur de Ecclesiarum ædificatione; & de quatuor generibus causarum in ea per Episcopos attendendis. Ecclesia debet respicere ad Orientem, & habere locum separatum mulierum à viris. Ecclesia non est ædificanda sine Dote; (idem de Altaribus) aliàs Episcopi, & eorum hæredes tenentur supplere in propriis bonis. Licentia Ordinarii est omninò necessaria pro fabricandis Ecclesiis. Quibus de causis possit erigi nova Parochialis? Regulares sine licentia Papæ novas Ecclesias, & Conventus facere non possunt. Finis ædificandi Ecclesias Divinus cultus; non lucrum temporale.

DECISIO XLI.
ARGUMENTUM.

Consecrationis Ecclesiarum materia, ad quatuor capita redacta, plenissimè explicatur. Et quia Consecratio Ecclesiæ dicitur Encænia, Dedicatio, Inauguratio, & Sacramentum, plures de his vocibus dantur eruditiones, & præcipuè de Encæniis Judæorum, ac de auguriis Romanorum. Essentialia Consecrationis Ecclesiæ declarantur: persona consecrans, ejus jejunium, Vigiliæ ante SS. Reliquias; oblatio ossium hæreticorum, & infidelium; atque hos inter an sit fœtus mortuus in ventre Matris? Utrùmvè Materni uteri Sectio sit licita pro salute fœtus? Ablutionis parietum, Alphabeti Græci, & in cineribus impressi, Litaniarum, Altaris consecrationis, Crucium unctionis, mysticæ causæ, & rationes redduntur; eruditionesque dantur circa litanias Judæorum, & Paganorum, Alphabeta, & eorum litteras numerales, cum pluribus curiosis quæsitis. Tandem exempla Ecclesiarum à cœlitibus miraculosè consecratarum indigitantur.

DECISIO XLII.
ARGUMENTUM.

Quia non omnes Ecclesiæ possunt de facili consecrari, sed solent tantùm benedici; ideò hìc agitur de earum benedictione. Hujus vocis *Benedictionis* variæ significationes, & divisiones. Definitio Benedictionis Ecclesiasticæ, & explicatio Rituum ejus, quorum præcipuum signum *Crucis*, de quo plures Theologicæ, & Historicæ eruditiones. De exorcismis in res inanimes, & animalia nociva. De Ensalmis. De fructu benedictionum SS. Virorum. De benedictionibus Rosæ aureæ, & Agnorum Dei cereorum, quas facit Papa. De aliis spectantibus ad Cardinales, ad Episcopos, ad Parochos, ad Abbates, & ad Prælatos Regulares. De Parentum in filios benedictione, & maledictione. Tandem de necessariis ad benedicendas Ecclesias, Oratoria, & Cæmeteria; de quibus omnibus quæstiones plures Canonicæ, & Legales, utiles, & curiosæ.

DECISIO XLIII.
ARGUMENTUM.

Agitur de Ornamentis Ecclesiarum, & Altarium, quæ sunt Ecclesiastica, Regalia, Moralia, & Legalia. Prima, nempè Ecclesiastica sunt Mappæ, Pallia, Crux, Candelabra, Lucernæ, & alia prout in Rubrica Missalis, circa quæ variæ difficultates solvuntur, & eruditiones dantur, præcipuè circa Lucernas perpetuas, & inextinguibiles antiquorum. Regalia ornamenta sunt donationes Principum. De his Historiæ plures, illaque donationis Constantini Imperatoris. Moralia sunt devotio, & reverentia plebis in Ecclesia. De his multa scitu digna; & de Diaconissarum officio. Legalia tandem ornamenta Immunitas loci Sacri. Agitur de Jure Asyli pro confugientibus ad Ecclesiam juxta Bullam Gregorii XIV.

DECISIO XLIV.
ARGUMENTUM.

Declaratur, ad quos spectet provisio ornamentorum Ecclesiæ, vel Altaris? An ad Rectorem, vel Capellanum? aut ad populum? Regulæ octo, juxta quas decidendæ difficultates circa reparationem Ecclesiarum, & Altarium, Cæmeterii, Campanarum, Domus Parochialis, necnon quorumcunque Ornamentorum Ecclesiasticorum?

DECISIO XLV.
ARGUMENTUM.

Quia ad convocandum populum ad Sacrificium opus est Campanili, & Campanis, de his agitur historicè, mysticè, legaliter, & supernaturaliter. De Turri Babel, & David; de Pyramidibus, & Campanilibus famosis. Differitur de origine Campanarum

tum

tum apud Gentiles, tum apud Christianos. Turcæ campanas abhorrent. Exponuntur mysticæ significationes Campanarum. Tractatu de Horologiis solaribus, aqueis, & cum rotis. De eorum initio, usu, & commodo. De trina pulsatione ad salutationem Angelicam, & de ejus Indulgentia plenaria. Campanarum pulsandarum finis, tempus, numerus, & ministri; Quis teneatur ad expensas, & salarium pro Campanis? Utilitates ex sonitu Campanarum. Aliquæ miraculosæ Campanæ. Duæ maximè molis, *Erfordienſis, & Pekinenſis.*

DECISIO XLVI.

ARGUMENTUM.

Quia non licet Sacrificium Missæ peragere in Ecclesia profanata, violata, seu polluta: agitur de Ecclesiarum profanatione, violatione, & pollutione. Docetur, quid sit Pollutio Ecclesiæ, Quæ loca sint pollutionis capacia? Quæ actiones Ecclesiam polluant? & latè disseritur de homicidio facto in Ecclesia, de effusione sanguinis, & seminis humani, & de sepultura infidelium, atque excommunicatorum. Declarantur effectus pollutionis, & quæ functiones sint prohibitæ in Ecclesia polluta? Reconciliare Ecclesias pollutas quis possit? Quidquid disputant DD. de Ecclesiis pollutis, hîc recensetur; additis historiis, & eruditionibus multis.

DECISIO XLVII.

ARGUMENTUM.

Post ornatum Altarium, & Ecclesiarum, agitur de Sacerdotum ornamentis, quæ triplicia sunt, Interiora, Exteriora, & Mystica. Ornatus interior Sacerdotis stat in conscientia pura, sobrietate, & castitate. Cur, & quando Uxores prohibitæ Ministris Sacris? Milites in castris an expediat, ut habeant uxores secum? Rationes tam contra, quàm ad favorem cœlibatus Sacerdotum. Quare Græci habeant Uxores, & ex quo tempore? Exempla Ministrorum Altaris incontinentium punitorum. Cautelæ tres pro servanda castitate. Lapsus Virorum Sanctorum ob familiaritatem cum mulieribus. Eruditiones, & monitiones plurimæ pro hoc interiori ornatu Sacerdotum.

DECISIO XLVIII.

ARGUMENTUM.

De Tonsura Clericali, quæ est ornamantum exterius Sacerdotum, agitur in hac Decisione. Ostenditur in quibus consistat, quibusve de causis sit introducta? Ejus antiquitas, & privilegia. Sacerdotes intonsi mortaliter peccant. De usu tonsuræ apud Hebræos. Græcos, Romanos, & Ecclesiasticos Latinos, ac Græcos; Quid de Barba antiquarum nationum, & ministrorum utriusque Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ? Plures eruditiones de Barba; & exempla non injucunda de mulieribus barbatis.

DECISIO XLIX.

ARGUMENTUM.

Agitur de alia parte Ecclesiasticæ Tonsuræ, consistentis in Habitu ad formam Sacrorum Canonum. Tres conditiones Vestis Clericalis, ut sit Talaris, Nigri coloris, & Lanea. Plura de Origine, & usu Vestis Talaris. De colore albo, ac violaceo ejusdem; atque de prohibitione Vestium sericarum. Sex accessoria habitus Clericalis, Zona, Collaria, Manicæ, Calcei, Pileus, & Annulus; quæ omnia quomodo Clerici deferre possint? Annulorum plures usus, & mysteria, præcipuè in conjugiis, & Sigillis. Papæ Sigilla tria; Annulus Piscatorius, Plumbeum, & subscriptio cum aliquo versu Sacræ Scripturæ. Digitorum nomina, & cur in quarto digito Annulus ponatur? De Annulis sponsalitiis S. Annæ, ac Deiparæ. Quibus Ecclesiasticis licitus sit Annulus aureus, & quibus prohibitus? Quid sit Vestis dicta Birrus? Qui infantuli olim Lectores? Et cur Regularibus detur habitus solemni ritu, non etiam Clericis sæcularibus? & laici sepeliantur induti Habitu Regulari Sancti Francisci.

DECISIO L.

ARGUMENTUM.

Mysticum ornatum, quo Sacerdos litaturus indutus esse debet, continet præsens Decisio: & est, recitare Matutinum cum Laudibus ante celebrationem, ac Sacras Vestes induere. Mortale esse non recitare Matutinum, ac Laudes ante Missam, (justa causa cessante) juribus, atque rationibus contra Neotericos probatur, ad mentem antiquorum Doctorum. Sacrarum vestium numerus, nomina, mysteria, ususque necessarius in Sacrificio ostenditur. Pileolus, ac Perucha celebrantibus Missam proscripti. Color in Vestibus Sacris servandus juxta Rubricas. Clerici sepeliendi cum Vestibus sacris suorum ordinum. Calix ad manus Sacerdotis mortui non ponendus vestes lugubres, vulgo di *Scorruzzo* à Clericis in morte parentum non induendæ.

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la fede di reviſione, ed approvazione del P. F. Ambroſio Liſotti Inquiſitore, nel Libro intitolato: *Deciſiones ſuper Sacrificium Sanctæ Miſſæ Joannis Clericati Præpoſito &c.* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; & parimente per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza, che poſſa eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venetia, & di Padova.

Dat. 6. Luglio 1699.

Lorenzo Soranzo Cav. Ref.
Ferigo Marcello Proc. Ref.

Agoſtino Gadaldini Segr.

DE

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO

DECISIO I.

ARGUMENTUM.

Agitur de Etymologia Sacrificii, & de multiplici ejusdem denominatione. Voces Litare, Litaniæ, ac Liturgiæ unde dicantur.

SUMMARIUM.

1. *Etymologia hujus Vocis* Sacrificium?
2. *Sacrificii multiplex denominatio.*
3. *Litare unde dicatur?*
4. *Litaniæ quare sic vocentur?*
5. *Liturgia quid significet?*
6. *Oblatio differt à Sacrificio?*
7. *Sacrificium cur dicatur Mysterium, atque Sacramentum?*

ACtum est anno proximè præterito de Sacrosancto EUCHARISTIÆ Sacramento; In præsenti agendum est de eadem, quatenus est Sacrificium; ideóque primum Quæsitum propositum per me Parochis, Confessariis, & aliis studiosis hujus Patavinæ Diœceseos expetivit Etymologiam, variam Sacrificii denominationem. Pro responsione dictum fuit, quòd Etymologia hujus
1 vocis *Sacrificium* appellatur quasi *Sacrum factum*, Melchior Canus *de locis Theol. lib.* 12. *cap.* 13. *Vers. illud deinde*: ubi advertit, non omne opus Sactum esse Sacrificium; quamvis è contra omne Sacrificium sit sacrum opus; nam omnia Sacramenta sunt opera sacra, & nihilominùs non sunt Sacrificia.
2 Porrò Sacrificii multiplex est denominatio; solet enim dici *Mactatio*, *Immolatio*, *Libatio*, *Litatio*, *Oblatio*, *Mysterium*, *atque Sacramentum*. Sacrificium per *Mactationem* erat, quando Victima occidebatur. Per *Immolationem*, quando res inanimis, & solida frangebatur, disgregabatur, aut comburebatur, ut panis, manipulus Spicarum, thus, & similia. Per *Libationem*, dum liquida effundebantur, ut aqua, vinum, oleum. Per *Litationem* quando omnia prædicta fiebant adjunctis precibus ad placandum Numen; dicitur enim *litare* quasi
3 *lutare* à verbo luo, quod est *solvo*; nam qui solvit debitum, placat creditorem. Vossius *in Etymolog. linguæ latinæ Verb. litare.* Vel quasi *Precatio* ἀλυτὴ, quod est supplicare; unde Litaniæ dicuntur supplices. Non autem hinc deducitur *Liturgia*, quæ significat munus publicum; licèt hoc nomine utantur Patres pro EUCHARISTIA, ac Sacrificio Missæ demonstrando, quia mysticè deducitur ex ea voce *Liturgia*, cùm Sacrificium sit quid publicum, & institutum publica auctoritate, ut infra demonstrabitur. *Vossius ibidem, & Magr. in Hierolex. Verb. Liturgia.* Pari modo *Oblatio* tanquam nomen genericum denotat Sacrificium; quia
6 omne Sacrificium est oblatio; sed non è contra; dantur enim plures oblationes Deo factæ, quæ non sunt sacrificia, ob non confectionem, seu immutationem rerum oblatarum; de quibus non multò post loquemur. Tandem Sacrificium appellatur etiam *Mysterium*, atque *Sacramentum*; quia secretum continet, & significat aliquid sanctè accipien-
7 dum. *cap. Multi sæcularium.* 1. *qu.* 1. quod notat etiam Emin. Card. de Lauræa *in Epitome Canon. in verbo Sacrificium.*

4 5

DECISIO II.

ARGUMENTUM.

Differitur de duplici Sacrificii acceptione, & de decem generibus Sacrificiorum metaphoricè nominatorum.

SUMMARIUM.

1. *Sacrificium dupliciter sumitur; propriè, & translatè.*
2. *Sacrificiorum metaphoricorum decem genera.*

PLures autem in hoc Clero doctissimi scripserunt, quòd Sacrificium dupliciter sumitur *propriè, & translatè.* Primo modo, cùm res oblata
1 Deo immutatur; secundo modo, cùm aliquid Deo gratum exercetur, quod per allegoriam, & translationem dicitur Sacrificium. Canus *d. lib.* 12. *cap.* 13. *Vers. Illud deinde.* Et *Collegium Salmanticen. tom.* 10. *de Sacram. in genere tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 1. Et in hoc allegorico, & metaphorico sensu S. Jo. Chrysostom. *Commentar. in Psal.* 95. ponit
2 decem sequentia genera Sacrificiorum, videlicet. I. Imitationem Christi, juxta illud Pauli Apostoli: *Estote imitatores Dei filii charissimi, & ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos, & tradidit*

semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis. Ephes. 5. 1. II. Mortificationem carnis, de qua idem Apostolus *ad Rom.* 12. 1. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, Sanctam, Deo placentem.* III. Orationem, de qua sic loquitur Regius Psaltes in *Psal.* 140. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum Sacrificium vespertinum.* IV. Laudem divinam, quam canunt Levitæ in Templis. *Immola Deo Sacrificium laudis. Psal.* 49. 14. Et *Psal.* 106. 22. Et *Sacrificent Sacrificium laudis.* V. Rectitudinem in operando cum justitia. *Tunc acceptabis Sacrificium justitiæ. Psal.* 50. 21. VI. Eleemosynas elargitas pauperibus *Religio munda, & immaculata* (Sacrificatio ponitur à S. Doctore) *apud Deum, & Patrem hæc est: Visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum. Jac.* 1. 27. VII. Jubilationem cordis ob celsitudinem Humanitatis Christi, & ejus supremam potestatem, de quatotus Psalmus 46. *Omnes gentes plaudite manibus &c.* ut interpretatur Thomas le Blanc, *in Analysi Psalterii Davidici*: quæ quidem jubilatio exeritur ab animabus piè passionem Domini meditantibus; quarum meditatio vocatur Sacrificium; juxta illud: *Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis. Psal.* 26. 6 VIII. Contritionem cordis pœnitentis, & jugiter lacrymantis ob commissa peccata, quæ gratissimum dicitur Sacrificium. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Ps.* 50. 19. IX. Prædicationem Evangelii in gentes, & earum conversionem ad agnitionem veritatis, quam pariter vocat Sacrificium Apostolus *ad Rom.* 15. 16. dicens: *Ut sim Minister Christi Jesu in gentibus; sanctificans Evangelium Dei, ut fiat Oblatio gentium accepta.* X. Beneficentiam, gratique animi demonstrationem erga benefactores; juxta ejusdem Apostoli monitum *ad Hebr.* 13. 16. *Beneficentiæ autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Omnia igitur supradicta opera pia appellantur Sacrificia, quia Deo sunt gratissima, & quoniam propria sunt populi Christiani; eundem in ipso sensu Allegorico, Sacerdotem appellavit Apostolorum Princeps dicens: *Et ipsi tanquam lapides vivi superedificamini Domus spiritualis, Sacerdotium Sanctum, offerre spirituales, hostias, acceptabiles.* Et rursus: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta.* 1. *Petr.* 2. & S. Joannes in *Apoc.* 5. *Fecisti nos Deo regnum & Sacerdotes.* Quod bene declarat idem Collegium Salmanticen. *in tomo de Incarnatione tract.* 21. *disp.* 31. *dub.* 1. *n.* 3.

(o)

DECISIO III.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, quæ, & quot sint de essentia Sacrificii.

SUMMARIUM.

1 *Sacrificium aliud in se, aliud in opere.*
2 *Sacrificium ut in se duo requirit, protestationem Divinæ excellentiæ, & destructionem rei oblatæ.*
3 *Sacrificium ut in actione, tria requirit: 1. Ut illa actio sit instituta per publicam auctoritatem. 2. Ut fiat pro toto populo. 3. Ut fiat per legitimum Ministrum.*
4. *Ozias Rex quare à Deo punitus?*

ADverterunt nostri scribentes, quòd non levis est Theologorum labor in assignandis iis, quæ sunt de essentia Sacrificii, ut videre est apud Card. de Lugo *de Euchar. disp.* 19. *sect.* 1. Valentiam *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 4. *punct.* 1. *&* 2. Porrò pro faciliori intelligentia dixerunt, distinguere oportere 1. Sacrificium in se, & circa intrinsecam suam naturam; atque Sacrificium in opere, idest actionem ipsam sacrificandi, & litandi. Quatenus Sacrificium consideratur in se, duo sunt de ejus essentia. *Unum* est protestatio, quam facere debet homo Divinæ 2. excellentiæ, & supremæ potestatis à cujus nutu pendet omnis creatura. *Alterum* est, destructio rei oblatæ, vel in totum, vel in parte, ad significandum, quòd Majestas Divina pro libito potest res nostras, & vitam nostram destruere. Card. de Lugo *d. disp.* 19. *sub num.* 7. ubi DD. allegat, & est doctrina S. Thomæ 2. 2. *q.* 86. *art.* 1. Quatenus 3. verò Sacrificium consideratur in actione, tria sunt de ejus essentia. Primum. Ut actio illa sit instituta per publicam auctoritatem, ad denotandum illud summum opus Divini cultus, quod appellatur Sacrificium. Secundum. Ut actio illa fiat nomine totius populi, vel ad impetrandam remissionem peccatorum ejus, vel ad obtinendam eidem populo gratiam in hac vita, & gloriam in futura. Tertium. Ut fiat per legitimum Ministrum, idest per personam ad tale opus faciendum legitimè deputatam. Colleg. Salmanticen. *de Sacram. in genere d. tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 2. & Gonet. *tom.* 4. *disp.* 3. *art.* 3. *num.* 11. Hinc est, quòd tam in vera Religione, quàm apud gentiles Sacrificia erant instituta non ad uniuscujusque placitum, sed ab auctoritate publica Victimarum immolationes fiebant pro incolumitate populi; & nemo poterat ea offerre, nisi essent assumpti ad Sacerdotium; idcirco Ozias Rex cùm non esset Sacerdos, & tamen Sa- 4. crificium offerre vellet, punitus est à Deo, & lepra percussus. 2. *Paralip.* 26. Sed de his omnibus plenè in sequentibus Decisionibus.

DECISIO IV.

ARGUMENTUM.

Quid sit Sacrificium? Et de ejus vera, atque propria definitione, complectente omnia, quæ concernunt actum Sacrificandi

candi. Et præcipuè materiam oblationum. De oblatione filiorum Religioni. A quibus non sint recipiendæ oblationes? Quomodò eas Parochus recipere possit in Missa?

SUMMARIUM.

1 *Sacrificii vera definitio.*
2 *Sacrificium est Oblatio.*
2 *Oblatio tria significat.*
4 *Oblationis nomine veniunt quæcunque res Deo exhibitæ pro ejus cultu.*
5 *Infantes olim à parentibus Divino cultui offerebantur.*
6 *Infantes per parentes Religioni oblati, eam non tenebantur ingredi, nisi adulti ratam habuissent paternam oblationem.*
7 *Hebræi ter in anno aliquid Deo offerre tenebantur.*
8 *Christiani antiquitus oblationes frequenter faciebant Ecclesiis rerum mobilium, & immobilium.*
9 *Caroli Magni Imperatoris donationes factæ Romanæ Ecclesiæ.*
10 *Scotatio quid esset?*
11 *Oblationes, quæ non recipiebantur ab Ecclesiâ?*
12 *Oblatio tria requisita habere debet.*
13 *Oblatio facta Capellæ existenti intra Parochiam, vel Ecclesiam, cui debeatur?*
14 *Oblationes ab adstantibus Missæ olim ponebantur in Altari post recitationem Symboli.*
15 *Offertorium cantabatur, donec fideles dabant suas oblationes.*
16 *Organus hodie est loco Offertorii, quod cantabatur olim cum multis Psalmis.*
17 *Oblationes eorum, qui non erant communicaturi in Missa, non recipiebantur in Altari.*
18 *Nomina eorum, qui oblationes fecerant in Missa, publicè legebantur, & pro eis Celebrans orabat.*
19 *Memento tam pro vivis, quàm pro defunctis in Missa, quare secretò fiat?*
20 *Consuetudo rusticorum post Offertorium faciendi eleemosynam celebranti, osculando manipulum.*
21 *Decreta S. Congr. servanda in recipiendis oblationibus tempore Missæ.*
22 *Celebrans potest accedere ad locum mulierum in Ecclesia pro oblationibus recipiendis.*
23 *Uvæ, lac, & mel non offerebantur in Altari.*
24 *Oblatio, pressa significatione, innuit Sacrificium Missæ.*
25 *Christus bis Sacrificium obtulit, primò incruentum in Cœna: Secundò cruentum in Cruce.*
26 *Particulæ si portentur in Altari post oblatam Hostiam, an licitè consecrentur.*

UT sciamus ea omnia, quæ necessaria sunt ad actum Sacrificii ritè explendum, oportet ejus definitionem proponere, & diligenter examinare ex ea enim resultat scire, *Quid sit Sacrificium?* Et quæ teneatur facere, qui ritè, & rectè intendit sacrificare. Cæterum cùm plures leguntur definitiones tum apud Scholasticos, tum apud Moralistas, placet hic ponere illam, quam selegit Abelly *in Medulla Theol. part. 2. tract. 1. cap. 4. sect. 11. §. 1.* additis tamen aliquibus verbis pro complemento totius quidditatis Sacrificii in actu. Est autem hujusmodi: *Sacrificium est oblatio externa, soli Deo facta, qua in testificationem ejus supremi Dominii à legitimo ministro res aliqua sensibilis, & permanens, ritu mystico consecratur, & transmutatur, in loco, & super altari solemniter ad hoc deputato, pro remissione peccatorum, nec non præsenti, æternaque felicitate populi obtinenda.* 1

Singula verba sunt singillatim exponenda; ex eis enim constabit, Sacrificium in opere, seu actionem ipsam sacrificandi requirere conditiones quatuordecim, ut ritè, ac rectè peragatur.

Primò itaque dicitur, quòd *Sacrificium est oblatio*; hoc enim verbum oblatio est tanquam genus, quia est verbum genericum, & complectitur plures actiones, & varias species rerum, quæ Deo solent ab hominibus offerri, & non sunt Sacrificia; præcipuè autem tria significat: Primò ea munera, quæ non Altari, sed Ecclesiæ extra Missam offerebantur. Secundò oblatio arctatur ad ea, quæ intra Missarum solemnia Altari inferuntur, sivè ad Sacrificium pertineant, sivè ab eo sint aliena. Et tertiò magis pressâ significatione Oblatio innuit ipsum Sacrificium à Sacerdote Deo oblatum. De unoquoque sensu plura tum eruditionis, tum doctrinæ causa veniunt observanda. 2 3

Circa primum sensum, & quatenus oblatio significat ea munera, quæ non Altari, sed Ecclesiæ extra Missam offerebantur, observare oportet. Primò quòd nomine oblationis veniunt res quæcumque Divino cultui exhibitæ. Sotus *de Justitia, & Jure lib. 9. q. 3. art 1.* Sivè sint immobiles, sivè mobiles, sivè ipsæ personæ, ipsaque donatio facta sit Deo, & Ecclesiæ, vel inter vivos, vel causa mortis, vel in testamento, vel alio modo. *cap. Cum inter. De Verbor. significat, cap. Quod obligationes, & cap. Clerici. 13. quæst. 2.* Barbosa *de Apellativis Verb. Oblationes. Et de Jure Eccl. Univ. lib. 3. cap. 23. num. 1. 2. & 3.* Secundò est observatu dignum, quòd antiquitus non solùm personæ sui juris se offerebant Deo; sed etiam infantes à suis Parentibus. Exemplum esse potest Samuel, qui Deo oblatus fuit per Annam Matrem suam, cum dixerit: *Si dederis servæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus. 1. Reg. 1. 11.* De Sancto Bonaventura sic legitur in Breviario Romano *lect. 4. die 14. Julii. Cùm infans incidisset in vitæ periculum; Mater ejus vovit, si inde evasisset, se eum Religioni B. Francisci dicaturam.* Et de Sancto Andrea Corsino *die 4. Februarii lect. 4.* sic pariter legitur: *Eum parentes precibus à Deo impetrarunt; & Beatæ Virgini spoponderunt.* Hi tamen filii sic oblati non tenebantur assumere statum Religiosum, nisi ratam habuissent paternam oblationem postquam ad annos discretionis pervenissent. *cap. Illud autem 20. q. 2. & cap. Cum simus. Deo Regularib.* ut plenius demonstravi in tractatu de Eucharistia *Decis. 62. num. 16 & 17.* Tertiò sciendum, quòd apud Hebræos erat præceptum de offerendis ter in anno rebus mobilibus in Divinum cultum, ut legitur in Deuter. *cap. 16. num. 17.* his verbis: *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui. Non apparebit ante Dominum vacuus, sed offeret unusquisque secundum quod habuerit.* Qui mos transivit in populum Christianum, à quo pluribus sæculis servatum fuit Templis, & Ecclesiis donationes facere tum pro Divino cultu exercendo, tum pro Ministris Ecclesiasticis sustentandis; quarum us- 4 5 6 7 8

ius ad solos Ecclesiasticos spectare decernitur in *cap. Hanc consuetudinem* 10. *quæst.* 1. Et quemadmodum pauperes offerebant panes, oleum, vinum, mel, ceram, & alia hujusmodi. Barbosa *de Jure Eccl. d. lib.* 3. *cap.*23. *num.*4. Magr. *in Hierolex. Verb. Oblatio.* Ita Reges, Principes, ac personæ nobiles offerebant possessiones terrarum, sylvas, campos, vasa aurea, argentea, atque pecuniam; ut notat Mabyllon. *in Liturgia Gallicana Append.* 5. ubi ponit testamentum S. Remigii Remorum Episcopi donantis vineas, & vasa argentea Ecclesiæ suæ; nec non testamentum illustris Matronæ Ermentrudis, in quo donaria multa. Et de donatione Caroli Magni facta Romanæ Eccle- 9
siæ, aliisque differit Enim. Card. Bona *Rer. Liturgic. lib.* 2. *cap.* 8. *sub num.* 8. ubi observat, quòd chartas oblationum antiqui Christiani ponebant super Altaria in signum irrevocabilis donationis; vel modicum terræ possessionum oblatarum, ut legitur *in cap Ex litteris* 2. *de Consuetudine* ubi quòd dicta cæremonia vocabatur scotatio; idest perpetua oblatio.

Quartò, sed nec illud est ignorandum; quòd Ec- 10
clesia refutabat plurimarum personarum oblationes. Videlicet I. Hæreticorum. Cardin. Bona. *d.* 11
*libr.*2. *cap.* 8. *num.*5. referens exemplum Eusebii Constantii Imperatoris Ariani Eunuchi, qui munera B. Petro obtulerat sub Liberio Papa, à quo tanquam illicita, & execranda fuerunt rejecta: nec non Marcionis, cujus ducenta sestertia, valoris quinque aureorum millium donata S. Petro Eleutherius Papa retinere noluit. II. Respuuntur oblationes dissidentium fratrum. *cap. Oblationes*, 90. *dist.* III. Opprimentium pauperes S. Thom. 2. 2. *quæst.* 86. *art.*3. IV. Sacrilegorum. *cap. Divino* 12. *q.*2. V. Extrahentium servos suos ab Ecclesia. *cap. Miror.* 17. *q.*3. VI. Raptorum. *cap. Super de Raptoribus.* V. Usurariorum. *cap. Quia in omnibus. De Usur.* VII. Publicarum Meretricum. Glos. *in cap.*2. *Verb. Dona dist.* 90. Barbos. *d. lib.* 3. *cap.*23. *à num.* 14. *& seqq.* qui *num.* 21. advertit, supradictas prohibitiones procedere in oblationibus voluntariis, & quæ fiunt ad Altare; nam si quæ sunt jure debitæ, vel ratione prædiorum, vel Parochialitatis, seu habitationis; sunt etiam à prædictis exigendæ extra Ecclesiam, ne supradictæ personæ sint melioris conditionis, quàm piè viventes. Ricciull. *de Personis, quæ in statu reprob. versantur. lib.* 2. *cap.*36. & Barbosa *d. lib.*3. 12
*cap.*23. *num.*13. ubi considerat tria requiri, ut oblatio sit verè oblatio. Unum quòd res detur Ecclesiæ. Alterum quòd detur à Fideli. Tertium de re licitè acquisita. *cap. Causa. de Verb. signific. cap. Quia in omnibus. De usuris, & cap. Ex transmissa, de decimis.* Quintò tandem est sciendum, inter 13
Canonistas esse celebrem quæstionem illam; ad quem spectent oblationes factæ alicui Capellæ, vel Imagini Sacræ existenti intra Ecclesiam Parochialem; vel intra Parochiam? In qua tres sunt opiniones. Una tenet, eas spectare ad Parochum. Altera, quòd pertinent ad Capellanum. Tertia, quòd sint administrandæ per Patronum, etsi laicum, ejusdem Capellæ, vel Imaginis. Ita DD. moderni, qui antiquos cumulant. Barbos. *de Jure Eccl. lib.*3. *cap.*13. *num.* 22. Belletus *de Bonis Cler. part.* 1. 2. 3. *n.*3. Nicol. *in Lucubrat. Can. lib.* 5. *tit.*39. *num.* 181. Rochus *de Jure patr. Verb. Onerosum. n.*2. Fagnan. *in cap. Pastoralis à n.*14. *& seqq. De his quæ fiunt à Prælat.* Card. de Luca *de Parochis disc.* 32. & Rota *part.*5. *rec. decis.*37. ubi concordantur opiniones, dicendo in hac materia oblationum, esse attendendam mentem offerentium, & si hæc non sit cognita, servandam esse consuetudinem Regionis, qua non extant, Parocho esse concedendas ipsas oblationes, expendendas tamen in ornamentis ejusdem Imaginis, vel Capellæ.

In secundo sensu oblatio arctatur ad ea, quæ intra Missarum solemnia Altari inferuntur; sivè ad Sacrificium pertineant, sivè ab eo sint aliena; & de his oblationibus differunt Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. lib.* 2. *cap.*8. *num.*4. Magr. *in Hierolex. Verb. Oblatio, & in Verb. Offertorium*, & Gaspar Invenin. *in Commentar. Historico Dogmatic. de Sacramentis tom.* 1. *dissert.* 5. *quæst.* 8. *cap.*8. *art.* 2. §. 2. *pag.* 477. Ex quarum scriptis hæc notanda 14
veniunt. Primum, quòd per integra decem primitiva sæcula mos fuit in Ecclesia Catholica, ut fideles, qui Missæ adstabant, recitato per celebrantem Symbolo, accederent ad Altare & offerrent tum panem, & vinum pro Sacrificio; tum alios fructus pro usu Ecclesiæ, & Ministrorum, nempè oleum, incensum, legumina, novas spicas, uvas, lac, mel, agnos, & similia. De hoc usu loquitur textus in *cap. Omnis Christianus, de Consecr. dist.* 1. S. Augustinus *epist.* 122. & Durant. *lib.*2. *c.*26. Secundum, quòd interim dum fiebant 15
oblationes, cantabatur offertorium, quod erat compositum ex pluribus versibus, & psalmis, & diù durabat, usquequò terminarentur oblationes, hodie verò resecata longitudine offertorii, succes- 16
sit Organus, qui sonat usque ad Præfationem. Tertium, quòd ipsæ oblationes recipiebantur coram Altari, & Celebrante per Ecclesiasticos Ministros, à quibus deligebatur panis, & vinum pro Sacrificio, & in tanta quantitate, quæ sufficeret pro communione cleri, & populi. Quar- 17
tum; quòd non admittebantur ad oblationem, qui non erant communicaturi; & ideò Pœnitentes consistentes appellati, idest quibus indulgebatur, ut totam Missam audirent, quia prohibiti erant communicare, non offerebant. Multò minus recipiebantur oblationes aliorum publicorum peccatorum, ut dictum est supra. Quintum, quòd laici, & eò minus fœminæ non ingrediebantur Sanctuarium pro oblatione inferenda; sed extra septa Altaris recipiebantur oblata. Sextum, quòd com- 18
pleta oblatione, legebantur nomina eorum, qui obtulerant; pro quibus specialiter celebrans Deum orabat; ut legitur in LXXX. exemplaribus antiquissimi Missalis Gothici, relatis per *Mabyllon de Liturgia Gallicana lib.* 3. *& ibid. in Missali Gallicano pag.* 333. Quæ quidem nominum publicare citatio degeneravit in aliquorum ambitionem, quam reprehendit *S. Hieronym. in cap.* 18. *Ezechiel. & lib.*2. *in Hierem. capit.* 11. Quare statutum ut 19
secretò fieret mentio offerentium in canone, ante consecrationem pro vivis, post consecrationem pro Defunctis, ut fit etiam hodie à Sacerdote in utroque Memento. Septimum; quòd post sæculum decimum diminuta devotione populi erga Eucharisticam Communionem, recesserunt ab aula oblationes pro Sacrificio Missæ, ad quarum similitudinem in pagis, & villis remansit consuetudo, ut finito offertorio, Parochus se vertat ad populum, & ab eo pecuniariam eleemosynam pro ob- 20
latione recipiat, porrigendo illi osculandum vel manipulum, vel Crucifixi Imaginem, ut hisce temporibus videmus. Octavum; ad tollendos

ru-

autem abusus modernos circa has oblationes cum
21 osculo pacis, vel manipuli, emanarunt sequentia decreta S. Congregationis Concilii, ac S. Rituum, relata per Gavant. *in Rubr. Miss. part. 2. tit. 7. num. 5.* & Bissum *in sua Hierurgia tom. 2. Verbo Oblatio p.* 149. videlicet: quòd celebrans non circumeat Ecclesiam pro oblatione recipienda; sed aliquantulum se retrahat è medio Altaris. Quod non porrigat patenam populo osculandam. Quodque in Ora-
22 toriis privatis non recipiantur oblationes. Potest tamen Parochus accedere ad infimum locum Ecclesiæ, ubi mulieres manent separatæ à viris, & ibi earum oblationes in Missa recipere. Fagnan. *in cap. Pastoralis. num. 40. & 41. De his, quæ fiunt à Prælat. tom. 4. pag. 267.* Nonum. In nonnullis Ecclesiis Occidentalibus, & præcipuè Gallicanis mos adhuc viget, ut in certis Missis solemnibus, certisque aliis diebus festivis populi offerunt panem, & vinum in Missa, ut advertit Ivenim *d. §. 2. in fin. pag. 479.* Decimum tandem notandum est, quòd antiquis temporibus, quando frequentes erant fidelium oblationes in Missa, vetitum fuit
23 offerre ad Altare tum uvas, tum lac, & mel; ob abusus, qui irrepserant in eorum consumptione; ideoq; extra Altare cum aliis rebus oblatis ponebantur; ut deservirent vel pro ministrorum alimentis, vel pauperum eleemosynis; ut ex vetustioribus Patribus, ac Synodis notat Emin. Cardin. Bona *d. lib. 2. cap. 8. num. 4.* & Card. de Lauræa *in Epitome Canon. Verb. Oblatio.*

In tertio sensu, de quo supra, *Oblatio* magis presså significatione innuit ipsum Missæ Sacrificium
24 per Sacerdotem Deo oblatum; siquidem antiqui Patres frequenter, quando Sacrum Missæ Sacrificium nominare volebant, illud Oblationem vocabant; ut ostendit Pamellius *ad lib. Tertullian. de Cultu fœmin. cap. 11.* Ennodius Ticinen. S. Augustinus, Optatus, & alii relati per Card. Bona *Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 3. n. 2. Vers. Quintò.* Et hoc pluribus causis, & rationibus. Prima, quia sic Missam Spiritus Sanctus designavit per os Malachiæ, appellando eam Oblationem mundam. *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo Oblatio munda. Malach. 1. 11.* ut doctè considerat Emin. Card. Bellarm. *lib. 1. de Missa cap 10.* Secundò, quia Christus Dominus ideò carnem mortalem induit, ut eam offerret pro nobis æterno Patri in oblationem. Undè S. Jo. Chrysost. ait: *Incarnatus est nostra substantia; & factus est nobis Summus Pontifex, & obtulit carnem suam*: quod habetur *in cap. Semel immolatus est. De Consecr. dist. 2. in cap. Firmiter. De Summa Trinit.* & Conc. Trid. *sess 22. cap. 1.* Tertia, quia Christus Dominus bis hanc Oblationem fecit, incruentam u-
25 nam quando in cœna cum discipulis consecravit panem, & vinum, & in suum corpus, & sanguinem conversum obtulit æterno Patri; cruentam alteram, quando crucifixus fuit à Judæis. Emin. Card. de Lauræa *de Incarnat. disp. 2. num. 18. & ead. disp. 22. art. 5. per totum.* Et noviſſimè Ivenin. *in Comment. Histor. Dogmat. tom. 1. Dissert. 5. cap. 2. pag. 402.* Et ex his omnibus clare patet, jure optimo Sacrificium definiri, & vocari *Oblationem*; non solum quia verbaliter Oblatio bis fit in Missa; una ante consecrationem, dum Sacerdos offert Hostiam positam super Patena dicendo: *Suscipe Sancte Pater* &c. Et vinum in Calice cum illis verbis: *Offerimus tibi Domine* &c. Altera statim post consecrationem, recitando Orationem illam: *Unde & memores Domine*, in cujus fine dicitur: *offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis, ac datis, Hostiam puram † Hostiam Sanctam † Hostiam immaculatam, † Panem sanctum † vitæ æterna, & Calicem † salutis perpetuæ.* Sed præcipuè quia ipsa consecratio, quam facit Sacerdos in persona Christi habet rationem Oblationis, ut dicemus infra *Decis.* XXXI. Sed dicet aliquis, si post factam oblationem Hostiæ, & Calicis prima vice, defe- 26
rantur ad Altare particulæ consecrandæ, poterunt-ne licitè consecrari? Negat Bonac. *de Sacrific. disput. 4. quæst. ult. punct. 6. num. 6.* Affirmat Posse-vin. *de Officio Curati cap. 2. n. 2.* Diana *part. 2. tract. 14. resol. 71. & part. 6. tract. 6. resol. 7.* Quæ sunt collocatæ in Coordinato *tom 2. tract. 1. resol. 214. & resol. 215.* ubi ex DD. ibi allegatis tenet, posse licitè consecrari quocumque tempore deferantur ante consecrationem Hostiæ majoris, si aliqua justa causa intercedat, & satis sit, si mente offerantur Deo; & hoc idem concedit Quartus *in Rubr. Missal. part. 2. tit. 7. dub. 2. & 3.* necnon Tamburin. *de Sacrific. Missæ lib. 2. cap. 5. §. 2. num. 6.*

DECISIO V.

ARGUMENTUM.

Quare in Definitione Sacrificium dicatur oblatio externa? Quare omnes oblationes non sint Sacrificia?

SUMMARIUM.

1 *Cultus Divinus tripliciter offerri potest Deo.*

2 *Homo tenetur Deum colere Anima, Corpore, & Rebus externis.*

3 *Homini convenit recognoscere Superiores suos cum oblatione rerum externarum.*

4 *Sacrificia quare peracta cum rebus externis?*

5 *Oblationes omnes factæ in honorem Dei, quare non sint Sacrificia?*

NOn solum definitur Sacrificium, quòd sit *Oblatio*, sed ulterius, quòd sit *Oblatio externa*; quocirca in præsenti quærendæ sunt rationes, ob quas addita est hæc vox *Externa.* Quæ quidem sunt quatuor. Prima est; quia homines naturali lege ad colendum Deum ob summam ipsius excellentiam, & supremum omnium dominium, tenentur. Hic autem cultus exhiberi potest tripliciter. *Primò* per actus merè 1
internos, quibus credimus Deum esse; ipsumque reveremur, & diligimus. *Secundò* per actiones externas imperatas à Religione, & ordinatas ad ejus reverentiam, ut per Psalmodiam, & alias orationes vocales, genuflexiones, & adorationes. *Tertiò* per res externas nobis à Deo datas, & quas possidemus; quarum aliquas offerimus ad cultum ipsius Dei, & in protestationem suæ excellentiæ; hujusmodi erant Sacrificia,

in quibus offerebantur Deo res pretiosiores ad prædictum finem, juxta illud 1. *Paralipom. cap. 29. Tua sunt, & de iis, quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Secunda ratio est, quoniam homo
2 recipit à Deo sicut à primo, & supremo omnium principio animam, corpus, & res externas. Ergo tenetur Deum colere anima, corpore, & rebus externis. Tunc autem per res externas Deum colit, quando eidem illas offert pro ejus Divino cultu, præcipuè in Sacrificio. Igitur in definitione Sacrificii dicitur, quòd est *Oblatio externa.* Tertia ratio est. Homo tenetur Deum colere, & ei se subdere tanquam primo, & supremo principio secundùm modum convenientem, & naturalem eidem homini. *S. Thom. 2. 2. q. 85. art. 1.* Sed modus
3 homini connaturalis, & proprius est uti rebus externis, & sensibilibus ad recognoscendum Superiores suos, & eis honorem exhibendum, prout faciunt vasalli, & subditi, qui offerunt res Dominis suis in signum supremæ potestatis, seu dominii super ipsis. Ergo etiam ad exercendum cultum di-
4 vinum, & protestandum, Deum esse omnium supremum Dominum, conveniens fuit, ut Sacrificium perageretur in rebus externis; & sic in definitione dicitur: *Sacrificium esse Oblationem externam.* Quarta tandem ratio est, propter quam Sacrificium appellatur Oblatio externa; ut scilicet distinguatur ab aliis actibus Religionis, & latriæ internis, qui per homines eliciuntur in protestationem excellentiæ Divinæ, & ejus supremi Dominii, & exercentur per fidem, spem, & charitatem. Ita Colleg. Salmanticen. *de Incarnatione tom. 1. tract. 21. disp. 31. dub. 1. §. 1.* & Mastrius *in Theol. Mor. disp. 19. n. 31.*

Sed dicet aliquis, si Sacrificium distinguitur ab aliis actibus internis Religionis, quia est oblatio externa; ergo convenit, & est idem cum aliis actibus externis, & præcipuè cum aliis oblationibus, quæ fiunt Deo; & secundùm hanc rationem omnes oblationes erunt Sacrificia; præcipuè si consumentur, & destruantur in honorem Dei, ut incensum, thimiama, candelæ, & similia?

Respondetur negando consequentiam; & ratio
5 diversitatis est, quia ad essentiam Sacrificii non sufficit, quòd res externa offeratur Deo, & immutetur, seu destruatur in protestationem ejus supremi Dominii; sed opus est, quòd illa oblatio, & rei immutatio sit divinitus ordinata ad significandum supremum actum latriæ in protestationem Divinæ excellentiæ; idcircò combustio thimiamatis, incensi, olei, & cujuscunque alterius rei oblatæ in Divinum cultum, non possunt dici Sacrificia, quia non sunt divinitus ordinatæ ad significandam Dei Excellentiam supremam, ut doctè explicat Baldellus *tom. 2. Theol. moral. lib. 3. disp. 3. n. 10.*

DECISIO VI.

ARGUMENTUM.

Explicantur illa verba definitionis: *Soli Deo facta.* Ostenditur Sacrificium nulli deberi prærer Deum. Quæritur an saltem Christo Domino offerri possit Sacrificium ut homini? Narrantur actus latriæ interni, & externi, & quæ sint Adorationis signa? Ostenditur, quàm grave sit scelus eorum, qui Dæmonibus sacrificant, & quibus pœnis sint plectendi.

SUMMARIUM.

1 *Sacrificium non potest offerri nisi soli Deo.*
2 *Sacrificium visibile exterius est essentiale signum Sacrificii invisibilis interni.*
3 *Deus est principium omnium rerum, & eas potest ad libitum destruere.*
4 *Homini nefas est, se submittere alteri, quàm Deo.*
5 *Adoratio quid sit? Et undè dicatur? Et quotuplex sit?*
6 *Adoratio est triplex. Interna, Externa & Mixta.*
7 *Mardocheus quare recusabat adorare Amanum?*
8 *Adoratio alia civilis, quæ competit hominibus; alia sacra, quæ Deo, & Sanctis præstatur.*
9 *Adoratio Sacra Triplex est, Latriæ, Hyperduliæ, & Duliæ.*
10 *Adorationis internæ signa, quæ sint?*
11 *Adoratio interna distinguitur ab actibus fidei, spei, & charitatis.*
12 *Adorationis Sacræ, & externæ actus qui sint?* & num. 26.
13 *Genuflexio quare sit actus adorationis?*
14 *Detectio capitis quare sit adorationis signum?*
15 *Hebræi quare orent capite cooperto?*
16 *Mulieres quibus de causis procedere debeant velato capite?*
17 *Manuum elevatio signum adorationis.*
18 *Manibus junctis orare quid significet?*
19 *Brachiis expansis orare quid innuat?*
20 *Manus extollunt multi erga Hostiam elevatam & Cur?*
21 *Luna recenter visa Mahometani extendunt ad eam manus, & sibi trahunt oculos.*
22 *Pagani elevabant manus ad Solem, & oculos sibi tangebant, in signum adorationis.*
23 *Osculatio est signum Adorationis. Et quare?*
24 *Papæ pedes quare catholici deosculentur?*
25 *Manus nostræ deosculatio cur fiat, dum alium salutamus?*
26 *Sacrificium incommunicabile est cuicunque creaturæ; & non licet eo uti erga Angelos, vel erga Sanctos.*
27 *Sacrificium an Christo Domino possit offerri tanquam Homini? Negativa sententia. 28. Affirmativa 29.*
30. *Sacrificium dirigitur etiam Christo ut homini in Missa de septem doloribus Deiparæ.*
31 *Sacrificium offerre dæmonibus, ut faciebant Judæi Idolo Moloch, quàm impium, & inhumanum.*
32 *Strygæ, lamiæ, ac magi Sacrificia offerunt Dæmonio; à quo summè desiderantur.*
33 *Sacrificantes Dæmoni sunt denunciandi S. Officio Inquisitionis, & ibi puniendi.*

SAcrificium esse oblationem *Soli Deo factam* dic- 1
tum est in definitione; est enim de fide, quòd Sacrificium non potest offerri nisi Deo, cùm sit cultus latriæ omninò supremus: & Sacrificium visibile, quod offertur exteriùs, est es-

sentiale

sentiale signum Sacrificii invisibilis, quod offertur interiùs in ipsis cordibus offerentium; & quòd esse debent ipsi offerentes, ut docet S. August. *lib. 5. de Civitate Dei cap. 5. & lib. 10. cap. 19. tom. 5.* Siquidem Sacrificio res oblatæ immutantur, & con- 3
summuntur, ut infra dicemus; & hoc modo significatur, Deum esse supremum rerum principium, qui res produxit; potestque eas destruere, transmutare, & in nihilum redigere, inter quas res se constitutum protestatur Sacrificans; & magna cum proportione significat internam animi sui submissionem erga Deum, tanquam celsissimum Dominum excellentiæ incomparabilis; cui propterea, & non alii hoc signum submissionis internæ, & externæ convenit; & sic Sacrificium soli Deo offer- 4
tur, qui solus est primum principium omnium rerum creatarum; & ultimus finis beatificationis hominum, quibus nefas esset alteri se submittere, dare, aut offerre, ut latiùs probat S. Thom. 2. 2. *q. 85. art. 1. & 2.* Suarez. *in 3. p. tom. 3. disp. 72. sect. 1. & 2.* Baldell. *in Theol. Mor. tom. 2. lib. 1. disp. 62. n. 7.* Colleg. Salmanticen. *tom. 10. de Incarnat. disp. 35. n 21.* ubi Sacrificare collocat inter celebriora signa Adorationis latriæ, quæ soli Deo præstatur. Et Emin. Card. de Lauræa *eod. tract. de Incarnat. disp. 29. n 36. & seqq.*

Sed dicet aliquis quæ sunt signa Adorationis La- 5
triæ? Respondetur Adorationem, (quæ est *honor exhibitus alicui cum nota submissionis*; & quæ derivat non *ab oro*, sed *ab ador*, frumentum scilicet Sacrificio destinatum; nam etiam apud gentiles actio Sacrificandi erat actus adorationis in signum supremæ existimationis. Card. de Lauræa *de Incarnat. d. disp. 29 num. 1.*) triplicem esse; Internam tan- 6
tùm, Externum tantùm, & utroque modo internam, & externam simul. Interna consistit in actibus intellectus, & voluntatis, quibus homo judicat, & existimat, quòd alicui propter ejus excellentiam honor, ac reverentia supra cæteros debeatur; & vult ei actus reverentiæ, & obsequii præstare, tenendo eum ut talem, illum diligendo, & præferendo cæteris. Adoratio externa tantùm consistit in obsequiis visibilibus honorationis, submissionis, & præferentiæ sine interna existimatione, quòd illi debeantur, de qua dari potest exemplum Judithæ, quæ *Holofernem adoravit, prosternens se super terram*: ut in ejus libro *cap. 10. Vers. 20.* Et de Amano, coram quo *cuncti Servi Regis, qui in foribus Palatii versabantur flectebant genua; & eum adorabant. Esther. cap. 3. Vers. 2.* Quamvis eum non crederent adoratione dignum, sed illum in eorum cordibus despicerent; & tantummodo adularent; ut faciunt (ait Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 29. num. 2.*) major pars aulicorum; quibus addere possumus omnes fictos amicos, adulatores, & assentatores, quibus plenus est mundus. De unoquoque eorum verificatur, quod legitur in Isaia *cap. 2. n. 13. Populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me; cor autem ejus longe est à me.* Mardocheus autem recusabat supradictum Amanum adorare; *ut* 7
ibid. cap. 3. Vers. 2. Sed cur ita? Respondetur, vel quia Aman habebat in vestibus pictas Deorum Imagines, & Mardocheus timebat idololatriam committere, si ante eas genuflecteret. Vel quia Aman volebat adorari cultu latriæ, qui soli Deo debetur; unde ait Mardocheus: *Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem. Esth. cap. 15. Vers. 14.* Interna autem, & externa simul Adoratio im- 8
portat utrosque actus de quibus infra. Porrò Adoratio alia iterum est Civilis, & profana, quæ puris hominibus fieri potest. Alia est Sacra, quæ Deo, & Sanctis debetur, & hæc subdividitur in *Latriam, Duliam, & Hyperduliam.* Prima soli 9
Deo præstatur, secunda Sanctis, tertia Dei paræ; cui excellentior adoratio, quàm aliis Sanctis debeatur; ut latè Theologi, & præcipuè Collegium Salmantic. *dict. tom. 10. de Incarnatione disp. 35.* His prænotatis:

Signa Adorationis internæ secundùm aliquos erga Deum, quæ dicitur *Latria*, sunt actus fidei 10
spei, & charitatis, quos homo elicit in corde suo reflectendo ad Deum, in ipsumque credendo, ac sperando; atque illum diligendo. *Ita præter cæteros* Alex. de Ales *3. p. q. 30. membr. 1. art. 2.* Cordub. *lib. 1. q. 5. not. 2.* & Gabriel *in 3. dist. qu. 9. unica art. 3. Et in Canonem Missæ lect. 49. pag. mihi 426.* ubi ita ait: *Interior latria dicitur actus fidei, spei, & charitatis secundùm B. August. in Enchir. cap. 2. & seq. Hi enim soli in Religione, qua Deus colitur, sequendi sunt; ut ibid. dicit c. 3. Harum namque virtutum actibus debita Deo reverentia exhibetur. Unde quoties actum fidei, spei, aut charitatis elicio, toties Deum colo, Deum veneror, Deum adoro.* Contrarium tan en docet Colleg. Salmanticen. *cit. tom. 10. De Incarnatione disp. 35. n. 7. 8. & 9.* ubi fusè probat, adorationem esse actum Religionis distinctum à fide, spe, & charitate; quæ quidem adoratio interna consistit in mentali submissio- 11
ne ad Deum, & locutione interiori, ad modum Angelorum, qui sine expressione vocum externarum loquuntur, & Deum adorant, ac benedicunt, ut fusiùs docet idem Colleg. Salmantic. *tom. 3. de Angelis tract. 7. disp. 15. dub. 2.* Idcircò tunc Deum colit homo adoratione interna, quando eum in corde suo benedicit, adorat, laudat, & mente ejus excellentiam, ac eminentiam reveretur, ac suspicit.

Externæ autem Adorationis simul cum interna (ut de illa ficta Adulatorum nihil dicamus) signa 12
sunt sequentia. I. Est Sacrificium, de quo in præsenti agimus; & soli Deo debetur. II. Est genuflexio, cujus exempla plurima habentur in Scriptura Sacra, *ut Gen. 41. Isa. 45. Luc. 22. Actor. 21. ad Rom. 14. & alibi sæpè.* Et ratio est, quia qui genuflectit, illa 13
actione fit alio minor, & sic se constituit inferiorem respectu illius, quem adorat. III. Signum est Prostratio, idest humilis procubitus ad terram; quæ importat eandem inferioritatis, & depressionis figuram. Ita oravit Christus in horto Patrem suum; sic orat Ecclesia in Parasceve; & ubi agitur de implorando auxilio Divino in magna calamitate. IV. 14
Signum est detectio capitis; qui enim ita facit coram alio, quasi præsentat, & offert nobilissimam sui partem, in qua omnes sensus vigent; undè protestatur sui objectionem, & indicat se paratum ad alterius obsequium; nosque Christiani utimur hoc signo in Templis, & in functionibus Sacris. Con- 15
trarium servabant olim Hebræi in Sacrificiis; prout etiam hodie faciunt, cùm orant, nam capita cooperiunt, ut videmus in praxi; & notat *Abulens. in cap. 13. Levit. q. 10.* & Torre *q. 84. art. 2. disp. 5. num. 15.* & illi quidem ad imitationem Moysis, qui ut vidit Deum in Rubo abscondit faciem. Nos secus ad exemplum Apostolorum; dicente Paulo *1. Cor. 11. Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.* Et infra: *Vir quidem non debet velare caput suum.* Et ita decet nos Christianos ad distinctionem Judæorum; nam tegumentum capi-

tis

16 tis signum est servitutis; & detectio libertatis. Mulieres autem, ut ait Apostolus, eodem loco, debent orare velato, & cooperto capite, ob pudicitiam, & honestatem; & propter Angelos, id est Sacerdotes, & Ministros templi; ut explicat *Celleg. Salmantic. d. q. 35. num. 22.* ubi invehit contra immodestiam fœminarum, quæ non solùm procedunt non velato capite, & facie, sed etiam scapulis, pectore, & brachiis, quas jamprid m reprehendebat *Clemens Alexandr. in Padagogo lib. 2.*
17 *cap. 10.* V. Signum Adorationis est manuum elevatio, juxta illud 1. *Tim. 2. Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus.* Quod de Moyse habetur *Exod. 17.* Et in Psal. 140. 2. *Elevatio manuum mearum Sacrificium Vespertinum.* Et denotat indigentiam Superioris virtutis, & auxilii, quod expo-
18 stulat, qui manus elevat, & quasi porrigit, ut accipiat: & qui manibus junctis sic orat, ostendit se subditum, & infimum: at qui brachiis expansis,
19 denotat Crucem, & passionem Christi ob cujus merita præstolamur exaudiri. Antiquitùs in elevatione Hostiæ consecratæ fideles attollebant manus.
20 *Tertull. de Spectaculis cap. 25.* & in Melita multisque Italiæ locis solent rustici extendere palmas versus Hostiam elevatam; & tangere postea proprios oculos, quem actum faciebant gentiles oriente So-
21 le, & Mahometani faciunt, Luna recenter visa; unde inter Christianos mos iste creditur, quòd tempore S. Leonis Papæ introductus fuerit; nam Romani solebant ejus tempore, more paganico hos
22 actus in reverentiam Solis agere; quos idem Papa *serm. de Nativitate* increpat. Magri *in Hierolexic.*
23 *Verb. Hostia. in princ.* VI. Adorationis signum est osculatio, sive reverentis oculi impressio; ideò Crucem, Sacrasque reliquias osculamur in signum adorationis. Congruentia hujus signi in eo consistit, quòd dum os, quo spiritum trahimus, & emittimus, applicamus alterius manibus, aut pedibus, significamus, totam vitam nostram à potestate ejus, quam indicat manus, pendere; subdique illi, cujus pedes osculamur. Et ita Sunamitis osculabatur pedes Elisei; & Maria Magdalene pedes Christi; & Catholici osculantur pedes Papæ, juxta antiquissimum Ecclesiæ usum, de quo Magri
24 *in Hierolex. Verb. Sandalia;* ubi notat Papam deferre crucem in collo pedis, *ad ostendendum, humilitatis causa, quòd talis reverentia actus non sibi, sed Cruci Christi deferatur.* In civilibus autem salutationibus solemus manum nostram osculari, & ad eum, quem honoramus, extendere; cùm enim osculatio sit signum adorationis; & non semper possimus
25 accedere ad rem adoratam, aut illam in se osculari non deceat, loco ejus consueverunt homines manum propriam osculari; & per eam quasi osculum mittere. Ita *Colleg. Salmantic. d. tom. 10. De Incarnat. disp. 35. num. 23. Vers. sextum* ubi *n. 24.* advertit, omnia supradicta signa, cùm pendeant ab interna intentione hominis esse communia tam latriæ, quàm duliæ; adeoque adhiberi posse tam in adoratione Dei, quàm in honore Sanctorum; ex-
26 cepto tamen Sacrificio, quod est peculiari adorationi Dei appropriatum; & est incommunicabile cuicumque creaturæ; ita ut non liceat eo uti erga Angelos, vel erga Sanctos, ut ex auctoritatibus SS. Patrum demonstrat Gonzalez *in Commentar. ad cap. Quidam 2. n. 9. de Celebrat. Missar.* VII, Alia etiam signa adorationis tam latriæ, quàm duliæ communia sunt: constructio Templorum, & Altarium; Lampadarum accensio, Thuris combustio, Laudum recitatio; Festorum dierum celebratio, Processionum, & publicarum orationum institutio; quibus juxta fidelium intentionem Deus, & Sancti adorantur, & coluntur; ut eruditè probat Emin. Card. de Lauræa *in d. tract. de Incarnatione disp. 29. art. 3.* ubi *n. 51.* iterum excipit Sacrificium, quòd soli Deo debetur.

Sed dicet aliquis, cùm Sacrificium nulli creaturæ Angelis, aut Sanctis conveniat, poteritnè saltem 27
Christo Domino offerri tanquam Homini?

Pro negativa facit. *Primò* quia Sacrificium offertur Deo, quia est primum rerum principium; & 28
ejus Dominium est supremum. Sed Christus Dominus, ut homo non est tale. Ergo etsi ratione Verbi, & Deitatis ei sacrificium conveniat; tamen ut homini offerri non potest. *Secundò* res oblata debet esse alia ab eo, cui offertur. Sed Christus est res oblata. Conc. Trid. *sess. 22. cap. 2.* Ergo ipsimet offerri non potest. *Tertiò*: Ecclesia numquam offert Sacrificium Christo; sed æterno Patri, dum in Missa ait: *Suscipe Sancte Pater &c.* & Toti SS. Trinitati, ut in illa oratione *Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem.* Ergo hanc opinionem tenet Vasquez *disp. 96. n. 61. & 62.* Et Emin. Card. de Lauræa *de Incarnatione d. disp. 29. n. 84.*

Pro affirmativa facit. *Primò* quia Christus ado- 29
randus est adoratione latriæ, non solùm ut Deus, sed etiam ut Homo; quia Humanitas Christi ut unita Verbo, includit ipsum Verbum, & dicit totum Christum. Emin. Card. de Lauræa *de Incarnatione d. disp. 29. num. 68. & seqq.* & Mastrius *in 3. disp. 2. num. 206.* Sed Sacrificium est actus latriæ, ergo offerri potest Sacrificium etiam Christo. *Secundò* per communicationem idiomatum ea, quæ conveniunt Deitati, conveniunt etiam Humanitati. Mastr. *d. disp. 2. num. 206.* Sed Deitati convenit Sacrificium: Ergo & humanitati; & sic ipsi Christo. *Tertiò* majus beneficium est Redemptio, quàm creatio; juxta illud *in Præf. Exultet. Quid enim nasci profuit, nisi redimi profuisset.* Sed Sacrificium offertur Deo tanquam Creatori, à quo esse habemus. Ergo offerri poterit etiam Christo, à quo redempti sumus.

Hanc affirmativam opinionem tuetur *Colleg. Salmanticen. d. tom. 10. de Incarnat. disp. 35. num. 50.* ubi allegat auctoritatem S. Athanasii *lib. 1. de Incarnat. Verb.* parùm à principio, qui de Corpore Christi agens inquit: *Et quia Increati corpus factum est, ideò ejus Corpus dicitur, cujus factum est. Ac proinde illi sacra offertis, adhibetisque vestram adorationem; eaque de causa ritè, legitimaque ratione adoratur, & divina adoratione colitur.* Quibus verbis Sanctus Doctor ostendit pari passu ambulare oblationem sacram; idest Sacrificium, ac divinam adorationem, scilicet latriæ. Nec dissimilis est sententia S. Gregorii Nisseni, ita dicentis: *Christus est Sacerdos in æternum, qui est ovis sacrificii, est sacerdos sacrificans, & est susceptor Sacrificii cum Patre suo.* Ita in *lib. de Fide ad Simplicium*, & refertur à *Mandesio in Theologia Catechetica lib. 5. cap. 24. num. 264.* Et hac retenta opinione resolvuntur rationes contrariæ, per idem *Colleg. Salmanticen. d. num. 50.* dicendo *ad primam*, quòd licèt humanitas Christi non sit primum omnium principium, tamen tanquam unita Verbo æqualiter coadoratur cum Verbo in ipso Christo; & sic etiam ei offerri potest Sacrificium. *Ad secundam*, quod cùm in Christo sint duæ naturæ, non implicat, ut respectu unius, (scilicet humanæ) sit res oblata, ac victima; & respectu alterius, (nempè Divinæ) sit ille, cui fit obla-

oblatio, rectè enim tali pacto idem Christus exercere potest officia creditoris & debitoris; Domini, ac servi Superioris & inferioris. *Ad tertiam*, quòd quæstio non cadit in facto esse, sed in fieri posse; certum est enim, quòd Ecclesia offert Sacrificium non Christo, ùt homini, sed Trinitati Sanctissimæ. Sed si offerretur etiam Christo Domino, non esset illicitum; quod non obscurè indicavit S. Augustin. *lib.* 10. *de Civit. cap.* 20. his verbis: *Cùm in forma Dei Sacrificium cum Patre sumat, tamen in forma servi Sacrificium maluit esse, quàm sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ.* Quibus verbis supponitur, non esse repugnantiam intrinsecam ex parte subjecti, quin Christo ùt homini possit etiam Sacrificium offerri, etsi ob humilitatis virtutem noluerit; ut considerat Emin. Card. de Lugo *de Incarnat. disp.* 34. *num.* 46. qui hanc opinionem approbat, & cum eo Suarez *in p. p.* S. Thomæ *disp.* 62. *sect.* 2. Neque contra est Aversa *ead. quæst. sect.* 1. §. *Nonò demum.* In facto tamen soli Deo Sacrificium offertur, non Christo, ùt homini, neque Deiparæ, neque Angelis, neque Sanctis; etsi Missæ celebrentur in eorum honorem, ùt declaravit Concil. Trident. *d. sess.* 22. *cap.* 3. ubi Barbosa colligit Theologos de hac re tractantes; & advertit idem Card. de Lauræa *d. disp.* 29. *n.* 55. *& n.* 265.

Est tamen notatu dignum, quòd in Missa in Festo
30 Beatæ Mariæ Virginis de septem Doloribus, quæ celebratur *feria* 6. *ante Dominicam Passionis*, in oratione secreta hic Ecclesia loquitur: *Offerimus tibi preces, & Hostias Domine Jesu Christe humiliter supplicantes &c.* Hostias autem offerre, est offerre Sacrificium, ùt suprà demonstratum est. Ergo etiam Christo, ùt homini offertur: subdit enim ibi Ecclesia: *Meritis passionis tuæ*, quæ passio non in Christo tanquam Deo, sed tanquam homine consideratur.

Ex his comprehendere licet, quàm magnum fuerit
31 sacinus Hebræorum dæmonio sacrificantibus; de quibus scriptum est *in Psalm.* 105. *vers.* 37. & 38. Quòd *immolaverunt filios suos, & filias suas dæmonibus, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* Videlicet, ponebant infantes suos in statua ærea Idoli Moloch; deinde igne sub ea accenso & ignita facta, pueruli cremabantur inexplicabili cruciatu; consentientibus genitoribus eorum, ita Sacrificium offerentibus Idolo, ac dæmoni; ùt fusiùs scribunt Torniell. *ad Mundi annum* 3406. *n.* 2. Salian. *ad annum* 3139. *num.* 78. *& ad annum* 3406. *num.* 12. Nec non Lyran. & Abulen. & alii quos allegat Menochius *in Stoicis Centur.* 4. *cap.* 59.

32 Æqualis est impietas Strygium, Magorum, ac Lamiarum, qui Sacrificia offerunt diabolo, illa enixè postulanti ob superbiam suam; ùt legitur apud Delrium *Disquis. Magic. lib.* 2. *q.* 16. Guaccium *in Compend. Malefic. lib.* 1. *cap.* 13. & Gasp. Schottum *in Physica Curiosa lib.* 1. *cap.* 23. ubi plurima exempla. Quàm gravis autem sit culpa eorundem Magorum docent Sanch. *in Decal. lib.* 2. *cap.* 40. & Lessius *de Ju-*
33 *stitia & Jure lib.* 2. *cap.* 44. Et de eorum denunciatione, & punitione tractant Baldell. *in Theol. Moral. tom.* 2. *lib.* 1. *disp.* 62. *num.* 6. *&* 7. Scaccia *de Judic. lib.* 1. *cap.* 12. *à num.* 23. *& seqq.* Carena *de offic. S. Inquisit. part.* 2. *tit.* 12. *num.* 26. Torreblanca *in Epitome delictor. lib.* 3. & Barbosa *in cap. Episcopi* 26. *q.* 5. ubi alios cumulat.

DECISIO VII.

ARGUMENTUM.

Sequitur declaratio definitionis Sacrificii circa illa verba: *Quæ in testificationem ejus supremi Dominii.* Nec non illa, quæ sequuntur, videlicet: *A legitimo Ministro.* Et docetur, quid sit Religio, ac Divinus cultus? Religionem non esse virtutem Theologicam, sed moralem. Non cuique homini litare licere, sed tantùm Sacerdotibus; Hi quinam fuerint in Lege Naturæ, Mosaycæ, & Gratiæ, ac apud Gentiles? Quæritur, & ostenditur, quomodo Caro Christi propagata fuerit tum ex Regia Stirpe David, tum ex Sacerdotali Aaron?

SUMMARIUM.

1 *Sacrificium cur offeratur Deo in testificationem ejus supremi Dominii?*
2 *Religio erga Deum quid sit?*
3 *Religio in Deum non est virtus Theologica, sed Moralis spectans ad Justitiam.*
4 *Cultus divinus in quibus consistat?*
5 *Cultus & honor quomodo differant inter se?*
6 *Pietas & gratitudo quid sint?*
7 *Religionis virtus præstantior est cæteris.*
8 *Sacrificium non spectat ad virtutes Theologicas, sed ad Religionem tanquam Moralem virtutem.*
9 *Sacrificare non licet cuique homini sed solis legitimis ministris, id est Sacerdotibus.*
10 *Sacerdotes quinam essent in lege naturæ?*
11 *Sacerdotium in lege naturæ poterat à parentibus dari etiam filiis non primogenitis.*
12 *Sacerdotium in lege Mosayca positum in descendentibus à Patriarcha Levi filio Jacob.*
13 *Ozias Rex quare lepra percussus?*
14 *Levitarum tres ordines in lege Mosayca; Levitæ, Sacerdotes & Pontifices.*
15 *Gentilium Sacerdotes publicâ auctoritate dedicati.*
16 *Sacerdotum Ethnicorum farrago, & nomina.*
17 *Joannes Baptista Ceffis Primarius Juris Civilis Interpres in Publico Gymnasio Patavino laudatus.*
18 *Christus Dominus Summus Pontifex, & Sacerdos in æternum.*
19 *Apostoli ordinati Sacerdotes & Episcopi in ultimâ Cœnâ à Christo Domino.*
20 *Sacerdotium legis Evangelicæ à quatuor sectis hæreticorum impugnatum.*
21 *Christus Dominus, ùt Homo sicut fuit à Regia Stirpe David, an sic fuerit ex Stirpe Sacerdotali Aaron?*
22 *Maria Deipara descendit ex Regia Stirpe David.*
23 *S. Joseph Sponsus Deiparæ erat de eadem Regia Stirpe David.*
24 *Maria Deipara an etiam descendat ex Stirpe Sacerdotali & Aaronica; & quomodo? ubi septem opiniones.*
25 *Matrimonia Hebræorum registrabantur in libris,*

qui servabantur in Templo, cum nomine Parentum sponsorum, & de qua Tribu forent.

26 *Christus Dominus etsi propagatus ùt homo ex utraque Tribu Regia, & Sacerdotali, non fuit unctus Sacerdos more Hebræorum; sed Unctione Divina per unionem Humanitatis cum Deitate.*

27 *Sacerdos non erat in lege Mosayca, qui per lineam maternam tantùm descendebat ex Tribu Levitica.*

1 HUcusque demonstratum est, *Sacrificium esse oblationem externam, soli Deo factam.* Nunc declarare oportet, quare in definitione subjungatur; quòd Sacrificium offertur Deo *in testificationem ejus supremi Dominii.*

Pro intelligentia scire oportet, Sacrificium, ùt suprà diximus, esse præcipuum actum Religionis. *Religio* 2 autem *est virtus debitum cultum Deo tribuens, tanquam primo omnium principio.* Ita Gonet. *tom. 4. tract. 11. disp. 3. num. 1.* Dicitur *Virtus*, id est Habitus bonus, & principium operationis laudabilis ad exclusionem superstitionis, & falsæ Religionis, quæ non est virtus, sed vitium rectæ rationi oppositum, quia superstitio vel falsum Deum colit, ùt faciunt Ethnici & Pagani; vel licèt verum Deum colat, non tamen honesto & convenienti modo; sed vel superfluis cæremoniis à Deo rejectis, ùt faciunt hisce temporibus ipsi Judæi; vel inutilibus, & cum errore; ùt agunt Turcæ, Hæretici & similes. Dicitur 3 *debitum* id est conveniens; hæc enim virtus non est Theologica, sed Moralis spectans ad Justitiam, ùt docent omnes Theologi, quatenus reddit 4 Deo jus, quod illi debetur, id est *Cultum.* Cultus autem, qui Deo redditur, importat duo. Unum est protestatio Divinæ Excellentiæ: Alterum est submissio & subjectio nostra ad Deum. Unde notanda 5 est differentia inter cultum & honorem. Nam cultus est circa excellentiorem; honor verò potest esse etiam circa æquales, ac etiam inferiores. Ideo qui alium colit, illum superiorem declarat, & ei se subditum profitetur. Non ita qui alium honorat; Deus enim honorat Sanctos suos, & Princeps potest honorare suos ministros, atque subditos, quamvis inferiores sibi. Tandem dicitur, *tanquam primo om-* 6 *nium principio*, ad differentiam *Pietatis*, quâ honoramus Deum tanquam Patrem nostrum; atque *gratitudinis*, quâ illum veneramur ob beneficia recepta; sed cultus, quo per Religionem Deum colimus, est ob singularem & infinitam ejus excellentiam in omni genere perfectionis, & ob illius primum principium, & supremum omnium Dominium, cui nosmetipsos subjectos profitemur. Et ex his 7 deprehendimus, quanta sit præstantia virtutis Religionis supra alias morales; nulla quippe earum habet objectum ita elevatum, sicut est Divinus cultus; ratione cujus ipsa Religio Deum quodammodo attingit, ùt docet S. Thom. *2.2. quæst. 81. art. 6. in corp.*

8 Hinc fit, ùt suprà tetigimus, quòd Sacrificium non spectat ad virtutes Theologicas, sed ad Religionem, tanquam moralem virtutem; licèt enim qui Deum colit adorando & sacrificando, Deum credat, in Deum speret, & Deum diligat; tamen ejus objectum non est immediatè Deus, sed actus servitutis, subjectionis & honoris, qui debentur Deo; sicut objectum justitiæ est jus debitum alicui; non autem is, cui jus illud debetur, ùt docent Gonet. *d. disp. 3. num. 3.* Et Emin. Card. de Lauræa *de Incarnat. d. disp. 29. n. 42.* Et Colleg. Salmant. *tom. 3. in Arbor. Prædic. Virtutum num. 60.* Igitur in definitione dicitur Sacrificium fieri Deo *in testificationem ejus supremi Dominii*, quia exercetur ille cultus à Sacerdotibus, tanquam Deo debitus ob ejus supremum Dominium; quod populus testificatur, profitendo in Sacrificiis suam subjectionem ipsi Deo.

Sequitur in definitione Sacrificii, quòd ejus oblatio fit *à legitimo Ministro.* Quæ verba nos docent, non cui- 9 que homini licitum esse sacrificare, & Deo Sacrificia offerre; sed tantummodò legitimis ministris Ecclesiæ, nempè illis, qui sunt ordine Sacerdotali insigniti, juxta illud D. Pauli *ad Hebr. 5. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Quod quidem servatum esse in omni lege, & in omni tempore desumitur ex Scriptoribus tam Ecclesiasticis, quàm profanis. In Lege Naturæ omnes Primogeniti erant Sa- 10 cerdotes, & jus à nativitate offerendi Deo Sacrificia consequebantur. Idcircò, quòd Adam, & alii Justi ab eo descendentes obtulerint Sacrificia Deo, docet S. Thomas *2.2. q. 85. art. 1. ad 2.* Gonet. *tom. 5. disp. 2. de Sacramentis art. 10. §. 4. n. 84.* Collegium Salmantic. *d. tom. 10. de Incarnat. tract. 21. disp. 31. dub. 1. n. 3.* & Emin. Card. de Lauræa *eodem tract. de Incarnat. disp. 29. n. 37.* Hinc Mandesius in sua Theologia catechetica *lib. 7. cap. 6. n. 20.* loquens de Sacerdotibus Legis Naturæ ita ait: *Omnes filii natu majores tunc à Parentibus cum hæreditaria portione Sacerdotium, & sacra illius ornamenta accipiebant. Quæ sunt illa primogenita, & vestes optimæ, quibus Jacob à matre indutus Patris benedictionem est suffuratus.* Et idem anteà scripserunt *S. Hieronymus in Epist. 126.* quæ est ad Evagrium; Salianus *in Annalibus ad annum Mundi 2223. n. 3.* & Tholosan. *in Syntag. Jur. Univ. lib. 16. n. 22.* ubi tamen observat cum Pererio *in Genes. cap. 25. n. 76.* quòd Lege Naturæ durante 11 Jus erat majoribus, ac Parentibus concedere ex privilegio potestatem Sacerdotalem etiam filiis non primogenitis, quam consecuti sunt Abel & Abraham, qui quamvis non essent primogeniti, propterea Sacrificia Deo offerebant.

In Lege autem Mosayca, & Scripta, Sacerdotium 12 collocatum fuit à Deo in Tribu Levitica, id est in descendentibus à Levi Patriarcha filio Jacob, ùt habetur in lib. 10 *Numeri cap 3. n. 5. ibi: Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: applica tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, ut ministrent ei.* Et paulò post: *Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.* Qua- 13 propter Ozias Rex, qui non erat ex Tribu Levi, neque Sacerdos, quia *adolere voluit incensum super Altare thymiamatis, statim orta est lepra in fronte ejus,* ùt fusiùs narratur *2. Paralip. cap. 26. n. 26.* & describitur ab eodem Saliano *ad annum Mundi 3278. n. 2. & seqq.* Et ex hac Tribu Levi assumebantur Sacerdotes ad Sacrificia peragenda, prævia unctione. Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 22. n. 15. & n. 120.* ubi doctè advertit, quòd in Lege Mosayca in Tribu Levi tres ordines ministrorum erant in templo ordinati pro Sacrificiis; scilicet Levitæ, 14 Sacerdotes, & Pontifices: quorum sicut diversa erant ministeria, sic unctiones & consecrationes. Sed de his latiùs infrà *Decis. 22. 23. & 24.*

Apud Gentiles tum Ægyptios, tum Græcos, ac Romanos, Sacerdotes ordinabantur publicâ auctoritate, 15 ad hoc, ut idolis Sacrificia possent offerre; & quoniam falsorum Deorum multiplex erat copia, pariter Sacerdotum multa erat farrago, qui variis nominibus vocabantur, videlicet *Flamines, Diales,* 16 *Martiales, Quirinales, Potitii, Pinarii, Arnales, Salii,* & hujusmodi plures, quos refert idem Tholosan. *d. lib. 16. num. 29.* Et egregius Juris Civilis in hoc Publico

Gymna-

Gymnasio Patavino Primarius Interpres Joannes
17 Baptista Ceffis *in ejus opusculis de Urbe Roma, & ejus Magistratibus impressis ad Vesembecii Institutiones in principio.*

In lege gratiæ Christus Dominus ordinatus fuit
18 à Deo Summus Pontifex, ac Sacerdos in æternum unctione Spiritus Sancti in primo instanti suæ Incarnationis, in quo Divinitas copulavit sibi ejus humanitatem, ut probat idem Emin. Card. de Lauræa *in d. tract. de Incarnatione disp. 22. art. 1. & 2.* transtulitque Sacerdotium cum lege in Ecclesiam, ut legitur *1. Petr. 2. & ad Hebr. 7. ac Apoc. 1. 3. & 10.*
19 ordinavit enim Apostolos in ultima cœna Sacerdotes ac Episcopos; à quibus, & ab eorum successoribus alii ordinarentur & consecrarentur; quod de fide est, & legitur definitum in pluribus Conciliis, ac novissimè in Tridentino *sess. 7. can. 1. sess. 22. cap. 1. & can. 2. & sess. 23. cap. 1.* ut latiùs demonstrat idem Emin. Card. de Lauræa *de Sacramento Ordinis disp. 6. art. 7.* ubi sub *num.* 140. notat, à quatuor sectis hæreticorum fuisse impugnatum Sacerdotium Legis Evan-
20 gelicæ. *Primi* hæretici fuerunt Paulianistæ, qui vixerunt circa annum à Nativitate Domini CCC. dicentes, Sacerdotium nullam importare potestatem. *Secundi* fuerunt Hussitani, qui asserebant, Sacerdotes per ordinationem nihil aliud accipere, nisi officium prædicandi. *Tertii* fuerunt Albigenses, qui docebant, bonos Sacerdotes habere potestatem faciendi Eucharistiam; malos verò nequaquam. *Ultimi* fuerunt Lutherani, qui opinati sunt, Sacerdotium non esse aliquid Sacrum; & ideo à sæculari Magistratu posse homines Sacerdotes fieri. Quos errores plura Concilia Oecumenica damnarunt; ut novissimè notat etiam Richardus Arsdekin *tom. 1. in Notitia Generali Dogmat. Damnat. Verb. Sacerdotium.*

Hic autem quæri potest, Utrum Christus Dominus tanquam Homo, & secundùm carnem non so-
21 lùm fuerit ex Regia Stirpe David; sed etiam ex Stirpe Sacerdotali, Levitica, & Aaronica?

Hæc quæstio est insignis tum apud SS. Patres, tum apud Theologos, & expositores Scripturæ Sacræ, & plurimorum torsit ingenia, ut videri potest apud Suarez *tom. 2. in 3. p.* D. Thom. *disp. 2. sect. 3.* & ut novissimè scribit Eminent. Card. Capi succhius *in suis Selectis Controversius. Controv. 17. de Genealogia Christi Salvatoris,* ubi hanc quæstionem examinat per §§. XXV.

Pro resolutione duo dantur responsa. *Unum*, quòd absque dubio Christus Dominus tanquam Homo, & secundùm humanam carnem fuit è Regia Stirpe David, juxta divinam promissionem ei factam; de qua ipse David testatus est dicens: *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Psal.* 131. 11. & repetitum fuit ab Angelo in Annunciatione Deiparæ, cui dixit: *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus. Luc. 1.* & ab Apostolo ad Rom. *cap. 1. ibi: Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Quod pluribus aliis auctoribus probat Barrad. *in Evang. tom. 1. lib. 5. cap. 4.* Torniell. *ad annum Mundi* 4051. *num.* 20. & Ricciol. *in Chronolog. Refor. tom. 1. lib. 8. cap. 18. num.* 12. Et ex his sequitur; cùm Christus Dominus non sit genitus ex virili semine; sed conceptus ex purissimis sanguinibus Beatæ Mariæ Virginis, cooperante Spiritu Sancto; & sic ex ea humanam naturam, carnemque suam traxerit, (de cujus mirabili conceptione differit Zacchias *in QQ Medicolegal. tom. 1.*
22 *lib. 7. tit. 3. quæst. 1. num.* 37.) sequitur, (inquam) quòd & ipsa Beatissima Virgo Maria ejus Mater, & Genitrix descenderit ex eadem prosapia Regia Davidis; ut profitetur Ecclesia in officio ejus Nativitatis, dicens: *Nativitas gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex Stirpe David.* & infra: *Regali ex progenie Maria exorta refulget.* Quamvis enim Sancti Evangelistæ non descripserint ejusdem Deiparæ genealogiam, neque demonstraverint, eam esse ex Stirpe David, tum quia apud Hebræos id non erat in usu, tum etiam quia id apud illos erat notorium, ut bene observat idem Torniell. *ad annum Mundi* 4037. *sub num.* 3. Nihilominùs id pro indubitato est admittendum, ex ea potentissima ratione, quam allegat S. Hieronymus *lib. 1. in Matth.* videlicet, quia S. Joseph ejus Sponsus, & de Regia Stirpe David *ex lege eam cogebatur accipere, ut propinquam; & quia simul censetur in Bethleem, tanquam de una, eademque stirpe generati.* Lex autem erat scripta in libro *Numer. cap. 36. Vers.* 7. his verbis: *Omnes viri ducent uxores de tribu, & cognatione sua; & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipiant; ut hæreditas permaneat in familiis; nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, ut à Domino separatæ sunt.* Igitur tam S. Joseph Sponsus Deiparæ, quàm ipsa 23
Sanctissima Virgo Maria, ideo simul matrimonium contraxerunt, quia erant de Regia Stirpe David; ut probant SS. Patres, quos allegat Azor *d. part. 2. lib. 1. cap. 19. quæst. 4.* Et S. Thom. *in Catena aurea in Matth. cap. 1.* undè fit, ut absque dubio Christus Dominus, qui *incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine* fuerit ex eadem Stirpe David.

Secundum responsum est. Christus Dominus non solùm traxit originem, tanquam homo ex Regia Stirpe David, sed etiam ex Sacerdotali Stirpe Aaron, ut scribunt omnes SS. Patres, & præcipuè S. Ambrosius *super Luc. cap. 3.* S. Hilarius *super Matth. cap. 1.* & S. Augustinus *l. 83. quæstionum q. 61. nec non lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 2.* his verbis: *Firmissimè tenendum est, Carnem Christi ex utroque genere propagatam, & Regum scilicet, & Sacerdotum.* Quod quidem ut fieret, necesse fuit, ut utraque Stirps Regia scilicet 24
David, & Sacerdotalis Levitica in Deiparam, ex qua Redemptor noster, ut diximus, carnem sumpsit, derivasset. Quomodo autem stirps Sacerdotalis, & Aaronica attigerit Beatissimam Virginem Mariam, & ad eam pervenerit, sunt variæ SS. Patrum, & Theologorum opiniones, quarum hìc sex breviter ego recensebo.

Prima opinio est, quòd stirps Sacerdotalis sociata sit cum stirpe Judæ (ex qua descendit David Rex) in matrimonio contracto ab Aarone Summo Sacerdote cum Elisabeth filia Aminadab, de linea ejusdem Patriarchæ Judæ, ut legitur in *libr. Exodi cap. 6. vers.* 23. Quæ quidem sociatio stirpium, & permixtio duravit semper in omnibus descendentibus à Rege David; & sic pervenit in Sanctum Joachim, ac in Deiparam ejus prolem. Ita S. Thom. *3. part. q. 31. art. 2. ad 2.* Et Dionysius Carthusianus *in Evang. Matth. cap. 1. art. 2 vers. septimo* quæritur.

Secunda opinio est, quòd ipse Rex David duxit in uxorem Bethsabeam, quæ fuerat Uriæ; ipsa autem Bethsabea erat de stirpe Levitica; cùmque ex David & Bethsabea natus sit Salomon, in eo unitæ remanserunt hæ duæ stirpes, Regia scilicet, & Sacerdotalis; prima ex parte Patris, secunda ex parte Matris: & sic utraque stirps propagata est in descendentibus ipsius Salomonis, & pervenit tum in S. Joseph Sponsum Deiparæ; tum in ipsam Deiparam; ex qua Christus carnem sumpsit. Quòd David duxerit in Uxorem Bethsabeam, quæ fuerat uxor Uriæ, habetur expressè *in 2. Reg. 11. 26. Audivit autem*

uxor Uriæ, quòd mortuus esset Urias vir suus; & planxit eum. Transactoque Luctu misit David, & introduxit eam in domum suam; & facta est ei Uxor. Ex qua paulò post genitum esse Salomonem testatur ibidem textus Sacerd. *cap.* 12. *num.* 24. dicens: *Et consolatus est David Bethsabee uxorem suam; ingressusque ad eam dormivit cum ea; qua genuit filium, & vocavit nomen ejus Salomon.* Quòd autem Bethsabee Mater Salomonis fuerit de stirpe Levitica, etsi Torniell. *ad annum Mundi* 4051. *num.* 17. dicat, id probari non posse, tamen pace tanti viri deducitur ex his, quæ scribit idem Torniell. *ad annum Mundi* 2987. *num.* 6. ubi probat, Uriam ejus primum Maritum fuisse Sacerdotem, & ex stirpe Levitica; tum quia ipse tantopere sollicitus erat de Arca Dei, quæ cùm in castris, & sub papilionibus esset posita, ob ejus reverentiam noluit ipse declinare in domum suam, ut habetur 2. *Reg.* 11. 11. tùm verò evidentiùs, quia de ejus filiis genitis cum Bethsabea, & postmodum adoptatis à Davide, legitur scriptum 2. *Reg.* 8. in fine, *quòd Sacerdotes erant*, & inter ipsos Nathan, (alius tamen, & diversus à Nathano Propheta; ut doctè etiam probat Torniell. *ad annum Mundi* 2990. *num.* 7.) & quem nominat S. Lucas *cap.* 3. *num.* 31. dicens: *Qui fuit Nathan, qui fuit David*, id est, filius adoptivus; nam verè erat filius naturalis Uriæ Sacerdotis, & frater uterinus Salomonis; ob quam causam omnes Interpretes testantur, S. Lucam describere stirpem Sacerdotalem, ex qua Christus carnem susceptt. Itaque cùm Bethsabee fuisset in primis votis uxor Uriæ Hethæi Sacerdotis; sequitur & ipsam fuisse de stirpe Sacerdotali, Levitica, & Aaronica; siquidem Urias tanquam vir justus, ut obtemperaret legi Numerorum, de qua supra, de accipienda uxore Tribus suæ; non duxisset Bethsabeam in uxorem, nisi fuisset de sua Tribu Levitica. Idcircò fuerunt in Salomone unitæ hæ duæ stirpes; Regia scilicet ex parte Patris, atque Sacerdotalis ex parte Matris; ex utraque per descendentes pervenit in Deiparam; quæ à Salomone, & Davide ortum ducebat; & sic Christi Domini caro ex utraque stirpe Regia, ac Levitica est propagata.

Neque obstat si dicatur, quòd si Bethsabee fuisset de stirpe Sacerdotali, & Levitica, non potuisset nubere Regi Davidi, qui erat de stirpe Juda, ut ex S. Matthæo *cap.* 1. constat. Nam dupliciter respondetur. Primò quod erat licitum Regibus ducere uxores ex quacunque Tribu, ut advertit S. Thom. *in* 4. *dist.* 30. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad* 8. & notat Collegium Salmant. *d. tom.* 10. *de Incarnatione disp.* 31. *num.* 19. & Serlogus *in Cantic. tom.* 1. *Anteloquio* 5. *sect.* 2. *n.* 12. & ibi Tostatus *q.* 8. *in cap.* 36. *num.* & Serarius *in libr. Judic. q.* 3. *cap* 21. Respondetur secundò, quòd mulieres de Tribu Levitica, quia non dabant in dotem bona stabilia, poterant nubere Viris cujuscunque Tribus; immò quæcunque mulieres, quæ renunciabant hæreditati paternæ, vel ob existentiam fratrum, non erant hæredes patris sui; poterant ducere maritum ex Tribu non sua, quia cessabat finis legis; quæ id eis prohibebat, scilicet, ne confunderentur bona stabilia, quæ à Deo divisa fuerant, & cunctis Tribubus assignata; ut ex pluribus SS. Patribus demonstrat Serlogus *dict. Anteloq.* 5. *sect.* 2. *num.* 11. P. Stephanus Menochius *in Historia Sacra lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 2. Et novissimè Emin. Card. Capisucchius *Controv.* 17. §. 2. ubi cumulat antiquorum Hebræorum exempla. Igitur absque scrupulo Bethsabee potuit nubere Regi Davidi, & ex hoc conjugio unire in filio Salomone utramque stirpem Regiam, & Sacerdotalem; cujus unionis, & mixtionis respectu pertransiit utraque stirps in descendentes usque ad S. Joseph, & ad Deiparam, de qua natus est Christus; & hæc opinio mihi magis arridet, quia ultra suprædictam demonstrationem, fulcitur auctoritate S. Hilarii, qui *Commentar. in Matth. can* 1. ita scribit: *Gressus, quem Matthæus in ordine Regiæ successionis ediderat, & quem Lucas per Sacerdotalem ordinem ainumerat, uterque agnationem in Domino utriusque Tribus significat, & rectæ generationis gradum ponit: quia Sacerdotalis, & Regiæ Tribus Societas, per David ex conjugio inita, jam à Salathiel in Zorobabel confirmatur ex genere.* Notentur illa verba: *Sacerdotalis, & Regiæ Tribus Societas per David ex conjugio inita*; Si enim Societas Sacerdotalis, & Regiæ Tribus inita est per David ex conjugio; utique ex illo contracto cum Bethsabea, ut dictum est suprà. Prædicta verba S. Hilarii leguntur etiam in Breviario in *Homilia diei* 11. *Septemb.* quartâ die infra octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis; ubi quilibet de facili potest ea intueri.

Tertia opinio est, quòd Uxor Jechoniæ, & Mater Salathielis, quæ erat de Regali stirpe David, mortuo marito nupsit in secundis votis Neri, qui erat de Tribu Sacerdotali, de quo loquitur S. Lucas *cap.* 3. *n.* 27. dicens, *qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri.* Et hoc pacto sociatæ sunt ambæ stirpes Sacerdotalis, & Regia; siquidem Salathiel fuit filius carnalis Jechoniæ, & Zorobabel filius pariter carnalis Salathielis; sed postquam mater Salathielis nupsit Sacerdoti Neri, Salathiel Pater, Zorobabel filius, & Abiud Nepos ejusdem Salathielis, & filius carnalis ipsius Zorobabelis fuerunt adoptati ab eodem Neri, & evaserunt ejus filii adoptivi. Qua adoptione facta ex Patre Neri, natus est Resa ex eadem Uxore, quæ fuerat Jechoniæ, & hic frater Uterinus Abiudi, propagavit Lineam Sacerdotalem paternam; Regalem autem Maternam; & è contra Abiud Nepos Salathielis, & Pronepos adoptivus Neri Sacerdotis; fuit propagatus utriusque stirpis, Regia scilicet, & Sacerdotalis in descendentibus suis, intra quorum numerum postea fuerunt S. Joachim Pater Almæ Virginis Mariæ; & S. Joseph ejus Sponsus. Hinc S. Matthæus describit Regiam genealogiam Christi ex Abiudo filio carnali Zorobabelis; S. Lucas verò deducit genealogiam Sacerdotalem ex Resa fratre uterino ipsius Abjudi; sibi ad invicem communicantibus prærogativas stirpis utriusque Paternæ, & Maternæ. Ita ex Euthimio, (qui ex Card. Bellarmino *de Scriptoribus Eccl.* floruit *Anno* 1128.) philosophatur *Torniellus ad annum Mundi* 4051. *num.* 19. Cujus opinionem teneri etiam à Lyrano & Carthusiano ait Ricciolus *d. lib.* 8. *cap.* 18. *num.* 23. *Chronologiæ Reform.* Porrò non est tacendum, plures Auctores sacros opinari, Salathielem, Zorobabelemque nominatos à S. Luca esse diversos ab illis, quos nominat S. Matthæus, ut notat P. Steph. Menochius *in Historia Sacra d. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 60. & P. Ricciol. *cap.* 28. *num.* 23.

Quarta est opinio, quòd Nathan filius David, de quo suprà, fuerit filius non adoptivus, seu naturalis ejusdem David, qui quidem Nathan Uxorem de Tribu Levitica duxit; & ex ejus descendentia, (quam describit S. Lucas *cap.* 3.) Levi ortus est, qui genuit Melchi, & Pantherem. Panther autem genuit Barpantherem; & Barpanther rursus genuit S. Joachim, qui fuit Pater Beatissimæ Virginis Mariæ. Ita pluribus SS. Patribus citatis differit P. Ricciolius *in d. Chronolog. Reform. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *num.* 11. Igitur ad S. Joachim, & ad Deiparam provenerat utraque stirps Regia, & Sacerdotalis ex Nathano filio naturali Davidis, copulato in Matrimonium cum aliqua mu-

liere

liere de Tribu Levitica. Hanc opinionem profitetur etiam Cardin. Toletus *super Luc. cap.* 3. *Annot.* 58. *in fine.* Et illum refert Torniell. *ad annum Mundi* 2987. *num.* 6.

Quinta est opinio; quòd mortuo Mathano patre Jacobi, & Avo Sancti Josephi Sponsi Deiparæ, ejus Uxor, quæ vocabatur *Estha* nupsit *Melchi*, cum quo genuit *Heli*; ita ut *Heli & Jacob* pater Sancti Josephi, erant fratres uterini, nati ex eadem Matre *Estha*. Heli duxit uxorem, sed mortuus est sine prole; quare Jacob ejus frater uterinus juxta legem Hebræorum eandem mulierem in uxorem accepit ad suscitandum semen fratris; & ex ea generavit S. Josephum Sponsum Deiparæ, quæ quidem fuit carnalis filius Jacobi, prout eum describit S. Matthæus; sed fuit filius legalis prædicti Heli, ut eum nominat S. Lucas. Igitur, vel quia *Estha* uxor Mathani fuit de Tribu Sacerdotali, & Levitica, vel quia de hac eadem Tribu fuerat uxor tum Heli, tum Jacobi, Mater S. Josephi: sequitur in eum diffusam esse utramque stirpem Regiam, & Sacerdotalem, & utraque tanquam agnatum, condecoratum fuisse S. Joachimum. Hæc opinio initur auctoritati Julii Africani, nobilis, & antiqui scriptoris de anno scilicet 222. qui in Epistola ad Aristidem, (cujus fragmentum habetur apud Eusebium *Eccles. Hist lib.* 1. *cap.* 3.) refert quæ de Matrimonio *Esthæ* in primis, & secundis votis, supra diximus; eundemque Africanum commendari à multis SS. Patribus advertit Emin. Card. Capisucchius *d. Controv.* 17. & de eodem loquitur S. Thom. *in* 3. *p. q.* 31. *art.* 3. *ad* 2. Ricciolius *d. tom.* 1. *Chronolog. Reform. lib.* 8. *c.* 18 *num.* 26. & Azor. *Instit. Moral. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 19. *quæs.* 6.

Sexta opinio est, Jacobum naturalem Patrem fuisse S. Josephi; Heli autem non Patrem, sed Socerum, quia S. Joseph duxit filiam Heli, id est Sanctissimam Mariam Virginem; Soceri enim dicuntur etiam Patres, & generi dicuntur etiam Filii. Heli autem & Joachim sunt idem nomen, ut probat ipsemet Ricciolius *in Chronolog. Ref. d. tom.* 1. *l.* 8. *cap.* 18. *num.* 28. ubi pro hac opinione citat viginti Auctores; ex qua sequitur S. Joachimum & S. Josephum esse de iisdem Tribubus Regia David per lineam Paternam, & Sacerdotali per lineam Maternam, & utramque ex S. Joachimo Patre in se traxisse Deiparam, & ex ea Christum Dominum.

Septima tandem opinio, quæ clarior, verior, & probabilior cæteris mihi videtur, ea est; quòd utraque stirps collata est in Sanctissimam Virginem Matrem Dei MARIAM ex ejus Sanctis genitoribus Joachimo & Anna; quandoquidem ipse Sanctus Joachim fuit de Regia stirpe David, ut testatur S. Joannes Damascenus, & probatum est supra in prima opinione; Sancta verò Anna fuit de Sacerdotali stirpe. Pro intelligentia sciendum; quòd, ut scribit S. Hippolytus Martyr, (qui obiit anno 220.) relatus à Nicephoro *Eccles. Histor. lib.* 2. *cap.* 3. & à Torniell. *ad annum Mundi* 4037. *num.* 4. Mathan Sacerdos de Maria uxore sua genuit tres filias *Mariam, Sobam, & Annam.* Prima nupsit Cleophæ, ex quo genuit aliam Mariam. Secunda nupsit alteri Sacerdoti, & peperit S. Elisabeth, ex qua, & Zaccharia ejus conjuge natus est S. Joannes Baptista. Tertia, id est Anna, nupsit S. Joachimo, & ex eis nata est Deipara. Idcircò, quia S. Joachim erat de Tribu Judæ, & de Regia familia David; Sancta autem Anna orta erat de Sacerdotali, & Aaronica stirpe; utraque stirps transfusa fuit à prædictis Sanctis Genitoribus in Beatissimam Virginem Mariam ejus filiam, de qua natus est Jesus Christus; cujus propterea caro propagata fuit, tam è Regia, quàm è Sacerdotali stirpe. Ita ex S. Hyppolito Episcopo Portuensi, & Martyre tradit Nicephor. *lib.* 2. *Hist. Eccl. cap.* 3. Barradas *tom.* 1. *in Evangel. lib.* 5. *cap.* 2. Azor. *part.* 2. *cap.* 19. *q.* 4. & Ricciolius *d. lib.* 8. *c.* 19. *num.* 12.

Duo tamen sunt corollaria notanda pro conclusione præsentis Decisionis. Unum, quod apud Hebræos mos erat in libris publicis ad hoc deputatis, & servatis in Templo, describere, & notare omnia Matrimonia, quæ inter ipsos celebrabantur, exprimendo nomen conjugum, eorum genitorum, & Tribuum, de qua nati erant. Ita Card. Baronius *in Apparatu ad Annal. pag.* 33. ubi citat Josephum Flavium *contra Appionem lib.* 1. sic testantem: *Mittunt Hierosolymam conscribentes à patre nomen nuptæ, & antiquorum progenitorum.* Et idem notare Abulens. *in cap.* 1. *Matth. quæst.* 26. asserit Serlogus *d. tom.* 1. *in Cantic. Anteloq.* 5. *sect.* 2. *num.* 14. Subdens, quòd Breviculi generationum in Templi Sacro asservabantur, ut habetur 1. *Esdr.* 2. nec non, 2. *Esdr.* 7. ex quibus facilè erat Scribis & Doctoribus cognoscere lineam, ac prosapiam cujuscunque familiæ. 25

Alterum Corollarium est, quòd Christus Dominus etsi, ut homo, propagatus sit etiam ex Tribu Levitica per lineam maternam; tamen non fuit Sacerdos, aut Pontifex unctus sicut Sacerdotes Mosaycæ legis, sed alio singulari, & supernaturali modo, unctione Divina, per Unionem Verbi cum Humanitate; ut optimè disputat *Apostolus ad Hebræos cap.* 7. 8. & 9. & doctè probat idem Emin. Card. de Lauræa *de Incarnat. d. disp.* 22. *art.* 1. & 2. & eruditè Collegium Salmanticen. *eodem tract. de Incarnat. tom.* 10. *disp.* 31. *dub.* 2. §. 1. ubi ex auctoritate SS. Patrum ibidem citatorum concludit, Christum Dominum fuisse quidem ex linea Materna etiam de Tribu Levitica; sed hæc non satis erat ad constituendum Sacerdotem, & dat exemplum Regis Oziæ, qui cùm esset de Tribu Judæ ex patre, sed secundùm lineam Maternam fuisse de gente Sacerdotali, graviter à Deo fuit percussus, quòd exercuit munus Sacerdotis adolendo incensum; quod etiam observavit Suarez *in* 3. *part.* S. Thom. *tom.* 1. *disp.* 46 *sect.* 3. §. *dico secundò.* 26 27

DECISIO VIII.

ARGUMENTUM.

Redditur ratio, ob quam dictum est in definitione Sacrificii, quòd in eo Res aliqua sensibilis, & permanens consecratur, nempe Hostia vel Victima: Quæ sit horum nominum Etymologia? Quæve, & quot essent Hostiæ, & Victimæ, quibus litabant antiqui tam veri, quàm falsi adoratores? eleganter declaratur.

SUMMARIUM.

1 *Hostia, quæ mactabatur in Sacrificio, cur sic dicta?*
2 *Focolaris undè sic appellatus?*
3 *Victima, quænam esset?*
4 *Dies festi quare apud Romanos dicti sint feriæ?*
5 *Sacrificium in quo differat ab aliis actibus adorationis latriæ?*

6 *Victimæ quænam litarentur in Lege Naturæ à veris adoratoribus?*
7 *Victimæ in Lege Mosayca quænam essent pro Sacrificiis?*
8 *Judæis non erat licitum sacrificare homines.*
9 *Jephte Filia an metaphoricè, vel realiter litata?*
10 *Hostiæ inanimes quænam erant apud Hebræos?*
11 *Ægyptii non sacrificabant pecudes.*
12 *Romani quàm multiplices Victimas sacrificarent?*
13 *Gentiles etiam humanas Victimas mactabant.*
14 *Victima in Sacrificio legis gratiæ est Corpus, & Sanguis Jesu Christi Filii Dei sub speciebus panis & vini.*
15 *Eucharistiæ Sacrificium nullus hæreticorum impugnavit usque ad duodecimum sæculum, præter Manichæos, & Berengarium.*

POst hucusque explicatas particulas definitionis Sacrificii, sequitur in ea, quòd dum sacrificatur, *Res aliqua sensibilis, & permanens Deo consecratur.*
1 Hæc autem res ex inveterato usu loquendi vocata semper fuit vel *Hostia*, vel *Victima*; & erat animal illud, quod mactabatur in Sacrificio, & dicebatur *Hostia*, vel quia immolabatur à Ducibus, ad bellum proficiscentibus pro impetranda victoria contra hostes: aut quòd jam profligatis hostibus mactari solebant ab eo, qui potitus erat victoria, juxta id, quod cecinit *Ovidius in lib. 1. Fastor. Hostibus à domitis Hostia nomen habet.*

Festus autem arbitratus est, *Hostiam* propriè dictam fuisse Sacrificium, quod à Romanis immolabatur Laribus Diis, eò quòd hostes ab illis arceri putabant; unde & ipsi Dii Lares *Hostioli* dicti sunt, videlicet familiares, domestici, & tum in viis, tum in domibus, & in quacumque parte domus ad ejus tutelam insidentes, unde etiam hæc vox *Focolare* ita dicebatur,
2 quasi *Focus laris*. Alii verò putant Hostiam denominari à verbo antiquo *Hostire*, quod significat *ferire*; eo quia Hostiæ litandæ super Altare feriebantur, ut observat *Vossius in Etymologicon linguæ Latinæ in verb. Hostiæ, & in verb. Hostio*; ubi id auctoritate, & carminibus Poetarum veterum confirmat & plura notat etiam Magr. *in Hierolexic. verb. Hostia.*

3 Sed vocabatur etiam animal sacrificandum *Victima*, à manu victrice, quæ Sacrificium offerendo illam litabat; & ideo propriè illa erat, quam Dux exercitus post triumphum dextra Victrice immolabat; quod innuit idem *Ovid. d lib. 1. Fastor.* dicens:

Victima, quæ dextra cecidit victrice, vocatur.

Ita ut secundùm Gellium hoc esset discrimen inter *Hostiam & Victimam*; quòd à quovis Sacerdote *Hostia* mactari posset; Victima verò tantùm ab eo, qui hostes vicisset. Et quoniam Victimæ, ut plurimum
4 feriebantur festivis diebus, & quo die solemne Victimarum Sacrificium fiebat, erat dies festus; indè factum est apud Romanos, ut dies festi dicerentur feriæ, à feriendis Victimis, quod observat Forestus *in Mappamundo tom. 2. lib. 15. cap. 9. §. 2.* ex Macrobio *lib. 2. Dier. Saturnal. cap. 16.* Sed & aliam differentiam notat Vossius, ubi supra in *verb. Victimæ*; quòd Victima erat Hostia magna, ut *Vitulus*; Hostia verò erat minor, ut *Agnus*, quare *Cornelius Fronto* sic ait:

Victima major est, Hostia minor.

quòd etiam affirmat Isidorus ibidem citatus.

Igitur hæc *Hostia*, seu *Victima* intelligitur per illa verba in definitione Sacrificii posita. *Res aliqua sensibilis, & permanens*; quæ quidem constituit essentialem differentiam inter hunc præcipuum actum latriæ, & adorationis Dei, vocatum *Sacrificium*; & alios actus adorationis latriæ, qui verè, & propriè non sunt Sacrificia; eo quia non consistunt in *Re sensibili permanente*; sed in actibus transitoriis, non permanentibus, ac de sui natura evanescentibus, & transeuntibus, quales sunt illi, quos enumeravimus supra in *Decis. 6. num. 13. & seqq.* videlicet Genuflexiones, Prostrationes, Detectiones capitis, Elevationes manuum; piæ osculorum impressiones, Laudationes, Processiones, & similia; quæ quidem sunt actus latriæ, & Deo exhibentur, sed non sunt Sacrificia; hæc enim de sui essentia requirunt, ut fiant *in re, & cum re sensibili ac permanente*, qualis est *Hostia, & Victima*; ut subtiliter disserit Mastrius *in 4. Sent. disp. 4. num. 68. & in sua Theolog. Morali disp. 19. num. 31.* 5

Sed dicet aliquis: quænam erant *Hostiæ, & Victimæ*, quas adhibebant antiqui, dum sua Sacrificia offerrent? Respondetur, distinguendo veros adoratores Dei à profanis, illosque considerando vel in lege naturæ, vel in lege Mosayca.

Victimæ, atque Hostiæ litatæ Deo in lege naturæ à veris adoratoribus, fuerunt oves, & agni, & 6 quidem pulcherrimi, quas & quos obtulit Abel, ut legitur in *Genes. cap. 4. num. 3.* Et Fructus terræ, quos in Sacrificium dedit Caim, ut ibidem habetur; de quibus ego locutus sum in *libro primæ ætatis Mundi serm. 12.* ubi hæc carmina signavi, primum de Abele; alterum de Caim; videlicet:

Sacrum pingue dabo: macrum non sacrificabo.
Sacrificabo macrum, non dabo pingue Sacrum.

Post diluvium Noe sacrificavit pecora munda, & volucres, ut legitur *Gen. 8. 20.* Abraham, loco Isaaci filii sui, obtulit arietem. *Gen. 22. 2.* antea verò Vaccam triennem, arietem, columbam, & turturem. *Gen. 15. 9.* Melchisedech obtulit pro Sacrificio Panem & Vinum. *Genes. 14. 18.* De reliquis autem Patriarchis, Isaaco, Jacobo, Josepho, ac Jobo; etsi Scriptura Sacra referat, eos pluries sacrificasse, non tamen exprimit Hostias, Victimasque, quas mactaverint.

In Lege autem Mosayca Hostiæ, Victimæque pro Sacrificiis dividebantur in duo genera; aliæ enim 7 erant animatæ, aliæ inanimatæ. Victimæ, quæ habebant animam, pariter erant aliæ de volatilibus, aliæ de quadrupedibus. Volatilia erant duo tantùm, quæ possent pro Sacrificio offerri; nempe *Turtures & Columbæ*, ut legitur in libro *Levitic. cap. 1. num. 18.* His tamen addebantur *Passeres* præscripti pro Sacrificio leprosis mundatis *eod. lib. Levit. cap. 14. 49.* Quadrupedia erant vel de majoribus, videlicet *Bos, Taurus, Vitulus*, tam masculi, quàm fœminæ; vel erant de minoribus, & in his computabantur *Oves, Arietes, Agni, Hirci, Capræ, & Hœdri*; Quibus tantùm fas erat Hebræis uti pro Sacrificiis; eò quia omnia quadrupedia prædicta munda erant; & eorum mundities consistebat in ungulis divisis, & in ruminatione, de quibus pariter locutus sum *in eodem lib. primæ ætatis Mundi serm. 15. pag. 124.* Sed neque pisces immolare licitum erat Hebræis. Abulen. *in Levit. cap. 1. q. 13.* vel quia diu vivere extra aquam non valent, vel quia eos capere ad suum libitum homo non potest; vel quia muti, aut nimis luxus causa, ut differit Andr. Cirinus *de Piscibus lib. 2. part. 1. cap. 15.* Porrò de Vola-

Volatilibus, & quadrupedibus Victimis, quibus utebantur Hebræi in Sacrificiis doctè tractat in suo elegánti tractatu *de via Fidei ostensa Judæis Julius Mau-*
8 *rocenus tom. 1. part. 2. cap. 21. pag.* 379. ubi advertit iisdem Judæis minimè licuisse mactare hominem, illúmque Victimam facere pro Sacrificio. Idcircò Historiam filiæ Jephtæ, quam ejus Pater sacrificavit,
9 metaphoricè esse intelligendam ait, non autem de reali ejusdem filiæ occisione, & mactatione; sed pleniùs de hac filia Jephtæ legendi sunt Serarius *in lib. Judic. cap.* 11. *quæst.* 17. Salianus *ad annum Mundi* 2850. & Menochius *in Storeis Centur. 1. cap.* 45.

Hostiæ tandem inanimes apud Hebræos erant similia, id est flos Farinæ, Panis azymus, & diversimodè
10 coctus, Sal, Oleum, Vinum, Incensum, primitiæ frugum, ac fructus arborum, de quibus Tirinus *in Levit. cap.* 2. idem Julius Maurocenus *cit. cap.* 21. *pag.* 379. & nos infra *Decis. XXVII.*

Apud falsos Adoratores, id est apud Ethnicos, Paganos, & Idololatras multò plures fuerunt Hostiæ
11 ac Victimæ, quas falsis Idolis suis litabant, exceptis Ægyptiis, apud quos permissum non erat pecudibus, aut sanguine Deos placare, sed solis precibus, & thure, si credimus eidem Macrobio *lib. 1. Saturnal. cap.* 5. relato per Tholosan. *Syntagm. Jur. lib. 1. cap. 8. n. 7.* Et exceptis Pythagoricis, qui à sacrificandis animalibus abstinebant, ob creditam animæ rationalis transmigrationem in corpora animalium; ùt eruditè demonstrat Andr. Cirinus *de Natura Animal. lib. 1. cap.* 14. *cap.* 15. *& cap.* 16. apud Romanos verò, à quibus totius orbis superstitiones amplexatæ erant, *nec pluralitatem Deorum gentilium, nec cultum simulacrorum, & Sacrificia, ac victimas ullam habuisse rationem* ex Varone, Platone, & aliis scribit Matth. Wesembec. in Isagoge *in lib. 1. Institut. num.* 4. adeò, ut præter animalia, quibus pro victimis utebantur Hebræi, immolabant Romani, aliique gentiles;
12 (inter quos Persæ, Massagetæ, & Græci) etiam canes, cervos, equos, capros, sues, verres, lupos, & asinos; nec non ex volucribus anseres, gallinas, & gallos, præter alia plurima recensita ab Ovid. *lib. 1. Fastor.* & à Franc. Serra *de Synonymis verb. Sacrificia veterum*, ubi tradit, consueviss eosdem gentiles Hostias, & Victimas jugulandas super Altaribus, si Diis supernis erant offerendæ, candidis & rubicundis floribus coronare, quòd si litandæ fuerant Diis Marinis, aut infernis, cœruleis floribus decorare. Porrò alias gentes consueviss sacrificare Thynnum, Anguillam, variosque pisces tradunt Athenæus *lib.* 7. & M. Varro *Rei rusticæ. lib.* 3. At horrendum dictu, adeò gentilium cæcitas excreverat, ut pietatis titulo impia Sacrificia Idolis suis offerrent, scilicet victimas
13 humanas, & inter hæc etiam proprios filios, de quibus videndus Salianus *ad annum Mundi* 3139. *n.* 78. *Schol.* 5. & Alexander ab Alex. *lib. 6. cap.* 26. & tales erant Phœnices, & Rhodii, Blemmyæ, Cimbri, Galli, Druidæ, & Germani, quorum crudelitatem imitati etiam sunt Romani; sed eam proscripsit Senatus *anno ab urbe condita* 656. Coss. Cneo Cornelio Lentulo, & Publ. Licinio Crasso; ùt refert Plinius *Natural. Histor. lib.* 30. *cap.* 1. Salian. *ad annum Mundi* 3957. *num.* 6. & Narbona *de Ætate hominum anno primo quæst.* 10. Sed de his nefariis Sacrificiis loquar inferiùs *Decis. XXI. n.* 28. ubi lector curiosus recurret.

In Lege autem gratiæ, in qua ex Dei ineffabili clementia nos Christiani vivimus, Victima incruenti Sacrificii, quòd quotidie Sacerdotes Sanctissimæ
14 Trinitati offerunt, est Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi; sub speciebus Panis & Vini; juxta potestatem ab eodem Christo tanquam Pontifice, & Sacerdote Summo, à Deo Patre constituto, in æternum, Ecclesiæ suæ traditam; de quo Sacrosancto, & incruento Sacrificio in his Decisionibus agimus, atque de eo, præter Concil. Trid. *sess. 22. & sess. 23. cap.* ubi ita definitum est de fide, agit S. Thom. 3. *p. quæst.* 83. plenéque disserunt Mastrius *in 4. sent. disp. 4. q. 4. per totam.* Et in Theologia Morali *disp.* 19. *q.* 3. *art.* 1. Emin. Card. de Lugo *de Eucharistia disp.* 19. *sect.* 1. Et novissimè Richardus Arsdekin *in Theologia Tripartita tom.* 1. *tract.* 2. *capit.* 5. Alphonsus Mendesius *tom.* 2. *lib.* 11. *cap.* 1. *in suo opere Lux Fidei*, nec non Gregor. Ivenin. in eruditissimo *Commentario Historico, & Dogmatico de Sacramentis Dissert.* 5. *quæst.* 1. ubi observat, nullum è Christianis, qui Manichæismo, aut Berengariano errore non laborarit, ante duodecimum sæculum negasse, sacram Eucharistiam esse verum legis novæ Sacrificium, adeò ut 15
neque hæreticos Valdenses, neque Joannem de Hus, etsi alios errores professos, Sacrificii Eucharistici veritatem impugnâsse; ùt ex antiquis & probatissimis Doctoribus ac Historiis demonstrat ipse Ivenin. *d. cap.* 1. *num.* 1. 2. & 3. ubi subdit anno 1523. Lutherum omnium primum Eucharistiæ Sacrificio infestissimum bellum indixisse in variis libris, quos in lucem edidit: & apud Helveticos, suadente Zuinglio, Magistratum Civilem, sacrarum litterarum scientia vacuum, Missam penitùs abrogâsse; quod actum est etiam apud Genevenses, instigante Calvino. In Anglia verò, licèt Rex Henricus VIII. ab Ecclesia Catholica discessisset, & sibi primatum Ecclesiasticum arrogâsset, nihil tamen immutavit in Liturgia, & Sacrosancto Missæ Sacrificio. Porrò ipso defuncto, & regnante Eduardo VI. circa annum 1549. à Proceribus Regni, ad Comitia generalia adunatis, etsi laicis hominibus, definitum fuit, Eucharistiam Sacramentum quidem esse, non verò Sacrificium novæ legis; quamvis contrarium contestentur tot, & tanta testimonia utriusque Testamenti, innumera Conciliorum, ac SS. Patrum decreta & dicta, & usus incommutabilis tam apud Latinos, quàm apud Græcos offerendi Deo Sacrificium in Missa, in qua Hostia & Victima preciosa, ùt dixi, est Corpus & Sanguis Christi; quod concludentissimè probat Emin. Card. Bellarmin. *in Controvers. Fidei tom. 3. lib. 5. de Eucharist. & lib. 1. de Missa.* Arsdekin. *d. tract. 2. capit. 5.* Et Ivenin. *d. Dissert. 5. quæst. 1. cap. 2.* per plures Articulos ac Paragraphos.

DECISIO IX.

ARGUMENTUM.

Explicantur sequentia definitionis verba: *Ritu Mystico consecratur*; Declaratur, qui & quot sint Ritus Sacri servandi in Sacrificio Missæ. De Origine, Varietate, Necessitate, & Utilitate Uniformitatis Sacrorum Rituum. Et an in Ecclesia sit potestas decernendi Sacros Ritus, & imperandi eorum uniformem observantiam. De Ritibus in Missa vetustis PP. Ord. Prædicatorum, Carmelitarum, & Carthusiensium.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Sacerdos quilibet in celebrando debet servare Sacros Ritus ab Ecclesia præscriptos.*
2 *Ritus Sacer quid sit?*
3 *Ritus & Cæremonia in quo differant inter se?*
4 *Ritus in Missa alii* Parascevastici, *alii* Parergi; *& quales sint; & in quibus consistant?*
5 *Lumina & Vestes sacræ adhibebantur ab Apostolis in celebratione Missæ.*
6 *Idioma, quo Apostoli Missam celebrabant.*
7 *Idiomata tria pro Missis, ac divinis Officiis Chaldaicum, Græcum, & Latinum.*
8 *Idiomate Illyrico Missam celebrant Slavi ex privilegio Joannis Papæ VIII.*
9 *Gregorius Papa III. negavit privilegium Uratislao Duci Bohemiæ celebrandi Missam in illa lingua.*
10 *Dalmatiæ in pluribus partibus Missa celebratur Latino idiomate.*
11 *Orationes & preces semper adhibitæ in Sacrificio Missæ; etiam ab Apostolis.*
12 *Agnus Paschalis non edebatur, nisi priùs recitatis pluribus Psalmis & Orationibus.*
13 *Tempus & locus celebrandi Missam semper fuit ab Ecclesia præscriptus.*
14 *Ritus Sacri in Missa varii fuerunt in Ecclesia Orientali ob ejus vastitatem.*
15 *Græci Orientales antiquiores quibus Liturgiis utebantur?*
16 *Moscovitæ ac Tartari Christiani Missam celebrant ritu Græco; atque adjacentes Provinciæ.*
17 *Scuporum Archiepiscopus celebrat Missam Romano Ritu.*
18 *Armeni, Nestoriani, & Jacobitæ Ritu proprio litant; & sermone Chaldaico.*
19 *Maronitæ sunt Catholici, viventes sub obedientia Romani Pontificis.*
20 *Liturgiæ variarum nationum, etsi variæ circa preces, concordant in pluribus cum Romana, præcipuè in oblatione, consecratione, & communione.*
21 *Spiritus Sanctus adstitit semper Ecclesiæ Catholicæ circa ritus Liturgicos.*
22 *Varietas SS. Rituum in Ecclesia Orientali processit ab Hæresibus & Schismatibus.*
23 *S. Congregatio de Propaganda Fide instituta à Gregorio XV. pro bono regimine Ecclesiarum Orientalium.*
24 *Liturgiæ quatuor, quæ in se differunt quoad Orationes tantùm, servatæ sunt in Ecclesia Latina, id est, Romana, Mozorabica, Gallicana, & Ambrosiana.*
25 *Liturgia Romana ortum habuit à Divo Petro Apostolo; deinde à Gelasio Papa, & à S. Gregorio Magno reformata.*
26 *Mozorabica & Gothica Liturgia quæ fuerit? & cur sic dicta?*
27 *Mozarabicæ Liturgiæ quis fuerit auctor?*
28 *Romanus Ritus in rebus sacris introductus in Hispania tempore Gregorii Papæ Septimi.*
29 *Missa Mozarabica quibus precibus & forma consisteret?*
30 *Gallicana Liturgia qualis esset?*
31 *Differentiæ duæ inter Liturgias Romanam, Gallicanam & Mozarabicam.*
32 *Ambrosiana Liturgia à quo instituta?*
33 *Ambrosianæ Missæ ordo.*
34 *Ritus Sacri quando redacti sint ad unitatem, & uniformitatem in Ecclesia Latina?*
35 *Gallicana Ecclesia quo tempore receperit Ritum Romanum in Missa, & Officiis Divinis?*
36 *Mozarabica mutata in Romanam sæculo undecimo.*
37 *Hibernia quando receperit Liturgiam Romanam.*
38 *Ambrosianus ritus adhuc servatur, sed Mediolani plures Ecclesiæ utuntur Romano.*
39 *Ambrosiani non celebrant Missam feriis sextis Quadragesimæ etiam funeris, vel exequiarum, cujusve rei occasione.*
40 *Rituum Sacrorum uniformitas quantum sit utilis, & necessaria Catholicæ Ecclesiæ?*
41 *Facultas est in Ecclesia determinandi Sacros Ritus.*
42 *Romana Ecclesia, omnium Magistra, & Mater tres libros edidit pro Sacris Ritibus, nempe Rubricas Missalis, Rituale Romanum, & Cæremoniale Episcoporum.*
43 *Rituale Romanum, Cæremoniale Episcoporum, & Rubricæ Missalis habent vim legis, & obligant sub mortali.*
44 *S. Rituum Congregatio instituta à Sixto V. quam habeat auctoritatem?*
45 *Regulares plurimi quare discordent à communi Ritu in Missa?*
46 *Regulares quare non celebrent juxta Missale Romanum, attenta Bulla S. Pii Quinti in eo impressa?*
47 *Ritus PP. Ordinis Prædicatorum in Missa.*
48 *Ritus PP. Carmelitarum in Missa.*
49 *Ritus PP. Carthusiensium in Missa.*

Cùm hucusque viderimus, quænam fuerint Victimæ, & Hostiæ in Sacrificiis Legis Naturæ, ac Mosaycæ, nec non apud Paganos, & Ethnicos; dixerimúsque in lege gratiæ, in qua nos Christiani vivimus, Hostiam, & Victimam esse Corpus, & Sanguinem Christi Domini sub speciebus Panis & Vini; declarare oportet Verba, quæ sequuntur in definitione; & quæ concernunt consecrationem ipsarum specierum in Sacrificio Missæ, videlicet *Ritu* 1
Mystico consecratur: ex quibus verbis erudimur, Divinum Missæ Sacrificium adeò esse Sacrum, & Venerabile; ut peragi à nullo Sacerdote debeat, nisi *Ritu Mystico*; videlicet servatis Sacris Ritibus, & cæremoniis ab Ecclesia præscriptis; & nimium esset piaculum vel omittere, vel pervertere Ritus Sacros, quos Ecclesia Catholica ordinavit, tum in celebratione Divinorum Officiorum, ac administratione Sacramentorum; tum præcipuè in Sacrosancto Missæ Sacrificio. Quæ omnia, ùt meliùs intelligantur, quinque veniunt examinanda.

1 *Qui & quòt sint Ritus Sacri servandi in Sacrificio Missæ.*
2 *Per quot sæcula fuerint varii ipsi Sacri Ritus in Ecclesiis, tum Orientalibus, tum Occidentalibus?*
3 *Quando & à quibus Sacri Ritus redacti sint ad unitatem, & uniformitatem in Ecclesia Latina?*
4 *Quæ & quanta sit necessitas & utilitas hujusce modi uniformitatis Sacrorum Rituum?*
5 *An in Ecclesia sit Potestas decernendi Sacros Ritus, & eorum uniformem observantiam imperandi?*

Quo

1 Quòd ad Primum. *Ritus est modus ab Ecclesia præscriptus, quo actio ipsa sacra facienda est.* Ita definitur à Magrio *in Hierolexic. verb. Cæremonia.* ubi advertit
2 Ritum & Cæremoniam indifferenter usurpari ; etsi
3 strictè hæc nomina si accipiantur, Cæremonia potiùs significet actus reverentiales, quos gerunt Sacerdotes in Divinis Officiis, puta stando, genuflectendo, thurificando, & similia; Ritus verò comprehendat totum ordinem servandum ab initio usque in finem actionis sacræ, tum in cæremoniis personalibus, tum in recitatione precum, accensione luminum; indumentis sacris, & in his similibus; qui quidem ordo dicitur præscriptus ab Ecclesia ad servandam Majestatem, ac decorem Divini Cultus, tam in Psalmodia, horisque Canonicis, quàm in Sacrificiis ; ita ut non liceat privatis personis eundem ordinem deserere, vel mutare; & hic ordo verè appellatur *Sacer Ritus.*

Quòd si quæramus : quot sint Ritus Sacri servan-
4 di in Sacrificio Missæ ? scire oportet, alios Ritus concernere essentiam Sacrificii ; alios esse *Parasceva-sticos*, id est præambulos ad Sacrificium, & alios Parergos; videlicet subsequentes Sacrificium. Ritus primi generis sunt Panis & Vini Præparatio, Oblatio, Consecratio, Consummatio, & ipsius Sacramenti communicare volentibus Distributio. Ita Eminentiss. Card. Bona *Rer. Liturgic. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 1. Ritus secundi generis reducuntur ad sex species, scilicet ad Vestes, ad Lumina, ad Idioma, ad Preces, ad Tempus, & ad Locum. Pignatell. *Consult. Canonic. tom.* 8. *consult.* 42. *num.* 26. Siquidem supradictæ sex species rerum, continentium in se Ritum sacrum pro Sacrificio Missæ celebrando, fuerunt quandocun-
5 que & ubicunque in usu ; incipiendo ab ipsis Sanctis Apostolis ; per ipsos enim adhibita fuisse lumina in celebratione Missæ, nec non Vestes Sacras eruditè probat Casalius *de Veterib. Sacris Christ. Ritib. cap.* 9. *vers. Juxta Romanum Ordinem*, nec non Emin. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 2. ubi refert testimonium Planetæ S. Petri, ab Antiochia delatæ Parisios, & in templo S. Genovefæ collocatæ, ut scribit in vita S. Hugonis Cluniacensis alter Hugo ejusdem Monasterii Monachus apud Surium *die* 29. *Aprilis.* Item Sacram Vestem S. Joannis Evangelistæ transmissam fuisse S. Gregorio Magno refert Joannes Diaconus *in ejus vita lib.* 3. *cap.* 59. Et Penulam S. Pauli Apostoli, Troade relictam fuisse ejus planetam seu casulam, quâ utebatur in Missæ celebratione, plurimi opinantur, ùt videre est apud eundem Emin. Card. Bonam *d. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 8. apud Emin. Card. Baronium *anno Christi* 58. *num.* 67. apud Octavium Ferrarium hujus nostri Lycæi Patavini eruditissimum olim linguæ Græcæ professorem. *De re Vestiaria lib.* 1. *cap.* 37. *in fine.* Apud Stephan. Menochium *in Storeis Centur.* 2. *cap.* 60. & apud Alexandr. Sperellum *in Pareneſi Teleturgica cap.* 38. *num.* 10. ubi ulteriùs notat ; Planetam S. Jacobi Apostoli conservatam fuisse summo cum honore Jerosolymis usque ad annum nostræ salutis 870. quo per Theodosium Episcopum Jerosolymitanum donata fuit S. Synesio Patriarchæ Constantinopolitano ; & à Macario pariter Jerosolymorum Episcopo dono datam fuisse S. Helenæ Matri Imperatoris Constantini Magni Dalmaticam S. Stephani Prothomartyris ; ex quibus satis probatum remanet, eosdem S. Apostolos usos fuisse vestibus sacris in Sacrificio Missæ ad imitationem Pontificum Legis Mosaycæ, qui absque illis Sacrificia non offerebant juxta præceptum Domini : *Faciant vestes Aaroni, quibus sanctificatis mihi ministret. Exod.* 28. 3. De luminibus autem in Missa agemus infra *Decis. XLIII.*

Idioma verò, quo in Missa utebantur ipsi Sancti 6
Apostoli, & Episcopi, Sacerdotesque eorum Successiores, quamvis Joannes Echius *lib.* 2, *de Sacrific. Missæ cap.* 2. affirmaverit fuisse Hebraicum ; verius tamen videtur, fuisse juxta morem regionum, in quibus fides prædicabatur. Porrò in principio Ecclesiæ tria fuisse idiomata pro celebranda Missa, 7
ac Divinis Officiis ; videlicet *Chaldaicum* pro conversis à Judaismo, *Græcum* pro Ecclesiis orientalibus, *Latinum* pro occidentalibus differit Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. d. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. advertens ferè per totum Orbem ex causa bellorum, & mutationum Principum interisse linguas, & idiomata naturalia populorum ; sed conservata fuisse in Rebus Sacris *Græca, & Latina*, etsi incognita plebi, id exigente earundem Sacrarum rerum dignitate, & majestate ; ita ut vix permissum sit hisce temporibus, ut inter populos Slavos Missa celebretur, aliaque Divina Officia decantentur Illyrico Idiomate 8
juxta privilegium ad instantiam S. Methodii primi illius gentis Apostoli concessum à Joanne Papa VIII. de quo Eminent. Card. Baron *anno* 880. *num. penult.* Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 4. & Pax Jordanus *Elucubr. diverſ. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 334. qui
9 *num.* 335. subdit, hujusmodi privilegium petitum fuisse anno 1080. etiam per Uratislaum Bohemiæ Ducem ; sed ei negatum à Gregorio Papa III.
10 ac in pluribus Dalmatiæ partibus nunc Missam celebrari latino idiomate ; quòd explicatur vernacula lingua quoad Epistolam, & Evangelium pro populorum instructione.

Precum verò, & Orationum non mediocris nu- 11
merus semper fuit adhibitus in Missa ; quamvis enim non desint Patres, & auctores antiqui ; qui opinati sint, brevissimam fuisse Apostolorum Liturgiam, & sola oratione Dominica præmissa solitos fuisse Apostolos consecrare, & Hostiam consecratam sumere ; prout feria sexta in Parasceve adhuc practicatur ; probabilior est contraria sententia, de qua S. Joannes Chrysostomus *in Homil.* 26 *in prim ad Corint.* ita scribit ; *Cum sacras illas cœnas accipiebant Apostoli, quid tum faciebant? Nonnè in preces convertebantur, & hymnos? Nonnè in sanctas vigilias?* Et certè mihi absque hæsitatione asserendum venit, etiam Apostolorum tempore Liturgiam Missæ constasse ex recitatione Psalmorum, ac lectionum Scripturæ Sacræ, multarumque aliarum precum ; cùm enim in cœna Agni Paschalis, qui erat figura Immaculatæ Hostiæ, quam hodie sacrificamus, solerent He- 12
bræi, antequam illum comederent, plurimos Psalmos, aliasque preces recitare ; ùt ostendi *in Decisionibus meis de Eucharistia anno* 1689. *decis.* 17. in qua descripsi omnes ritus, & cæremonias Hebræorum in esu Agni, & adverti, Redemptorem nostrum in ultima cœna antequam ad consecrationem sui Corporis, & Sanguinis deveniret, plures Psalmos, benedictiones, atque orationes recitasse : ita quidem asserendum venit ad exemplum Divini Magistri decrevisse Apostolos, quòd antequam Oblatio, & Consecratio in Sacrificio Missæ fieret, preces & orationes plurimæ recitarentur, quibus & Sacrificii dignitas clariùs eluceſceret ; & major ipsi veneratio conciliaretur ; pietasque fidelium, ac fervor magis accenderentur ; quo fusiùs prosequitur Emin. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. & Alex. Sperellus in d. Paræneſi Theleturgica *à cap.* 40. *& seqq.*

Tempus tandem, & locus continentur in Sacris Ritibus; quia licèt antiquitus variæ essent consuetudines circa tempus celebrandi Missam, & circa loca,
13 de quibus inferiùs agemus; semper tamen fuit Ritus certus præscriptus, ita ut non esset licitum ab eo recedere; quod multò magis in præsenti est servandum, ut docuimus in Decisionibus de *Eucharist. decis. 3. num. 3. & 4. Decis. 13. n. 1.* & pluries repetendum erit in his Decisionibus de Sacrificio Missæ.

Quò ad secundum. Si quærimus, per quot sæcula ipsi Sacri Ritus fuerint varii in Ecclesiis tum Orientalibus, tum Occidentalibus? in primis notare oportet, quòd in Ecclesia Orientali ob ejus vastitatem, multiplicemque numerum Sanctorum Episcoporum, à quibus ante hæreses & schismata guber-
14 nata fuit, multiplices pariter fuerunt Liturgiæ, & Ritus Sacri, quibus diversimodè à diversis nationibus, & provinciis Divina Officia, & Sacrificium Missæ peragebatur; adeò ut, referente *Abrahamo Ecchellensim notis ad Catalogum Hebedlesu pag. 134.* quem citat Eminent. Card. Bona *d. lib. 1. Rer. Liturg. cap. 9 num. 9.* apud Orientales Christianos fuerint supra quinquagintæ Liturgiæ, partim communes, partim propriæ singularum gentium, quæ difformes erant in Ritibus concernentibus preces & orationes Sacrificii; etsi concordarent in materia & forma ejusdem. Hinc
15 Græci, qui quondam per Orientem longè latéque dominati sunt, in primis utebantur Liturgia S. Jacobi, deinde illa, quam S. Basilius Magnus composuit; quia Missam à S. Jacobo editam, fidei fervore deficiente, homines terrenis negotiis immersi, nimiæ prolixitatis accusabant; teste Procco *in Opusc. de Traditione Divinæ Missæ* relato ab eodem Eminent. Card. Bona *d. lib. 1. cap. 9. num. 1.* Basiliana Liturgia adhuc utuntur Græci in Dominicis Quadragesimæ, (illa Palmarum excepta) in feria quinta Cœnæ Domini, in Sabbato Sancto, in Vigilia Nativitatis Christi, & Epiphaniæ, ac in die festo ipsius Sancti Basilii; reliquo autem anni tempore utuntur Liturgia, & Ritu S. Joannis Chrysostomi, qui in pluribus illam S. Basilii abbreviavit; ut ait idem Proclus ejus discipulus apud eundem Card. Bonam *d. cap. 9. num. 3.* Iisdem Græcorum ritibus utuntur
16 Moscovitæ, ac Tartari Christiani circa Tauricam Chersonesum, Circassi. & Ponticæ nationes; nec non adjacentes Provinciæ Servia, Mysia, Bosnia, Bulgaria, Russia minor, Regi Poloniæ subjecta, Volhinia, Podolia, aliæque finitimæ regiones; quod intelligendum est de Christianis Ritum Græcum in Divinis Officiis sequentibus; negari enim non potest, inter easdem nationes plures quoque esse Christi fideles Romanum Ritum profitentes, ut mihi testatus est, decem ab hinc circiter annis, Reverendissimus Petrus Bogdanus Archiepiscopus Scuporum in Servia, (qui hospitatus est per annum in hoc
17 Episcopio Patavino, dum fugisset Turcarum persecutionem, in Viennam bellum inferentium) Prælatus quidem eximiæ pietatis, & Ritu Romano devotè celebrans. Eodem Ritu Græco utuntur Colchi, & Iberi, inter Mare Caspium & Pontum Euxinum siti,
18 nunc Mengrellenses & Georgiani dicti, nec non Melchitæ. Porrò Armeni habent proprium Ritum, quemadmodum Nestoriani ac Jacobitæ per Syriam, Assyriam, Persidem & Indiam, aliásque finitimas Asiæ regiones disseminati, qui omnes utuntur propriis Liturgiis, sermone Chaldaico, non multùm à Græcis discrepantibus. Copti verò suam Liturgiam
19 in lingua Coptica servant. Æthyopes seu Abassini aliam in lingua Æthyopica. Maronitæ tandem, Libani montis juga, & vicinas planities incolentes, tanquam Christiani Catholici, & sub obedientia Romanæ Ecclesiæ viventes, quamvis Arabicè loquantur, sacras tamen functiones peragunt lingua Chaldaica seu Syriaca; & habent peculiarem Liturgiam, eámque prolixam.; quam manuscriptam, & in Latinum conversam vidisse in Maronitarum Romano Collegio affirmat idem Eminent. Card. Bona *d. lib. 1. cap. 9. num. 8.* ubi prudenter observat, quòd licèt tot & tantæ Liturgiæ diversarum gentium differant in singularum partium collocatione, & in verbis, quibus orationes concipiuntur, concordant tamen in partibus principalibus, videlicet in peccatorum ante omnia confessionem, in introitu, in lectione Sacræ Scripturæ, & potissimùm Evangelii in recitatione Symboli, lotione manuum, in invocatione Sanctorum, in precibus pro vivis, & defunctis, gratiarum actione & benedictione; præter ea, quæ, ùt diximus, essentialia sunt, videlicet oblationem, consecrationem, & communionem. 20

Ex his omnibus manifestè apparet Spiritum Sanctum adstitisse jugiter Ecclesiæ Catholicæ, etsi ex tot & tantis barbaris nationibus coadunatæ; cujus influxu non dissimili modo, quamvis difformi idiomate, ac cæremoniis Sacrosanctum Missæ Sacrificium fuit semper celebratum. Cæterùm tantam varietatem Rituum, & Liturgiarum ad uniformitatem revigere impediverunt hæreses & schismata, quæ deinde Orientalem Ecclesiam dilacerarunt, & ab obedientia Romani Pontificis, & Universalis Christi Vicarii retraxerunt; paucis exceptis nationibus, de quibus dictum est suprà; quarum curam gerit Ecclesia Romana, & tanquam benigna Mater ad eas mittit Doctores, & Pastores; imò pro earundem distantium Ecclesiarum regimine à Gregorio XV. instituta fuit Congregatio de Propaganda Fide, de qua Emin. Card. de Luca *in Opusculo*, cujus titulus *Il Cardinale*, cujus Congregationis præcipuum munus est, ut in iisdem Orientalibus nationibus Sacri Ritus tum in administratione Sacramentorum, tum in celebratione Sacrosancti Missæ Sacrificii serventur. Pignatell. *tom. 6. Consult. 41. à num. 65. & seqq. & tom. 8. Consult. 42. à num. 26.* 21 22 23

In Ecclesia autem Occidentali res non ita se habet; quandoquidem, etsi per aliqua sæcula fuerint varii Ritus Sacri, variæque Liturgiæ pro celebratione Missæ; tamen non longè post redacti fuerunt ad uniformitatem, quæ hodie viget ubique. Sciendum est igitur, quòd in Ecclesia Latina, sive Occidentali, cursu sexdecim sæculorum, 24
quatuor Liturgiæ pro Missa inter se diversæ quoad orationes, preces, & cæremonias (non autem, quoad essentiam Sacrificii) à Scriptoribus Ecclesiasticis tum antiquis, tum modernis referuntur, videlicet Liturgia Romana, Mozarabica, Gallicana, & Ambrosiana; de quibus breviter hîc agendum venit. Romanæ Liturgiæ triplex veluti ordo, seu status est notandus. Unus primigenius 25
ab Ecclesiæ nascentis exordio, compositus à Beato Petro Apostolo, quo usa est Ecclesia Romana, nonnullis precibus adjectis per Romanos Pontifices D. Petri Successores, ùt notat Wafridus Abb. *lib. de Rebus Ecclesiast. cap. 22.* Isidor. *lib. 1. de Eccles. Offic. cap. 15.* & Gavant. *in Rubr. Missal. part. 2. cap. 15.* usque ad tempora Gelasii Papæ Primi. Alter dictus fuit *Ordo Gelasianus*, quia idem Papa Gelasius anno 494. reformavit, & in elegan-

elegantiorem formam reduxit omnes Ritus sacros, & Liturgiam, quibus Missa, & Divina officia celebrabantur. Tertius postea appellatus fuit *Gregorianus*, nam à S. Gregorio Papa *anno* 600. Liturgia ipsa fuit reformata, ipse enim Sanctus Pontifex, ut scribit Joannes Diaconus in ejus vita; ex Ritu Gelasiano *multa subtraxit, pauca convertit, & nonnulla adjecit*; sicque firmavit ordinem Romanum pro Divinis Officiis, ac Sacrificio Missæ, & hic ordo est Ritus Romanus, quo usque in præsentem diem nos utimur. Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. d. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 5. & Joannes Mabyllon *de Liturgia Gallic. lib.* 1. *c.* 2. *num.* 4. & 5. & *cap.* 4. *num.* 3. ubi advertit, quòd Romanus Canon ante S. Gregorium idem erat, qualis est modò usitatus, pauculis verbis exceptis; qualia sunt illa, *Diesque nostros in tua pace disponas &c.* quod notat etiam Emin. Card. Baronius *anno* 604. *num.* 23.

Mozarabica Liturgia, quæ etiam Gothica dicebatur, illa erat, quâ utebantur Hispani sæculo quinto in celebranda Missa, & Divinis Officiis peragendis,
26 & dicebatur *Gothica*, quia originem habuit eo tempore, quo Reges Gothi Hispaniis dominabantur; & *Mozarabica*, quia cùm Arabes Hispaniam penes omnem occupassent, Christiani *Mixtarabes*, & corrupto vocabulo *Mozarabes*, id est mixti cum Arabibus dicti sunt; ut scribit idem Eminent. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 1. ubi aliam etymologiam notat.
27 De auctore hujus Liturgiæ *Mozarabicæ* non concordant scribentes; alii enim philosophantur, fuisse S. Isidorum Hispalensem, alii S. Leandrum, alii S. Idelfonsum, alii alios Sanctos Episcopos, & Abbates Hispanos. Illud est certum, quòd licèt hoc officium à viris Sanctis & Orthodoxis compositum fuerit, Hispania tamen ab infidelibus devastata, deforme satis evaserat, & erroribus scatebat; quare eo derelicto introductus fuit ordo, & Ritus Romanus tempore
28 Gregorii Papæ Septimi, ut mox dicemus, & testantur Emin. Card. Baronius *anno* 633. Card. Bona *d. cap.* 11. *num.* 1. & 2. & Joan. Mabyllon. *d. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. ubi compendiosè refert Liturgiam, & Ritum Missæ *Mozarabicæ*, qui consistebat quidem in Confessione, in Introitu, in Epistola, Evangelio &
29 Præfatione ante Canonem, sed quamplurimis Psalmis, & orationibus interpositis. In Canone autem præter invocationem plurium Sanctorum, duo sunt observatione digna; Unum, quòd in Consecratione Hostiæ Verba formæ erant, *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, Alterum, quòd elevabatur Hostia, non autem Calix; & deindè recitato Symbolo Apostolorum frangebatur Hostia in novem partes; quæ ponebantur in patena in forma crucis cum suis expressis nominibus, ùt videri plenius potest in Icone apud Emin. Card. Bonam *d. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 4.

Gallicana Liturgia in pluribus similis erat *Mozarabicæ*;
30 ut post longam disquisitionem concludunt Emin. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 12. & Joan. Mabyllon. de Liturg. Gallicana *d. lib.* 1 *cap.* 4. qui disputant, quænam ex dictis Liturgiis sit antiquior? & in certa est sententia, deficientibus certis, & præcisis auctoribus, qui earundem originem registraverint; adeò ut hujusce modi notitia è ruderibus antiquitatis, veluti à tumulo nisi per conjecturas possit erui, & ad lucem revocari. Sed quidquid sit de earum origine, quàm satis probabile est incœpisse ab initio receptæ fidei, ut ait *Hilduinus*, qui floruit *anno* 830. *in sua Epistola* Areopagiticis præfixa; duæ sunt notandæ differentiæ,
31 inter Liturgiam Gallicanam, & inter Liturgiam Romanam, & Mozarabicam. Una erat, quòd in Gallicana legebantur duæ Epistolæ; prima ex Prophetis, secunda ex Apostolis. Altera, quòd in oratione Sanctorum Martyrum passiones, Sanctorumque Pontificum, & Confessorum gesta strictim referebantur, ut pluribus ex observationibus deducunt Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 4. & *capit.* 5. à Mabyllon. *d. libr.* 1. *capit.* 4. & 5. apud quos Missæ juxta antiquum ordinem Gallicanum exemplaria extenduntur; & singulæ partes ipsius Missæ, examinantur, & ad invicem conferuntur; quos antiquorum Rituum studiosos legisse non pigebit.

Ambrosianam tandem Liturgiam plures volunt institutam à S. Barnaba Apostolo, auctam postea à 32
S. Miroclete, & illustratam à S. Ambrosio; ideoque post ejus obitum Ambrosianam esse appellatam, ut ex *Josepho Vicecomite* Ambrosiani Collegii Doctore, qui de Ritibus Mediolanensis Ecclesiæ multa scripsit, notat Eminent. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 10. & ante eum, Walfridus Strabus *in cap.* 22. & novissimè Joan. Mabyllon de Liturgia Gallicana *d. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 7.

Hic Auctor summatim refert ordinem Missæ Ambrosianæ his verbis: »Liturgia Ambrosiana, seu 33
» Mediolanensis plures habet partes. Præmittitur
» Oratio secreta, antequam Sacerdos procedat ad
» Altare; itemque alia, cùm ad illud accedit. De-
» indè post *Ingressam*, quæ *Introitui* nostro respon-
» det, sequitur populi salutatio cum oratione super
» populum. Rursus alia salutatio, tum Hymnus
» Angelicus, postea Kyrie eleyson, & præmissa
» Salutatione lectio Prophetæ, & Psalmus, quale est
» nostrum *Graduale*. Subsequitur cum Salutatione
» Lectio Epistolæ; deinde *Allelaja* cum suo versu; tum
» alia Antiphona, mox Evangelium præmissa bene-
» dictione. Finito Evangelio rursus salutatio, tum
» *Kyrie eleyson*, item salutatio, tum Antiphona post
» Evangelium, quam nos *Offertorium* vocamus.
» Post hæc Pax & Salutatio; Oratio super Sindonem,
» seu corporale, ut loquimur, Oblatio panis &
» vini, Orationes secretæ, & *offerenda*: tum præ-
» via salutatione Symbolum, rursus salutatio, &
» oratio super oblata; deinde Præfatio, Trisagion,
» Canon Romano perquàm similis, nisi quòd lotis
» manibus Sacerdos verba consecrationis sic effert:
» *Hoc est enim Corpus meum, quod pro multis con-*
» *fringetur.* Et *Hic est Sanguis meus*; nec plura. Post
» canonem Hostiæ confractio, & commixtio in Ca-
» lice, dum interim canitur, *Confractorium*, sive
» Antiphona ad Confractionem. Deinde Oratio
» Dominica, Pacis nunciatio, Communio, post-
» modum Orationes post Communionem: qui-
» bus dictis Communio præbetur adstantibus his
» verbis: *Corpus Christi*, & respondetur: *Amen*,
» Sub hæc Antiphona *Transitorium* dicta; post-
» ea Salutatio, & Oratio post Communionem.
» Iterum Salutatio, *Kyrie eleyson*, Benedictio populi,
» ejusdemque dimissio his verbis: *Procedamus in*
» *pace.* Respondetur *In nomine Christi.* Hucusque
Mabyllon, cujus verba volui transcribere, ut ex his non sit difficile legentibus comprehendere formam, & Ritum Missæ Ambrosianæ, & videre in quibus concordet, & differat à nostro Ritu Romano.

Quoad Tertium. Si quærimus quando, & à quibus Sacri Ritus redacti sint ad unitatem, & uni- 34
formitatem in Ecclesia Latina? Facilis est responsio; siquidem tam Historiographi, quàm Scriptores Ecclesiastici testantur, cùm in Germania fides Christi esset dilatata; cùmque S. Bonifacius fundato Moguntino Episcopatu Evangelium plurimùm propagâsset, Romanum etiam Ritum ibidem ipsum

constituisse, de qua re extant Litteræ Gregorii Secundi, qui Ecclesiam gubernabat *anno* 715. ad eundem Bonifacium teste Emin. Cardin. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 3.

Eodem sæculo octavo, imperante Carolo Magno, veteribus Ritibus in Gallicana Ecclesia abrogatis,
35 Romanam Liturgiam fuisse ibi introductam, pluribus Auctoribus, & testimoniis allegatis, demonstrat idem Eminent. Card. Bona *d. lib.* 1. *Rer. Liturgicar. cap.* 12. *n.* 1. cui concordat Joan. Mabyllon *de Liturg. Gallic. d. libr.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. ubi refert verba Hadriani Papæ ad eundem Carolum Magnum in Epistola, qua ad eum misit Sacramentarium S. Gregorii Papæ; subdens prædictus Auctor: *Inde postmodum Carolus edicto sancivit, ut unusquisque Presbyter Missam celebraret Ordine Romano, ut legitur in Capitularium lib.* 5. *cap.* 371. *novæ editionis, alias* 219. *& ab eo tempore quotquot scripti sunt in Gallia Missales (quos vocant) libri; ad illum Gregorianum Codicem exacti sunt ferè omnes.* Hinc patent eximia merita Gallicanæ Nationis apud Romanam Sedem, quam Reges Christianissimi semper summo obsequio venerati, ac tutati sunt, & ejus mandatis se obedientes præbuerunt.

Mozarabicam verò Liturgiam multò tardiùs mutata fuit in Romanam, videlicet sæculo undecimo,
36 opera, & studio Gregorii Septimi Summi Pontificis, qui litteris suis ad hanc mutationem faciendam, hortatus est Alfonsum Castellæ, & Sancium Aragoniæ Reges, nec non Episcopos in eorum ditione constitutos, qui cognita relevantia uniformitatis in Liturgia, ac Sacris Ritibus cum Ecclesia Romana, explosa ordine *Mozarabico*, amplexati sunt Ritum Romanum, quod pariter factum fuit in Catalonia, & in Regno Navarræ circa annum millesimum octuagesimum, ut narrat Petrus de Marca *de Histor. Bearnii lib.* 2. *cap.* 9. Eminent. Card. Bona *d. libr.* 1. *capit.* 11. *num.* 2. Et Joan. Mabyllon, *d. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. Illud tamen subdit Eminent. Card. Bona *ubi supra num.* 3. in Sacello majoris Ecclesiæ Toletanæ adhuc *Ritum Mozarabicum* servari; quia ægrè homines divelluntur à consuetudinibus,
37 quas à majoribus receperunt. Apud Hybernos tandem sæculo XII. Ritus Romanus introductus fuit, ut testatur Mabyllon *d. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 14. *oper. S. Malachiæ Episcopi.*

Ritus autem Ambrosianus Mediolani permansit usque in præsentem diem, etsi ibi plures sint Eccle-
38 siæ, in quibus more Romano Sacrum peragitur. De hoc ordine Missæ Ambrosianæ disserit plenè Eminent. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 2. ubi inter cætera *sub num.* 3. notat, quòd Ambrosiani nunquam dicunt *Agnus Dei*, nisi in Missa pro defunctis; & per totam Quadragesimam nullam habent
39 Missam pro feria sexta, nec celebrant ea die; idque omninò prohibuit S. Carolus in tertia Synodo Diœcesana *Decret.* 20. etiam funeris, vel exequiarum, sive alterius cujusvè rei occasione, & in *Synodo XI.* reddit rationem hanc, quòd illa dies plena mœroris sit ob acerbissimam Christi passionem; Sacrificium verò præferat spiritualem populi lætitiam. His addere possumus, quæ notantur à Bisso *in Hierurgia Sacra verb. Ambrosiani*; videlicet, quòd hi induunt Albam ante amictum, dicunt Missam longiorem, quàm Romani, & incipiunt Adventum à Dominica illa, quæ statim sequitur post festum S. Martini, quare illorum Adventus habet sex hebdomadas; sexta tamen hebdomada non est semper integra. Novissimè de Ritu Ambrosiano disserit Carolus Septala Episc. Torton. *in lib. de Missæ Mysteriis, ac Sensib. Mystic. per totum.*

Quoad Quartum. Necessitas autem, ac Utilitas hujuscemodi uniformitatis Sacrorum Rituum resul- 40
tat ex sequentibus motivis. *Primò* ad servandam unitatem fidei; cujus respectu necessaria est identitas, & uniformitas Sacrorum Rituum in Divino Sacrificio, quod est præcipuum opus ejusdem fidei, peragendo: siquidem si ubique Sacri Ritus essent diversi, non posset Sacerdos Italus in Gallia, aut in Germania, nec Germanus, aut Gallus in Italia sacris operari; & sic tolleretur communicatio Ecclesiarum, quæ hoc vinculo nectuntur, ut piè considerat Eminent. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. *propè finem.* Et scripsit Layman *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 2. *&* 3. Hinc dicimus in Missa *Kyrie eleison* Græcè, & etiam Hebraicæ *Amen*, *Alleluja*, *Sabbaoth*, *& Osanna* ad ostendendum, unam esse Ecclesiam, quæ ex Hebræis, & Græcis primùm, deindè ex Latinis coadunata est, quod observat idem Emin. Card. Bona *lib.* 2. *cap.* 4. *sub num.* 1. *Secundò* ad servandam gravitatem Ecclesiasticam, & decorem sacrarum functionum necessaria est uniformitas Sacrorum Rituum, quandoquidem si unicuique licitum foret mutare Ritus sacros, & alios ad beneplacitum introducere, multa prorsùs insulsa, imò indigna inferrentur, ut transactis sæculis occurrisse constat, nam in multis Missalibus, & Codicibus antiquis adhuc extant Officia, Missæ, Hymni, Orationes, quæ sinè risu, vel potiùs indignatione legi non possunt. Eminent. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 3. *& cap.* 7. *num.* 6. Quod ego quoque observavi in Rituali manuscripto, ante quingentos circiter ab hinc annos compositio, pro Ritibus Missarum, & Divinorum officiorum hujus Ecclesiæ Cathedralis Patavinæ, quod servatur in Archivio Illustrissimi Capituli, in quo multæ cæremoniæ præscribuntur, quæ quidem satis leves erant, & ridiculæ, præcipuè in solemnioribus festivitatibus, & nimiùm derogant majestati sacrarum functionum. *Tertiò* ad impediendas dissensiones, & scandala, quæ ex diversitate Rituum ac cæremoniarum fomenta hauriebant. Hinc in Concilio *Epaunensi Anno* 509. *cap.* 27. & in *Gerundensi anno* 517. *cap.* 1. statutum fuit, ut idem Missæ ordo in universa Provincia servaretur, quem Ecclesia Metropolitana servabat. Anno autem 563. *Concil. Bracarense I. cap.* 22. constituit, ut eodem ordine Missæ celebrarentur ab omnibus, quem profuturus ejus Ecclesiæ Archiepiscopus à Sede Apostolica susceperat, equidem ad evitanda dissidia, & altercationes, ut observat Joann. Mabyllon *de Liturgia Gallic. d. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 11. Et Emin. Card. Baron. *anno* 633. *Quartò* ad tollendos errores, quos vel hæreticorum astutia, vel Presbyterorum ignorantia in Sacris Ritibus potest inferre. Sectariorum enim semper hoc proprium fuit, ut cùm à fide deficerent, libros quoque Rituales, vel suis erroribus inficerent, vel privata auctoritate immutarent, teste D. Augustino *Epist.* 18. ubi loquitur de Donatistis, & Leontio Bizantino *lib.* 3. *adversus Nestorium*, de quo ita scribit: *Aliam Missam effutivit, præter illam, quæ à Patribus tradita est Ecclesiis, in qua blasphemiis, non precationibus Eucharistiæ Mysterium opplevit* Quod cunctis sæculis Misoliturgi, id est inimici Sacrificii Missæ, fecerunt, quorum plura exempla refert idem Emin. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 2. Sed & ignorantia Presbyterorum potest esse errorum causa, si Ritus veteres in

Missa

Missa immutandi illis facultas esset ; quod comprobatur ex Præfationibus , quas Galliarum Episcopi emendandas miserunt Pelagio Papæ Secundo , *anno* 590. tanquam à privatis Sacerdotibus ob vilem mercedem compositas , ut refert Illustrissimus , ac Reverendissimus Dominus Marcus Baptaglinus *Nucerinus Antistes* in sua eruditissima Historia *Universorum Conciliorum anno Christi* 590. *ad Concil. Romanum.* Ex his igitur facilè conspicitur , quanta sit necessitas servandi uniformitatem Sacrorum Rituum in Ecclesia Catholica ad tollendos errores , & abusus , quos impossibile est evitare in eorum discrepantia , ut non absque lachrymis intuemur in Ecclesiis Orientalibus , & idcircò Summi Pontifices Romani , & Oecumenica Concilia semper insudarunt , ut uniformes essent Liturgiæ , ac Ritus Sacri in omni Regno Christiano , ob eximias utilitates ex eadem uniformitate resultantes ad tutamen fidei , & charitatis inter fideles manutentionem.

Quoad quintum. Nefas esset dubitare , an in Ecclesia sit potestas decernendi Sacros Ritus , & eorum uniformem observantiam imperandi. Hæc enim comprobatur , tum ex Apostolorum exemplo , à quibus traditi sunt Ritus , & Liturgiæ pro incruento Missæ Sacrificio , quod nemo inficiari audebit , ùt ait Emin. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 1. tum ex continuis præceptis , & Decretis pro Concilia , ac Summos Pontifices pro observantia Sacrorum Rituum in omni sæculo promulgatis , de quibus copiosè disputat Eminent. Card. Bellarminus *de Sacramentis in genere lib.* 2. *cap.* 31. tum etiam ex naturali ratione , quæ nos docet , ad excitandam pietatem in cordibus fidelium erga Divinum cultum , & ad servandam reverentiam debitam rebus sacris , opus esse Cæremoniis & Ritibus ; sinè quibus Religio evanesceret ; has autem cæremonias , & Ritus Ecclesia ipsa debet ordinare & instruere , ad quam spectat custodire Religionem , & ea , quæ ad cultum divinum attinent , disponere , ut plurimorum SS. Patrum dictis probat idem Emin. Card. Bellarm. *d lib.* 2. *cap.* 31. & novissimè Gaspar. Ivenin. *in Commentar. Historic. & Dogmatico de Sacramentis Dissert.* 1. *quæst.* 8. *cap.* 3. & Eminent. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 7. ubi subdit hæc verba : *Olim in Concilio Milevitano , seu potius Carthaginensi , ut citatur in codice Ecclesiæ Africanæ cap.* 103. *sancitum fuit , ne quid publicè in Ecclesia recitaretur , nisi prius in Synodo approbatum foret.* Quod clariùs expressit Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 5. docens Sacros Ritus , & Cæremonias ex Apostolica traditione in Sacrificio Missæ semper Ecclesiam adhibuisse ad commendandam tanti Mysterii Majestatem , & ut *mentes fidelium , per hæc visibilia Religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum , quæ in hoc Sacrificio latent , contemplationem excitarentur.* Idcircò idem Trid. Concil. in decreto *de observand. & evitand. in celebratione Miss. ead. sess.* 22. strictè injunxit Episcopis , cavere , ne Sacerdotes *Ritus alios , aut alias Cæremonias , & preces in Missarum celebratione adhibeant ; præter eas , quæ ab Ecclesia probatæ , ac frequenti , & laudabili usu receptæ fuerint.*

41

42 Hinc Ecclesia Romana , tanquam aliarum omnium Mater , & Magistra , edidit tres libros , in quibus Sacri Ritus pro Missa , pro Sacramentis administrandis , & pro Divinis Officiis peragendis continentur ; videlicet Rubricas Missalis , Rituale Romanum , & Cæremoniale Episcoporum ; quorum quilibet habet vim legis , & obligat servare Ritus , & Cæremo-

43 nias in iisdem præscriptas sub culpa mortali ; ut tradunt Gratian. *Discept. forens. cap.* 112. *num.* 7. Loterius *lib.* 1. *quæst.* 16. *num.* 123. Sperellus *decis.* 179. *num.* 23. Rota Romana *part.* 4. *recent. decis.* 647. *tom.* 3. *& part.* 17. *decis.* 87. *num.* 23.

Et quoniam frequentes sunt casus , in quibus dubia emergunt tangentia Ritus , & Cæremonias Sacras ; ideo jure optimo à Summo Pontifice Sixto V. 44 instituta est Romæ Sacra Rituum Congregatio , in qua summa sapientia & prudentia decidunturcontroversiæ , tangentes Ritus Sacros , & examinantur Officia , quæ particulares Ecclesiæ sibi concedi petunt , de cujus Congregationis auctoritate tractat Cotonius *Controvers. Celebr. libr.* 3. *Controv.* 8. *à num.* 44. *& seqq.* Et Eminent. Card. de Luca *in suo Libello inscripto* : Il Cardinale *cap.* 29. Ejusdemque decreta plurima , servanda in celebratione Missarum , cumulavit Sperellus *in fine Parenesis Teleturgicæ* ab omni Neomista necessariò legenda.

Corollarii loco aliquis me interpellabit , qua de 45 causa Regulares Carmelitæ , Dominicani , & alii discordent , dum celebrant , à Ritu Romano in principio Missæ , & in quibusdam aliis cæremoniis intra & extra Canonem , ùt quotidie videmus ? Pro Responsione afferam verba Eminent. Card. Bonæ *lib.* 1. *Rer. Liturgic. cap.* 7. *num.* 6. quæ sunt : *Ordines autem Religiosi illum Ritum ab initio susceperunt , qui vigebat in ea Provincia , in qua prima Ordinis cujusque fundamenta jacta sunt. Successu verò temporis , tam generalia Comitia , quàm Supremi Ordinum Moderatores potestatem sibi arrogaruut , plura mutandi , & innovandi , quod manifestum cuique erit , si antiqua & nova , & medii temporis Ritualia inter se conferre voluerit.*

Quòd si Lector insistat , quare Regulares ipsi non se conforment in omnibus , & per omnia sacris Riti- 46 bus in Missali Romano statutis ; cum Bulla S. Pii Quinti *Incipien. Quo primum tempore : anno* 1570. *Pridie Idus Julii.* Eidem Missali præposita ; asseveret , Quòd *Unum in Ecclesia Dei psallendi modum ; unum Missæ celebrandæ ritum esse maximè deceat ?* Respondeo , eosdem Regulares non fuisse in eadem Bulla obligatos , sed exceptos , attenta eorum consuetudine supra ducentos annos celebrandi cum aliquo particulari Ritu , ut denotant illa ejusdem Bullæ Pianæ Verba : *Nisi ab ipsa prima institutione à Sede Apostolica approbata , vel consuetudine , quæ , vel ipsa Iustitutio super ducentos annos Missarum celebrandarum in eisdem Ecclesiis assiduè observata sit , à quibus , ut præfatam celebrandi constitutionem , vel consuetudinem nequaquam auferimus , sic si Missale hoc , quod nunc in lucem edi curavimus , iisdem magis placeret , de Episcopi , vel Prælati , Capitulique universi , juxta illud Missas celebrare possint , permittimus.* Equidem digni commendatione forent , si etiam prædicti in omnibus Ritum Romanum in celebratione Missæ amplecterentur , prout illum amplexati sunt tot Illustrissimi Ordines tum Monachorum , tum Mendicantium. De hac re scribens , erudito quidem calamo , P. Marcellus de Cavaleriis Ordinis Prædicatorum *in Statera Sacra tit.* 2. *Præliminar. num.* 48. *in fine* , ait , quòd in Comitiis generalibus sui Ordinis , *licèt de assumendo Missali Romano pluries sermo fuerit , prævaluit super votum renuentium dimittere morem Patrum suorum.* Quis autem sit mos tum eorum Patrum , tum Carmelitarum , & Carthusiensium , discat Lector ex sequentibus.

Patres Ordinis Prædicatorum , qui appellantur Dominicani à Sancto Dominico eorum Patriarcha ,

per quem eorum Ordo fundatus fuit anno 1216. ut dixi *de Eucharistia Decis.* 10. *num.* 6. quamvis in essen-
47 tialibus, & præcipuè in Epistolis, Evangeliis, atque in Canone concordent, dum celebrant, cum Romano Ritu; has, quæ sequuntur, differentias ab eodem retinent, tanquam antiquissimas, & sibi permissas à Bulla prædicta Sancti Pii Quinti, utpotè supra ducentos annos præscriptas, & ab eis usitatas.

Primò: Acceptis Sacerdotalibus indumentis in Sacristia cum solitis Orationibus, quas recitant etiam Presbyteri sæculares, accedunt ad Altare, & ibi statim ponunt vinum in Calice, cum parva aqua; illam benedicentes his verbis: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Et cooperto Calice cum velo in medio Altari, & aperto Missali in cornu Epistolæ, accedunt ad medium ejusdem Altaris, ubi ambabus manibus caput discooperiunt, & secretò orantes dicunt: *Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, &c.*

Secundò: Descendunt ad primum gradum Altaris, signant se secretò signo Crucis, deindè altâ voce dicunt: *Confitemini Domino, quoniam bonus. Resp. Quoniam in sæculum misericordia ejus.* Postea inclinati subdunt statim: *Confiteor Deo, & Beatæ Mariæ semper Virgini, & Beato Dominico Patri nostro, & omnibus Sanctis, & vobis fratres: quia peccavi nimis, cogitatione, locutione, opere, & omissione: mea culpa. Precor vos orare pro me.* Responsoque à Ministris *Misereatur tui, & Confiteor*; celebrantes dicunt: *Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, salvet & confirmet in omni opere bono, & perducat ad vitam æternam.* Resp. *Amen. Absolutionem & remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus.* Resp. *Amen. Adjutorium nostrum in nomine Domini.* Resp. *Qui fecit cœlum & terram.* Postea appropiant ad Altare, ubi inclinati dicunt: *Auser à nobis Domine cunctas iniquitates nostras, &c.* omittunt autem illam Orationem: *Oramus te Domine, &c.* & osculato Altare signant se signo Crucis, dicentes altâ voce: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Et incipiunt *Introitum Missæ*, quem vocant *Officium*; concordant autem ipsâ Officia, seu Introitus cum nostris, prout faciunt Epistolæ, & Evangelia totius anni ad præscriptum Bullæ Pauli Papæ Quinti *diei* 20. *Januarii Anni* 1608. de qua infra.

Tertiò: Ipsi Patres Prædicatores habent plures sequentias post Epistolam, quàm Presbyteri sæculares. Nos enim habemus quatuor sequentias tantùm, scilicet, in Die Resurrectionis Domini, Pentecostes, in festo Corporis Christi, & in Missa Defunctorum. At prædicti Patres, præter prædictas, habent alias viginti octo sequentias in suo Missali; & sunt: 1. In tertia Missa Natalis Domini, quam repetunt in festo S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ, in Epiphaniæ, & Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis. 2. In festo Ascensionis Domini. 3. In festo Pentecostes longiorem nostra, & eam recitant ipso die Pentecostes; nostram verò duabus sequentibus feriis, & in Missa votiva de Spiritu Sancto. 4. In festo Sanctissimæ Trinitatis. 5. In dedicatione Ecclesiæ. 6. In festo S. Raymundi Confessoris. 7. In festo S. Vincentii Martyris. 8. In festo Annunciationis Deiparæ. 9. In festo S. Vincentii Ferrerii. 10. In festo S. Catharinæ Senensis. 11. In festo S. Antonini. 12. In festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ. 13. In festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli. 14. In Visitatione Beatæ MARIÆ Virginis. 15. In festo S. Mariæ Magdalene. 16. In festo S. Dominici. 17. In festo Assumptionis ejusdem Deiparæ. 18. In festo S. Hyacinthi. 19. In festo B. Rosæ Limanæ. 20. In festivitate S. Augustini. 21. In festo Nativitatis Beatæ MARIÆ Virginis. 22. In solemnitate S. Michaelis Archangeli. 23. In illa Sanctissimi Rosarii. 24. In illa omnium Sanctorum. 25. In festo S. Catharinæ V. & M. 26. In Missa S. Pii Quinti. 27. In illa S. Gundislavi Confessoris. 28. In festo omnium Sanctorum Ordinis Prædicatorum. Quòd si quis quærat: à quibus Auctoribus emanarint prædictæ Sequentiæ? Respondetur, quòd illa Paschæ, scilicet *Victimæ Paschali*, fertur composita à Notgero Abbate S. Galli in Theutonia; altera solemnitatis Pentecostes *Veni Sancte Spiritus*, à Roberto Galliarum Rege. Tertia pro festo Corporis Christi *Lauda Sion Salvatorem* à S. Thoma Aquinate. Quam illustravit eruditissimo Commentario Carolus Bouquin anno 1677. cujus titulus est: *Solis Aquinatis Splendores.* Quarta pro Missis Defunctorum *Dies iræ, dies illa*, à Fr. Latino Cardinali Ursino Ord. Prædicatorum; quamvis alii opinentur, eam à S. Gregorio Magno, vel à D. Bernardo, aut ab aliis piis viris esse compositam, ut differit Eminent. Card. Bona *Rerum Liturgicar. lib. 2. cap. 2. num.* 6. & ibi Cornelius Schultingus *tom. 1. part. 2. cap.* 6. & 7. *Biblioth. Eccles.* ac alii plurimi; novissimè P. Marcellus de Cavaleriis Ord. Prædic. *in Statera sacra tit. 12. num.* 192. *& seqq.* atque Corolus Septala *de Mysteriis Missæ cap.* 23. *num.* 5. advertens; Sequentiam illam, *Incipien. De profundis tenebrarum*, quam recitant *Augustiniani*, *ac Dominicani* in festo S. Augustini Episcopi, & Doctoris, factam fuisse ab eodem S. Thoma Aquinate. Nuper Ordo Prædicatorum restrinxit supradictas Sequentias ad sex tantùm, ut in eorum Missali novissimo, non absque spe amplexandi in omnibus Ritum Romanum. Prædictis addere convenit novissimam sequentiam *Stabat Mater dolorosa*, quam in Missa de septem doloribus Reginæ Cœli, nuper Sedes Apostolica pro omnibus illam celebrantibus approbavit, & apposuit.

Quartò: iidem PP. Dominicani ante Evangelium non dicunt *Munda cor meum.* Sed per celebrantem delato Missali in cornu Evangelii dicunt secretò, *Dominus sit in corde meo, & in labiis meis ad pronunciandum Sanctum Evangelium pacis.* Deinde pollice dextræ manus impresso signo Crucis Evangelio, fronti suæ, ori ac pectori, majori Crucis signo manu se signant à fronte ad pectus; & sic totum Evangelium legunt; quo finito, iterum manu se signant, & parvum Crucis signum iterum imprimunt Evangelio, illudque osculantur, dicentes: *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta.*

Quintò: post recitatum *Credo*, & *Offertorium*, Calicem discooperiunt dicentes: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem Salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Subindè elevantes usque ad suum pectus Calicem cum Patena faciunt eodem contextu oblationem utriusque, his verbis: *Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam Passionis Domini nostri Jesu Christi: & præsta, ut in conspectu tuo tibi placens ascendat; & meam, & omnium fidelium salutem*

opere-

operetur æternam. Et depositò Calice, atque Hostia ad ejus pedem super corporali, vadunt ad lavandas manus, dicentes: *Lavabo &c.* Sed tantùm usque ad illa verba: *Et locum habitationis gloriæ tuæ*; recitant in medio Altaris: *In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur Domine à te, & sic fiat Sacrificium nostrum, ut à te suscipiamur hodie, & placeat tibi Domine Deus.* Et conversi ad populum proferunt altâ voce: *Orate fratres*, secretò autem, *Ut meum, ac vestrum pariter in conspectu Domini sit acceptum Sacrificium.* Subindè secretò dicunt: *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Oremus.* Et recitant *Secretam* prout in Missali, & Præfationem. Sunt autem Præfationes omnes concordes cum Ritu Romano tam in diebus ferialibus, quàm festivis, & habent easdem *Communicantes*, quas Presbyteri sæculares.

Sextò: A principio Canonis usque ad *Pater noster*, & secretam Orationem: *Libera nos quæsumus Domine*, &c. inclusivè concordant cum Missali Romano: at discrepant in divisione Hostiæ super Calice; nam ea divisa in duas partes, ambas retinent in manu sinistra; & detracta particula ex parte dextera ejusdem Hostiæ, eam pariter tenentes in manibus dicunt: *Per omnia sæcula sæculorum, &c. Pax Domini sit semper vobiscum &c.* statim subdunt ter *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi &c.* & postea immittunt particulam illam Hostiæ in calicem, dicentes secretò: *Hæc Sacrosancta commixtio Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat mihi, & omnibus sumentibus, salus mentis & corporis, & ad vitam æternam promerendam, atque capessendam præparatio salutaris per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.* Retinent autem in sinistra manu super Calice alias duas majores partes Hostiæ; & in Missa solemni celebrantes osculantur extremum labium Calicis, & dant pacem Ministro tenenti patenam, dicentes: *Pax tibi, & Ecclesiæ Sanctæ Dei.*

Septimò: Ante Communionem dicunt illam solam Orationem: *Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, &c.* quæ est etiam in Missali Romano, quâ completâ, omisso *Domine non sum dignus*, &c. inclinato capite, dexterâ manu tenentes Calicem, de sinistra sumunt ore Sacrum Christi Corpus dicendo: *Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiant me in vitam æternam, Amen.* Mox Calicem cooperiunt, & post pusillum genuflectunt, detegunt, & dexterâ manu pedem Calicis accipientes, Sanguinem sumunt, nihil dicentes; recipiunt postea primam ablutionem Calicis ex solo vino, deinde alteram super digitis ex vino & aqua, dicentes: *Quod ore sumpsimus Domine purâ mente capiamus, ut de Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi fiat nobis remedium sempiternum, Amen.* Abstergunt autem Calicem purificatorio, & reposito velo, ac bursa sinè corporali, super illo, vadunt ad Missale in cornu Epistolæ jam à ministro delatum dicturi Communionem, & post Communionem juxta Romanum Ritum.

Cur autem Patres Dominicani communicent seipsos sinistrâ manu? plures rationes mysticas considerat Cavalerius *in d. Statera Sacra tit. 27. à num. 102. & seqq.* ubi refert, & confutat fabellam illam, quòd in pœnam faciant ob venenatam Hostiam exhibitam per Generalem Ordinis Henrico Septimo Imperatori in festo Assumptionis Deiparæ, quo die obiit. Veritas enim est, quòd Cæsar ille acutâ febri laborans vini nigri potentis cyathos quatuor bibisse fertur; unde mors contigit ipsi. Communicant autem Dominicani manu sinistrâ, quia dexteram occupatam habent ad Calicem firmum tenendum, & ad mysticè demonstrandum eorum cordialem charitatem in Deum, & ad innuendum sacrum hoc Convivium institutum esse pro præsenti mortali vita, quæ per sinistram designatur. Idem Cavalerius *d. cap 27. num. 113. & seqq.* Bozius *in Annal. ad annum* 1313. Magri *in Hierolexic. verb. Communio.* Et Odoricus Raynald, *in Annal. anno eodem* 1313.

Octavo: Pro fine Missæ in hoc differunt iidem PP. Ordinis Prædicatorum, quòd in benedictione populi post Orationem *Placeat tibi Sancta Trinitas*; dicunt: *Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti descendat super vos, & maneat semper. Amen.* Et dicto: *In principio erat Verbum*, plicant Corporale: quod ponunt in bursa, & hanc superimponunt Calici, velum ejusdem in anteriorem partem reflectendo, & cooperientes suum caput amictu ambabus manibus, revertuntur cum Calice in Sacristiam.

Carmelitæ autem in pluribus concordant cum Missali Romano; in multis autem cum Ritibus PP. Prædicatorum supradictis. A Romano Missali non 48
discedunt in toto Canone; exceptis nonnullis Orationibus brevibus ad Communionem. Similes sunt PP. Dominicanis ponendo Vinum, & Aquam in Calicem ante initium Missæ, in Missa incipienda. In omittendo *Munda cor meum.* In unica Oblatione Calicis cum Patena. Singulares sunt in recitanda *Salve Regina* post Benedictionem datam populo. Habent plures Missas proprias, nempè de S. Elia Propheta, B. Mariæ de Monte Carmelo, & Mulieribus prægnantibus, & in partu laborantibus. Alias quoque Missas festivas cum sequentiis devotis.

Carthusiani verò in Canone sunt uniformes Missali Romano, sed ab eo in pluribus discordant, & 49
præcipuè in sequentibus. 1. Non habent Sacristiam, sed de cella procedunt ad Altare, coram quo prostrati orant, deinde ibi sumunt vestes sacras, ponunt Hostiam super Patena, vinum in Calicem, & aperto Missali in cornu Epistolæ, descendunt de Altari in cornu Evangelii, & ibi faciunt Confessionem; deinde ascendunt ad medium Altaris, ubi inclinati dicunt *Pater noster, & Ave Maria*; & facto sibi signo Crucis, vadunt ad Missale, & dicunt *Introitum, Kyrie, Gloria, Dominus vobiscum, Orationes, & Epistolam.* 2. Sacerdos portat librum in cornu Evangelii, non dicit *Munda cor meum*, sed *Dominus sit in corde meo.* Ad Credo, inclinat se ad *Incarnatus est*, sed non genuflectit; quia cùm sint induti vestibus sacris Carthusiani, nunquam genuflectunt in Missa, sed tantùm se inclinant, quod notat etiam Magrius *in Hierolexic. Verb. Genuflexio.* 3. Dicto Offertorio discooperiunt Calicem, & cùm cochleari infundunt in eum unam, aut duas guttas aquæ; faciunt oblationem cum Patena, & Calice simul, dicentes: *In spiritu humilitatis, &c.* Et facto signo Crucis, deponunt Hostiam ad pedem Calicis, quem operiunt, non palla, sed animula, ut nos facimus, sed parte posteriori Corporalis ampli, ut mors erat apud antiquos, teste Magrio *in Hierolex. Verb. Calix. col. 1. & Verb. Corporale.* 4. Post Lavabo, & Orate fratres, dicunt Orationes secretas, tenentes manus expansas super Calicem, & Hostiam. Deinde Præfationem, & Sanctus, ac Canonem more Romano, non genuflecten-

flectentes ad Sacramentum, sed se tantummodò inclinantes. 5. Non dicunt *Agnus Dei* ante Communionem, sed dicta unica Oratione *Domine Jesu Christe Fili Dei vivi*, se communicant, sumentes utramque speciem; deindè bis dicunt, *Agnus Dei, qui tollis, &c.* Et plicato Corporali, ac cooperto Calice iegunt Communionem, & post Communionem, ùt in Missali Romano, Dominus vobiscum, Ite Missa est, Placeat tibi Sancta Trinitas, sed non benedicunt populum, neque dicunt Evangelium: *In principio erat verbum*, quod pariter observat Magrius *verb. Benedictio col.* 2. Sed facto sibi signo Crucis, cooperiunt Altare, exuunt, & deponunt in eo paramenta Sacra, & prostrati ad gradus Altaris orant dicentes: *Pater, & Ave*, mox ad cellam revertuntur. In Missis infra annum variant sæpe in Epistolis ac Orationibus à Missali Romano; & habent diversas Missas particulares. Duo tandem sunt singularia in Carthusiensibus. Unum, quòd non signant se manu expansâ, ùt facimus nos, sed tribus primis digitis tantùm, pollice, indice, & medio, reliquis duobus digitis contractis, in symbolum SS. Trinitatis. Magrius *in verb. Crux col. ult.* Alterum, quòd in Missa solemni non utuntur Subdiacono, sed Diacono tantùm; Epistola enim cantatur in Choro à Lectore. Idem Magrius *verb. Epistola.* Et hæc dicta sint de Liturgiis & Ritibus vetustis harum Religionum, quibus magis elucent Ritus Missalis Romani, & constat, antiquitus eundem Canonem Missæ fuisse adhibitum, quo etiam nunc nos, & ipsi utimur.

DECISIO X.

ARGUMENTUM.

Exponitur verbum *Transmutatur* positum in definitione Sacrificii; de cujus essentia demonstratur esse Transmutatio, id est interemptio, & destructio Victimæ oblatæ. Objecta non injucunda proponuntur, & resolvuntur.

SUMMARIUM.

1 *Victima est transmutanda, & destruenda in Sacrificio ad differentiam rerum oblatarum Deo, quæ remanent in suo esse.*
2 *Vita hominum esset offerenda pro Dei cultu; cujus loco offertur alia Victima in Sacrificio.*
3 *Sacrificia tam Legis Naturæ, quàm Mosayca fiebant per destructionem Victimæ.*
4 *Melchisedech an destruxerit oblatum Panem Deo?* & num. 9.
5 *Panes Primitiarum an destruerentur?* & num. 10.
6 *Hircus, oblatus in Sacrificio pro peccatis populi, dimittebatur vivus ad desertum. Et cur?* num. 9.
7 *Passer, sacrificatus pro purganda domo Leprosi, vivus remanebat. Et cur?* d. num. 9.
8 *Corpus Christi in Sacrificio Missæ non destruitur realiter, sed mysticè.* Et num. 10. & 12.
11 *Panis, & Vini substantia destruitur in Missa.*
12 *Species Sacramentales in Missa quomodo immutentur?*
13 *Sacrificii Missæ essentia in qua actione consistat?*

DIximus in definitione Sacrificii, quòd Victima debet esse res aliqua sensibilis, & permanens, quæ *consecratur Ritu Mystico*; & subinde, quæ *transmutatur*; undè cùm in præterita Decisione docuerimus, qui, & quales sint Ritus Mystici & Sacri, servandi in Sacrificio Missæ, nunc oportet, ut exponamus, quid denotet verbum illud *Transmutatur*; & 1
loquamur de Transmutatione Victimæ, quæ sacrificatur.

Pro intelligentia repetenda sunt ea, quæ diximus in Decis. III. videlicet duo esse de essentia Sacrificii considerati in se; protestationem, quam facit homo, dum sacrificat, Excellentiæ Divinæ, supremæque Potestatis Dei, à cujus nutu pendet omnis creatura, & destructionem rei oblatæ in Sacrificio, ad significandum, quòd divina Majestas potest pro libito res nostras & vitam nostram destruere. Igitur in definitione Sacrificii positum est verbum illud *Transmutatur*; tum ad differentiam simplicis Oblationis alicujus rei, factæ pro divino cultu exercendo, quæ non transmutatur, sed remanet in suo esse, ut donatio Lampadis, Calicis, ædificatio Templi, & hac de causa, non potest dici Sacrificium; tum ut evidentiùs intelligamus, requiri ad essentiam Sacrificii, ut Victima oblata mactetur, transmutetur, & destruatur, vel in totum, vel in partem, ad demonstrandum supremum Dei principatum, & dominium vitæ nostræ, & ad significandum, dignum esse Deum, in cujus honorem & cultum omnes homines propriam vitam, & quidquid possident, consument, & destruant. Sed quia regulariter id non licet, neque à Deo permittitur, offerunt homines 2
pro propriis bonis, & pro propria vita Victimam illam, id est entitatem alterius rei; illam transmutando, mactando & destruendo cum protestatione, quòd si liceret, & oporteret, eodem modo destruerent, transmutarent, & sacrificarent, quidquid possident, ac etiam propriam vitam in honorem, & cultum Dei. Ita docent Theologi post S. Thom. 2.2. *q.* 85. *art.* 1. Emin. Card. de Lugo *de Sacrament. Eucharist. disp.* 19. *sect.* 1. & Gonet. *tom.* 4. *tract.* 11. *disp.* 3. *de Religione & actibus ejus art.* 3. *num.* 11.

Hinc iidem Theologi observant, quòd omnia Sacrificia tam Legis Naturæ, quàm Legis Mosayca fiebant, non simplici Oblatione rei, seu Victimæ ad Altare Domini, neque solâ elevatione; sed perficiebantur per ipsius rei, ad victimæ destructionem; nam si 3
erat animata, ut animalia quadrupedia, vel volatilia, hæc occidebantur, & eorum carnes, vel in toto, seu in parte cremabantur; si verò res erat inanimis, tunc vel erat solida, ùt Simila, Sal, Thus, & pariter cremabatur in Sacrificio; vel erat fluida, ùt Sanguis, Vinum, Oleum, Aqua, & effundebatur, juxta præscriptum Domini, de quo *in Libro Levitici cap.* 1. & 2.

Cæterùm contra prædicta videntur obstare infrascripta argumenta.

Primò. In Sacrificio quod peregit Melchisedech 4
offerens Panem & Vinum; nulla facta fuit transmutatio, seu destructio ejusdem panis & vini oblati; ait enim textus. *Gen.* 14. 18. *At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Altissimi) benedixit ei, &c.*

Secundò: Dum offerebantur in Sacrificio Panes 5
Primitiarum, & cum eis septem Agni, nulla eorum fiebat destructio, aut transmutatio; ait enim Dominus ad Moysen in *Levit. cap.* 23. *num.* 20. de illis: *Cumque elevaverit eos Sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in usum ejus.*

Tertiò:

Tertiò: Idem dicendum venit de Hirco, qui of-
6 ferebatur pro peccatis populi; ait etiam de illo Dominus, quòd vivus dimittatur in desertum. *Tunc offerant hircum viventem, & posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël; & universa delicta, atque peccata eorum; quæ imprecans, capiti ejus, emittet illum per hominem paratum in desertum. Levit.* 16. 21.

Quartò: Simile habetur de Sacrificio pro puri-
7 ficanda domo Leprosi; in quo præceptum erat, ut inter cætera immolarentur duo passeres, unus quorum dimittebatur vivus avolare in agrum; ut legitur *Levit.* 14. 53. ibi: *Cumque dimiserit passerem avolare in agrum liberè, orabit pro Domo, & jure mundabitur.* Ergo non semper mactabatur, & transmutabatur Victima in Sacrificiis, ut ex prædictis exemplis.

Quintò: In nova lege, in celebratione Missæ
8 Christus offertur Deo in Sacrificium; & tamen cùm Corpus ejus sit gloriosum, & impassibile; non destruitur, nec immutatur; juxta illud Apostoli: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur. Ad Rom.* 6. Ergo ad Sacrificium non requiritur vera, & realis immutatio Victimæ; sed sufficit ejus Oblatio.

His tamen non obstantibus affirmandum venit, immutationem Victimæ, ejusque destructionem in sacrificio esse necessariam ad essentiam Sacrificii; ut significetur supremum Dei dominium; & protestetur nostra subjectio, & promptitudo sacrificandi omnia bona nostra, ac etiam nostram vitam, si oporteret, pro ejus cultu, & gloria. Ad exempla autem in contrarium adducta respondetur.

Ad primum enim de sacrificio Melchisedech
9 omnes Sacræ Scripturæ Interpretes, & Expositores *in cap.* 14. *Geneseos* docent, ipsummet Sacerdotem Melchisedech igni tradidisse aliquid panis, & aliquid vini libamine consumpsisse; ut fieri solebat in Sacrificiis pacificis, ideò ad gratiarum actionem institutis. Ita Gonet *d. tom.* 4. *tract.* 11. *disp.* 3. *num.* 15. & Eminent. Card. de Lugo *de Sacramento Eucharistiæ disp.* 19. *n.* 9.

Ad secundum pariter respondetur; quòd licèt Azor. *tom.* 1. *cap.* 17. *q.* 2. opinatus fuerit, oblationem Panum primitiarum non fuisse verum sacrificium, sed simplicem oblationem, & Vasquez *de Eucharist. disp.* 220. *num.* 28. eorumdem Panum aliquam destructionem factam fuisse vel per
10 coctionem in clibano, vel per frixuram in sartagine; nihilominùs verius est, quòd earum aliqua pars igne comburebatur super Altari; quod deducitur ex textu Hebraico *Levitic.* 24. *vers.* 9. ubi pro eo, quod vulgatus interpres ait de Panibus propitiationis, *Sanctum Sanctorum est de Sacrificiis Domini*, sic habet: *Sanctitas Sanctitatum hoc est de ignitionibus Domini.* Ignitio autem propriè significat combustionem, & non coctionem panum; ut advertit Gonet. *d. tom.* 4. *tract.* 11. *disp.* 3. *num.* 15. subdens, quod etiam duo illi agni, de quibus fit mentio *Levitic. cap.* 23. non tantùm elevabantur coram Deo; sed etiam occidebantur in Dei honorem, & postea in esum Sacerdotum cedebant; ut ibidem docent Interpretes. Nec obest, quòd Scriptura non faciat mentionem hujusmodi omnium actionum; quia non omnia semper exprimit, ut patet ex eo, quod Apostolus ad *Hebr.* 9. refert, Moysem accepisse sanguinem vitulorum, & hircorum, & aspersisse librum cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo, & tamen in *Exodo cap.* 24. de hyssopo, & lana coccinea, neque de aqua, aspersione libri scriptum est; sed hoc sola traditione constabat, & notum erat Judæis; itaut Apostolo nulla probatione opus fuerit.

Ad Tertium, & Quartum itidem respondetur, quòd cùm in illis Sacrificiis offerentur duo Hirci, & duo Passeres, satis erat ad eorum integritatem, ut unus Hircus, & unus Passer occideretur; alter verò vivus dimitteretur; nimirum ad repræsentandam Christi mortem per hircum, & passerem occisum; ejus verò resurrectionem per hircum, & passerem vivum. Vel quòd Christus quà homo tantùm passus, & mortuus sit; manens quà Deus impassibilis, & vivus. Ita Gonet. *d. disp.* 3. *num.* 16.

Ad Quintum respondetur; quòd licèt in Sacrificio Missæ non fiat cruenta immolatio; neque realis occisio Victimæ, sed mystica tantùm; nihilominus satisfit essentiæ Sacrificii per immutationem rei Oblatæ, & Mysticam Hostiæ occisionem; hoc est Sacramentalem Christi desitionem sub speciebus. Pro clariori autem intelligentia scire oportet; quòd tria sunt in Sacrificio, quæ concurrunt, & obtinent locum Victimæ, seu Hostiæ immolandæ; scilicet substantia panis, & vini: Christus ipse, qui fit sacramentaliter præsens sub speciebus: & Species Sacramentales, quæ permanent cum substantia Christi, & prius erant cum substantia panis, & vini.

Materia panis, & vini, etsi propriè, & principaliter non sit res, quæ immolatur, & sacrificatur, aliquo tamen modo est materia hujus Sacrificii; de qua Ecclesia dicit. *Suscipe Sancte Pater Omnipotens Æterne Deus hanc immaculatam Hostiam, &c.* Et *Offerimus Tibi Domine Calicem salutaris, &c.* Illud autem, quod tunc Sacerdos in manibus tenet, est substantia Panis, & Vini; unde licèt illa oblatio non sit formaliter immolatio, saltem indicat; illud quod tunc offertur, esse materiam Sacrificii, quatenus constat ex pane, & vino, tanquam ex termino à quo; & materia transeunte, cujus substantia destruitur in consecratione; & sic quodammodo est Victima, quamvis non principaliter intenta. 11

Secunda res est ipse Christus, qui propriè, & principaliter in hoc Sacrificio offertur, ut docet *Concil. Trid. sess* 22. *cap.* 1. *& cap.* 2. & ipse verè est Victima, & Hostia, quæ immutatur in Communione; 12 quia licèt non destruatur quoad esse simpliciter, sicut in antiquis Sacrificiis Victima mactabatur, & cremabatur, tamen destruitur quò ad esse Sacramentale, & quamvis non desinat quò ad substantiam; bene tamen quò ad præsentiam Sacramentalem; idque prorsùs sufficit, ut propriè dici possit Eucharistia Sacrificari; quia hoc Sacrificium sic Deus instituit; & hoc modo extraordinario, & singulari, aliis victimis, & Sacrificiis non communi.

Tertia res sint Species Sacramentales, quæ & ipsæ pertinent ad rationem Victimæ immolatæ in hoc Sacrificio; dum faciunt illam sensibilem, & humano usui accommodatam, & ideò ipsæ quoque valdè immutantur tum in consecratione, per quam abstrahuntur à subjecto; tum in sumptione, per quam totaliter consummuntur, & destruuntur; & hoc est, quod habetur *in Can. Hoc est: De Consecr. dist.* . . . ubi dicitur: *Hoc Sacrificium duobus constare, visibili elementorum specie; & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne, & sanguine.* Ut subtiliter,

sed piè, ac doctè disserit Mastrius *in 4. Sent. disp. 4. quæst. 4. art. 1.* ubi *sub num. 73.* respondet Vasquezio, Coninchio, Meratio, & aliis contendentibus rem immolatam esse solùm Corpus, & Sanguinem Christi; non autem species Sacramentales; concedendo eorum doctrinam, si de Hostia, & Victima substantialiter sumpta intelligatur; secus si secundariò, & ut quid minùs principale; ut dictum est de speciebus Sacramentalibus; quæ concurrunt ad rationem Hostiæ, & Victimæ Oblatæ accidentaliter, quatenus reddunt eam sensibilem.

Ex his colligere debemus, quòd cùm plures sint actiones in Sacrificio Missæ; videlicet Oblatio antè, & post Consecrationem; ipsa Consecratio, fractio Hostiæ consecratæ; & sumptio Sacramenti, ipsarumque specierum Sacramentalium; quamvis Theologi discrepent inter se, demonstrando in qua ex prædictis actionibus consistat essentia Sacrificii; verior tamen, & probabilior est opinio, essentiam ipsam Sacrificii Missæ consistere in consecratione, & sumptione simul; ita ut neque sola consecratio, neque sola sumptio dicat perfectum Sacrificium; sed utraque sit necessaria; quia in consecratione immutatur, & destruitur substantia Panis, & Vini, & ponitur separatio mystica Sanguinis à Corpore Christi; quæ realiter facta fuit in Cruce, & in sumptione destruitur Victima, idest Christus quo ad esse Sacramentale. Undè sequitur, quòd si Sacerdos celebrans moriatur antè sumptionem, debeat alius etiam non jejunus sumere Sacramentum, ne Sacrificium remaneat imperfectum, *cap. Nihil, & cap. Illud. 7 quæst. 1.* Sola autem sumptio non sufficeret, nisi præcederet consecratio in eodem Sacrificio, aliàs sequeretur, quòd dum Laici, vel Sacerdotes se communicant extra Missam, Sacrificium facerent, quod dici non potest; ut fusè demonstrat Mastrius *d. disp. 4. quæst 4. art. 2. in 4. Sentent. & in Theolog. Morali disp. 19. quæst. 3. art. 1.* Et de hoc videndi Emin. Card. de Lugo *de Sacramentis Euchar. disp. 19. sect. 3.* Lessius *de Justit. & Jure lib. 2. cap. 38. à num. 14. & seqq Et in Opere Posthumo. Quæst. 83. dub. 6. à num. 31.* Et novissimè Collegium Salmanticen. *tom. 11. de Sacramentis in genere tract. 5. de Missæ Sacrificio cap. 1.*

13

DECISIO XI.

ARGUMENTUM.

Agitur utrum Martyria sint Sacrificia? & an Sancti Martyres, qui obierunt in odium fidei, Victimæ vocari possint, & Hostiæ Deo immolatæ?

SUMMARIUM.

1 *Martyres Christi an dici possint veræ Victimæ, & eorum Martyria fuerint vera sacrificia?*

2 *Rationes pro affirmativa.*

3 *Eleazari Machabæi fortitudo laudata, tanquam Victima oblata Deo.*

4 *SS. Innocentes Martyres Victimæ vocati.*

5 *S. Symphorosa, & septem ejus filii Martyres Hostiæ nuncupantur.*

6 *Martyria Sanctorum non sunt sacrificia ex pluribus rationibus hìc relatis.*

7 *Martyria Sanctorum dici possunt Sacrificia in sensu translato, & metaphorico; secus autem in sensu propriè, & strictè accepto.*

8 *Sacrificium verum, & proprium fuit Passio, & Mors Redemptoris nostri in Cruce.*

9 *Sacrificium cruentum Redemptoris in Cruce potest dici etiam Martyrium.*

CUm in superiori Decisione probatum sit, esse de essentia Sacrificii, ut Victima, seu Hostia Oblata transmutetur, vel per internecionem, vel quamcumque aliam destructionem; cumque Sancti Martyres occisi, & necati fuerint in odium fidei; dubitare contingit: An eorum Martyria vocari possint Sacrificia? Et videtur respondendum affirmativè. 1

Primò, quia illud est Sacrificium, in quo Victima mactatur, & occiditur ob Dei honorem, in protestationem ejus Supremi dominii, & nostræ subjectionis eidem Deo, Auctori, & Domino omnium rerum, ac etiam nostræ vitæ. Sed Sancti Martyres passi sunt se occidi, & interimi ob Dei honorem, & gloriam; protestantes, se nolle adorare Idola falsa; sed recognoscere solum Deum verum; cui soli cultus, & adoratio debetur; & ob cujus gloriam propriam vitam tradiderunt; confitentes Deum esse eorum principium, & finem; ac Auctorem suæ vitæ. Ergo eorum Passiones, & Martyria verè fuerunt Sacrificia. 2

Secundò, & hoc confirmari posse videtur auctoritate S. Gregorii Nazianzeni, qui commendans fortitudinem Eleazari Machabæi eligentis potiùs mori, quàm carnem porcinam manducare, ut habetur 2. *Machab. 6.* ita loquitur de illo *Orat. 20. de Machabæis. Is vir, & Sacerdos, & senex. canus capillis, canus & prudentia; prius quidem pro populo sacrificabat, & orabat: nunc autem semetipsum Hostiam obtulit Deo perfectissimam ad totius populi expiationem.* Quid clarius scribi potest? sed ulteriùs ita prosequitur de aliis septem Fratribus Machabæis jussu Antiochi Regis occisis, quia legem Dei transgredi noluerunt. *Obtulit autem & filios septem, suæ fructus disciplinæ, hostiam viventem, sanctam, beneplacitam Deo, omni Legali Sacrificio splendidiorem, & superiorem.* Ergo secundum doctrinam S. Gregorii Nazianzeni, omnium Theologorum Principis, Martyria, & passiones Sanctorum sunt Sacrificia. 3

Tertiò confirmatur ex Breviario Romano in festo SS. Innocentium; in quorum hymno ad laudes. 4 sic de eis canit Ecclesia:

Vos prima Christi Victima,
Grex immolatorum tener,
Aram sub ipsam simplices
Palma, & coronis luditis.

In quibus verbis fit expressa mentio Victimarum, Immolationis, & Altaris. Sed ubi est Victima, & ejus immolatio super Altare, est Sacrificium. Ergo Sanctorum Martyria sunt Sacrificia.

Quartò his addi possunt, quæ recitantur in eodem Breviario *die 18. Julii* in festo SS. Symphorosæ, & septem eorum filiorum Martyrum, videlicet post relata eorum tormenta, & mortem in odium fidei, subduntur hæc verba: *Ita octo Hostiæ Deo gratissimæ sunt immolatæ.* Sed immolare Hostias Deo est 5 Sacrificium facere. Ergo mortes Martyrum sunt Sacrificia.

Pro

Pro contraria autem negativa opinione sequentes rationes ex gravissimis Theologis decerptæ probant, Martyria Sanctorum dici non posse Sacrificia.

6 Primò: Quia ad essentiam Sacrificii requiritur publicus Minister, idest Sacerdos legitimè deputatus ad immolandum. Lessius *de Just. & Jure lib. 2. cap. 28. n. 17.* Sed Martyrum interneciones non fiebant per manum Sacerdotis ad tale opus legitimè deputati. Ergo non erant Sacrificia.

Secundò: Ut victimæ occisio sit Sacrificium, oportet quòd talis occisio sit instituta per publicam auctoritatem ad significandum Dei cultum, & in protestationem supremæ Dei potestatis in vitam, & mortem. Emin. Card. de Lugo *de Sacramento Euchar. disp. 19. n. 14.* sed talen institutionem non habent Sanctorum Martyria, quæ immò processerunt à tola tyrannide, & barbarie infidelium. Ergo non fuerunt Sacrificia.

Tertiò: ad conficiendum Sacrificium requiritur, ut qui Victimam offert, activè concurrat ad ejusdem Victimæ immolationem. Gonet. *d. tom. 4. tract. 11. disp. 3. de Religione n. 13.* Sed Martyres ne indirectè quidem activè concurrebant ad immolationem suorum corporum; sed merè passivè sustinendo tantùm passionem, & mortem à tyranno illatam; quia cùm non habeant dominium suæ vitæ, non possunt illam activè destruere; sed tantùm illius destructionem pati. Ergo eorum Martyria non possunt dici vera Sacrificia.

Nec turbat, si dicatur, plures Sanctos comparuisse coram tyrannis, ut occiderentur; immò multos se ultrò injecisse in tormenta; nam respondetur, ex speciali instinctu Spiritus Sancti eos tunc fecisse; quo cessante, non sunt commendabiles, sed reprehensibiles; ut docet Emin. Card. de Laureæ *in 3. sent. part. 2. tom. 3. de Martyrio disp. 20. num. 190. & num. 241.* ubi plura exempla.

Quartò accedit, & hæc ratio; quòd ad essentiam Sacrificii requiritur, ut fiat hostiæ immolatio pro salute totius populi. Idem Emin. Card. de Laureæ *in tract. de Incarnatione disp. 22. num. 32.* Sed Martyres patiebantur pro eorum particulari salute; non pro totius populi. Ergo eorum passiones non erant Secrificia.

Neque obstat doctrina S. Gregorii Nazianzeni loco supracit. dum ait: Eleazarum obtulisse semetipsum Hostiam *ad totius populi expiationem*; quia manifestum est, non loqui de expiatione ex meritis ejusdem Eleazari, sed ex ejus exemplo, quo populus confortabatur in observantia Divinæ Legis etiam cum propriæ vitæ discrimine.

7 Solvitur præsens quæstio cum distinctione. Nam vel sacrificium sumitur in sensu translato, metaphorico, aut per allegoriam, ut docuimus supra *in Decis. 2.* Et Martyria possunt dici Sacrificia; ipsique Martyres hostiæ appellantur, ac victimæ, ut supra in argumentis pro prima opinione; & in hoc sensu loquitur Spiritus Sanctus *Sap. cap. 3. num. 6.* dicens de illis: *Tanquam aurum in fornace probavit illos; & quasi holocausti hostiam accepit illos.* Vel Sacrificium accipitur in sensu propriè, & strictè acçepto, quod à nobis est definitum *Decis. IV.* & secundùm hanc acceptionem Martyria non sunt sacrificia ex rationibus supra in secunda opinione consideratis: & de iisdem plenè agit Emin. Card. Bellarmin. *lib. 1. de Missa cap. 3. per totum.*

8 Ex quibus postea colligere licet Passionem, & Mortem Redemptoris Nostri Jesu Christi in Cruce fuisse verè, & propriè Sacrificium; siquidem in ea habentur omnes quatuor conditiones ex Theologorum doctrina supra consideratæ; ut demonstrat idem Card. Bellarm. *d. cap. 3.* Primò enim Christus Dominus erat Sacerdos ab æterno Patre destinatus ad illud Sacrificium peragendum, juxta illud Ps. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Immò erat Summus Pontifex, de quo Apostolus *ad Hebr. cap. 4. num. 14. Habentes Pontificem, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, & cap. 9. num. 11. Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, &c.* Et de hoc nefas esset dubitare, est enim conclusio de fide, ut habetur in Concil. Trid. *sess. 22. cap. 1.* & tenent SS. Patres, quos longa manu cumulant Collegium Salmanticen. *tom. 10. de Incarnatione tract. 21. disp. 31. §. 2. num. 4.* & Emin. Card. de Laureæ *eod. tract. disp. 22. art. 1. & 2.* Secundò hoc Sacrificium Crucis fuit ab æterno Patre præordinatum pro satisfactione injuriæ sibi illatæ ab Adamo, & ab aliis hominibus cum peccatis; & ad illud se obtulit Christus Dominus obsequens voluntati paternæ; juxta illud *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Ad Philipp. 2. 8.* Ac etiam *ad Hebr. 5. 8. Et quidem cum esset Filius, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* Tertiò quia Christus Dominus voluntariè obtulit se morti; quam licèt effugere, & impedire potuerit, tamen noluit, juxta illud: *Nemo tollit animam meam à me; sed ego pono eam. Joan. 10.* Quòd latiùs explicat S. Thom. *3. p. q. 47. art. 1. & 2. Et Collegium Salmanticen. d. tom. 10. De Incarnatione disp. 31. dub. 1. sub n. 7.* Et quartò Christus Dominus passus est pro redemptione omnium hominum; *Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ:* ait Apostolus *ad Hebr. cap. 5. num. 9.* Et Evangelista Joannes *in prima epist. c. 1. n. 7. Et Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato, & cap. 3. n. 16. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Quòd latè demonstrat Emin. Card. de Laureæ *d. tom. de Incarnatione disp. 20. art. 4. §. 1. 2. 3. & 4.*

Utrum autem Sacrificium cruentum, quod de se Christus obtulit in Cruce, possit etiam appellari Martyrium, nullam videtur continere implican- 9
tiam; immò S. Th. *2. 2. q 124. art. 1. ad Primum,* Passionem Christi nominavit *Martyrium*, quòd continet in se talem excellentiam, & perfectionem, quæ adaptari potest etiam Sacrificio Crucis, ut docet Collegium Salmanticen. *de Incarnatione d. disp. 31. dub. 1. num. 8. in fine.*

DECISIO XII.

ARGUMENTUM.

Occasione Verborum, *In loco, & super Altari solemniter ad hoc deputato,* quæ in definitione sunt posita; agitur de Templis Deo Sacris; in quibus, & non extra offerenda sunt Sacrificia, plura traduntur in materia Templorum ab origine Mundi usque ad præsens. Et exactè describitur Tabernaculum Moysis, & Templum Salomonis. Differitur de facultate celebrandi in Oratoriis privatis, & de extincta Religione Templariorum.

SUMMARIUM.

1 *Orare licet in omni loco; sed sacrificare tantùm in loco sacro.*
2 *Templi Sacri definitio.*
3 *Templum pluribus nominibus appellatur.*
4 *Delubra unde dicta?*
5 *Fana quare sic nominabantur?*
6 *Templi etymologia.*
7 *Domus, & Dominicum cur vocetur Ecclesia? Item Memoria Martyrum, Oratoria, Basilicæ, & Tituli?*
8 *Ecclesiæ nominis significatio.*
9 *Gentiles nudis pedibus Templa sua ingrediebantur.*
10 *Hebræi intrabant Templum depositis calceis, quod hodie servant etiam Turcæ.*
11 *Libri an fuerint conscripti ante diluvium?*
12 *Adam, & ejus posteri an ante diluvium Templa Deo dedicaverint?*
13 *Mosayca lege durante tria fuerunt Templa pro Sacrificiis, Tabernaculum Moysis, Templum Salomonis, & Templum Samaritanorum.*
14 *Tabernaculum Moysis quid esset, quando & quomodo factum, & quanto tempore duraverit.*
15 *Arca Domini custodiebatur in interiori parte Tabernaculi, dicta* Sancta Sanctorum. *Et quomodo esset facta ipsa Arca?*
16 *Altare thimiamatis in qua parte Tabernaculi Mosaici esset situm?*
17 *Mensa propanibus propositionis in exteriori parte Tabernaculi erat. Item Candelabrum aureum, cum lucernis.*
18 *Altare Holocausti coopertum ære stabat extra Tabernaculum pro victimis cremandis.*
19 *Labium æneum erat apud Altare holocausti.*
20 *Sacerdotes Hebræi nudis, & lotis pedibus ingrediebantur Tabernaculum.*
21 *Atrium circa Tabernaculum Moysis quid esset?*
22 *Atrium Tabernaculi an viri, & fœminæ ingredi possent?*
23 *Sacrificia sua quando cœperint offerre Hebræi in Tabernaculo Moysis.*
24 *Annis quadringentis, octoginta quinque duravit usus Tabernaculi Moysis.*
25 *Stationes Tabernaculi ejusdem.*
26 *Arca Dei recuperata de Philistinorum manibus, servabatur à David in Jerusalem.*
27 *Tabernaculum Moysis, Arca, & alia Vasa Sacra, imminente desolatione Jerusalem, anno Mundi 3446. fuerunt abscondita à viris Religiosis, & deinde à Jeremia in speluncam occlusa, ubi steterunt annis 163.*
28 *Arca fœderis à Tito Vespasiano an fuerit translata Romam, desolato Templo, ac Jerusalem?*
29 *Templum Salomonis pro sacrificiis apertum Anno Mundi 3030.*
30 *Templi Salomonici structura.*
31 *Templum Salomonis non dabat ingressum populo, sed tantùm Sacerdotibus.*
32 *Templi Salomonis divisio per longitudinem, & per altitudinem.*
33 *Templi ejusdem pulchritudo interior.*
34 *Templum Salomonis quæ, & quot contineret in se?*
35 *Templi Salomonis fabrica quot annis duraverit?*
36 *Templum Salomonis destructum à Nebucardano.*
37 *Templi Salomonici secunda constructio.*
38 *Templi ejusdem sub Herode ædificatio tertia.*
39 *Templum Hierosolymitanum à prima sua ædificatione usque ad ultimum excidium duravit annos mille nonaginta tres.*
40 *Samaritanorum Templum, ubi, quando, & quomodo ædificatum?*
41 *Templa plurima per Ethnicos Idolis dedicata, & n.* 43.
42 *Palæstini tria Idola colebant, Beelzebub, Astaroth, & Dagon.*
43 *Dianam adstitisse Olympiadi parturienti Alexandrum Magnum fabularunt Græci.*
44 *Pantheonis Templi pulchritudo. Hodie S. Maria Rotunda.*
45 *Sinenses paulò post diluvium Templa Angelis Tutelaribus erexerunt.*
46 *Templa in Lege gratiæ erecta Deo ab Apostolis, statim recepto Spiritu Sancto, in die Pentecostes.*
47 *Domus Lauretana in Nazareth fuerat consecrata in Ecclesiam à SS. Apostolis; & alia in honorem Deiparæ.*
48 *Apostoli in toto orbe, ubi Evangelium prædicabant, erigebant Deo Templa, & Ecclesias consecrabant.*
49 *S. Prosdocimus primus Episcopus Paduæ, in ea Templa Deo sacravit Anno* 47. *à Christi Nativitate.*
50 *Basilicæ ubique Deo dicatæ à tempore Constantini Magni Imperatoris.*
51 *Templorum Christianorum antiqua forma.*
52 *Quæstuare in Ecclesia antiquitus non permissum.*
53 *Missam celebrare extra Ecclesiam an olim liceret? quatuor jura consideranda sunt.*
54 *Honorius Papa III. concessit Fratribus Prædicatoribus, ac Minoribus celebrare extra Ecclesiam in Altare portatili.*
55 *Bonifacius VIII. indulsit omnibus Episcopis celebrare Missam in omni loco decenti cum Altare portatili.*
56 *Conc. Trid.* Sess. 22. in Decret. de Celebr. Miss. *prohibuit Sæcularibus, & Regularibus celebrare Missam extra Ecclesiam.*
57 *Paulus V. Anno* 1615. *abstulit quibuscunque Episcopis facultatem concedendi licentiam celebrandi Missam in Oratoriis privatis.*
58 *Litteræ S. Congr. Concilii continentes dictam prohibitionem.*
59 *Urbanus VIII. renovavit prohibitionem celebrandi in Oratoriis privatis de licentia Episcoporum. Procuratorum S. Marci Venetiarum Privilegium pro Oratorio privato ibid.*
60 *Romanus Pontifex tantùm concedit licentiam Nobilibus personis celebrare faciendi Missam in Oratoriis privatis.*
61 *Privilegium Honorii III. pro Regularibus celebrandi cum Altare portatili extra Ecclesiam an sit revocatum?*
62 *Constitutio posterior tollit anteriorem, etsi de ea mentionem non faciat.*
63 *Regulares possunt Celebrare Missam in capellis existentibus intra sua claustra, si tamen ab Episcopo visitentur, & approbentur.*

64 *Mis-*

64 *Missa celebrari potest in capellis existentibus in Seminariis, & Hospitalibus de licentia Episcopi:*

65 *Episcopi an hodie possint concedere licentiam celebrandi Missam extra Ecclesiam in aliquo casu necessitatis? Alii affirmant in septem casibus hic recensitis. Sed contrarium est in praxi servandum.*

66 *Missam siccam celebrare non licet. Et quæ sit?*

67 *Templarii Milites quinam fuerint? quomodo suppressi, & perempti?*

68 *Judices an timere debeant citationem, quam de se ipsis faceret Reus in patibulo ad comparendum intra certum tempus ante Tribunal Dei pro sua causa discutienda?*

1 PRæter ea, quæ hucusque tradita sunt, esse de essentia Sacrificii; scire oportet; etiam *locum, & locum loci* intervenire debere; videlicet *Templum, & Altare*: quamvis enim Deus ubique sit; neque alicujus loci ambitu cultus ejus circumscribi debeat; imò licitum sit *Orare in omni loco*, & pias manus ad Deum levare, ut ait *Apostolus* 1. *Tim.* 2. 8. Nam non locus, sed affectus, & intentio exigitur; & ideò Moyses in medio maris Deum exoravit; Job in sterquilinio; Ezechias in lectulo; Jeremias in luto; Jonas in ventre ceti; Daniel in lacu leonum; Tres pueri in fornace; Latro in cruce; Petrus & Paulus in carceribus; & hi omnes exauditi à Deo fuerunt; ut considerat Casalius *de Vet. Christ. Sacr. Ritib. cap.* 33. Nihilominus in templis præcipuo quodam cultu Deus adoratur; & ad ejus honorem Sacrificium offertur; ut docet Casalius *ibid.* & Emin. Card. Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 1. Idcircò (dilata Altarium materia ad decisionem sequentem) in præsenti differendum est de *Templis*, sive *Æde Sacra*; in qua tantummodo litare licet; & septem videbimus.

1 *Quid sit Templum Sacrum, & quot nominibus nuncupetur?*

2 *An ante diluvium, & in lege naturæ fuerint Templa Sacra?*

3 *An in lege scripta, & Mosayca, & quæ?*

4 *An apud Ethnicos, & Paganos fuerint Templa?*

5 *In lege gratiæ, & Evangelica quando cœperint Templa Deo sacrari, & dedicari?*

6 *An licitum sit extra Templa Sacra Sacrificium Missæ offerre?*

7 *Quinam fuerint Milites Templarii in Ecclesia Catholica, & quomodo esse desierint?*

Quò ad Primum. Templum *est Locus publicus,*
2 *Sacer, & Deo consecratus: in quo orationes, & Sacrificia Deo offeruntur*; cùm enim in his consistat maximus Dei cultus; & Sacrificium obeundum sit per publicum Ministrum, ad hoc munus legitimè deputatum, dedecet, ut tantùm Mysterium, fortuitò peragatur, ubicunque Sacerdoti libitum fuerit; sed requiritur Locus ritè consecratus; & hic vocatur Templum, & est Domus Numini Sacra; ad quam omnes statis horis conveniunt, tum ut Sacrificio intersint, tum ut alias Religionis functiones sanctiùs & congruentiùs in ea exerceant. In Emin. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 1. Pluribus autem nominibus hæc Sacra Domus vocatur.
3 Ethnici dicebant eam I. *Delubrum* à diluendo; quia ante templum constituebant fontes, in quibus homines ante ingressum diluebantur, *Ita Isidor. Etymolog. lib.* 15. *cap.* 4. Quod adhuc est in 4
usu apud Turcas. Vel à lignis delibratis, qualia erant simulacra Deorum, ut Idola posita in Templis; Vossius *in Etymolog. Linguæ Latinæ Verb. Delubrum.* Vel à consistentia Dei in ipso sacro loco, ut cogitavit Varro apud Macrob *libr.* 3. *cap.* 4. itaut sicut locus, in quo figitur candela dicitur candelabrum; ita ille in quo Deus consistit, appellatur *Delubrum.* II. Gentiles vocabant suas ædes 5
Sacras *Fana*; vel à fando, quia eis dæmones ex ore Idolorum effabantur; vel ex verbis, quæ Pontifices litantes proferebant; vel à Deo *Fauno* cui primùm Templa sunt extructa; ut differit idem Vossius *ubi supra Verb. Fanum.* Et notat Emin. Card. de Lauræa *in* 3. *sent. tom.* 2. *De Virtutibus in genere disp.* 25. *num.* 35. III. Pagani easdem suorum Deo- 6
rum ædes sacras vocabant *Templa* quasi *Tecta amplas* in quibus suas cæremonias, & sacrificia offerebant. Idem Eminen. Card. de Lauræa *d. num.* 35. & in suo Dictionario. Albericus de Rosate *in Verb. Templum.* Et hac tertia nominatione etiam nos Christiani utimur ad innuenda loca Deo dicata, quas appellamus Ecclesias, atque Templa. *cap. Ex multis* 1. *quæst.* 3. & à duabus primis tanquam à gentilitiis vocibus abstinemus; & earum vice sequentes usurpamus, videlicet: IV. *Domus* nuncupatur Ecclesia principalis, idest Domus orationis, ac Domus Dei. Mola *lib.* 3. *de Canonicis. cap.* 3. Frances *de* 7
Eccles. Cathedr. cap. 15. *num.* 75. ubi quòd sic vocavit Jacob locum, in quo ædificavit Altare. *Genes.* 37. V. Appellabatur *Dominicum* ab ipso omnium Domino; quemadmodum Græci Ecclesiam dicebant *Kyriacam.* VI. Vocabantur Ecclesiæ *Memoria Martyrum, & Martyria*; quia erigebantur in memoria Martyrum, vel ubi Martyrum corpora, & reliquiæ reponebantur. VII. *Oratoria, & Basilicæ*, hæ, si in forma angustiori, & ampliori; illæ si in minus ampla condebantur. VIII. *Tituli* etiam Templa denominabantur, ut apud Anastasium in Marcello Papa, *Hic vigintiquinque Titulos* (idest Templa) *in Urbe Romana constituit propter Baptismum, & Pœnitentiam, & propter Martyrum sepulturas*, & apud Prudentium *Hymn.* 12. *de Coronis*; *Parte alia Titulum Pauli vita servat Hostiensis.* De quibus omnibus nomenclaturis testimonia cumulat ex scriptis Sanctorum Patrum Eminen. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 4. IX. Tandem Templum appellatur *Ecclesia*: 8
quæ vox significans adunationem populi, juxta communem sermonem accipitur pro loco, in quo Christiani conveniunt ad cultum Divinum exercendum. Magr. *in Hierolexic. Verb. Ecclesia* ubi alias denominationes colligit, & *in Verb. Templum*, ubi observat gentiles pedibus nudis Templa solitos fuisse intrare; à quibus id accepit Moyses, ideó- 9
que Judæi non adibant Templum induti pedes calceis exanimatorum animantium pelle confectis; re- 10
putabant enim hoc immunditiæ genus, S. Cyrill. Alexandr. *lib.* 2. *de Adorat.* Quem ritum observant etiam hodie Mahometani.

Quò ad Secundum; in quo quæritur: *An ante diluvium, & in lege naturæ fuerint Templa Sacra?* Respondendum videtur Affirmativè; licèt enim non habeamus libros, qui conscripti sint ante diluvium, ex quibus hujus assertionis testimonium possimus deducere; & quatenus etiam scripti fue- 11
rint; ut conatur probare Athanas. Kircherius *in Arca Noetica lib.* 3. *cap.* 6. ubi quædam fragmenta ex antiquissimis scriptoribus exscribit; tamen in

ipsis nulla habeatur mentio de Templis Deo dicatis; nihilominùs non est verisimile, Adamum, ejusque filios, & descendentes defecisse in hac parte Divini cultus; suaque sacrificia semper aperto cœ-
12 lo, & in agris immolasse; hoc enim nimis repugnat naturali rationi, qua homines semper sibi suaserunt, Ædes sacras, & Templa Deo dicare, & consecrare; quod non latuit Aristotelem *Politicor. lib. 7. cap. 12.* ubi Magistratus & Principes monet ædes Deorum in locis conspicuis constructas habere; & de hac re Plutarchus *adverſ. Colot. ita scribit: Si terras obeas, invenire possis Urbes muris, Litteris, Regibus, Domibus, opibus, numismate carentes; Urbem Templis, Diisque carentem nemo usquam vidit.* Quocirca tot, & tantos pios viros, qui vixerunt in prima ætate mundi; & eximio zelo divinum cultum sunt professi in precibus, & sacrificiis; credibile non est; neglecto rationis lumine, Templa Deo non erexisse, & consecrasse; quare hanc opinionem amplexus Eminent. Card. de Lauræa *d. tom. 2, in 3. sent. disp. 15. n. 35.* ita de illa testatus est. *Usus Templi ab initio mundi esse debuit, quia ex tunc cœperunt Sacrificia Abelis, & Cain; ideoque in loco peculiariter ad hoc deputato, fieri oportuit. Et cum à principio Mundi usque ad legem scriptam fuerint Sacerdotes veri Dei; imò Primogeniti omnes, ut aliàs dixi, erant Sacerdotes; fiebantque Sacrificia, ut specialiter de Melchisedech legitur Gen. 14. 19. qui erat Sacerdos Dei Altissimi; oportuit locum aliquem Deo sacratum adesse, in quo fieri possent.* Huic opinioni favet etiam Salian. *in Epitome ad Annum Mundi 2218. num. 12.* ubi examinans id, quod habetur *Genes. 25, 27, Jacob autem vir simplex habitabat in Tabernaculis.* Quærens quænam essent illa Tabernacula; ita scribit: *Existimo ego, hic Tabernacula numero multitudinis usurpata tria illa comprehendere, domum privatam, domum doctrinæ, & Ecclesiam Sacram Orationi destinatam.*

Quoad Tertium. Si quærimus quæ, & quot Templa Deo dicata fuerint tempore legis scriptæ,
13 seu Mosaycæ? Sciendum est, ea lege durante, tria fuisse diversa Templa pro Divino cultu exercendo, & Hostiis immolandis, videlicet Tabernaculum Moysis, Templum Salomonis, & Templum Samaritanorum, de quibus, qua majori potero brevitate, quæ magis digna sunt scitu, hic referam.

Tabernaculum erat Templum portatile ex ligneis tabulis fabricatum, & cortinis quatuor tectum,
14 quod sibi fieri Dominus præcepit, ut in eo tribueretur Divinæ suæ Majestati specialis cultus; & quòd esset portatile; ut ubicunque populus esset, sive in deserto, sive in civitatibus illi tradendis, vel in terra Promissionis eidem concedenda, haberet statim specialem locum, ubi colerer Deum. Talis autem erat structura Tabernaculi. Viginti tabulæ ligneæ efficiebant latus, sive parietem australem; viginti aliæ latus septentrionale; occidentalem autem Tabernaculi parietem octo claudebant; pars verò orientalis patebat, & velo tantum tegebatur. Singulæ tabulæ longitudinem, seu altitudinem decem cubitorum, latitudinem cubiti unius, & dimidii habebant; crassitudinem digitorum quatuor. Copulabantur autem hæ tabulæ per incastraturas, per quas una in alteram infigebatur, illique adhærebat. Stabant innixæ basibus argenteis,
15 & unaquæque tabula habebat duas bases, easque infixas terræ, ut totum Tabernaculum, quod ex illis constabat, firmum atque immobile consistere.

Igitur Tabernaculum erat longitudinis triginta cubitorum; decem altitudinis, & decem latitudinis, quia duæ tabulæ laterales ex illis octo in occidentalem plagam erant ex medio cubito sectæ, ut ex Josepho ostendunt Barradas *in Itinerario Filiorum Israel. lib. 5. cap. 4. num. 6.* & Torniell. *ad Annum Mundi 2544. num. 60.* Laminæ aureæ cooperiebant intus, & extra omnes prædictas tabulas sectas ex lignis Sethim, quæ erant ligna imputribilia. Operimentum verò Tabernaculi erat quadruplex. Primum de cortinis quatuor colorum, scilicet Byssо retorta, Hyacintho: Purpura, & Cocco bis tincto. Secundum operimentum erant Saga cilicina facta de pilis caprarum. Tertium erat de pellibus Arietum rubricatis, quod operiebat tectum Tabernaculi. Quartum erat de pellibus Hyacinthinis, quæ cum funibus, & paxillis erant fortiter affixæ terræ, ne à ventis & imbribus moverentur. Vectibus etiam pluribus ipsæ tabulæ colligabantur.

Dividebatur longitudo Tabernaculi in duas partes; in domum interiorem, quæ dicitur *Sancta Sanctorum*; & erat quadrata, decem cubitorum longitudinis, latitudinis, & altitudinis; & in domum exteriorem quæ dicebatur *Sancta*; viginti cubitorum longitudinis, decem latitudinis, & totidem altitudinis; & utraque pars separabatur Velo de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byssо retorta, opere plumario, & pulchra varietate contexto, quod ante *Sancta Sanctorum* appendebatur in quatuor columnis ex Lignis Sethim fabricatis, & deauratis. Introitus verò Tabernaculi erat apertus, sed coopertus alio velo consimili, quod nominabatur *Tentorium*; quinque columnis aureatis appensum.

In *Sancta Sanctorum*, ideſt in interiori parte Tabernaculi, erat Arca Domini, quasi scrinium sine 15
pedibus de lignis sethim, vestita laminis aureis foris, & intus, longa duos cubitos, & dimidium; lata unum cum dimidio; & alta cubitum unum, & semissum; & in Arca repositæ erant Tabulæ legis, Virga Aaron, & Manna; super Arca verò erat *Propitiatorium* ejusdem longitudinis, & latitudinis, tanquam operculum Arcæ; totum de auro mundissimo; & in eo duo Cherubim pariter ex auro tegentes alis suis ipsum Propitiatorium. Utrum au- 16
tem in hac interiori parte, & in Sancta Sanctorum esset etiam Altare Thymiamatis, vel esset extra velum in altera parte, quæ dicebatur *Sancta*? Est controversia grandis inter Scriptores sacros, quorum plurimi pro una opinione stant, & plurimi pro alia, quos Lector videre poterit apud Torniell. *ad Annum Mundi 2544. num. 66. & 67.* qui fusè de hac quæstione agit.

In parte exteriori ejusdem Tabernaculi, quæ dicebatur *Sancta*, stabat Mensa longitudinis duo- 17
rum cubitorum, & latitudinis unius, circumdata lamina aurea; & in ea ponebantur panes propositionis, & vasa aurea, continentia incensum; & alia pro Sacrificiis, ac Thuribulum pariter ex auro confectum. Item in hac parte erat Candelabrum factum per malleationem de auro purissimo, ponderis centum viginti librarum; cum tribus pedibus; hastile autem, seu stipes procedebat directè in altum,

& ex

& ex eo egrediebantur sex calami, tendentes sursum obliquè, & in quocunque calamo quatuor scyphi figuris elaborati; & ibidem septem lucernæ ardentes cum suis emunctoriis pariter aureis.

Tandem extra Tabernaculum erat aliud Altare de lignis Sethim opertum ære, quinque cubitorum
18 per longitudinem, & latitudinem, altum verò cubitis tribus; & dicebatur *Altare Holocausti*, in quo Victimæ cremabantur, & non erat intra Tabernaculum, sed extra tum ob munditiam Sanctuarii, tum ne Cortinæ inflammarentur, dum animalia, & Hostiæ ardebant. Et non longè ab Altari præter alia
19 vasa, & instrumenta pro sacrificiis erat Labrum æneum, hoc est lavacrum ex ære fabricatum in modum conchæ, basi suffultum, quo continebatur aqua ad abluendas manus, pedesque Sacerdotum;
20 nudis enim, & lotis pedibus Sacerdotes Tabernaculum ingrediebantur, & in atrio ministrabant.

Sed præter Altare constructum erat Atrium, quo
21 circumdabatur totum Tabernaculum, eratque Atrium ipsum quædam platea magna sub aperto Cœlo, habens centum cubitos in longitudine, & quinquaginta in latitudine; & ipsa platea erat clausa columnis, in quibus pendebant cortinæ de bysso retorta usque ad terram, ubi cum paxillis & funibus figebantur, ne à ventis moverentur. In latere Aquilonari erant viginti columnæ, & totidem in Australi. In latere verò occidentali decem, & tot in orientali; undè in totum erant sexaginta columnæ de ære, & omnes vestitæ laminis, & cælaturis argenteis, quæ circumdabant columnas in modum flosculorum. Similiter capitella columnarum erant tota argentea; bases autem æneæ. Cortinæ erant factæ cum acu reticulato opere; ita quod vulgus manens extra atrium poterat videre sacrificia, & oblationes, quæ fiebant in Altari Holocaustorum per Sacerdotes.

Sed, an fœminis, & viris, præter Levitas, licuerit ingredi in atrium Tabernaculi? Non est ex-
22 positorum concors opinio; affirmat S. Thom. 1. 2. *quæst.* 102. *art.* 4. *ad* 6. nam David ajebat: *Lavabo inter innocentes manus meas; & circumdabo Altare tuum Domine. Psal.* 25. Nec non: *Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus Hostiam vociferationis. Psal.* 26. Alii negant, quia jubebat Dominus, *Hostiam offerri ad ostium Tabernaculi. Levit.* 1. Cæterùm concordari possunt hæ opiniones dicendo, quòd qui offerebant hostias, poterant Atrium ingredi, & accedere usque ad Altare; alii verò non offerentes stabant extra Atrium, in quo regulariter morabantur Levitæ, & Sacerdotes. Ita Barradas *d. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 8. existente à longe populari multitudine ob reverentiam Tabernaculi.

Hæc itaque in summa erat structura Tabernaculi fœderis, omissis pluribus aliis ornamentis, brevitatis causa; ac dubiis, & quæstionibus spectantibus ad ipsum Tabernaculum, de quibus curiosi poterunt se instruere apud Lyran. Abulens. Cornel. à Lapide, & alios Interpretes Scripturæ Sacræ; quos cumulant Torniell. & Salian. *ad Annos Mundi* 2544. ubi fusè de hoc Tabernaculo tractant; & novissimè Petr. Paulus Ponticellus, *Reflex. litteral. in Pentateuchum Moysis cap.* 25. *Reflex* 188. *& seqq.* nec non Barradas *in itinerario Filiorum Israël libr.* 5. *per totum*, ubi de Oblato auro, & argento per Israëlitas ad fabricandum dictum Tabernaculum: & de ejus mystica significatione.

Igitur Anno à creatione Mundi 2544. cùm à Deo fuisset ordinata structura dicti Tabernaculi fœderis, existentibus tunc temporis Israelitis in deserto post egressum ab Ægypto, & transitum Maris Rubri; spatio ferè sex mensium à selectis artificibus structura ipsa completa fuit, & ut legitur in *Exod. cap. ult.* mense primo anni sequentis (qui erat 2545.) 23
jussu Domini peracta consecratione Tabernaculi, Altarium, & Sacerdotum, cœperunt Hebræi sacrificia sua offerre, & Victimas immolare in hoc Templo portatili, idest in hoc Tabernaculo; in quo visibiliter apparuit gloria Domini multis diebus per illapsum lucidæ nubis, & splendoris ignis, ut legitur *Exod. d. cap. ult.* Et adeò sibi Dominus complacuit in dicto Tabernaculo honorari, & sibi cultum latriæ exhiberi, ut non permiserit, in manus hostium illud unquam pervenire, & concesserit in ipso sibi sacrificia offerri per annos quadringentos, octuaginta quinque; idest usque ad annum Mundi 3030. in quo fabricato, dedicatoque Templo Sa- 24
lomonis in Jerusalem, divinus cultus, libamina, & sacrificia translata fuere de Tabernaculo ad dictum Templum; ut testimonio Scripturæ Sacræ, & Doctorum notant Torniell. & Salianus *in Annalib. Testam. Veter. ad d. Annum Mundi* 3030.

Concludamus hujus ambulantis Templi narrationem, notando ejus stationes, & diversitatem locorum, in quibus fuit erectum. Primò namque fuit 25
erectum in deserto annis triginta novem; modò huc, modo illuc, prout populus movebat castra sua, & iter agebat, mutando mansiones; ut expressè advertit Salian. *ad Annum* 2590. *num.* 8. Secundò cùm Hebræi transissent Jordanem sicco pede, Arcam de Tabernaculo eductam portantes, ut habetur *Josue cap.* 3. transtulerunt secum etiam Tabernaculum; illud figentes, & erigentes in Galgalis, ubi sex annos permansit; ut notat idem Salian. *d. Ann.* 2590. *num.* 8. Tertiò de Galgalis translatum fuit à Josue Tabernaculum, erectumque, ac fixum in Silo; quæ erat urbs assignata in sortem Tribu Ephraim in divisione terræ promissionis, & parùm distabat à Bethel, & Sichimam, ut habetur *Judic. cap. ult. num.* 19. In Silo autem permansit Tabernaculum annis trecentis quinquaginta, idest usque ad mortem Heli Summi Sacerdotis; ut testantur Salian. *d. Ann. Mundi* 2590. *num.* 8. & Torniell. *Anno* 2591. Quartò: Anno Mundi 2940. Tabernaculum eductum de Silo positum fuit in Civitate Nobe; nam tunc temporis Philisthiim cœperant Arcam Domini; quare Israëlitæ timentes ne caperent etiam Tabernaculum, deduxerunt illud in Nobem Civitatem remotiorem, & securiorem, & hæc est Urbs, ad quam accessit David fugitivus ob persecutionem Saulis, & habuit ab Abimelech Sacerdote panes propositionis ad vescendum, ut legitur 1. *Reg.* 21. 6. Et dicebatur Urbs Sacerdotalis ob magnum numerum Sacerdotum, qui multiplicium Sacrificiorum causa, quæ ob existentiam Tabernaculi ibi fiebant, in ea morabantur; ut differunt Torniell. *de Anno Mundi* 2940. *num.* 6. *ac Anno Mundi* 2974. *num.* 4. & Salian. *ad Annum Mundi* 2941. *num.* 6. & 7. Quintò: Verum quia Nobe destructa fuit à Saule, ex ea transportatum fuit Tabernaculum in Gabaon; & ibi stetit toto tempore, quo regnavit David Rex, etsi Arcam Dei recuperatam à Philisthiim ipse teneret summa cum veneratione in Jerusalem. Tabernaculum denique translatum fuit à Salomone (præviis Sacrificiis hostiarum mille ut habetur 2. *Paralipom.* 1. *Vers.* 3. *& seqq.*) in Templum à se fabricatum, à Deo dedicatum in Jerusalem Anno Mundi 3030. quod pariter *ibid.* observant Torniell. & Salian. addentes fuisse

posita

26 posita in Templo Altaria, Mensam propositionis, Candelabrum, Arcam, & alia Vasa Sacra; non autem totam Tabernaculi structuram; quæ in aliquo cubili templi autumant repositam. Sextò: Anno Mundi 3446. imminente desolatione Jeru-
27 salem, quam Chaldæi obsidebant, Tabernaculum, Arca, & alia Vasa Sacra à religiosis viris abscondita fuere subtus terram; factaque Urbis, & Templi desolatione; Jeremias liberatus è carcere anno sequenti 3447. transtulit è ruinis prædictum Tabernaculum, Arcam, & Vasa Sacra, & inclusit in speluncam Montis Nebo, eamque bene occlusit; vaticinans, ea non amplius reperienda, nisi reædificato Templo, ac Civitate; ut legitur 2. *Machab. cap.* 2. *Vers.* 4. & notat ad supradictos annos Torniell. & Salian. Septimò: Tandem Anno Mundi 3610. Hebræis postluminio Jerusalem reversis, & annuente Cyro Persarum Rege; cùm esset reædificatum Templum; à Nehemia ignem Sacrum, Tabernaculum, Arcam fœderis, aliaque ad cultum Divinum spectantia fuisse reperta, ubi Jeremias jam annos centum sexaginta tres ante abscondera; eaque omnia denuò intulisse in Templo, concors est ferè omnium sacrorum Interpretum traditio; ut videre est apud Salian. *in Annal. Ann. Mundi* 3609. *num.* 85. *& in Epitome eod. Anno num.* 20. nec non apud Torniell. *Anno Mundi* 3610. *num.* 14 *&* 15. qui confutat asserentes Arcam fœderis, & Tabernaculum adhuc remanere abscondi-
28 ta ubi à Jeremia fuere collocata; neque, nisi in fine Mundi, invenienda esse. An verò Tabernaculum, & Arca steterint in eodem Templo usque ad ultimam ejus desolationem, factam à Tito Vespasiano? & an Arca fuerit ducta Romam in Triumpho? disputat idem Torniell *Anno Mundi* 3885. *à num.* 5. *usque ad num.* 14, ad quem curiosum Lectorem remittimus, & hæc de Tabernaculo Moysis.

Templum Salomonis successit pro exercitio Di-
29 vini cultus, & Sacrificiorum inter Hebræos: nam per Salomonem constructo in Jerusalem Templo, eoque solemniter dedicato, ut legitur 3. *Reg. cap.* 8. & 2. *Paralipom. cap.* 3. *& seqq.* cœperunt in eo Sacrificia, & Victimas immolare, anno videlicet à creatione Mundi 3030. ut ad illum notant Torniell. & Salian. & sic cessavit usus Tabernaculi Moysis. Porrò non pigeat Lectorem hic audire aliqua magis digna scitu, quæ concernebant Templum ipsum.
30 *Et primò* venit consideranda ejus magnitudo; siquidem totum Templum erat in longitudine cubitorum sexaginta, in latitudine viginti cubitorum; altitudo autem ipsius Templi cubitorum centum viginti, & pavimento usque ad fastigium exterius; quod notandum duximus ad tollendam antynomiam textus Sacri 3. *Reg.* 6. 2. *Et* 2. *Paralip.* 3. 3. ubi enim altitudo dicitur cubitorum triginta, intelligitur de interiori, & inferiori parte ipsius Templi, quod erat divisum in tria solaria, ut infra notavimus; non verò de exteriori altitudine à summo usque deorsum. Ante ostium in parte Orientali ejusdem Templi erat porticus longa ad mensuram latitudinis Templi, lata cubitis decem, & dicebatur Templi Vestibulum; quod quidem Templum, uno verbo, erat duplo majus Tabernaculo Moysis. Sed dicet aliquis, quare nec æquale eidem Tabernaculo; nec amplius, & majus duplo? Respondetur; non æquale, quia Tabernaculum tanquam portatile satis parvum erat. Non majus, & amplius duplo, ut nostra Templa sunt Romæ, Mediolani, Venetiis, & alibi, quia nostra facta sunt pro ingressu Sacerdotum, & populi; in Salamonicum autem 31
Sacerdotes tantùm, non etiam populi ingrediebantur. *Secundò* consideranda est divisio ejusdem 32
Templi; & hæc, vel per longitudinem, vel per altitudinem. Quò ad longitudinem, primò erat Vestibulum, seu Porticus jam dicta, lata decem cubitis. Secundò erat prima pars Templi interior, dicta *Sancta* longitudinis quadraginta cubitorum. Tertiò erat secunda pars interior, quæ dicebatur *Sancta Sanctorum*; viginti cubitorum in longitudine, & totidem in latitudine. Dimensio respectu altitudinis Templi pariter est triplex; nam habebat duo solaria, ad quæ ascendebatur per cochleam positam in crassitie muri lateralis ejusdem Templi. Prima dimensio à pavimento Templi usque ad primum solarium cubitorum triginta. Solarium medium erat altitudinis aliorum tringinta cubitorum. Alterum solarium supremum erat cubitorum sexaginta, & hæc solaria appellabantur aulæ, & cœnacula, ut 3 *Reg.* 6. 8. Cæterùm hæc duo solaria erant tantummodo super partem Templi anteriorem, quæ appellabatur *Sancta*; non enim se extendebant super partem interiorem vocatam *Sancta Sanctorum*, quia hæc erat tota vacua, & inanis usque ad summum, sic exigente reverentia debita Arcæ Testamenti, cum Propitiatorio, quæ, ut infra dicemus, ibi consistebat. *Tertiò* est consideranda exterior pulchritudo Templi, quæ in tribus erat posita. Primò in ejus altitudine tum centum viginti cubitorum; tum collocationis in vertice altissimi montis Moriæ, ad quem non modicus erat ascensus à civitate Jerusalem, etsi ipsa fabricata esset in monte, adeò ut à culmine, seu domate Templi tota ferè Judæorum regio commodè videri poterat. Secundò ejus pulchritudo consistebat in lapidibus ex marmore albo, & electo, mirificè elaboratis. Tertiò quia summitas Templi non erat fastigata, sed plana; ut mos erat cooperire domos in Palæstina; & circumcirca habebat cancellos, seu podiolos cum intermediatis Turricellis, ita eleganter dispositis, ut aspectum producerent pulcherrimum. His accedebat tria lignea ædificia penes parietes templi, infimum, medium, & supremum constituta; quæ vel erant tria podia, inferiora tamen fenestris Templi, ad deambulandum; vel erant cellulæ pro usu ministrorum Templi, vel pro habitatione viduarum mulierum, & Virginum, quæ ibi manebant, Deo, & Templo servientes, qualis fuit Anna Prophetissa filia Phanuel, de qua *Luc.* 2. 36. unà cum Deipara usque ad annum pubertatis, ut dixerit Canisius *de Deipara lib.* 1. *cap.* 12. Suarez *in* 3. *p. D. Thom. tom.* 2. *disp.* 7. *in princ.* & Tirinus *in Exod. cap.* 38. *Vers.* 8. Ulteriùs in circuitu Templi constructa fuerant *Atria*, adinstar platearum; *Porticus* coopertæ, sub quibus, se recipere pluvio, æstusque tempore, populus poterat; *Exedræ*, *Gazophylacia*, *& Pastophoria*; idest cameræ, in quibus Sacerdotes habitarent, & oblationes populi reciperent; ut 3. *Reg.* 6. 36. & 1. *Paralipom.* 28. 6. *&* 12. & de his intelligebat Psaltes dicens: *In atriis Domus Dei nostri. Psal.* 133.

Quartò consideranda est ejusdem Templi inte- 33
rior pulchritudo. Hæc autem consistebat in tabulis cedrinis variis cum figuris elaboratis, quibus vestiebantur parietes; ipsæ autem tabulæ, ac earum figuræ in iisdem sculptæ, omnes tegebantur laminis aureis, & hæ affixæ erant asseribus cum clavis pariter ex auro factis. Item trabes, laquearia, &

portæ

portæ erant auro coopertæ ; itaut nihil in Templo videretur , quod auro purissimo non esset tectum. Pavimentum erat ex marmore nitidissimo , strato decore multo , ut ait *textus* 2. *Paralip.* 3. 7. Anterior Sanctuarii facies tota velo pretiosissimo operiebatur, quod ex hyacintho, purpura , cocco , bisloque mira varietate intextum, picturas Cherubim , aliasque varietate , & pulchritudine admirabiles referebat. Cœnacula , sive solaria superiora , pariter Salomon , *texit auro* ut dicitur *d. lib.* 2. *Paralip.* 3. 9.

Quintò videndæ sunt res collocatæ in unaqua-
34 que Parte Templi. In Vestibulo , seu atrio exteriori erat basis ænea , idest sumptuosus suggestus , in quo Salomon orabat. Item Altare æneum holocautomâtum , positum in medio atrii , quater amplius illo facto per Moysem. Item Vasa magna pro ablutionibus Sacerdotum , & Victimarum Labrum , quod mare æneum dicebatur , amplissimum , & pluribus ornatum figuris. Item duo columnæ æneæ cum suis capitellis , & basibus ornatissimæ , atque inauratæ. In parte anteriori Templi, quæ dicebatur *Sancta*, positum erat Altare thymiamatis , decem mensæ propanibus propositionis , auro contextæ ; Decem candelabra magna ex auro ; præter alia plurima infimiora , ac Lucernæ omnes aureæ. In interiori parte Templi , idest in *Sancta Sanctorum* , quæ amplissimo & pretiosissimo velo tegebatur , stabat Arca fœderis Domini cum suis vectibus auro vestitis. Idem Propitiatorium cum parvis illis duobus Cherubim aureis , factis jussu Moysis , quibus ob venerationem nihil additum fuerat. At Salomon collocavit penes Arcam duos alios Cherubim proceræ magnitudinis , de ligno Olivarum , auro tectos , quorum alæ tegebant Arcam , in qua nihil aliud positum erat , nisi tabulæ lapideæ Legis , quas Moyses tulerat de Monte ; ut expressè docet Scriptura Sacra. 3. Reg. 8. 9. *& libr.* 2. *Paralipom.* 5. 20. In cœnaculis vero , seu superioribus solariis reposita erant Vasa plurima pro ministerio Templi necessaria , Vestes Sacerdotum , Tabernaculum Moysis , (cujus cessaverat usus) quod hic tanquam in Sacrario reconditum fuit. Item aliud Tabernaculum factum jam à David pro veneratione Arcæ ; Urna cum Manna , Virga Aaronis , Liber Deuteronomii , & alia Sanctiora instrumenta , de quibus latè disserunt Torniell. *d. Anno Mundi* 3023. *à num.* 4. *& seqq. & Anno* 3030. Salian. *ad eundem Anno* 3023. *& Anno* 3024. nec non Cornel. à Lapide *in* 3. *lib. Reg. cap.* 8. *& in lib.* 2. *Paralip. cap.* 3. *& sequentib.* præter Lyran. Abulens. & alios.

35 Hæc in summa fuit structura Templi à Rege Salomone spatio septem annorum fabricati , in cujus Dedicatione per quindecim continuos dies (juncto Festo Tabernaculorum , eidem Dedicationis solemnitati immediatè sequente) immolata fuere , boum , ac vitulorum viginti duo millia, & deindè continuata sunt Sacrificia per annos quadringentos, decem & septem ; videlicet usque ad annum Mundi 3447. in quo sic exigentibus peccatis Regis Sedeciæ , capta à Nabuzardano , duce exercitus Nabuchodonosoris. Urbe Jerusa-
36 lem , tota fuit eversa , & ipsum Templum Sacrum omninò destructum ; absconditis per Jeremiam Prophetam in spelunca quadam Igne sacro , Arca Dei , & Tabernaculo Moysis , ut diximus supra. Post annos verò septuaginta captivitatis , quam in Babylone passa est gens Hebræa, annuente , & adjuvante Cyro Persarum Re- 37
ge , Judæi reversi Jerosolymam , ac Zorobabel eorum Dux , cœperunt reædificare Templum , & superatis pluribus impedimentis , ejus secundam constructionem perfecerunt Anno Mundi 3540. factumque fuit ad exemplar primi ; sed minùs ornatum ; ut Torniell. & Salian. demonstrant *ad d. Annum.* Tandem Herodes Ascalonita, declaratus Romæ Rex Judæorum anno Regni sui decimo quinto , qui erat à creatione Mundi Annus 4032. idem Templum Jerosolymitanum, ve- 38
tere à fundamento sublato , cœpit novum ædificare , ampliori ambitu , majori altitudine ; & augustiori forma ; quod etiam perfecit , suadens Judæis , & sibi , se esse Messiam promissum à lege , cum jam defecissent omnes Reges Juda. In quibus autem differret Templum hoc Herodianum à Salomonico , demonstrat Torniell, *ad Annum* 4032. ac etiam Salianus *ad Ann.* 4035. & Azor. *Inst. Moral. tom.* 1, *lib.* 6. *c.* 54. *q.* 3. & Menoch. *in Storeis part.* 2. *Centur.* 4. *cap.* 36. ad quos Lector recurrat. Illud unum tantùm advertimus ; hoc idem Templum , anno à Nativitate Christi septuagesimo , & à prædicta Herodis reædificatione octogesimo , fuisse incensum, & devastatum à Militibus Romanis, capta per eos sub Tito Vespasiano Duce , ipsa Urbe Jerusalem; in qua undecies centena millia Judæorum mortua sunt ; Sic Divina Justitia scelus Judaicum ulciscente , mortem scilicet Redemptoris nostri ; ut notat Ricciolus *in Chronolog. tom.* 2. *in Chronic. Magn. ad Annum Christi* 70. & hic est finis Templi Jerosolymitani , quod à primo initio sub Salo- 39
mone , usque ad hoc ultimum excidium sub Tito Vespasiano , duravit annos mille nonaginta tres ; ut evidenter resultat ab anno Mundi 3030. in quo Salomon illud ædificavit ; usque ad annum 70. à Nativitate Christi , in quo Romani illud destruxerunt.

Templum Samaritanorum fuit tertium , in quo 40
Israelitarum plurimi Sacrificia offerebant Deo ; & erat ædificatum in Samaria supra montem Garizim dictum. Talis autem fuit occasio ædificandi hoc Templum. Cùm Alexander Magnus Syriam occupasset , concessit gubernium Samariæ cuidam Satrapæ, cujus nomen Sanabaletes; genere Cutheo. Hic dedit in uxorem Nicaso filiam suam cuidam Manassi , fratri Jaddi Summi Pontificis Jerosolymitani. Judæi volebant excommunicatione ferire eundem Manassem , nisi uxorem alienigenam dimitteret. Ipse recurrit ad Socerum , qui ratus augere decorem Generis sui, & posteritatis ejus , fabricavit Templum prædictum in monte Garizim simile Jerosolymitano , & declaravit Pontificem prædictum Manassem ; ad quem accesserunt plures alii Sacerdotes Judæi habentes uxores alienigenas , & freti protectione Sanabaletis cœperunt Sacrificia Deo offerre in prædicto monte; undè orta est contentio inter Judæos , & Samaritanos de vero , ac legitimo adorationis loco, quæ adhuc vigebat Christi temporibus , juxta illud quod dixit ei Mulier Samaritana, *Joan.* 4. 20. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt ; & vos dicitis , quia Jerosolymis est lo-*

cus, ubi adorare oportet. Fuit autem hoc Templum Samaritanum fabricatum *Anno Mundi* 3721. ut ibi notat Torniell. videlicet ante Nativitatem Christi *Ann.* 332. & scribit *Joseph. Hebræus Antiquit. lib.* 11. *cap.* 8. & hæc satis sint de Templis Sacris, Deo vero dicatis, lege Mosayca durante.

Quò ad Quartum. Si quærimus, an apud Ethnicos, & Paganos fuerint Templa, per eos erecta, ad Sacrificia Idolis suis in illis immolanda; nemo est, qui ambigat, ea quidem plurima, & anti-
41 quissima fuisse; primum autem ipsorum fabricatorem Apollon. *lib.* 3. facit Deucalionem, ita scribens:

Inde Prometheus filius Japeti bonum genuit Deucalionem:
Qui primus condidit urbes, & Templa ædificavit.

Siquidem, non multò post diluvium Idololatria introducta, cœperunt Idololatræ construere fana, & delubra Diis suis; & certum est, in Ægypto, antequam populus Hebræus inde per Moysem educeretur, permulta Templa Idolorum extitisse, de quibus ita scribit S. Hieronymus *in Epist. ad Fabiolam*, quæ est de 42. mansionibus in mansione prima. *Autumant Hebræi, quòd nocte, qua egressus est populus, omnia in Ægypto Templa destructa sunt, sive motu terræ, sive ictu fulminum.* Quod ex aliis etiam Auctoribus comprobat Salian. *ad Annum Mundi* 2544. In Scriptura autem Sacra habemus, quòd tempore Abimelech, *anno* scilicet *Mundi* 2801. Sichimitæ ingressi Fanum Dei sui, inter epulas, & pocula maledicebant Abimelech, ut in *libro Judicum cap.* 9. *Vers.* 27. undè deducendum est, solitos fuisse Ethnicos, & Paganos in eorum Templis, post immolata Sacrificia, epulari, & bibere; quod asserit etiam Virgil. *Æneid.* 7.

Hoc illis curia Templum:
Hæ Sacris sedes Epulis: hic ariete cæso.
Perpetuis soliti Patres considere mensis.

Apud Palæstinos autem idololatras tres erant Dii
42 præcipui; Beelzebub, Astaroth, & Dagon; primus quorum porrigebat oracula, sicut Apollo in Græcia; quem Ochozias Rex ægrotans consulere misit de sua infirmitate. 4. *Reg.* 1. alii duo erant præpositi bellicis rebus; ideò Saule cæso, Philisthæi arma ejus collocarunt in Templo Astaroth, quasi gratias agentes. 1. *Reg.* 31. 10. Et in Templo Dagon posuerunt Arcam fœderis, quam pugnantes Hebræi amiserant. 1. *Reg.* 5. 2.

Et ut aliqua ex insignioribus Ethnicorum Templis recenseamus; liceat innuere sequentia. I. Tem-
43 plum Apollinis Delii, quod Eryschton filius Cecropis fabricavit *anno Mundi* 2535. ut ibi Salian. notat. II. Templum Dianæ Ephesinæ, summæ magnificentiæ, & pretiosissimis columnis ornatum, à mulieribus Amazonibus Anno mundi 3007. Ephesi constructum; quod quidam Herostratus, ut ob aliquod facinus mundo nominaretur, incendit eadem nocte, qua Olympias peperit Alexandrum Magnum; undè nata Græcis adulatio dicentibus: desertum à Dea Templum, ut Olympiadi parturienti tantum Principem assisteret; quod ex
44 Strabone, & Plinio observat Serra *de Synonymis Verb. Ephesus.* III. Romæ autem duo, & octoginta Templa Diis erecta describit Augustin. Mannus *in Selectis Histor. cap.* 19. quorum præcipuum erat illud Jovis Capitolini structum in Monte Capitolino à Tarquinio Prisco, deinde à Tarquinio Superbo spoliis hostilibus exornatum. Nunc est Templum Sacrum Ara Cœli appellatum, penes quod sunt Palatia Senatoris Romæ, & Conservatoris Urbis. IV. Templum Pacis, Romæ pariter à Tito Vespasiano magnificentissimè erectum, in quo inter cætera ornamenta ea erant, quæ deduxerat è Templo Jerosolymitano. V. Erat Pantheon, Templum scilicet omnibus Diis sacrum, quo 45
nullum admirabilius, est enim altum pedes 146. totidem latum; figuræ Sphæricæ, cujus testudo laqueata, vacuis circumquaque spaciis relictis, ne nimio pondere ædificium premeretur. In eo nulla fenestra penitus inest; nisi in medio foramen sphæricum, æneis inauratisque trabibus fultum, quod lumen præbet. Hoc Templum Bonifacius Tertius. Pont. Max. Beatæ Mariæ Virgini Sanctisque Matribus dicavit; & hodie appellatur Basilica Divinæ Mariæ Rotundæ; ut pluribus prosequitur Serra *in Synonym. Verb. Pantheon.* Imò tanta erat Paganorum devotio erga falsos Deos, ut in castris Militaribus semper erigerent eis Templa, ut demonstrat Tholosanus *in Syntax. Art. Mirabil. lib* 25. *cap.* 8. VI. Tandem sub silentio non prætereundum, etiam Sinenses paulo post diluvium magnifica Templa Angelis Tutelaribus urbium extruxisse, ut narrat Marti- 46
nius *in Sinica Histor. lib.* 1. *in princ.* ubi subdit: *Nullum in iis Templis antiquitus Idolum visebatur; sed simplex tabella, in qua, Synensi lingua, litteris aureis exaratum erat: Spiritualis Custodis Urbis Sedes. At non multo ab hinc tempore tabellæ loco substituerunt Idola, quæ genii tutelaris personam repræsentarent, quò plus terroris incuterent jurantibus.* De magnificentia autem templorum Sinensium advertit idem Auctor *lib.* 8. *propè finem* unum extitisse Camboyanum dictum, constans sexies mille lapideis columnis. Et hæc satis de Paganorum Templis.

Quò ad Quintum: In lege gratiæ, & Evange- 47
lica, quando cœperint Templa Deo sacrari, & dedicari? Absque ulla hæsitatione asseverandum venit, statim post Festum Pentecostes sanctos Apostolos cœpisse Ecclesias consecrare, in quibus Divinum Missæ Sacrificium offerrent, & Verbum Dei prædicarent; nec non fideles orationes suas Deo facerent; ut abundanter probant Eminentiss. Cardinales Baronius *anno* 57. *num.* 100. *Bona Rer. Liturgic. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 1. De Lauræa *in* 3. *Sent. tom.* 2. *virtutib. in genere disp.* 25. *num.* 36. & Casalius *de Veterib. Sacris Christianor. Ritib. cap.* 33.

Hujus veritatis testis est irrefragabilis Apostolus Paulus, qui scribens ad Corinthios ait: *Conveni-entibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos;* & paucis interjectis: *Nunquid domos; non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* 1. *Cor.* 11. Scribit etiam S. Evodius successor S. Petri in Cathedra Antiochena, relatus à Nicephoro *lib.* 2. *cap.* 3. quòd Domus illa, in qua Christus Dominus Eucharistiam instituit, & in qua Spiritus Sanctus advenit, fuit ab Apostolis in Ecclesiam consecrata; & in ea pariter consecratus S. Jacobus primus Jerosolymorum Episcopis; ac septem Diaconi ordinati. Romæ pariter S. Petrus primam Ecclesiam deputavit Domum Pudentii Senatoris, quæ in Ecclesiam conversa, dicta fuit *Titulus Pastoris*; præter alias multas, ut demonstrant suprà-citati Eminentiss. Card. Baronius, Bona, & de Lauræa, 48
San-

Sanctam similiter Deiparæ Domum, fabricatam in Civitate Nazareth ab ejus genitore S. Joachimo, fuisse consecratam in Ecclesiam à SS. Apostolis, ex pluribus Auctoribus refert Masin. *in Schola Christ. cap. 2. p. 17.* quam postea SS. Angeli *anno* 1290. transtulerunt in Dalmatiam, & post annos tres iterum in Lauretum, ubi nunc nomine Lauretanæ Domus fruitur, & summa veneratione colitur. Sanctam Martham *Anno Christi* 41. erexisse Avenione Ecclesiam Deiparæ adhuc viventi, dicemus infra *Decis. 41. num. 74.* ac S. Jacobum Apostolum Hispaniam ingressum adiisse Cæsaraugustam *Anno Christi* 37. & Deiparæ apparitione dignatum, in illa urbe erexisse, & consecrasse Ecclesiam Sanctissimæ Mariæ Virginis del Pilar scribit Frances *de Eccles. Cathedr. cap. 34. num. 117.*

Et quòd SS. Apostoli in toto terrarum orbe,
49 ubi Evangelium prædicaverint, etiam loca sacra, & Ecclesias consecratas reliquerint; idemque fecerint Episcopi eorum Successores; præter alia veterum Patrum testimonia, confirmant Edicta Imperatorum Romanorum, qui adhuc Pagani præceperunt eversionem Ecclesiarum, in quibus Christiani conveniebant ad divina officia persolvenda; ad Missæ Sacrificium celebrandum; & ad Sacram Communionem suscipiendam, de quibus Eusebius *in sua Histor. Ecclesiastic. lib. 8. cap. 2.*

50 Hoc idem Historici Patavini scribunt, anno quadragesimo sexto à Christi nativitate, S. Prosdocimum primum hujus Urbis Antenoreæ Episcopum in hac eadem Civitate expurgatum Apollinis Templum ab Idolorum immunditia consecrasse in Ecclesiam, & dedicasse Sanctæ Sophiæ, id est Divinæ Sapientiæ, nec non domum Vitaliani Principis, principalisve inter Patavinos Cives, Templum Deo Sacrum fecisse, ut legitur apud Portar. *lib. 2. cap. 2.* & Ursatum *lib. 1. ad Annum Christi 46. Urbis autem Patavii Ann. 1228. pag. 51.* Simili modo legimus in actis S. Cæciliæ, quæ Romæ Martyrium passa est Anno Christi 232. quod à Deo inducias petierat, ut domus sua in Ecclesiam consecraretur *Antiph. 5. ad laud.*

Reddita autem pace Christianitati, tempore Constantini Magni Imperatoris, ad ejus exemplum ubique magnifica Templa Christiani erigere
51 studuerunt; idemque successivis temporibus sunt prosequuti; adeò ut quodlibet Regnum, & quælibet Provincia glorietur ob excellentissimas Basilicas, quas Altissimo consecratas possidet; videlicet Roma ob illas SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & alias multas. Florentia ob Basilicam Sanctæ Mariæ à Flore. Mediolanum, Pisæ, ac Senæ ob suas Cathedrales. Venetiæ ob Templum Divi Marci. Gallia ob illud Sancti Dionysii. Hispania ob Templum Sancti Laurentii ab Escuriali cognominatum: & alibi alia innumera; de quibus Gytald. *Syntagm. 27.* Cassanæus *in Catalogo glor. mund. part. 12. consider. 62. atque 63.* & Rosin. *lib. 2. cap. 2.*

Templa verò antiqua Christianorum, ut plu-
52 rimùm versa erant ad Orientem; ante fores erat porticus pro pœnitentibus, quibus non erat licitus ingressus in Ecclesiam; & pro egenis,
53 ubi expectabant eleemosynas; intùs enim quæstuare non permittebantur, ne orantibus essent molesti, ut hodie faciunt ex incuria Ecclesiasticorum. Intus penes Januam Ecclesiæ erat locus Catechumenorum, & aliorum Pœnitentium. Deinde locus pro mulieribus distinctus ab illo virorum. Ultimò erat Presbyterium, seu Sanctuarium, sive Sacrarium, cancellis conclusum, & in eo Altare majus eminebat; ibique Sacerdotes, & Clerici tantùm stabant; exclusis omninò Laicis, quamvis dignitate fulgentibus, ut pluribus decretis SS. Patrum probat Emin. Card. Bona *d. lib. 1. cap. 20. num. 6. in fine*, & Casalius *de Vet. Christ. Sacris Ritib. cap. 33. p. 135.*

Quòd ad sextum. An licitum sit extra Templa Sacra Sacrificium Missæ offerre? Pro recta hu- 54
jus quæsiti resolutione, quatuor Jura sunt distinguenda, & consideranda: scilicet Jus antiquum, Jus medium, Jus novum, & Jus novissimum.

Jus antiquum est illud, quod habetur in Decreto Gratiani *cap. 1. cap. 2. cap. sicut 11. cap. Missarum 12. cap. Hic ergo 14. & cap. Nullus. 15. de Consecr. dist.* 1. Quorum Canonum Auctores partim fuerunt Sancti Clemens, Felix, & Sylvester Summi Pontifices Romani; partim Concilium Laodicenum, celebratum anno Domini 364. ut notat Illustrissimus Baptaglinus Episcopus Nucerinus. *In Histor. Concil. ad d. Annum*, in quibus Sacris canonibus, & decretis sancitum fuit; quòd divinum Sacrificium Missæ celebretur tantummodo in Ecclesiis Deo dedicatis, & sacratis; excepto casu magnæ necessitatis, vel alterius convenientiæ, juxta prudentiam, & arbitrium Diœcesani Episcopi, præcipuè erga Magnates, & alios Laicos Jurisdictionem exercentes, in quorum privatis domibus, permittebatur Missæ celebratio, teste Divo Gregorio Magno Papa *lib. 5. Epist. 42.* ad Venantium Patricium Exmonarchum. *Et Epist. 43.* Ad Joannem Episc. Syracusan. Cessante autem licentia Episcopi ex prædictis causis, prohibitum erat celebrare extra Ecclesias cum comminatione suspensionis ab officio Sacerdotibus, dictis decretis non obtemperantibus; quod idem statutum fuit etiam in Gallia in Concilio celebrato in Civitate Cabilloni, anno Domini 813. ut advertit laudatus Illustrissimus Baptaglinus *ad dictum annum* 813. regnante Carolo Magno Imperatore *Can. 49.*

Jus medium est illud quod promulgatum fuit sæculo duodecimo per Honorium Papam Tertium ad favorem Fratrum Prædicatorum, & Minorum; & per Bonifacium Papam Octavum ad favorem omnium Episcoporum. Honorius con- 55
cessit Privilegium prædictis Fratribus, ut cum Altari viatico, seu portatili possent celebrare Missam, etiam extra Ecclesiam, in loco tamen decenti; & hoc absque alia licentia Episcoporum Diœcesanorum; ut legitur *in capit. In his 30. de Privileg.* Fuit autem creatus Papa Honorius Tertius anno 1216. & obiit anno 1227. Ad favorem autem Episcoporum omnium idem Privilegium concessit Bonifacius Octavus, quod habetur *in cap. fin. de Privileg.* Fuit autem creatus Papa ipse Bonifacius Octavus anno 1294. & solvit naturæ debitum anno 1303.

Jus novum, est illud, quod fuit promulga- 56
tum à Sacro Tridentino Concilio *sess. 22. in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*; ubi cùm multa jam, sive temporum vitio, sive hominum incuria, & improbitate irrepsisse viderentur, quæ à tanti Sacrificii dignitate

aliena erant ; & ut ei debitus honor , & cultus
57 restitueretur ; sancta Synodus inter cætera, quæ ibi præcepit facienda , & observanda ; injunxit Episcopis : *Ne patiantur privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam , & ad divinum tantùm cultum dedicata oratoria , ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda , sanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus , aut Regularibus quibuscumque peragi.* Quoniam verò in executione hujus Conciliaris Decreti Episcopi vel parum solliciti , vel plurimùm desides reperti sunt ; emanavit,

Jus novissimum , videlicet Decretum Pauli Pa-
58 pæ Quinti *diei* 10. *Martii* 1615. intimatum singulis Episcopis per litteras Sacræ Congregationis Concilii infrascripti tenoris , quæ leguntur apud Novarium *in Summa Bullar. par.* 1. *Commentar.* 80. & apud Nicolium *Lucubrat. Canonis. tom.*2. *lib.* 5. *tit.* 33. *num.* 7. Videlicet :

Perillustris , ac Reverendissime Domine uti fra-
59 *ter. Tametsi Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum , optimis innixa rationibus, sæpissimè responderit , celebrandi licentias in privatis Oratoriis non nisi à Sede Apostolica esse concedendas ; compertum est tamen per plures Antistites , ejusdem Concilii verba in alium sensum detorquentes passim illas , ac nullo propè delectu impertiri; qua quidem facilitate , ne dum ipsi Pontificiam sibi auctoritatem asciscunt , aliarumque Ecclesiarum, & frequentiam , minuunt , & dignitatem ; verùm etiam , quod summè dolendum est , tremendum illud Mysterium , quo nullum aliud opus adeò sanctum, atque Divinum à Christi fidelibus tractari potest , intra domesticos parietes plerumque tanta cum irreverentia peragitur , ut nihil ferè inter profanam , & divinam domum interesse videatur ; quod sanè teterrimum exemplum , ut de Christiana Republica evellant Illustrissimi Patres Amplitudini tuæ , cæterisque Archiepiscopis , atque Episcopis universis , Sanctissimi Domini nostri jussu significandum duxerunt , facultatem hujusmodi licentias dandi ipsius Concilii decretis unicuique adeptam esse ; solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam ; proindeque Amplitudini tuæ abstinendum esse ab illis unicuique tribuendis , ac si quas hactenus , vel à se ipsa , vel à suis antecessoribus, aut alias quoquomodo , quàm ab ipso Summo Pontifice concessas reperierit , nullas , atque irritas esse quam primum decernendas , atque enixè curandum , ne ulla illarum ratio in posterum habeatur , quam quidem Sacræ Congregationis , atque adeò Sanctitatis suæ voluntatem libenter amplitudo Tua perficiet ; Harum litterarum exemplum in acta publica primo quoque tempore referendum ; ac deindè ad singulos istius Provinciæ Episcopos deferendum curabit Romæ die* 10. *Martii* 1615.

Amplit. Tuæ Perill. ac. Rever.
Uti frater studiosissimus.
Hor. Card. Lancellotus.

His addendum , quod scribit ex Portello , & Garzia Diana *part.* 9. *tract.* 1. *resol.* 42. *num.* 4. quæ reportata est *in opere coordinato tom.* 4. *tract.* 2. *resol.* 19. supradictam prohibitionem renovatam fuisse etiam per Urbanum Papam VIII. à quo iterum injunctum fuit Episcopis, ne sub quovis prætextu licentiam darent alicui celebrandi , vel celebrare faciendi in Oratoriis privatis.

Porrò hîc non est omittendum speciosum quidem Privilegium , quo donati sunt Procuratores Sancti Marci Venetiarum à Summo Pontifice Paulo Quinto Anno MDCV. ut scilicet statim ac Dignitate Procuratoria à Sereniss̃ima Republica sunt ornati ; possint in propriis suis domibus Oratorium habere , in quo ex sola Episcopi Diœcesani approbatione , cum tota eorum familia quotidiè Sacrosanctum Missæ Sacrificium audiant , tribus tantùm diebus exceptis in toto anno , videlicet Paschatis , Pentecostes , & Nativitatis Domini , prout ex tenore Bevis Apostolici , tenoris hujusmodi.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Ad futuram rei memoriam.

Volentes pro paterna nostra erga dilectos Filios modernos , & pro tempore existentes Procuratores Sancti Marci nuncupatos Reipublicæ Venetiarum dilectione , illorum spirituali consolationi opportunè prospicere , ac illos specialibus favoribus , & gratiis benignè prosequi , Supplicationibus dilectorum. Filiorum ipsius Reipublicæ Oratorum ad præstandum nobis obedientiam novissimè destinatorum, super hoc Nobis humiliter porrectis , inclinati ; eisdem modernis , & pro tempore existentibus. Procuratoribus Sancti Marci, ac cuilibet eorum , ut in propriis illorum domibus , in privato quisque ipsorum Oratorio , ad hoc decenter, extructo , & ornato , ab omnibus domesticis actibus libero , ab Ordinario loci priùs visitando , & approbando , Sacrosanctum Missæ Sacrificium per Sacerdotes sæculares , aut de ipsorum Superiorum consensu quorumvis Ordinum Regulares , in eorum , ac familiæ , familiarumque ipsorum præsentia celebrare facere , sine tamen præjudicio Jurium Parochialium & exceptis diebus Paschatis Resurrectionis Dominicæ , ac Pentecostes , & Nativitatis ejusdem Domini Nostri , libere , & licitè valeant ; Auctoritate Apostolica, tenore præsentium , licentiam concedimus & impertimur. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut alii præter familiares ipsorum Procuratorum , Missæ in eorum Oratoriis privatis celebrandæ interessentes diebus festis de Præcepto , ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia minimè liberi esse censeantur. Datum Romæ apud S. Petrum die prima Decembris 1605. *Pontificatus Nostri Anno Primo.*

Igitur ex inspectione Juris Canonici, tum antiqui , & medii , tum novi , ac novissimi satis evidenter patet ; non esse licitum Sacrosanctum Missæ Sacrificium offerre extra Ecclesiam, & loca sacra Deo per Episcopos ritè , & rectè dedicata ; & soli Romano Pontifici reservatam esse facultatem concedendi licentiam nobilibus personis celebrare faciendi in Oratoriis privatis ; de quibus 60
ego satis attentè tractavi in Decisionibus meis *De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decis.* 8.

Cæterum , quamvis clara , & manifesta sit Concilii Tridentini prohibitio ; nec non subsequens Pauli Papæ Quinti ; excitatæ adhuc fuerunt duæ quæstiones per Moralistas , *Una* an Privilegium Honorii III. concessum Regularibus celebrandi ubicumque cum Altari portatili , sit verè revocatum? *Altera,* Utrùm in casu necessitatis possint hodie Episcopi concedere licentiam celebran-

di

di extra Ecclesiam, sicut iisdem permittebant canones antiqui?

Circa Primam; Pasqualigus *de Sacrificio Missæ, quæst.* 474. & alii plurimi DD. quos allegat Pignatell. *tom.* 6. *Consult.* 12. *num.* 1. conati sunt probare, prædictum Privilegium Honorianum non esse
61 revocatum, ea ratione quia clausum est in Corpore Juris; quo casu ei non derogatur per Clausulas generales. Rota *part.* 3. *rec. decis.* 645. *num.* 5. Sed necessaria est specialis mentio, quam non fecit Concil. Trid. *d. sess* 22. *in Decreto de observ. & evitan. in celebrat. Missar.* Eò minus quia non fuit revocatum consimile Privilegium concessum Episcopis per Bonifacium Papam Octavum, ut pluries declarasse Sacram Congregationem, testantur Pignatell. *d. tom.* 6. *Consult.* 12. *num.* 12. Pax Jordan. *tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 173. & aliquos cumulavi *in Decis. de Euchar. d. Decis.* 8. *num.* 18.

Nihilominùs veritas stat in contrarium; si-
62 quidem omnia Privilegia concessa Regularibus de celebrando extra Ecclesiam in Altare Portatili ante Concilium Tridentinum fuerunt revocata ab eodem Concilio Tridentino *d. cap. Unic. sess.* 22. Primò, quia fuerunt eis concessa, quando carebant propriis Ecclesiis, & habebant necessitatem celebrandi in propriis habitaculis; quæ necessitas hodiè cessat, cessante autem causa, ob quam fuit concessum Privilegium, cessat ipsum Privilegium. *cap. Etsi Christus. De Jurejur. cap. Cum cessante. De Appellat.* Secundò, quia Concilium Trid. *d. Decret. Unic. sess.* 22. in prohibitione nominavit etiam Regulares, ut subdit, *non obstantibus Privilegiis, & exemptionibus quibuscumque.* Neque
63 obstat, quòd sit clausum in Corpore Juris; quia non habet majorem vim, quam Jus commune; sed Juri communi non est opus derogare per posteriorem constitutionem, quia hæc tollit anteriorem contrariam, licet de illa mentionem non faciat. *cap.* 1. *ubi DD. de Constit. lib.* 6. Felin. *in cap.* 1. *num.* 11. *De Rescript.* Eò magis quia ex stylo S. Concilii Trid. in derogationibus generalibus non consuevit fieri mentio talis insertionis in Corpore Juris; & si aliter prætenderetur, fieret subversio totius Concilii, ut ex pluribus exemplis, & decretis ejusdem Concilii Tridentini demonstrat idem Pignatell. *d. Tom.* 6. *Consult.* 12. *num.* 11. in quibus juri communi derogatum est sola clausula derogatoria generali.

Neque juvat Regulares exemplum Privilegii Episcoporum; illud enim non est revocatum à Concilio Tridentino, tanquam concessum personis in sublimiori gradu Hierarchiæ Ecclesiasticæ constitutis; quibus convenit, ut possint ubicumque celebrare, ne absque Missa in itinere cogantur remanere; ut docet Pignatell. *de Consult.* 12. *num.* 15. Quare Regularium Privilegia de Altare portatili esse prorsus revocata constanter tenuerunt. Navar. *in Man. cap.* 25. *num.* 82. *in fine* Barbos. *alleg.* 24. *num.* 4. Passerin. *de Pollut. Eccles. disp.* 2. *cap.* 11. *num.* 1. & ex Regularibus alii Theologi viginti celsioris nominis, quos congerit ipse Pignatell. *d. tom.* 6. *Consult.* 12. *num.* 8. Quorum opinio fit irrefragabilis ex Breve Greg. XIII. quo concedit denovo Societati Jesu consimile Privilegium in Missionibus, & ibi dicit: *Usum Altaris Viatici Societati Vestræ à f. r. Paulo Papa III. concessum, deinde à Concilio Trid. universè sublatum vobis eatenus restituimus &c.* Quod quidem Breve registratur à P. Augustino à Virgine Maria Carmelita Strictioris Observantiæ *de Privileg. Omn. Religios. Verb. Altare. n.* 18.

Aliud verò dicendum venit de Capellis, & Altaribus fixis, existentibus in claustris Regularibus; 64
in his enim, quia dici non possunt esse in domibus privatis, sed in locis Religiosis, si ab Episcopo visitentur, & approbentur, poterunt Regulares Missam celebrare; prout de facto celebrant in Altaribus, & Capellis constructis penes suas infirmarias; quibus non resistit Concilium Trid. ut doctè concludit d. Pignatell. *in cit. tom.* 6. 65
Consult. 12. *num.* 25. ubi idem dicendum advertit de similibus Oratoriis constructis in Seminariis, & Hospitalibus, sive ordinaria, sive Apostolica auctoritate; quod advertere debent Episcopi, & eorum Vicarii pro bene exercendo munere suo.

Circa secundam Quæstionem: An hodie in casu necessitatis possint Episcopi concedere licenti- 66
am celebrandi extra Ecclesiam; sicut iisdem permittebant Canones antiqui? Affirmant Theologi longa manu citati per Quart. *in Rubr. Missal. part.* 3. *tit.* 10. *num.* 1. *dub.* 5. & per Dianam veterem *part.* 9. *tract.* 1. *resol.* 43. quæ est reposita in opere Coordinato *d. tom.* 4. *tract.* 2. *resol.* 20. 21. & 22. ubi examinat hos casus necessitatis, videlicet: I. Quando exercitus, seu classis ad multum temporis spatium Missam non audivit, & ad locum appulit, ubi sub dio potest commodè Missa in Altare portatili celebrari. II. Si exercitus moretur in castris, vel sub tentoriis, ne Christiani milites Missa priventur. III. Si infirmus sit communicandus per Viaticum, vel ex Præcepto; & ob distantiam Ecclesiæ, vel vias pravas non absq; maxima difficultate possit ad eum Sacra Eucharistia deferri. IV. Si, ubi extat Oratorium privatum pro unica Missa, illa celebrata adveniat Dominus Oratorii, qui Missam non audivit die festo. V. Si pestis grassetur in Civitate, & Cives petant ab Episcopo licentiam Missæ celebrandæ, vel in privatis domibus, vel in publica via VI. Si longa sit navigatio in mari; & navis sit magna; mare autem quietum. VII. Si fiat Processio, vel sit concursus populi ad aliquam parvam Ecclesiam, quæ illum capere non possit, & expediat erigere Altare extra Ecclesiam & ibi coram omni populo celebrare. In his omnibus casibus, attenta necessitate, affirmant Moralistæ plurimi apud supradictos. *Quartum, & Dianam* licitum esse celebrare tum sub dio, tum in domo privata; & idem concedunt Gobat. *in Theol. Experim. tract.* 3. *à num.* 238. *&* 240. Franc. de Lugo *lib.* 5. *de Missa cap.* 6. *num.* 6, Barbosa *de Jure Ecclesiastico Univ. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 33. & Byssus *in Hier. Sacra, tom.* 1. *Litter. L. num.* 119. *& tom.* 2. *Litter. M. n.* 211. §. 12.

Salva tamen reverentia tantorum virorum, contrarium est tenendum in omnibus supradictis casibus; in quibus absque Sedis Apostolicæ dispensatione nulli licitum esse debet celebrare; neque Episcopis permissum est licentiam concedere, ut pluribus rationibus, & auctoritatibus comprobat Pignatell. *tom.* 2. *Cons.* 39. ubi loquitur in casu communicandi infirmum per Viaticum; cui bis proposito S. Congregationi

Concilii, tum per Cardinalem legatum Portugalliæ, tum per Cardinalem Paleottum, semper respondit negativè. Et idem Pignatell. *tom.* 8. *Consult.* 124. examinat causam navigationis longæ; & allegat pro negativa plures, eosque gravissimos Theologos; nec non responsum *Sacr. Congreg. S. Officii diei* 31. *Julii* 1607. Quibus ego addo aliud responsum *Sacræ Rituum Congreg. diei* 12. *Feb.* 1633. impressum apud Dianam Coordinatum *d. to.* 4. *tract.* 2. *Resol.* 22. *num.* 3. cujus vigore ipse videtur recedere ab opinione contraria; cui favere non potest praxis navigantium ad Indias, siquidem illis concessam fuisse licentiam ab Apostolica Sede testatur Byssus *d. litt. L. num.* 119. §. 3. & *litt. M. num.* 211. §. 12. nos autem disputamus, ubi facultas Apostolica non habeatur.

67 Porrò in dictis casibus, an saltem Missa sicca recitari possit à Sacerdote vestibus sacris induto, omissa tamen oblatione, consecratione, totoque Canone? Respondendum est negativè, quia est contra Ritum Ecclesiæ Catholicæ induere vestes sacras, & celebrare Missam, omissis essentialibus ejusdem Missæ, & qui sic ageret, graviter peccaret, ut doctè probat Pignatell. *tom.* 4. *Consul.* 135. Sed de Missa sicca dicemus infra *Decis. num.* 31. *num.* 36.

Quoad Septimum. *Quinam fuerint Milites Templarii in Ecclesia Catholica, & quomodo esse desierint?*

68 Templorum materia quam hucusque examinavimus, motivum præbet recensendi Milites Templarios, qui suam habuerunt originem in Jerusalem *Anno Domini* 1118. & Religionem eorum approbavit Apostolica Sedes sub Honorio Papa Secundo, *Anno* 1127. dato eis habitu albo cum Cruce rubea; emittebant autem tria solita vota Religiosa, ac ulteriùs defendendi Peregrinos euntes in Terram Sanctam ab insidiis latronum, & Saracenorum; cumque crevissent opibus, & divitiis maximis, glorioſissimas expeditiones militares fecerunt in defensionem fidei contra Saracenos. Cumque diù se servassent in honesto proposito, professioni suæ laudabiliter satisfacientes; tandem neglecta humilitate, quæ omnium virtutum est custos, evaserunt superbi, ac molesti non solùm privatis personis, sed etiam Principibus, & diffamati de enormitatibus, ac pessimis vitiis, etiam de Hæresi, & Apostasia; *Anno* 1307. Philippus Rex Francorum illos judicialiter accusavit coram Clemente Papa Quinto; qui anno sequenti convocato Concilio Viennensi, in eo jussit eorum causam pertractari; & pluribus ex iisdem Templariis militibus carceratis, aliisque fatentibus delicta, aliis negantibus; tandem tanquam Rei prædictorum gravissimorum criminum fuerunt condemnati; & eorum multi tanquam impœnitentes igne combusti; suppresso toto Templariorum Ordine; cujus magna pars bonorum, & possessionum data fuit Militibus Hierosolymitanis, ut fusè narrant Chassanæus *in Catalogo Glor. Mundi part.* 9. *consid.* 5. Bzovius *ad Annum* 1310. Salelles *de S. Inquisitio. lib.* 3. *cap.* 16. *Reg.* 280. *à num.* 76. & *seqq.* Azor. *Instit. Moral. tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 6. Raynald. *in Annalt Ecclesiast. Anno* 1308. & 1312. Alberticus *in Dictionar. Verb. Templarii.* Sanctus Antoninus *Histor.* 3. *part. titul.* 21. *cap.* 3. Novissimè Forestus in *Mappamundo, tom.* 3. *part.* 2. *in Vita Clementis Papæ Quinti*: ubi observat, non ita certum fuisse apud homines, quòd omnes Templarii essent Rei mortis, & excidii totius Ordinis; cujus hæsitationis ansam præbuisse ferunt, mortem tum Clementis Papæ Quinti, tum Philippi Regis Francorum intra annum; juxta citationem de ipsis, quam facerat existens in patibulo Joannes Mula Magnus totius Ordinis Magister, ad comparendum ante Tribunal Dei; quæ quidem citationes utrum timendæ sint à Judicibus ritè, ac rectè procedentibus, demonstrat Martin. Deltrius *Disquis. Magic. lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 4. Et Stephan. Menochius *in Stor. reis Centur.* 1. *cap.* 28. quos Lector curiosus percurrat.

DECISIO XIII.

ARGUMENTUM.

Quia in definitione Sacrificii, ultra necessitatem Templi, dicitur esse necessarium etiam ALTARE; agitur de quidditate, & necessitate ALTARIUM ad celebrandam Missam.

SUMMARIUM.

1 *Altare sacrum est necessarium pro celebranda Missa.*
2 *Altare est duplex, Immobile, & Portatile.*
3 *Altare immobile quid sit?*
4 *Altaria olim lignea; & argentea, nunc lapidea tantùm.*
5 *Epaunum est Urbs Apamiæ, vulgò* Pamiers.
6 *Altare quasi alta Ara, & elevatum à terra.*
7 *Altaris altitudo quanta esse debeat?*
8 *Altare in Areopago Athenarum cui Deo ignoto dicatum?*
9 *Altaris mensa quantæ latitudinis, & longitudinis esse debeat?*
10 *Altaria consecrare semper Ecclesia consuevit.*
11 *Peccatum mortale est celebrare Missam sine Altare.*
12 *Sacerdos celebrans sine Altare est suspendendus à Divinis, & n.* 32.
13 *Altare non consecratum non acquirit consecrationem per celebrationem Missa in eo.*
14 *Altarium fixorum antiquitùs forma diversa.*
15 *Altare portatile cur dictum Viaticum? ejus usus antiquissimus. Ejus forma quæ?*
16 *Antimensis utuntur Græci pro Altare portatili.*
17 *Altaria consecrantur ab Episcopis. Sed utrum ab Abbatibus, & simplici Presbytero?*
18 *Abbates de jure non consecrant Altaria; sed tantùm ex Privilegio.*
19 *Pontificalium usus usque ad annum millesimum ab Incarnatione Domini non fuit concessus Abbatibus.*
20 *Abbatibus Casinensibus concessa facultas consecrandi Altaria portatilia pro usu suarum Ecclesiarum à Pio Papa IV. anno* 1565.
21 *Abbates an possint consecrare Altaria etiam pro Ecclesiis extraneis? est quæstio; in qua negativè respondendum; etiam circa calices; campanas, & suppellectilia Sacra.*
22 *Abbates non posse consecrare Altaria pro usu alienarum Ecclesiarum decisum est à S. Ritu Congregatione anno* 1644.
23 *Abbatum potestas circa usum Pontificalium, & circa consecrationes restricta fuit Anno* 1659. *sub Alexandro Papa VII. in Decretis XXI. quorum XVIII. nec non XIX. sunt prohibitiva conse-*

cra-

crationum, & collationis ordinum minorum pro non subditis, etiam de licentia Ordinariorum.

24 *Papa ad libitum potest restringere, ac etiam revocare Privilegia quibuscunque concessa per Apostolicam Sedem.*

25. *Mendicantium Ordinum Prælati non possunt consecrare Altaria, aut Calices, vel paramenta benedicere pro alienis Ecclesiis, vel personis.*

26 *Presbytero potest à Papa dari facultas consecrandi Altaria, & Calices.*

27 *Reliquiæ Sanctorum an sint de essentia consecrationis Altarium? Quæstio famosa. Rationes pro affirmativa n. 28 Pro negativa n. 29.*

30 *Lipsana non sunt de essentia reponenda in Altari consecrando, sed tantùm ex consuetudine generali Ecclesiæ.*

31 *Altaria quando perdant Consecrationem?*

32 *Altare non perdit consecrationem, si exeat de suo loco operculum SS. Reliquiarum, sed statim ibi gypso firmetur, repositis in suo loco ipsis SS. Reliquiis.*

33 *Excommunicatus Sacerdos, vel degradatus si celebret, non reddit Altare execratum.*

34 *Altare deficiente non licet celebrare ex quacunque casu, & celebrans graviter puniendus esset.*

35 *Papa concedere potest celebrationem Missæ sine Altare.*

36 *Exempla tria antiqua Missæ celebratæ sine altare, idest S. Luciani Martyris, Theodoreti Cyri Episcopi, & Sancti Apollonii Episcopi Brixiensis.*

37 *Mulieres prohibitæ ministrare Altari.*

38 *Mulieres in Ecclesia stent separatæ à Viris.*

39 *Presbyteri non celebrant eo die in Altare, in quo celebravit Episcopus, vel Legatus Apostolicus absque eorum licentia.*

40 *Christi omnis actio debet esse nostra instructio.*

41 *Crux fuit Altare Sacrum, in quo Christus Dominus cruentum Sacrificium obtulit. Templum verò totus mundus.*

42 *Christus Dominus fuit Sacerdos, Hostia, Templum, & Altare.*

1 NOn solùm im Templis sacris Deo tremendum Missæ Sacrificium est offerendum; sed illud super Altaribus pariter sacris immolari debet, ut ex auctoritate SS. Canonum, & Conciliorum probat. Emin. Card. Bellarminus *lib. 2. de Missa cap. 24. §. De Templis, & Aris*; Tamburin. *de Sacrificio Missæ libr. 1. cap. 5. §. 1.* Lezana *tom. 3. Verb. Altare num. 10.* & Collegium Salmantic. *de Sacram. in genere tract. 5. cap. 4. punct. 3.* nec non Doctores omnes infra citandi. Idcircò pro hujus necessarii requisiti, ad ritè litandum, intelligentia, quinq; sunt breviter examinanda, & videnda.

1 *Quid, & Quotuplex sit Altare*

2 *Ad quos spectet consecratio Altarium?*

3 *An Reliquiæ Sanctorum sint de essentia consecrationis Altarium?*

4 *Quando Altaria dicantur perdidisse consecrationem?*

5 *An liceat aliquando celebrare sine Altari consecrato?*

Quòd ad Primum. Cùm omne multiplex, secun-
2 dùm Philosophum sit priùs dividendum, & postea definiendum. Arist. *lib. 2. Poster. cap. 9.* Scire oportet quòd duplex est Altare; aliud *Immobile, & firmum*; Aliud verò *Portatile, & Mobile*. Primum appellatur etiam *Mensa, fixa, & stabilis*. Secundum dicitur *Altare Viaticum*, quo per viam peregrinantes utuntur, item *Ara, Lapis, & Tabula*; ut advertit Bordon. *Var. Resolut. part. 2. resolut. 83. num. 17.* & Barb. *de Jure Eccles. Univers. lib. 2. cap. 7. n. 2. 3. 4.* Altare firmum, & fixum *est fabrica de muro, elevata à solo Ecclesiæ*, 3
cum mensa lapidea, figuræ quadratæ oblongæ; ritè consecrata, supra quam Sacerdos legitimè sacrificare potest. Dicitur esse *fabricam de muro*; quia, licèt olim in 4
primitiva Ecclesia fierent Altaria lignea, ob eorum magis expeditum usum, & ut faciliùs de loco in locum transferri possent tempore persecutionum ut notat Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 10. sub. num. 1.* cujusmodi erat Altare Principis Apostolorum, repositum postea à S. Sylvestro Papa in Ecclesia Lateranensi ut in Dedicat. Basil. Salvatoris *die 9. Novembr. lect. 6. Brev. Rom.* & cessata persecutione Constantinus Magnus fecerit in Basilica Constantiniana Altaria Septem de argento purissimo, pensans singulum libras 260. Et Sixtus III. obtulerit Basilicæ Sanctæ Mariæ Altare argenteum purissimum pensans libras 300. ut *ibid.* scribit Emin. Cardin. Bona; postea sancivit Ecclesia, ut nemini liceat celebrare, nisi in Altari Lapideo consecrato, & Chrismate delibuto; cùm sit figura Domini Nostri Jesu Christi, de quo ait Apostolus 1. *Cor. 10. Petra autem erat Christus. cap. Fundamenta, de Elect. in 6.* tum etiam quia Sepulchrum Christi, quod repræsentat Altare, fuit excisum de Petra. Barb. *d. lib. 2. cap. 7. num. 5.* Est autem incertum, qui primus præceperit, Altaria debere esse Lapidea; etsi communis opinio hoc referat ad eundem Sanctum Sylvestrum. Ivenin. *in Histor. Dogmat. de Sacram. Dissert. 5. q. 8. cap. 3.* Emin. Card. Bona *d. num. 1.* Id tamen legitur *in cap. Altaria 31. de Consecrat. dist. 1.* sumptum ex Concilio Epaunensi: *cap. 26.* quod fuit celebratum Anno 509. in Urbe Galliæ tunc
dicta *Epaunum*, quæ secundùm Ortelium est Urbs 5
Apamiæ, vulgò *Pamiers*. Ferrar. *in Diction. Geographic. Verb. Epaunum*, & Emin. Card. Bona *d. lib. 1. cap. 20. num. 1.* porrò Altare Ligneum cum Ara Lapidea non est prohibitum, & super eo licitum est celebrare. Barbos. *ubi supra num. 6.* Lezana *tom. 3 Verb. Altare num. 2.* & Nicolius *in Flosc. Verb. Altare num. 5.* Dicitur in definitione *elevata à solo Ecclesiæ*; spectat 6
enim ad decorem, & majestatem Altaris, ut sit altum, & elevatum à terra; imò vocatur Altare quasi alta Ara. Lezana. *d. Verb. Altare num. 1.* & Pax Jordanus *tom. 1. lib. 5. tit. 10. num. 4.* nam etiam Ethnici Diis superis sacrificabant in ædificiis à terra elevatis; in terra autem Diis terrestribus, & in effossa Diis infernalibus. Lezana *ibidem.* Ejus autem altitudo debet esse à Scabello ligneo, seu bradella ipsius Altaris, *cubitis duobus, & unciis octo*, ut præscriptum fuit à S. Carolo *in Concil. 4. Provinc.* quamvis si paulò minùs deficiat, sit tolerandum, juxta instructionem ejusdem Sancti ad suos Vicarios Foraneos, de 7
qua *in Act. Eccl. Mediolan. pag. 801.* & cujus meminit Joseph Crisp. *in tract. Visit. Pastoral. part. 2. §. 6. n. 6.* Hinc Altare de Lignis Sethim, quod fecit Moyses jussu Domini, habeat tres cubitos in altitudine. *Exod. 27. 1.* Et tale erat Altare, ab Athenienſibus
dicatum *Ignoto Deo*, de quo ait ad illos Apostolus 8
Paulus, *Act. 17. 23. Prætereins enim, & videns simulacra vestra, inveni & Aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo.* Quibus autem de causis dictum Altare erectũ fuisset Athenis, & de quo *Deo ignoto* intelligerent Sapientes illi, plures recensèt opiniones Nicolius *d. Verb. Altare n. 3* probabilior tamen est, quòd illud

illud ad Deum Judæorum referrent, cujus cùm nullum extaret simulacrum, seu sculptura; à quo manifestaretur, illum appellabant *Deum ignotum*; nam & ipsos Judæos *Juvenalis Satyr.* 14. irrisit tanquam nubium adoratores, dicens:

Quidam sortiti metuentem Sabbata Patrem.
Nil prater nubes, & Cœli Numen adorant.

Idemque sentisse videtur *Lucanus*, qui Deum Judæorum incertum appellavit, quia non erat visibilis:

——— *Non dedita Sacris*
Incerta Judæa Dei.

Nisi velimus asserere, quòd Athenienses, cùm audissent S. Dionysium Areopagitam, loquentem de Ecclypsa visa in die mortis Christi, & dicentem: *Aut Deus naturæ Auctor patitur; aut mundi machina dissolvitur*; sive, ut refert Michael Singellus, Auctor Græcus; *Deus ignotus in carne patitur; ideóque universum hisce tenebris obscuratur, & concutitur*; voluerint huic patienti Deo ignoto erigere illud Altare, ut latiùs prosequitur Stephan. Menochius *in Histor. Sacra in Act. Apostolor. lib. 2. cap.* 23. ubi alios adducit.

Sequitur in eadem definitione Altaris: *Cum* 9 *Mensa Lapidea figuræ quadratæ oblongæ.* Quia, ut dictum est, Altare debet habere mensam ex lapide expansam, cujus latitudo sit saltem duorum cubitorum; longitudo autem cubitorum ad minimum quatuor; ut idem Sanctus Carolus præscripsit in suo *Concil. IV. Prov.* & notat Josephus Crispinus *d. part. 2. §. 6. num. 6.* Subjungitur in definitione *Ritè consecrata*; sicut enim Moyses, Domino præcipiente, consecravit Tabernaculum, Mensam, & Altare ejus; sic Ecclesia Catholica 10 semper solita fuit non solùm Templa, sed etiam Altaria sacrare pro usu Divini Sacrificii, ut habetur *in cap. Tabernaculum 2. de consecr. dist. 1.* de cujus consecrationis effectu ita loquitur S. Thom. *3. part. quæst. 83. art. 3. Consecratio Altaris repræsentat Sanctitatem Christi; consecratio verò Domus Sanctitatem totius Ecclesiæ. Ecclesiæ, & Altare consecrantur, quia hac consecratione adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta dicuntur Divino cultui; ut scilicet homines devotionem quandam exinde percipiant, ut sint paratiores ad Divina.* De cæremoniis autem, quibus consecrantur Altaria, de ablutionibus, ac Unctionibus cum Sacro Chrismate disserit Guilielm. Durand. *in Rational. Divinor. Officior. libr. 1. cap. 7.* ubi earumdem Mysticas significationes explicat; & novissimè Hugo Menard. *in notis ad libr. Sacramentor.* S. Gregor. Papæ *pag. 195. 196.* & Alphons. Mendezius *in Theologia Catechetica tom. 2. libr. 11. cap. 1. num. 3. & 4.* qui advertit in Æthyopia, usum Altaris Lignei, *Zabot* vocati, prævalere; ac promanasse ab exemplo Divi Petri, qui tempore persecutionum, ut dictum est, in ligneo Altari, concavo in speciem Aræ celebrabat.

Tandem subdit definitio; *Supra quam Sacerdos legitimè Sacrificare potest* quia concors est Theo- 11 logorum, & Canonistarum sententia, esse mortale peccatum litare extra Altare consecratum, sive fixum; sive portatile, (hoc enim sufficit, illo deficiente) *cap. Sicut non alii. 11. cap. Altaria il. 2. De Consecr. dist. 1.* S. Thom. *3. p. q. 83. art. 3.* Laym. *libr. 5. tract. 5. cap. 6. num. 3.* & Quart. *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 20. ad dubia conscient. dub. 1.* Adeò ut Sacerdos qui celebraret in Altari non consecrato, ut infra dicetur, esse plectendus suspensione à Divinis. Bordon. *Var. Reso-* 12 *lut. Part. 2. resol. 83. num. 24.* Qui opinatus est *ibid. num. 19.* Altare nondum consecratum, vel etiam dissecratum, evadere consecratum per celebrationem in eo factam sive bona, sive mala fide; prout communiter docetur de patena, & calice non consecratis adhibitis in celebratione: sed contrarium tenent. Quart. *d. part. 1. tit. 20. dub. 4.* & Bissius *in* 13 *Hierurg. Sacra Verb. Altare §. 5. & in Verb. Vestes: idest Paramenta Sacra §. 4.* quibus ego adhæreo; nam, quidquid sit de patena, & calice (de quibus etiam differit Quart. *part. 2. tit. 1. sect. 2. dub. 3.*) magnum est discrimen, siquidem Corpus, & Sanguis Domini immediatè tangit, & delibat patenam, & calicem; secus autem Altare ipsum; quod ulterius majoribus orationibus, & cæremoniis, quàm calix, & patena consecratur; ut resultat ex Pontificali Romano *tit. de Consecrat. Altar.* & ex his, quæ tradet Duran. *d. lib. 1. cap. 7.* & Menard. *d. pag 195. & 196.*

Non est autem ignorandum pro Altarium fixorum intelligentia, eorundem antiquitus diversas 14 fuisse structuras, nam aliquando Mensa lapidea superjacebat uni tantùm columnæ; aliquando columnis duabus, aliquando quatuor, ut adhuc videtur Romæ in cryptis, & cœmeteriis: invaluit demum usus, ut Mensa ipsa lapidea collocetur super ædificio quadrato, ex muro confecto, ad tumuli formam, ut nostris temporibus praxis communis servat: de quibus omnibus structuris mentionem facit Emin. Card. Bona. *d. lib. 1. cap. 20. num. 1. in fine.* Et hæc de Altaribus fixis, & fixis.

Alia sunt Altaria portatilia, mobilia, & Viatica; sic dicta, quia Episcopi iter agentes illa secum olim 15 ferebant, ut in eis possent extra Ecclesiam in locis remotis celebrare, & vulgò appellantur *Petra Sacra* quorum usus est antiquissimus; de quo meminit Ven. Beda. *lib. 5. Hist. cap. 11.* qui vivebat: *Anno Domini* 700. nec non Hicmarus Remensis, qui illam regebat Ecclesiam *Anno* 860. & in capitulis editis Anno XII. sui Episcopatus, sic sancivit: *Tabulam quisque Presbyter, cui necessarium fuerit, de marmore, vel nigra Petra, aut litio honestissimo, secundum suam possibilitatem, honestè affectatam habeat: & nobis ad consecrandum afferat, quam secum cùm expectaverit, deferat, in qua Sacra Mysteria secundum ritum Ecclesiasticum agere valeat.* Est igitur Altare portatile *Lapis consecratus, quadratæ figuræ, tantæ latitudinis, ut in eo consistere possit Calix, & Patena; nec non aliæ particulæ, quas simul contingeret consecrari*, & super ipso licitum est Missam celebrare. *Cap. Concedimus. 30. De Consecr. dist. 1. & cap. fin. de Privileg. in 6.* Sed prædictus Sacer lapis debet esse unus physicè; non autem compositus ex duobus, vel pluribus, sic enim non repræsentaret unam Christi personam. Tamburin. *de Sacrif. Missæ lib. 1. cap. 5. §. 1. num. 6.* Non est tamen prohibitum, si ligno circumdetur ad ornatum, vel in capsula lignea inferatur ad conservationem; dummodò superior planities ejus lapidea sit aperta, super qua litatio fiat. Quart. *d. part. 1. tit. 20. dub. 1. in fin.* & Tamburin. *d. §. 1. n. 3.* De hoc autem Altare portatili, seu Petra Sacra ita ordinavit S. Carolus *in Cit. Conc. 4. Proverb. Petra Sacrata ita Mensæ Altaris inseratur, ut nullum essu-*

effusionis Calicis periculum adeatur; tactu tamen digiti dignosci possit. Quæ quidem Petra longitudine ne minor sit unciarum viginti, latitudine sexdecim. Quamvis quòd tanta latitudo, & longitudo Petræ Sacræ sufficiat, quæ possit sustinere majorem partem Calicis, & Hostiæ, Sylvest. *Verb. Altare.* Tolet. *lib. 2. cap. 2. num. 6.* & Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 27. quæst. 7.* docuisse reperiantur. Debet etiam regi tela cerata; ut immunis servetur à pulvere; & ne à Laicis tangatur. Joseph. Crispin. *Visit. Pastor. d. part. 2. §. 6. n. 8.*

16 Porrò in Ecclesia Orientali Altaria portatilia non habentur, sed eorum vice Græci utuntur Antimensiis, quibusdam scilicet pannis, Ritu, & vice Altarium consecratis; de quibus in *Euchologio Græcorum pag.* 648. & ibi *Jacob. Goar. in notis*; & de iisdem Theodorus Balsamon in expositione *Can.* 31. Concilii Trullani, *Ideò*, inquit, *reperta sunt Antimensia, & fiunt à Pontificibus, quo tempore celebrant declinationem Ecclesiæ, ut ponantur in Sacris Mensis, quando permissu Antistitis Oblatio Liturgiæ fit in Oratoriis.* Plures eruditiones de Antimensiis, & Græcorum Altaribus leguntur apud Magrium *in Hierolex. Verb. Altare*: & præcipuè, quòd eodem die ad unicum Altare duo Presbyteri nequeant Sacrum facere, ipsaque Altaria erant à muro separata, ut devotionis causa possent fideles illa circuire. Altarium custodiam à Deo Angelis demandari, ut habetur ex Sopron. *in Prat. Spir. cap. 4.* & refert Jo. Bapt. Mattheol. *in Sylva Histor. part. 1. lib. 3. cap. 7.* ac tanta veneratione à Græcis Altaria coli, ut jure invehant contra nostratum abusum, à quibus irreverenter apud Altaria, etiam dum Sacrificium tremendum offertur, insistitur. Et hæc de primo Quæsito.

17 Quoad Secundum; in quo quæritur, *Ad quos spectet consecratio Altarium?* Inspectio cadit circa tres Personas, *Episcopos* scilicet, *Abbates*, & *Simplices Sacerdotes.* De Episcopis nulla est dubitatio; quin possint Altaria tum fixa, tum portatilia consecrare; spectat enim de jure hujusmodi consecratio ad ipsos. *cap. Interdicimus. 16. quæst. 1. cap. Ministrare 26. quæst. 6. cap. Nullus Presbyter. cap. Concedimus. cap. Quod in dubiis. De Consecrat. dist. 1.* Et ita tradunt concorditer omnes Doctores, tam Theologi, quàm Canonistæ. Suarez *de Eucharist. disp 81. sect. 5.* Reginald. *in Praxi lib. 29. num. 190.* Bordon. *Var. Resol. d. part. 2. resol. 83. num. 18.* Barbos. *alleg. 27. num. 23.* Pignatell. alios cumulans *tom. 3. Consult. 68. num. 2.* Et Crispin. *in Visit. Pastor. part. 2. §. 15.* ubi monitos facit Episcopos, ne desides sint in consecratione Ecclesiarum, atque Altarium, immò imitentur sollicitudinem Pastoralem Sancti Caroli, qui tercentum Ecclesias cum suis Altaribus consecrasse dicitur.

18 Circa Abbates, certum est de Jure eos non posse Altaria consecrare, ut docet Mar. Antonin. *resol. lib. 1. resol. 112. Casu 3.* Idcircò iisdem hæc potestas convenire non potest nisi ex privilegio Apostolico, ut fatetur Ascanius Tambur. *de Jure Abb. tom. 1. disp. 23. quæst. 4. num. 3.* Quando autem hoc Privilegium Abbates obtinuerint? sunt variæ opiniones; siquidem certum est, usque ad Annum Millesimum ab Incarnatione Dominica, Jus Pontificalium, eorumque usum nulli Abbati fuisse concessum, ut eruditè probat Illustrissimus Pompejus Sarnellius 19
Vigiliarum Episcopus vigilantissimus, *in suis Epistolis Ecclesiasticis Epist. 3.* ob eorum Abbatum eximiam modestiam, & humilitatem, de qua plura S. Bernardus *in Epist. 42. ad Henricum Senonensem Episcopum*; & Petrus Blesensis *Epist. 90. ad Villelm. Blesen. Abbatem Machinen. Fratrem suum.* Verùm, prædicto Millesimo transacto, & usu Pontificalium per plures Summos Pontifices, *in d. Epist. 3. Sarnelliana* recensitos Regularibus Prælatis attributo; successivè aliquibus Abbatibus concessa fuit simul potestas consecrandi Altaria fixa in propriis Ecclesiis, ut ostendit Tamburin. *d. disp. 23. Quæst. 4.* subdens *ibidem num. 3.* quod tandem Pius Papa IV. 20
Anno 1565. die 6. Junii concessit Congregationi Casinensi, ut singuli illius Abbates *quoscunque Lapides marmoreos, porphyricos, aut alios ad usum Altarium portatilium pro servitio Ecclesiarum eidem Congregationi subjectarum, consecrare, & benedicere possint; Ordinariorum locorum facultate minimè requisita*; quæ quidem Piana Constitutio, relata ibidem à Tamburino, legitur etiam apud Laertium Cherubin. *in Bullario Romano tom. 2.* inter Bullas Pii Quarti *Constit. 97. pag. mihi 114.*

Non est igitur inficiendum, quin Abbates Casinenses possint ex Privilegio Apostolico Altaria tam fixa, quàm mobilia consecrare pro usu suarum Ecclesiarum. Sed an etiam pro aliis Ecclesiis extraneis? Affirmare contendit Ascan. 21
Tambur. *d. disp. 23. quæst. 4. quæst. 5. & quæst. 13.* tum ex Communicatione Privilegiorum cum Congregatione Cistercii, cujus Abbatibus id concessisse, ait, Innocentium Octavum; tum ex præscriptione & possessione, in qua Abbates Casinenses reperiuntur consecrandi Altaria portatilia ad instantiam quarumcunque personarum, & Ecclesiarum, etiam non sibi subjectarum; & cum eodem Tamburino sentit Bordon, *d. part. 2. resol. 83. num. 18.* Contrarium tamen est verius; quia pro extraneis personis, & non suis Ecclesiis, Abbates cujuscunque Congregationis non possunt Altaria consecrare, neque Calices, neque Campanas, neque supellectilia sacra benedicere; sed solummodo pro suarum Ecclesiarum usu, ut concludenter tenent, & probant Maceraten. *d. lib. 1. resol. 112. cas. 3.* Riccius *in Praxi tom. 1. resol. 461. num. 2.* Piasecius *part. 1. cap. 2. art. 4. num. 19.* & Pignatell. *tom. 3. Consult. 68.* Primò quia in Privilegio Pii Quarti, est dictio *Dumtaxat suarum Ecclesiarum*; quæ inducit negationem circa Ecclesias alienas. Barbos. *Dict. 97. num. 3.* Secundò, quia Privilegium Innocentii Octavi ad Cistercienses comprehendit solum Generalem, & quatuor principaliores Abbates illius Religionis, non autem alios; ideò non est Communicabile ad omnes, potissimùm diversæ Congregationis. Tertiò, quia in materia consecrationis Privilegia non communicantur, neque extenduntur ad alios Abbates præter nominatos. Diana *part. 3. tract. 2. resol. 15.* Quæ in Coordinato est *tom. 7. tractat. 1. resol. 23. num. 4.* Quartò quia Præscriptio, vel possessio, aut consuetudo non intrat, neque suffragatur inferioribus in his, quæ sunt Ordinis Episcopalis,

ut declaravit *Sacra Rituum Congregat.* 18. *Augusti* 1629. de qua Pignatell. *d. Consultat.* 68. *num.* 31. Quintò, quia in contradictorio Judicio, & in terminis hujus quæstionis sic decisum fuit *Anno* 1644. ab eadem S. Rituum Congre-
22 gatione; ut refert idem Pignatellus *ibid. num.* 7. his Verbis: *In causa Placentina benedictionis inter Episcopum Placentinum ex una; & Abbatem S. Sixti ejus Civitatis, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Casinensis partes ex alia, super jure consecrandi quecunque Altaria fixa, aut portatilia. Die* 16. *Augusti* 1644. *S. Rituum Congregatio, proponente Eminentiss. & Reverendiss. Cardinali Francciotto, auditis partibus, & attentis Privilegiis Ordini prædicto ab Apostolica Sede concessis, Censuit, Non licere Abbati consecrare Altaria, nisi pro usu propriarum Ecclesiarum, & Religiosorum ejusdem Ordinis tantùm, & ita servari mandavit.* Ultimò, quia ad tollendos abusus, circa Privilegia Abbatibus Concessa; per viam legis universalis *eadem Sacra Rituum Congregatio die* 27. *Septembris* 1659. approbante Summo Pontifice Ale-
23 xandro Septimo, compilavit XXI. decreta, in quibus præscripsit Abbatibus, & declaravit ea, quæ sibi facere licent; inter illa autem sic legitur. XVIII. *Ecclesiasticam Supellectilem pro servitio tantùm suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum benedicant.* XIX. *Reliqua Pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ Ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant; puta Campanarum benedictiones, Calicum, & similibus, in quibus Sacra adhibetur Unctio, nec non minorum Ordinum collationes.* Hæc & alia Decreta, de quibus supra, extensa leguntur apud Nicolium *Lucubrat. Canonic. libr.* 5. *tit.* 33. *num.* 17. *pag. mihi* 226. Ex quibus evidenter constat, non licere Abbatibus cujuscunque Congregationis, & Religionis consecrare Altaria, Calices, vel Campanas; neque Vestes Sacras benedicere, aut minores Ordines conferre, vigore Privilegiorum, nisi personis sibi subditis, & pro
24 Ecclesiis sibi subjectis. Talis enim est voluntas Summi Pontificis, declarata per organum Sacræ Rituum Congregationis, quæ de mandato Papæ in prædictis Decretis generalibus reformavit Privilegia Abbatum; & nefas esset dubitare de validitate prædictæ Reformationis; quia sicut Papa concessit dicta Privilegia Abbatibus, sic ad libitum potest ea restringere, moderare, & revocare. Peregr. *de Jure fisci libr.* 1. *tit.* 3. *sub num.* 20. Gloss. *in cap. Decet. in Verb. permansurum. De Reg. Jur. in* 6. Decian. *cons.* 25. *num.* 3. *vol.* 1. Paul. Rubeus *in Annotat. ad Rotam part.* 3. *rec. Decis.* 2. *à num.* 238. *& seqq.* Et quæ hucusque dicta sunt de Abbatibus, quòd non possint Aras, vel Calices consecrare, aut paramenta benedicere, nisi pro suis Ecclesiis, multò magis locum habent in Superioribus Religionum mendicantium; ut respondet *eadem S. Rituum Congregat. in Cameracen.* 13. *Martii* 1631. quam referunt per ex-
25 tensum Barbos. *Apostol. Decis. Verb. Abbas num.* 14. Novar. *in Lucern. Regular. Verb. Benedicere.* Et Lezana *in Summ. tom.* 3. *Verb. Altare num.* 3.

Circa verò Simplices Sacerdotes, extra controversiam est, quòd Sedes Apostolica potest illis eandem facultatem delegare consecrandi Altaria, & Calices; etsi rarò concedatur; & nisi in remo-
26 tissimis regionibus, in quibus penuria est Episcoporum. Quart. *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 20. *Dub.* 2. *Vers. Dico Secundò.* Lezana *d. tom.* 3. *Verb. Altare num.* 3. ubi Suarez *in* 3. *part. D. Thom. tom.* 3. *disp.* 81. *sect.* 5. affirmans anno 1549. concessam fuisse à Paulo Tertio Presbyteris Societatis Jesu pro locis Indiarum. Thom. Tamburin. *de Sacrific. Missæ lib.* 1. *cap.* 1. §. 2. *& cap.* 5. §. 1. & Barbosa *de Jure Eccles. Univ. d. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 17.

Quòd ad Tertiam. *An Reliquiæ Sanctorum sint de essentia consecrationis Altarium*; est controversia famosa inter Theologos, Canonistas, & Mo-
27 ralistas; quos cumulat Emin. Card. Brancatius *in Opuscul. de Altarium Consecratione*; ubi viginti duo stant pro Affirmativa; inter quos Gloss. *in Can. de fabrica, & in Can. Placuit. De Consecr. dist.* 1. Abb. Butr. Joan. Andr. & alii *in cap.* 1. *De Consecrat. Eccl.* Barbosa *de Jur. Eccles. Univ. d. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 7. & Jordan. *tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 19. Pro negativa verò numerantur ibidem Theologi quadraginta; quorum primarii sunt Emin. Cardin. de Lugo *de Eucharistia disp.* 20. *num.* 75. Reginald. *lib.* 29. *num.* 190. Lezana *d. tom.* 3. *Verb. Altare num.* 6. & Frances *de Eccles. Cathedr. cap.* 5. *num.* 167.

Affirmantes, Sanctorum Reliquias esse de essentia consecrationis Altaris moventur hisce argu-
28 mentis. Primò *ex cap. Placuit* 26. *De Consecrat. dist.* 1. in quo mandatur, everti Altaria, in quibus Reliquiæ Martyrum conditæ non probantur. Secundò *ex Can. De fabrica* 24. & ibi Gloss. *de Consecrat. eod. dist.* 1. ubi Vigilius Papa mandat, ablatas Reliquias Sanctorum iterum reponi in Altaribus, eaque iterum consecrari. Tertiò, quia S. Felix Papa, ut habetur in ejus Actis apud Anastasium Bibliothecarium, constituit *supra sepulchra Martyrum Missas celebrandas esse*, forsan ex eo, quòd in Apocalypsi legitur, *Vidi subtus Altare animas interfectorum propter Verb. Dei.* Quartò ab exemplo Divi Gregorii Magni, qui, ut habetur *lib.* 3. *Dial. cap.* 30. consecravit Ecclesiam, (intellige & Altare) impositis in eo Reliquiis SS. Sebastiani, & Agathæ. Quintò, quia in Septima Synodo Generali, sivè Nicæna Secunda anno 787. decernitur, quòd qui *Templum consecraverit sine Sanctis Reliquiis, deponatur.* Sextò; nam etiam Alexander Papa Tertius *in cap.* 1. *De Consecrat. Eccles. vel Altar.* ita disponit: *Si Altare motum fuerit, aut lapis ille solummodò suprapositus, qui sigillum continet, confractus; aut etiam diminutus, debet denuò consecrari.*

Negantes, quòd ad essentiam consecrationis Altaris, in eo ponendæ sint Reliquiæ Sanctorum, 29
ducuntur hisce rationibus. Primò, quia ab initio nascentis Ecclesiæ usque ad quartum sæculum, & saltem in tertio usque ad S. Felicem Papam, Sacerdotes Missam celebrabant super ligneas Aras consecratas absque Sanctorum Reliquiis, quæ tunc delitebant aut in arenariis, aut in prædiis fidelium, aut in Catecumbis. Secundò, ex eo quòd Concilium Epaunense *Can.* 26. relatum *in cap. Altaria* 31. *De Consecr. dist.* 1. decernit, ea si lapidea sint, chrismatis unctione consecrari, nihil loquens de Reliquiis Sanctorum. Tertiò: Nam idem Concilium *in Can.* 35. præcipit quòd *Sanctorum*

Reli-

Reliquiæ in Oratoriis Villaribus non ponantur, nisi forsitan Clericos cujusounque Parochiæ vicinos esse contingat. Et tamen in iisdem Oratoriis Missæ habebantur, ut probat Domin. de Maistre de Boniset *possess. Ecclesiast. libr. 2. cap. 5. pag.* 180. Quartò, Auctoritate D. Augustini, qui loquens de consecratione Altaris per se factæ, solam mentionem facit de benedictione, & unctione, & nihil de Sanctorum Reliquiis, sic enim ait *Sermon. 255. de Tempor. Consecrationem Altaris hodie celebramus: & juste, ac meritò gaudentes celebramus festivitatem; in qua benedictus, vel unctus est lapis; in quo nobis divina Sacrificia consecrantur.* Quintò ex Rabano Mauro Episcopo Moguntino, qui vivebat anno 835. scribens namque de modo consecrandi Aras, ita loquitur *lib. 2. De Institut. Cleric. cap. 45. Post aspersionem aquæ Ara Chrismate perungitur ad imitationem Patriarchæ Jacob.* Et paulò post: *Bene decet, ut res sacrificandæ Sacro Chrismatis liniantur unguento; ut demonstretur, quòd omnis Sanctificatio constat in Spiritu Sancto, cujus virtus invisibilis Sancto Chrismate ad Sanctificationem præbendam permixta est.* Sextò ex Concil. Agathen. *Can.* 14. relato *in cap. Altaria 32. de Consecrat. dist.* 1. in quo nihil de Sanctorum Reliquiis, sed subditur: *Altaria placuit non solùm unctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari.* Septimò ex monitione veterum Missalium; in quibus notatum est, quòd dum ascendit Sacerdos ad Altare, illud osculaturus, dum dicit Orationem: *Oramus te Domine*, &c. relinquere debet verba illa, *Quorum Reliquiæ hic sunt*: si de facto in Ara Sacra non sint Reliquiæ Sanctorum; quod advertit Angel. *in verb. Altare num.* 3. Gavant. *in Rubric. Missal. part. 2. tit. 4. De introitu.* Item Baulduy *in Manual. Sacr. Cæremon. part. 3. cap. 7. De Ritib. servand. in celebrat. Missæ tit. 4. num.* 1. Et Bissus *in Hierurg. Sacra. tom. 2. verb. Sacerdos num.* 20. §. 18. Octavò, quia, ut ex Pasqualigo colligit Eminent. Brancatius *in d. opusc. de Altar. Consecrat. pag.* 341. *vers. Sed rationem.* Sacræ Reliquiæ ex natura sua non habent vim sanctificandi, neque sunt aliquid Sacramentale, ab Ecclesia institutum ad sanctificandum, sicut est Chrisma, Aqua benedicta, & similia; & idcircò ipsæ Sacræ Reliquiæ non sunt de substantia consecrationis Altaris; aut ad Liturgicum opus omninò prærequisitæ.

Quare pro resolutione Quæsiti dicendum est,
30 Lipsana non esse de essentia reponenda in Altari consecrando; sed tantùm ex decentia, & ex consuetudine generali Ecclesiæ; quam Episcopi servare tenentur: ut bene considerat Quartus *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 20. dub. 2. difficult. prima.* Pasqualig. *decis. 46. & decis. 47.* Thom. Tamburin. *de Sacram. Miss. d. lib. 1. cap. 5. §. 1. num.* 10. Reginald. *in Praxi fori Pœnitent. lib. 29. num.* 19. & allegatus Eminent. Cardin. Brancatius *d. Opuscul.* in cujus fine refert; Sacram Rituum Congregationem *die 21. Aprilis* 1668. censuisse concedi posse Episcopo Augustano, in cujus Civitate, à Diœcesi à Svecis militibus supra duodecim millia Altarium eversa fuerant, cum Sacrarum Reliquiarum direptione; ut absque nova eorundem Altarium Consecratione; Reliquias Sacras in iisdem reponeret; & hoc Summo Pontifice Clemente Nono approbante; undè fit, Altaria prædicta etsi Sacris Reliquiis spoliata, non perdidisse consecrationem.

Quò ad Quartum. Si quærimus, *Quando Al-* 31
taria perdant Consecrationem? Distinguere oportet Altare fixum ab Altare portatili. Fixum execratum dicitur, si mensa amoveatur à suo stipite, cui tanquam quid unum stabat collocata. Item si enormiter frangatur; super qua enormi fractura attendendum erit arbitrium Episcopi. Lezana *d. tom. 3. Verb. Altare num. 20. ubi DD.* Quòd si cornua ejusdem mensæ rumpantur, quæ erant Chrismate inuncta, Altare secundùm Barbos. *allegat. 27. num. 19.* amittit consecrationem; at non amittit secundùm Thom. Tambur. *de Sacrific. Miss. d. lib. 1. cap. 5. §. 1. num.* 14. Altare autem portatile execratur, si adeò frangatur, ut non valeat sustinere Calicem, & Patenam. Eminent. Card. de Lugo *de Euchar. disp. 20. num. 67. & 75.* Sed quid dicendum; si tàm in Altare fixo, quàm in portatili frangatur Sepulchrum Sacrarum Reliquiarum? & equidem secundùm opinionem negativam tertii superioris quæsiti, non esset deperdita consecratio. Lezana *d. tom. 3. Verb. Altare num.* 20. Layman. *de Sacrific. Missæ lib. 5. tract. 5. cap. 6. num.* 9. & Tambur. *d. lib. 1. cap. 5. §. 1. num.* 15. Verumtamen, cùm *Sacr. Rituum Congr. die 5. Martii* 1633. responderit, non posse celebrari super Altare, à quo subtractæ sunt Reliquiæ, ut refert idem Barbos. *in Summa Apostol Decis. Verb. Celebrans. num.* 6. dicendum est, ipsam Aram vel iterum consecrandam juxta opiniones DD. quos citat ipse Barbos. *de Jure Ecclesiast. Univers. lib. 2. cap. 7. n.* 20. vel impetrandam ab Apostolica Sede repositionem aliarum Reliquiarum, juxta casum Episcopi Augustani decisum *ab eadem Sac. Rit. Congregat.* Anno 1668. de quo supra.

Porrò quid Juris, si dum portatur Altare Viaticum de uno ad alium locum, soluto gypso ex vetustate, operculum, seu taxellus caveæ, in qua sunt Sacræ Reliquiæ, amoveatur, & separetur ab Ara, & decidant ipsæ Reliquiæ; sed statim ab aliquo 32
Ministro Ecclesiæ reponantur in suum locum, & novo gypso appositio operculum prædictum firmetur, & in eadem Ara portatili stabiliatur? Poterit ne super hoc Altare portatili celebrari absque scrupulo? Hunc casum non fictum, sed factum, apud nullum Auctorem reperi; ego autem dicerem, salvo meliori judicio, quòd licitum esset super ipso celebrare; ipsamque Aram non posse dici execratam; ea ratione quia, quæ in continenti fiunt, videntur inesse *l. Lecta §. dicebam. ff. Si cert. pet. Maceraten. lib. 1. resolut. 69. num. 5.* & cùm absque dilatione temporis Reliquiæ fuerint repositæ in loco, in quo jacebant, & operculum fuerit illicò juxta primam formam firmatum; videtur semper ita firmum extitisse; nam momentaneum intervallum temporis non inducit diversitatem actuum; vel locorum; & facit supponere eandem rerum identitatem. *Cap. Potuit de Locato. l. Etsi post tres. ff. Si quis cautionib.* Undè dici solet, quòd modicum tempus est quædam continuatio. *l. Penult. ff. de obl. & act.* Gonzal. *ad Reg. 9. Cancell. gloss. 43. num. 52.* Exemplo divortii, quod non dicitur fieri, si brevi reversa sit uxor. *l. Divortium 3. ff. de Divort. l.*

Quidquid 49. *ff. de Regul. Jur.* Et ad similitudinem illius, qui promisit stare in domo, loco carceris; qui si discedat, sed citò revertatur, non dicitur fregisse promissionem, nec fidejussor incurrit aliquam pœnam. Roman. *cons.* 193. *per totum.* Farinac. *Quæst.* 30. *num.* 70. & Caball. *resol. Crimin. casu* 112. Ideò neque Altare portatile afficietur pœna execrationis, & inhabilitatis pro Sacrificio, si absque mora Taxellus reponatur suo loco, & gypso novo firmetur; tanto minus quia non est de forma consecrationis, ut prædict. Taxellus stabiliatur manu Episcopi consecrantis, siquidem, ut concedit Pontificale Romanum *sub Rubr. de Consecratione Altaris: Cæmentarii cum cæmento benedicto firmant ipsam tabulam, seu lapidem super Sepulchrum*, quod absque scrupulo esse practicandum, ait Pax Jordan. *lib.* 5. *tit.* 10. *num.* 25. ubi allegat Hostien. etsi decentiùs sit adhibere operam Sacerdotum, vel Clericorum in iisdem operculis figendis, ac firmandis. Quocirca si fuissent malè firmata tempore consecrationis; & post aliquod tempus exirent de loco suo; arbitror, lapidem Sacrum portatile non incurrere execrationem, si stantibus Sacris Reliquiis in suo Sepulchro, à quocunque pio viro prædictum operculum absque mora in eodem loco reponatur, & gypso firmetur, prout prius erat positum tempore consecrationis.

Illud autem est hîc notandum, quòd non exe- 33
cratur Altare sive firmum, sive portatile, ex eo quod in ipso celebraverint Sacerdotes excommunicati, vel interdicti, vel degradati. *Cap.* 2. *de Sacram. non iteran.* Ascan. Tambur. *de Jure Abb. tom.* 1. *disp.* 23. *Quæst.* 6. & Lezana *dict. tom.* 3. *Verb. Altare num.* 23.

Quò ad Quintum: Petentibus, *An liceat ali-* 34
quando celebrare sine Altare consecrato? Respondendum est negativè; non obstante quavis magna necessitate. Suarez *in* 3. *part. disput.* 81. *sect.* 5. Lezana *d. Verb. Altare num.* 10. Bissus *in Hierurg. Sacra eod. verb.* §. 6. & Quartus *in Rubric. Miss. d. p.* 1. *tit.* 20. *dub.* 8. Quòd si quis Sacerdos absque Altare Sacro, sive firmo, sive portatili ausus esset sacrosanctum Missæ Sacrificium peragere, ut dictum est supra, peccaret mortaliter. Castropal. *tract.* 22. *disput. unic. punct.* 4. & Colleg. Salmant. *de Sacrament. in genere tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 77. & esset graviter ab Episcopo puniendus vel suspensione à Divinis, vel alia arbitraria. *cap. Litteras* 23. *de Tempor. Ordin. cap. Cum olim.* 33. *de Offic. Deleg. cap. An sit* 42. *de Appell.* Bordon. *d. part.* 2. *resolut.* 83. *num.* 24. Excepto casu dispensationis Sedis 35
Apostolicæ; à qua licèt rarò concedatur; attamen aliquando elargitur Missionariis, qui ad infideles properant, ut testantur Magr. *in Hierolex. eod. Verb. Altare col.* 4. *in fine.*

Tria tamen antiquitatis exempla, dignissima scitu, in hoc loco sunt referenda; in quibus abs- 36
que Ara Sacra, ex speciali Spiritus Sancti impulsu, Sacrosanctum Missæ Sacrificium litatum fuisse reperitur. Primum exemplum est Sancti Luciani Martyris Presbyteri Antiocheni, qui cùm detineretur in carcere ob Confessionem fidei, visitatus à fidelibus in festo Epiphaniæ, & rogatus, ut Liturgicum opus faceret, deficiente Altare portatili, super pectus suum Sacrosanctum Missæ Sacrificium peregit; & sumpto Corpore, & Sanguine Domini, eodem etiam ipsos fideles communicavit, ut narrant Eminent. Cardin. Baronius *ad Annum Christi* 311. *num.* 7. Cardin. Bona *Rer. Liturgic. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 3. Et Illustrissimus Episcopus Sarnellius *in suo eruditissimo Speculo Cleri Secularis tom.* 2. *lib.* 8. *in Vita ejusdem S. Luciani pag.* 110.

Secundum exemplum est Theodoreti Cyri Episcopi, qui cùm transisset in desertum locum ad invisendum senem quemdam Anachoretam, nomine *Mare*, isque rogasset eundem Episcopum, ut ibi Divinum Missæ Sacrificium offerret, volens eidem satisfacere, & Divini Mysterii illum participem reddere; cùm Ara Sacra deficeret, litavit in manibus Diaconorum; quos itineris sui comites habebat, ut ex Vitis Patrum transcribit Magr. *in Hierolexic. cit. Verb. Altare col.* 5. & narrat Hieronym. à Basilica Petri *in Ephemerid. Sacr. tom.* 1. *die* 2. *Januar. num.* 3. & nos innuimus *in Decis. de Eucharistia Decis.* 62. *sub. num.* 44.

Tertium exemplum est Sancti Apollonii Episcopi Brixiensis, qui cùm detineretur in carcere, desiderioque celebrandi divina Mysteria flagraret; in Sindonem eidem cœlitus demissa Missam ibi celebravit, ut refert Bollandus *die* 15. *Februarii.* Et Eminent. Cardin. Bona *d. l.* 1. *cap.* 19. *num.* 3.

Corollarii loco duo hîc remanent notanda. Unum, quòd mulier ad Altare accedere prohibetur, & multò minus ministrare. *cap.* 1. *in fin. de* 37
Cohabit. Cleric. & mulier. Bellet. *Disquis. Cleric. part.* 1. *tit. de Disciplin. Clericor.* §. 8. *num.* 6. & Barbos. *de Jur. Eccles. Univ. d. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 24. adeò ut apud Hispanos olim neque ad recipiendam Communionem licitum eis esset accedere ad Altare, ut *ex Concil.* 4. Toletan. *Can.* 17. 38
observat Mabyllon *de Liturg. Gallicana lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 24. Imò in Ecclesia stabant separatæ à viris; ut ex pluribus SS. Patribus demonstrat Eminent. Cardin. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 6. Alterum notandum est, quòd in Altari, in quo Episcopus celebravit, Presbyter eodem die Mis- 39
sam celebrare non debet. *Cap. fin. de Consecrat. dist.* 2. Barbos. *d. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 25. & Bissus *in Hierurg. Sacr. tom.* 1. *d. Verb. Altare num.* 244. ubi id multò magis servandum esse ait, si celebrasset Summus Pontifex, aut ejus Legatus à latere; excepto tamen, si ipse Prælatus licentiam concedat, vel aliqua urgens necessitas contrarium suadeat.

Porrò, quia in Altare ultra consecrationem requiruntur ornamenta, mappæ, Crux, Candelabra, & alia plura; ideò de his agemus infra *Decis. XLIII.*

Pro conclusione autem præsentis Decisionis occurrendum est objectioni, quam aliquis facere potest contra hucusque dicta de necessitate Templi, & Altaris, ita arguendo. Omnis Christi actio debet esse nostra instructio. *Cap. Significasti.* *Ubi* 40
Gloss. de Elect. Fagnanus *in cap. Accipimus num.* 18. *de Pactis tom.* 2. Sed Christus Dominus obtulit seipsum Hostiam, & Sacrificium cruentum non in Templo, neque super Altare; sed in Golgatha, idest Calvariæ loco; ut habetur in Evangel. Joan. *cap.* 19. *Vers.* 17. Ergo Missæ Sacrificium fieri potest extra Ecclesiam, & extra Altare.

Ad hoc argumentum respondetur dupliciter. Primò, quòd illud Sacrosanctum, & cruentum

Sacri-

41 Sacrificium non fuit oblatum sine Altare; sed in Altare; scilicet Cruce, quæ consecrata fuit ejus pretioso, & divino Sanguine; ut canit Ecclesia in Hymno Dominicæ Passionis ad Laudes, dicens de eadem Cruce:

Sola digna tu fuisti
Ferre mundi Victimam:
Atque portum præparare
Arcamundo naufrago,
Quam Sacer Cruor perunxit,
Fusus Agni corpore.

idcircò ipsa Crux vocatur Ara à Concilio Tridentino *sess. 22. cap. 1. in princ.* in illis Verbis: *Is igitur Deus, & Dominus noster, etsi semel seipsum in Ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat.* Pro Templo autem Christus Dominus elegit sibi totum mundum; quia sicut obtulit Sacrificium illud pro omnibus hominibus, sic decuit, illud offerre in loco universalissimo & cunctis aperto, ac exposito; ut plenius disserit
42 Collegium Salmanticen. *d. tom. X. de Incarnatione tract. 21. disput. 31. dub. 1. num. 8. in fine.*

Respondetur Secundò; quòd Christus Dominus, quemadmodum fuit Sacerdos, & Hostia in passione sua; sic etiam fuit Templum, & Altare. Templum quidem, nam in eo specialissimè habitavit Divinitas; idcircò legitur *in Apoc. cap. 21. vers. 22. Et Templum non vidi in ea; Dominus enim Deus omnipotens Templum illius est, & Agnus.* Et ipse Salvator de se ipso dixerat: *Joan. cap. 2. vers. 19. Solvite Templum hoc; & ego in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de Templo Corporis sui.* Et de eodem hæc habet S. Ambrosius *in Psal. 48. Verè Templum Dei Corpus est Christi, in quo nostrorum est purificatio peccatorum. Verè Templum Dei est caro illa, in qua nullum peccati potuit esse contagium; sed ipsa pro delictis mundi totius fuit Sacrificium. Verè Templum Dei caro illa; in qua Dei imago fulgebat: & corporaliter plenitudo Divinitatis habitabat.* Fuit etiam Altare Humanitas illa Sacrosancta, linita Sanguine suo divino; quem abundè fudit pro nobis; & hac de causa, dictum est supra, quòd Altaria fiunt de petra ad repræsentandum Altare prototypum Sacratissimi Corporis Christi: de quo ait Apostolus: *Petra autem erat Christus, 1. Cor. 10. 4.* Quas responsiones latiùs prosequitur, & exornat Colleg. Salmanticen. *d. tom. X. de Incarnatione tract. 21. disp. 31. dub. 1. §. 2. num. 9.* quod legisse studiosum non pigebit.

DECISIO XIV.

ARGUMENTUM.

Exponuntur ultima Verba in definitione Sacrificii posita; scilicet: *Pro remissione peccatorum*; nec non *pro præsenti, æternaque fœlicitate populi obtinenda.* Et ostenditur Sacrificium Missæ prodesse ad obtinendam remissionem tum culparum, tum pœnarum, & ad consequendas gratias, & favores etiam temporales.

SUMMARIUM.

1 *Causarum genera septem concurrunt in Sacrificio, & quæ?*
2 *Causa finalis in Sacrificio est duplex. Una Protestatio Supremi Dominii ipsius Dei. Altera utilitas populi.*
3 *Sacrificium Missæ obtinet remissionem tum culparum, tum pœnarum.*
4 *Sacrificiorum tria genera apud Hebræos.*
5 *Holocaustum quodnam Sacrificium esset? Et quod Hostia pro peccato? Et Hostia pacifica?*
6 *Sacrificium Missæ comprehendit omnia Sacrificia Mosayca.*
7 *Sacrificium Missæ est Propitiatorium remittens culpas mortales. At non immediatè; sed mediatè, concedendo auxilia ad obtinendam gratiam per Pœnitentiam.*
8 *Guilielmus Dux Aquitaniæ conversus à mortalibus culpis virtute Sacrificii Missæ pro eo oblati à S. Bernardo Abbate.*
9 *S. Brinulphus Episcopus celebrando Missam obtinuit conversionem Ladalai Regis Svecorum.*
10 *Sacrificium Missæ remittit ex opere operato peccata venialia immediatè.*
11 *Vincula captivorum, pro quibus Missa offerebatur, cadebant.*
12 *Sacrificium Missæ ex opere operato auget gratiam habitualem; non immediatè, sed mediatè.*
13 *Baraca nauta naufragus subsistentatur in undis pane miraculosè ei delato.*
14 *Petrus Puteus Panormitanus virtute Missæ S. Philippi Nerii convertitur ad vitam Spiritualem.*
15 *Sacrificium Missæ delet pœnas vivorum, ac defunctorum existentium in Purgatorio.*
16 *Purgatorii animæ etiam in primitiva Ecclesia adjutæ Sacrificio Missæ.*
17 *Balnei quidam Dominus, defunctus petiit à Presbytero se ibi lavante suffragium Missæ.*
18 *Justus Monachus proprietarius in Monasterio S. Gregorii Magni liberatur à pœnis Purgatorii celebratione trigintæ Missarum.*
19 *S. Gregorii Missæ trigintæ quomodo celebrandæ pro anima cujuslibet Defuncti?*
20 *S. Malachiæ Soror defuncta Sacrificio Missæ à Purgatorio, liberata.*
21 *Exempla diversorum existentium in Purgatorio, quibus Sacrificium Missæ profuit.*
22 *Offertorium Missæ defunctorum declaratur, in illis verbis:* De pœnis inferni, & de profundo Lacu: Et ne absorbeat eas Tartarus, & ne cadant in obscurum.
23 *Sacrificium Missæ Deum placat, tempore tribulationum, & flagellorum pestis, famis, & belli, &c.*
24 *Belli tempore Suffragia ex Missæ Sacrificio.*
25 *Tentationes, & pericula evitantur ope Liturgici operis. Exempla hic, & num. 26.*
27 *Bona temporalia impetrantur Sacrificio Missæ.*
28 *Pauperum ditatorum ob devotionem erga Missam exempla.*
29 *Sacrificio Missæ redduntur Deo condignæ gratiæ pro ejus beneficentiis.*
30 *Franciscæ Farnesiæ à Deipara puerum JESUM dono datum.*

PRo intelligentia dicendorum in præsenti decisione, in qua Sacrificium esse *Propitiatorium*, & *Impetratorium* breviter demonstrabimus, præmittere, & prænotare oportet, in Sa-
1 crificio Missæ concurrere septem genera causarum, videlicet *Efficientem*, *Instrumentalem*, *Materialem*, *Ritualem*, *Formalem*, *Localem*, & *Finalem*; de quibus aliqua recenset Lessius *de Justitia*, & *Jure libr.* 2. *cap.* 38. *à num.* 11. *& seqq.* Causa *Efficiens* est Christus Dominus, qui tanquam Hostia, & Sacerdos offert Æterno Patri Sacrificium sui ipsius per manus Sacerdotum ministrorum Ecclesiæ; ut docet Trident. Concil. *sess.* 22. *cap.* 2. in illis verbis: *Una enim eademque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit*; & tradunt omnes Theologi Scholastici, & Morales. Eminent. Cardin. de Lugo *de Eucharist. disput.* 19. *sect.* 9. *num.* 112. & 123. Mastrius *in* 4. *Sent. disp.* 4. *quæst.* 6. *num.* 112. & *in Theolog. Morali disp.* 19. *num.* 54. Gonet. *tom.* 5. *disput.* 11. *de Sacrificio Missæ art.* 5. *num.* 95. Tamburin. *de Sacrificio Missæ libr.* 2. *cap.* 2. §. 1. *num.* 1, & 2, & habetur *in cap. Firmiter.* §. *Una. De Summa Trinit. & fid. Cathol.* & dicemus infra, *Decis. XXXIII.* ubi agemus, qui, & quot sint fructus Missæ. Causa *Instrumentalis* est persona legitimè deputata ad sacrificandum, nempè Sacerdos ritè, & rectè ordinatus, ut demonstratum est *supra Decis.* 7. Causa *Materialis* est res externa, & sensibilis, quæ offertur, videlicet Victima, & Hostia, de qua latè *in Decis. VIII.* Causa *Ritualis* sunt Cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ pro Liturgica actione, à quibus aberrare non licet, ut docuimus *in Decis. IX.* Causa *Formalis* est ipsius rei, seu Victimæ peremptio, vel aliqua ejus conveniens mutatio, & de hac pariter locuti sumus plenè *in Decis. X. Localis* causa sunt Templum, & Altare; sine quibus dedecet Sacrificium offerre; ut disputatum est
2 *in Decis. XII. & XIII.* Causa verò *Finalis* duplex reperitur in Sacrificio. Una primaria, nempè Honor, & cultus Dei ad protestandum ejus absolutum dominium in omnibus creaturis, de qua disseruimus supra *Decis. VI. & Decis. VII.* Altera secundaria; & est Utilitas populi, quatenus ex Sacrificio provenit eidem populo tum fœlicitas æterna per remissionem culparum, & pœnarum; atque gratiæ sanctificantis augmentum; tum prosperitas temporalis, per obtentum Divinæ opis, dum afflictiones in hac vita nos ingruunt; & de hac secundaria finali causa in præsenti est agendum.

Igitur in definitione Sacrificii posita sunt ver-
3 ba hæc: *Pro remissione peccatorum; nec non pro præsenti, æternaque felicitate populi obtinenda*; ad innuendum quòd Sacrificium Missæ prodest ad obtinendam à Deo remissionem tum culparum, tum pœnarum, pro æterna felicitate consequenda; & ad ipsum placandum, quando ejus justitia pœnis, & flagellis peccatores percutit; vel dum justi gratias temporales ab ipso flagitant; ad quorum omnium probationem, memoria est relocendum; tria fuisse genera Sacrificiorum
4 apud Hebræos, *Holocaustum*, *Hostiam pro peccato*; & *Hostiam pacificam* vel ad impetrandum beneficium aliquod, vel pro impetrato ad gratiarum actionem de quibus agit S. Thom. 1. 2. *quæst.* 102. *art.* 3. *ad oct.* Eminent. Cardin. Bellarmin. *libr.* 1. *de Missa cap.* 4. Cardin. Tolet. *in Summa libr.* 2. *cap.* 4. *num.* 2. & 3. Lessius *in* 3. *p. D. Thom. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 3. *num.* 9. & Torniell. *in Annal. ad Annum Mundi* 2545. *num.* 21. Holocaustum erat Sacrificium, quod specialiter offerebatur Deo ad reverentiam Majestatis suæ, & amorem bonitatis ejus, & dicebatur *Holocaustum*, quia in eo
5 tota Victima comburebatur; hoc enim verbum latinè significat *totum combustum*; & ideò tota Victima cremabatur, ut resoluta in vaporem tota sursum ascenderet, in signum, quòd quidquid habemus, Dei est. Hostia *pro peccato* erat illa, quæ pro expiatione peccati offerebatur, cujus una pars cremabatur, & pars altera à Sacerdotibus in ipso atrio Sancto manducabatur; ad denotandum, quòd Deus est causa nostræ salutis, sed mediis ministris suis. Variebantur autem *Hostiæ pro peccato* pro varietate peccati, & personarum; alia enim offerebatur pro perjurio, alia pro aliis peccatis; alia pro peccato Pontificis; alia pro Regis, alia pro Synagogæ, alia pro privatorum hominum. Hostiarum *Pacificarum* duæ erant species, una pro beneficio accepto, altera pro beneficio accipiendo offerebatur; & earundem tres fiebant partes; prima cremabatur, secunda manducabatur à Sacerdotibus; tertia ab illis, qui eas obtulerant; ad hoc, ut sciremus, à Deo nobis gratias elargiri mediantibus ejus ministris; sed nobis etiam cooperantibus.

Hæc omnia sacrificia Legalia, & antiqua in umbra figurabant Sacrosanctum Missæ Sacrificium
6 à Christo Domino institutum; in quo per oblationem sui Corporis, & Sanguinis comprehenduntur omnes supradictæ Legales Hostiæ, ut profitetur Ecclesia, quæ *in Secreta Dominic. VII. post Pentec.* ita orat: *Deus, qui legalium differentiam hostiarum, unius Sacrificii perfectione sanxisti:* & advertit Concil. Trident. *d. sess.* 22. *cap.* 1. *in fine, ibi: Hæc denique* (oblatio) *illa est, quæ per varias Sacrificiorum, naturæ, & legis tempore, similitudines figurabatur; utpotè quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio, & perfectio complectitur.* Igitur omnes causæ finales prædictorum Legalium Sacrificiorum vigent eminentiùs in Sacrosancto Missæ Sacrificio; Missa enim est pretiosum Holocaustum, quod Deo Patri offerimus tanquam supremo Domino; & de quo ipse summopere delectatur juxta illud, quod antea dixerat per os Malachiæ *cap.* 1. *Vers.* 6. *Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo Oblatio munda*, utique in honorem, reverentiam, & protestationem supremi Dominii Divinæ Majestatis suæ; quod fusiùs prosequitur Suarez *in* 3. *part. Div. Thom. tom.* 3. *disp.* 76. *sect.* 2. Et quemadmodum est Missa Sacrificium Holocaustum; ita est Propitiatorium, & Impetratorium, conferens populo fideli felicitatem æternam per remissionem culparum, & pœnarum relaxationem; ac eidem populo elargiens gratiæ augmentum, & prosperitates temporales; sicque bona tum animæ, tum corporis; ut evidenter

constat

constat ex sequentibus octo conclusionibus; quibus declarabuntur supradicta Verba in definitione posita.

Conclusio prima. Sacrificium Missæ est Propitiatorium, quò ad culpam mortalem, quia illam remittendi vim habet ex opere operato. Probatur conclusio. I. Quia spectat ad rationem Sacrificii remittere peccata; nam munus Sacerdotis est, ut *offerat dona, & sacrificia pro peccatis*, ut ait Apostolus *ad Hebr. 5.* Hinc etiam Sacrificia in Lege naturæ proficiebant adultis ad expiandum actuale peccatum, ut ait Mastrius *in 4. sentent. disp. 1. num. 42.* II. Quia Ecclesia ita petit in oratione tertia, *Sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium.* III. Quia Sacerdos dum Hostiam offert, orat dicens: *Suscipe Sancte Pater, Omnipotens, æterne Deus hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo, vivo, & vero, pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus, & negligentiis meis: & pro omnibus circumstantibus, &c.* IV. In Canone post illa Verba: *Et omnium circumstantium*, subjungitur: *Vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus; pro redemptione animarum suarum; pro spe salutis, & incolumitatis suæ.* V. Cæteris auctoritatibus omissis, quas plurimas refert Suarez *d. tom. 3. disp. 79. sect. 3.* expressa sunt verba Tridentini Concilii *d. sess. 22. cap. 2.* ibi: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens; crimina, & peccata, etiam ingentia dimittit.* Porrò ex communi Theologorum sententia supradicta conclusio, atque Concilii Tridentini verba ita intelligenda sunt, ut per Missæ Sacrificium remittantur peccata mortalia non immediatè quò ad culpam; sed mediatè, videlicet quatenus Deus hoc sacrificio placatus non conferat illicò primam gratiam, etiamsi is, pro quo Sacrificium offertur, attritus sit; sed tantùm concedat auxilia, quibus homo disponatur ad veram pœnitentiam, & peccatorum remissionem; ideóque Concilium Tridentinum, ubi supra, non intellexit de gratia habituali, & formaliter justificante; sed de gratia præveniente cum actualibus auxiliis, quibus peccatores, dum pro illis sacrificium offertur, excitantur ad pœnitentiam, & peccatorum detestationem; vel eliciendo actum perfectæ contritionis, vel se disponendo ad Sacramentum Pœnitentiæ dignè, & fructuosè recipiendum; & ita desumitur ex Doctrina S. Thom. *in 4. dist. 12. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 4.* ac etiam ex doctrina Scoti *in 4. dist. 23.* quam prosequuntur Gonet. *d. tom. 5. disp. 11. de Sacrific. Missæ art. 4. num. 77. & seqq.* Mastrius *in Theol. Moral. d. disp. 19. num. 48.* Colleg. Salmanticen. *in Cursu Theolog. Moral. tom. 1. De Sacramentis in genere tr. 5. c. 3 punct. 1.* Quartus *in Rubr. Missal. in Appendice de Sacrific. Missæ quæst. 2. punct. 1.* ubi alios cumulat, & Brognolus *in Speculo Clericor. tract. 10. cap. 6. resol. 1. 2. & 3.*

Conclusionem primam hanc duobus exemplis confirmo. Primum est Guilielmi Ducis Aquitaniæ viribus, exercitibus, & audacia formidabilis, qui adhæserat Antipapæ Anacleto; & rebellis, ac inobediens erat Summo Pontifici Innocentio Secundo, vero, ac legitimo Christi Vicario. Post plura remedia inutiliter adhibita pro conversione ejusdem Ducis Aquitaniæ, ipse Summus Pontifex Anno 1135. misit ad eum Legatos suos Gaufridum Episcopum Carnotensem; & S. Bernardum Abbatem Clarævallensem; sed hi inflexibilem invenerunt antedictum Ducem Guilielmum; tanquam & Schismatis culpa, & aliarum gravissimarum iniquitatum vinculis detentum. Igitur ad Divinam opem Sanctus Bernardus recurrit; & Sacrosanctum Missæ Sacrificium pro Duce obtulit; ductusque Spiritus Sancti speciali impulsu Sanctus Abbas ad illum accessit, habens Patenam cum Hostia in manibus consecrata; & de ejus obstinatione redarguens Ducem, talia fuere interna cœlestis gratiæ auxilia, ut ad pedes Sancti Bernardi procumbens, se ei, ac Summoque Pontifici Innocentio statim professus sit obedientem; & à Schismate, suisque pessimis moribus conversus, exemplarem egerit pœnitentiam, pœnosissimam aggressus peregrinationem; de qua testantur omnes Historiæ illius temporis; & de præmissis memoriam facit Eminent. Cardin. Baronius *in Annalibus Ecclesiasticis ad Annum Christi 1135.* Surius *die 10. Febr.* & novissimè Hieronym. à Basilica Petri *in Metamorphos. Sacris Centuria 4. Convers. 57.* Ecce propitiatio in hunc Ducem Aquitaniæ proveniens à Sacrificio per S. Bernardum Abbatem Oblato, cujus Sacrificii Sacrosancti virtute meruit à viis pravis converti, & remissionem gravissimarum culparum obtinere.

Alterum exemplum, à supradicto non dissimile, est Sancti Brinulphi Episcopi Scarensis in Svecia, de quo Bollandus *die 6. Februarii*; & anted. Hieronym. à Basilica Petri *in Ephemerid. Sacris eod. die*, inter cætera narrant; quòd cùm tanquam Pastor optimus omnium virtutum luce fulgeret, Ladalaus Magnus Svecorum Rex, pessimis consiliariis eum suadentibus, tanto odio prosequi cœpit Sanctum Episcopum: ut ejus sacrilegam internecionem decreverit in corde suo; ac quibusdam sicariis exequendam mandaverit. De hac impia Regis voluntate monitus Sanctus Antistes se Deo commendavit, & proximo die festo Assumptionis Deiparæ solemnia Missarum agens in Ecclesia, in qua & Rex Ladalaus cum proceribus Regni aderat, pro eodem Rege Sacrificium obtulit; tantaque fuit Sacrosanctæ oblationis Virtus, ut tactum dolore cordis intrinsecus pœnituerit eum deliberationis suæ; & statim Missa completa, se ante Sanctum Brinulphum prostravent, summisque lacrymis iniquum animum suum, ac peccata sua confessus veniam, & absolutionem petierit, quam illi pius Episcopus benignè impertivit; ac deinceps eximia charitate ab eodem Rege fuit semper dilectus. Est igitur Liturgicum opus Propitiatorium, delens culpas mortales, & crimina ingentia, præviis Divinæ gratiæ auxiliis, excitantis ad pœnitentiam peccatores.

Conclusio secunda. Sacrosanctum Missæ Sacrificium multò magis est propitiatorium respectu culparum venialium; illas enim ex opere operato delet, atque remittit. In hac veritate concordant omnes Theologi. Lessius *in 3. p. D. Thom. d. quæst. 83. art. 1. num. 22.* Gonet. *d. disp. 11. de Sacrific. Missæ num. 79. tom. 5.* Eminent. Cardin. de Lugo *de Eucharist. disput. 19. num. 152.* Gobat. *in Theol. Experiment. tract. 3. num. 123.* & Mastrius *in Theol. Moral. d. disp. 19. num. 49.* ubi advertit, quòd licèt plures ex Theologis ibi per eum citatis hanc conclusionem admittant ad normam præcedentis, scilicet non remitti venialia im-

lia immediatè quò ad culpam per Sacrificium, sed tantùm mediatè; nimirum impetratione auxiliorum, quæ ad contritionem perfectam excitent; vel ad susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ; nihilominùs plurimi alii insignes Theologi, inter quos Canus, Henriquez, Nugnus, Diana, & Gavatius tenent, veniales culpas immediatè per Sacrificium Missæ deleri ex opere operato, dummodo ille, pro quo Sacrificium offertur, obicem non ponat, hoc est affectum, & complacentiam non habeat ad peccata venialia, sive illa non continuet; idque probant ex Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. ubi docet peccata venialia non esse materiam necessariam Sacramenti Pœnitentiæ; sed multis aliis remediis expiari posse; inter quæ efficacissimum reputari debet Missæ Sacrificium, quod fuit à Christo Domino Ecclesiæ suæ sponsæ relictum; quo virtus Salutaris Sacrificii cruenti Crucis applicaretur in remissionem eorum peccatorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, ut subdit idem Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. his addi potest: Scholasticorum doctrina, de remissione peccatorum venialium, quæ fieri potest per meram extrinsecam Dei condonationem absque ulla infusione gratiæ habitualis, aut formali retractatione peccati venialis, quod non includit privationem gratiæ, sed est cum illa impossibile; ut latiùs idem Mastrius *in 4. sent. disput. 5. quæst. 9. in Theol. Mor. d. disput. 19. num.* 49. Et facit dictum S. Augustini, de quo *in can. Utrum 72. de Consecrat. dist. 2.* videlicet: *Iteratur quotidiè hæc oblatio, licèt Christus semel passus sit, quia quotidiè peccamus, saltem peccatis, sine quibus mortalis infirmitas vivere non potest; & ideò quia quotidiè labimur, Christus quoque mysticè pro nobis immolatur.*

Confirmari potest hæc secunda conclusio de remissione culparum venialium per virtutem Sacrifi-
11 cii Missæ exemplo, quod narrat S. Gregorius Magnus *Dialog. lib. 4. cap. 57.* his verbis: *Hoc quoque quod audivimus; quemdam apud hostes, & in vinculis religatum fuisse; pro quo sua conjux diebus certis Sacrificium offerre consueverat; qui longo post tempore ad conjugem reversus, quibus diebus ejus vincula solverentur, innotuit; ejusque conjux illos fuisse dies, in quibus pro eo Sacrificium offerebat, cognovit.* Consimile exemplum narrat Beda *lib. 4. Hist. Gentis Anglor. cap. 22.* De Juvene milite, qui captus ab exercitu hostili, ibi Dux eum vinciri præcepit; sed vincula de se cadebant; habebat enim germanum fratrem Sacerdotem, qui pro ipso Missam celebrabat, putans eum esse mortuum. Vincula nostra utique sunt passiones nostræ, & inclinationes ad vitia, quibus alligati quotidie venialiter peccamus, juxta illud *Isaiæ 5. 18. Væ, qui trahitis plaustrum in funiculis vanitatis.* Igitur sicut vincula corporis dissolvebantur prædictis hominibus captivis, quo die pro ipsis celebrabatur Sacrosanctum Missæ Sacrificium; ita ejusdem Divini Sacrificii virtute destruuntur funiculi animæ, quæ sunt culpæ veniales; de quibus dicebat Psaltes: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Psalm.* 115. 7. Et ideò fuerant dirupta: quia *Calicem salutaris accipiam*; idest propitiationem ex incruenta Oblatione Christi manantem spiritu suscipiebam.

Tertia Conclusio. Sacrosanctum Missæ Sacri-
12 ficium ex opere operato vim, & efficaciam habet augendi gratiam habitualem in hominibus justis, pro quibus offertur, vel qui devotè illi sunt adstantes; etsi non immediatè, sed mediatè tantùm, quatenus virtute ejusdem Sacrificii conferuntur justis auxilia actualia, & efficacia ad bona opera exercenda; quibus crescant per meritum in sanctitate, & justitia; & mereantur de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ. Ita Scholastici supracitati Gonet. *dict. tom. 5. disput. 12. de Sacrif. Missæ num.* 81. Suarez *in 3. part. tom. 3, disput. 79 sect. 4.* Eminent. Cardin. de Lugo *de Eucharist. disp. 19. num.* 150. Colleg. Salmanticen. *de Sacramentis in genere tract. 4. cap. 4. num. 12. & 31.* Et Mastrius *in sua Theol. Morali d. disp. 19. n. 50.*

Exemplum Confirmatorium satis aptum est illud, quod refert idem Sanctus Gregorius Magnus 13
Dialog. d. lib. 4. cap. 57. de Nauta, Baraca nomine, qui conducebat Romam in propria navi Agathum Panormitanum Episcopum, de quo etiam meminit ipse Gobat. *dict. tract. 3. n. 126.* Orta enim tempestate magna; & eodem Baraca nauta existente in Carabo, videlicet in cymbula comitante navim, rupto fune, quo navi alligabatur, inter undarum cumulos repente disparuit. Navis post multa pericula ad Ulticam Insulam fluctibus quassata pervenit; carabus verò jactatus undis, cùm à superiori parte deorsum fuisset conversus; nauta, vi facta, supersedit carinæ; sed labore, terrore mortis, ac fame oppressus ampliùs se ibi regere non poterat. Interim Episcopus credens eumdem nautam mortuum, voluit in eadem Insula Sacrosanctum Missæ Sacrificium offerre; quod dum litaret, ipse nauta ab undis cum carabo converso jactatus vidit quemdam sibi mirabiliter porrigentem panem; quem mox ut comedit, vires recepit, nec longè post alia navis transiens affluit, quæ illum ab undarum periculo suscepit, atque ad Portum Romanum deduxit; ubi cùm deinde Episcopus appulisset, eumdem vivum, & incolumen invenit. Ex hac narratione deducitur, quòd sicut, dum Sacrificium fieret pro eodem naufrago nauta, Panis miraculosus, quo vires auctæ sunt illi ad se vivum in medio mari servandum, fuit illi porrectus; ita ejusdem Sacrificii virtute animæ fideles augmento gratiæ per impetrationem Divinorum auxiliorum ditantur; quibus valent actus bonos, & meritorios elicere ad consequendum de condigno tum gratiæ in hac vita; tum gloriæ in futura augmentum.

Sit aliud exemplum Petrus Puteus Nobilis Pa-
normitanus, in juvenili ætate, & in habitu lai- 14
cali accesserat Romam, mundanos honores quæsiturus. Casualiter ingressus in Ecclesiam, & in Sacristiam, ubi Sanctus Philippus Nerius paratus erat pro celebranda Missa; ab ipso Sancto vocatus, ut Missæ suæ deserviret, promptè obedivit; & Sacra illa actione durante; ac divina gratia in corde Petri crescente; desiit statim in eo affectus terrenarum rerum, & exarsit Amor cœlestium; adeò ut consilio ejusdem Sancti vitam Clericalem amplexus meruerit esse Fundator Congregationis Oratorii Panormi; & in ea ad apicem perfectionis Christianæ pervenire; ut piè, ac doctè scribit Joannes Marcianus *in Memor. Hist. Congregat. Oratorii tom. 2. lib. 5. cap.* 24.

Quarta Conclusio. Missæ Sacrificium ex sui
institutione; & ex opere operato habet vim remit- 15
tendi pœnas peccatorum tam pro vivis, quàm pro defunctis existentibus in Purgatorio. Probatur ex Trident. Concil. *d. sess. 22. cap. 2. &*

Can. 5.

Can. 5. in quibus definit: *hoc Sacrificium non solum prodesse sumenti, sed etiam iis pro quibus offertur tam vivis, quàm defunctis pro peccatis, pœnis, & satisfactionibus.* Hæc autem pœnarum remissio, ubi culpa obicem non ponat, provenit ex efficacia Passionis Christi, cujus cruenti Sacrificij hoc incruentum est repræsentatio, ac veluti renovatio; & fit immediatè ex ipsa hujus Sacrificij institutione, atque Christi promissione, independenter à merito, & probitate operantis; atque ideò pœnæ prædictæ, debitæ pro peccatis remissis, relaxantur certò, & infallibiliter, ac statim; ut concorditer docent omnes Theologi S. Thom. 3. *p. q.* 79. *art.* 5. *in corp.* Scotus, *Quod lib.* 20. Suarez *d. tom.* 3. *in* 3 *part. disp.* 79. *sect.* 6. Vasquez. *disp.* 224. *cap.* 4. Colleg. Salmanticen. *d. tract.* 4. *De Sacram. in gen. cap* 4. *num.* 11. *& num.* 18 Lessius *in d.* 3, *part, quæst.* 83. *num.* 40. Gonet. *d. tom.* 5. *disp.* 11. *num.* 88. Emin. Card. de Lugo. *de Euchar. d. disp.* 19. *num.* 153. Emin. Cardinalis de Lauræa *in* 4. *Sent. tom.* 4. *disp.* 26. *art.* 11. ubi innumeras auctoritates Sacræ Scripturæ, SS. Patrum, Conciliorum, Canonum, & Theologorum cumulat. Et denique Mastrius Scotistarum splendor, & ornamentum, *in* 4. *Sent. dis.* 4. *quæst.* 6. *& quæst.* 7. nec non. *in Theol. Moral. d. disp.* 19. *num.* 47.

His addere liceat testimonia antiquitatis circa remissionem pœnarum pro defunctis ex Liturgica
16 actione provenientem juxta Apostolicam traditionem usque ab initio Ecclesiæ semper custoditam, de qua Enim. Card. Baronius *in Annal. Eccles. ad Annum Christi* 257. *num.* 15. *& 16. & Anno* 389. *num.* 5. ubi refert factum Divi Augustini, qui Missam de Requiem celebrare fecit pro anima S. Monicæ Matris suæ defunctæ, antequam ejus corpus sepeliretur, prout ipsa petierat, priusquam expiraret, dicens: *Tantum illud vos rogo, ut ad Domini Altare memineritis mei*, ut idem Sanctus scribit *Confession. lib.* 9. *cap.* 12. *& cap.* 13. nec non *Anno* 1056. *num.* 9. ubi ex S. Petro Damiano ostendit usum Ecclesiæ celebrandi Missam feria secunda pro defunctis; quod latiùs prosequitur Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. lib* 1. *cap.* 15. *num.* 4. Gasp. Schottus *in Physica Cur. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 42. §. 2. & Sperellus *in Paræneti Teleturgica cap.* 52. *ac etiam cap.* 95. §. 1.

Porro nonnulla exempla ad ornatum doctrinæ subjiciamus. Primum sit illud, quod narrat S. Gre-
17 gorius Magnus *Dialog. lib.* 4. *cap.* 55. de Domino balnei jam defuncto, cujus anima in figura humana serviebat Presbytero, ibi pro infirmitatibus ad se lavandum accedenti: nam cùm grati animi ægro obtulisset panem; anima illa sic respondit: *Ego, quem vides, hujus loci Dominus aliquando fui, sed pro culpis meis hic post mortem deputatus sum. Si autem mihi præstare vis, Omnipotenti Deo pro me offer hunc panem; ut pro peccatis meis intervenias, Et tunc te exauditum esse cognosces, cum huc ad lavandum veneris; & me minimè repereris. In quibus verbis disparuit; & is, qui homo esse videbatur, evanescendo innotuit, quia spiritus fuit. Idem verò Presbyter hebdomada continua se pro eo in Lachrymis afflixit, salutarem HOSTIAM quotidie obtulit; & reversus post ad balneum, eum jam minimè invenit. Quæ ex re quantum profit animabus immolatio sacræ Oblationis ostenditur; quando hanc & ipsi mortuorum spiritus à viventibus petunt; & signa indicant,*
18 *quibus per eam absoluti videantur.* Secundum exemplum sit Justi Monachi proprietarii, qui obiit in Monasterio ejusdem S. Gregorii Magni, & ejus jussu in sterquilineo cum tribus aureis, quos occultos tenebat, sepultus fuit, cui Sanctus, misertus jussit per dies 30. continuos pro ejus anima celebrari. Dein Anima Justi apparens Copioso germano suo, expositi á pœnis, quas
19 hucusque perpessa erat, se absolutam; ut *eod. Dial. lib.* 4. *cap.* 55. fusiùs narratur. Hinc invaluit Ritus triginta Missarum S. Gregorii pro defunctis, quæ prohibitæ non sunt, si dicantur de Requiem in diebus ferialibus, & semiduplicibus in Dominicis autem & duplicibus festis recitentur de officio currente, per dies triginta vel continuos, vel interpolatos, ut respondisse Sacr. Rit. Congr. *die* 28. *Octobris* 1628. testantur Gavant. *in Rubr. Miss. part.* 1. *tit.* 5. *num.* 3. *in fine.* Bystus *in Hierurg. Sacra Verb. Missæ prohibitæ. num.* 262. Palsqualig. *de Sacrific Missæ q.* 293. *& seqq.* & Bordonus *de Legatis cap. 6. num.* 121. Tertium sit exemplum S. Malachiæ Episcopi Hybernensis, de
20 quo in ejus vita Joan. Petrus Maffejus *Soc. Jesu*, & Petrus Ribadeneira *in Vitis Sanct. tom.* 2. *die* 3. *Novembr.* Defuncta enim sorore ejusdem. S. Malachiæ, & visione per eum habita, quod ipsa luctu induta extra Ecclesiam staret, cœpit pro ejus anima quotidie Sacro Sanctum Sacrificium offerre; & non multò post videtur in vestibus albis ad cœlum ascendere. Quarto loco videantur exempla, quæ narrat. Daniel Bartoli *in Historia Angelica-*
21 *ta lib.* 5. *cap.* 7. De Joanne Cornelio Sacerdote ejusdem Societatis Jesu, cui in Anglia laboranti pro defensione fidei Catholicæ apparuit Harrisius ejus præceptor defunctus, petens suffragium nonnullarum Missarum, ut à pœnis Purgatorii liber exiret. Ulterius idem Joannes Cornelius dum Sacrum faceret pro Barone Sturtonio, post consecrationem usque ad Memento defunctorum, vidit sylvam magnam ignis ardentis, & in eo prædictum Baronem Sturtonium, qui flagitabat auxilium. Quinto legatur id, quod scribit *in Storeis* Stephan. Menochius *centur.* 2. *cap.* 11. ex Tilman. Brendebach. *lib.* 8. *Relationum cap.* 4. videlicet anno 1581. Herum quemdam paulò ante defunctum famulæ suæ apparuisse igneo pallio coopertum; & ab ea instantissimè postulasse certorum votorum adimplementum; & trium Missarum celebrationem, ut à pœnis Purgatorii absolveretur. Sextò tandem observandum eximium exemplum illud relatum à Sancta Teresia in suis operibus spiritualibus *tom.* 2. *cap.* 25. nimirum, Vallisoleti sibi dono datum donum amplam cum vinea à quodam Equite generosi animi, ut ibi Monasterium fundaret. Post Mensem à donatione prædicta circiter donator ipse, gravi infirmitate correptus, usu linguæ deperdito obiit inconfessus. Sollicita Sancta Teresia de ejus æterna salute orabat ad Dominum, à quo monita fuit, illius animam elicito contritionis actu, adjuvante Deipara, pro cujus honore domum, & vineam donaverat, esse in loco salutis, nempè in Purgatorio, à quo tamen non exiret, nisi in prædicta domo construeretur Ecclesia, & Sacrosanctum Sacrificium Missæ in ea litaretur. Studuit pia donataria, omni possibili celeritate, Ecclesiam ibi ædificare; qua ædificatione completa, & necessariis licentiis habitis ab Ordinario, ubi prima Missa celebrata fuit, vidit S. Teresia Equitem donatorem, & benefactorem suum penes Altare, luminosam habentem faciem, & sibi gratias agentem; siquidem ejus anima soluta à Purgato-

rius pœnis ad gloriam evolabat Paradisi. Verè igitur Incrumentum Missæ Sacrificium est Propitiatorium, & Satisfactorium pro pœnis, causa culparum commissarum debitis persolvendis, tum in hac vita mortali degentibus; tum in alia his, qui in Purgatorio sunt damnati

Sed dicet aliquis, quare Ecclesia in offertorio Missæ Defunctorum rogat Redemptorem, ut liberet animas omnium fidelium Defunctorum *de Pœnis Inferni, & de profundo lacu; & ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum?* Quisnam est sensus dictorum Verborum? Respondetur, ea verba *de pœnis Inferni* significare pœnas Purgatorii; vox enim *Infernus* significat omnem locum subterraneum, sive ubi stant damnati, sive ubi sunt animæ Purgatorii, vel degentes in limbo; & ideò in symbolo dicimus: *Qui descendit ad inferos.* Verba *de profundo lacu* pariter denotant Purgatorii locum; qui cùm sit in profundo terræ, venit hoc nomine; lacus enim appellatur carcer profundus: juxta illud *Jerem. 38. 6. Et projecerunt eum in lacum*, id est in carcerem; de quo etiam intelligendus est Psaltes *Psal. 87. Vers. 5. & seqq.* ubi de Passione, morte, ac sepultura Redemptoris, atque descensu Animæ ejus Sanctissimæ ad limbum loquens, in spiritu dicit: *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber. Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius; & ipsi de manu tua repulsi sunt. Posuerunt me in lacu inferiori; in tenebrosis: & in umbra mortis.* Verba sequentia: *ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum*; innuunt eumdem locum Purgatorii, à quo censentur animæ eductæ; quia durante divino Sacrificio tormenta non sentiunt, sed refrigerium, secundùm piam opinionem Sancti Hieronymi, quæ in aliquibus Defunctorum Missalibus imprimi solet; nimirum: *Animæ, quæ in Purgatorio torquentur, pro quibus solet Sacerdos in Missa orare, interim nullum tormentum sustinent, dum Missa celebratur.* Igitur hæc Offertorii oratio ad supplicandum dirigitur, ne iterum cadant in tormenta post Missam, à quibus pro interim sublevatæ sunt animæ illæ, pro quibus rogatur, & ne amplius ibi detineantur. Ita Magrius *in Hierolex. Verb. Offertorium*, nec non Menochius *in Storeis Centur. 6. cap. 78.* ac etiam Azorius *tom. 1. lib. 10 cap. 22. quæs. 8.* & Fagundez *de Præceptis Ecclesiæ lib. 4. cap. 21. num 6. & seqq.* 22

Quinta Conclusio. Sacrificium Missæ in publicis tribulationibus belli, pestis, penuriæ, aliorumvè divinæ Justitiæ flagellorum, Deum placatum reddit, & opem opportunam obtinet. Probatur ex usu antiquo Ecclesiæ, quæ pro tempore prædictarum tribulationum instituit propriis Missas celebrandas, videlicet ad pacem obtinendam ad petendā pluviam, vel serenitatem, & consimiles, prout in Missali Romano; ideò hoc notant Henriquez *in summa lib. 9. cap. 15. num. 2.* Collegium Salmanticen *de Sacram. in genere d. tract. 4. cap. 4. num. 19.* & Mastrius *in Theolog. Moral d. disp. 9. num. 51* Et hæc est potissima causa, ob quam Deus in præsenti se misericordem reddit, & peccata dissimulat, etsi in veteri testamento severitate peccatores puniret. In pœnam unius adulterii, ut habetur *Judic. cap. 20. Vers.* 46. perierunt viginti quinque millia hominum. Ob vanæ gloriæ culpa in Rege David, ut legitur *in lib. 2. Regum cap. 24. num. 15.* ceciderunt ex pestilentia virorum septuaginta millia. Propter curiosam irreverentiam in aspectu Arcæ, quam commiserunt Bethsamitæ, ut scribitur *lib. 1. Reg. cap. 6. num. 19. Dominus Deus percussit de populo septuaginta viros; & quinquaginta millia plebis.* Nostris autem temporibus innumera prope flagitia, adulteria, vanitates, & irreverentias tolerat Divina justitia; quia redditur placabilis Hostiæ immaculatæ oblatione. Sint exempla: 23

Justinus successor Justiniani in Imperio, cum bellum gereret contra Persas, quo die erat pugnaturus contra illos, Missam cum militibus devotè audivit, deindè initio prælio gloriosam de inimicis victoriam reportavit, divini Sacrificii virtute, ut refert, *in Annalibus Eccles.* Enim. Cardin. Baronius *anno 556. num. 43.* 24

Consimile cum triumphum de Danis, Angliam invadentibus assequutus est Rex Etelredus; qui excitatus ad pugnam, dum Sacræ Liturgiæ adstaret, à militibus suis, respondit iisdem, non discessurus, nisi divinum sacrificium completum esset. At eo finito hostes aggressus, illos omnes fugavit ejusdem Divini Sacrificii ope. Idem Enim, Baron. *anno 871 num. 101.* Et Matthæol. *in Sylva Historial. tom. 2. lib. 7. cap. 1. tit. 13. Exempl. XI.*

Sexta conclusio. Prodest ribatio Hostiæ sacræ ad effugienda pericula, quibus nostra subjacet humanitas; idcircò *Trid. Conc. cit sess 22 cap. 2. & can 3. in fine* ait, Missæ Sacrificium offerri *pro quibuscunque necessitatibus*; videlicet tam animæ, quàm corporis. Famosum est exemplum relatum *ab Ænea Silvio in descript Europæ cap. 21.* de Nobili viro, qui cum gravissima tentatione de se suspendendo opprimeretur, monitus fuit à Religioso viro, ut quotidie Missam audiret; idque per annum jugiter fecit, neque suspendi tentationem amplius audivit. Postea in die festo, cum tardasset ire ad Ecclesiam, obviam habuit rusticum, qui testatus est ei, completa esse omnia Sacrificia. Dolenti nimirum de hoc Nobili prædicto obtulit rusticus cedere Missam à se auditam, si pallium rubeum suum sibi daret. Consentit Vir nobilis, & dato pallio pergit ad Ecclesiam; in qua diu moratus in recitatione orationum, dum revertitur domum, vidit rusticum antedictum in arbore suspensum, & cognovit virtute Missæ sibi attributæ illud suspendi periculum evasisse. Idem narrat Bagatta *in Admirand. Orb. Christ. tom. 2 lib 3 cap. 3. §. 9. n. 3.* & Segnerius *in Christiano Instructo par. 1. serm. 12. n 17.* 25

Celebre est etiam exemplum illud Nobilis Juvenis ab aula Sanctæ Elisabeth Reginæ Portugalliæ: quem calumniosè ab alio aulico accusatum de incontinentia apud Regem, Rex ipse in calcariæ ignis medium projici jussit artifici. Cumque innocens accusatus pergeret jussu Regis ad artificem fornacis, audito signo celebrandæ Missæ in quadam Ecclesia, introgressus adstitit Divino Sacrificio; & interim Rex scire cupiens, an jussa sua adimpleta forent, misit accusatorem ad fornacem, quem artifex arreptum in ignem conjecit. Quo casu Deus punitam voluit malitiam calumniatoris; defensam innocentiam accusati; & manifestatam virtutem Divini Sacrificii in angustiis, & necessitatibus hominum *Ita in Chronic. Ordinis. S. Francisci tom. 2. lib. 8. cap. 28* & Rodriquez *in Exercit. Perfect. Christ part. 2. tract. 8. cap. 16.* nec non Bagat. *eod. lib. 3. cap. 3. num. 9* quia alia exempla narrant eorum, quibus devotio erga Sacrosanctum Missæ Sacrificium in magnis vitæ periculis mirificè profuit. 26

Septima Conclusio. Virtute hujus Sacrificii conceduntur nobis à Deo plura bona temporalia; quatenus tamen ordinantur, & conducunt ad Spiritualia. Ita Mastrius *in cit. disp. 11. Theol. Moral num. 51.* ubi reddit rationem dicens, quia hujus Sacrificii 27

ficii effectus nituntur meritis Sacrificii cruenti à Christo in Cruce oblati; at nobis non promeruit Christus in Cruce bona temporalia; nisi in ordine ad Spiritualia; & prout ad illa conducunt, & ordinantur. Et hinc est, quod effectus hujusmodi non semper, & infallibiliter obtinentur; quia non semper deserviunt animæ saluti; quod suaderi potest exemplo Extremæ Unctionis; cujus effectus est etiam Sanitas corporalis, non tamen absolutè; sed prout expedierit saluti animæ, ut docet *Conc. Trid sess. 14. cap. 2. de eod. Sacram. extr. Unct.*

Cæterum & hanc conclusionem duobus ornemus exemplis. Unum narrat Surius *In vita S. Joannis Eleemosinarii Alexandrini Episc. die 23. Januar.* 28 de duobus Sutoribus, quorum unus quotidiè audiebat Missam, & ejus familia commodè vivebat ob lucra, quæ ex arte sua Sutor ille reportabat. Alter die, ac nocte laborabat, vix Dominicis diebus ad Ecclesiam accedens, & nimia egestate opprimebatur. Petiit à primo quomodo omnia sibi prospera evenirent? & audita devotione ejus erga tremendum Missæ Sacrificium, cœpit & ipse jugitur illi adstare, & in temporalibus ditatus fuit.

Alterum satis lepidum describitur *in Storeis Menochii Cent 2. cap. 72.* ubi inter cætera notabilia S. Antonini Archiepiscopi Florentiæ refertur, quòd honestus vir paupertate, & filiarum multitudine pressus quotidie, summo mane ibat ad Ecclesiam, audiensque Sacrum Sacrificium Missæ egestatem suam Domino commendabat. Aliquando ivit ita diluculò, ut ostium Ecclesiæ nondum esset apertum. Stetit tamen ibi exspectans, & orans. Interim venere cæci duo mendici, qui eleemosynam quæritabant, & reperto ostio clauso, cœperunt ad invicem conferre; quantam unusquisque reconditam pecuniam teneret? Unus ait, habeo in hoc capuccio, reposita scuta ducenta. Alter dixit, ego vero trecenta scuta in pileo reporto. His auditis Vir ille devotus, credens hanc notitiam sibi datam ex speciali providentia Dei, abstulit capucci um ab uno, & pileum ab altero, veloxque aufugit; cæcis, præ nimio dolore ob amissam pecuniam ejulantibus. At timens, ne offenderetur Deus, accessit homo ille ad Sanctum Antoninum Archiepiscopum, & eidem omnia narravt, & pecuniam consignavit; qui ascitis cæcis prædictis, eos redarguit de furto, in petenda stipe tamquam mendici, & tantam pecuniam retinentes. Cumque eos hortatus esset, ut suo arbitrio factum remitterent, uni dedit scuta viginti quinque; alteri triginta; reliquum verò illius pecuniæ concessit ei, qui illam abstulerat, ut filias suas nubiles in Matrimonium daret, & suæ paupertati subveniret. Est igitur hoc Divinum Missæ Sacrificium ærarium inexhaustum, à quo nobis omnia bona veniunt, tum spiritualia, tum temporalia, si & hæc ad animæ salutem dirigantur; juxta illud *Primùm quærite regnum Dei, & Justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis Matth. 6. 33.*

His adde bovem ferocem factum domitum, ex voto Missæ ad honorem S. Francisci Xaverii, ut narrat Gobat. *in Theol Exper. d tract. 3. num. 118.*

Octava conclusio. Sacrificium Missæ est verè 29 Eucharisticum, id est aptissimum ad gratias agendas Deo pro immensis beneficiis, quæ jugiter ab ipso accipimus. Gonet. *d. tom 5. disp. 11. de Sacrific. Missæ num. 94.* Brognollus *tract. 10. cap. 8. resol. 1. Vers. Secundo.* Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 2. num. 1.* Paul. Segner. *in Christian. Instruct. par. 1. in serm. 12. num. 10. & 11.* ubi pie differendo ait, innumeras esse beneficentias, quibus à Deo cumulamur in bonis naturæ, & gratiæ, in liberatione à malis, & in præparatione æternæ felicitatis, nec non quòd ipsius Dei Filius, propter nos homines, & propter nostram salutem descenderit de cœlo, & incarnatus sit de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus fuerit obediens usque ad mortem; mortem Crucis, Idcircò, ut ajebat Tobias de Angelo ad patrem suum: *Quid dignum esse poterit beneficiis ejus? Tob. 12. 2.* & nihilominus gratias reddere, & divinas beneficentias compensare obligamur, juxta illud: *Da Altissimo juxta datum ejus. Eccl. 35. 12.* Satisfacimus autem hic debito, dum Æterno Patri immaculatam Hostiam, Corpus scilicet, & Sanguinem dilectissimi Filii sui offerimus, & donamus in Liturgica actione; de qua ita ait S. Ireneus *lib. 4. contra hæres., cap. 32. Divinum hoc Sacrificium, ideò institutum, ne nos ingrati simus erga Deum.* Legitur, in Vita Ven. Franciscæ Farnesiæ, eidem à Deipara 30 in visione datum fuisse puerum JESUM his verbis: *Accipe, tuus est.* Hoc idem omnes fideles de se ipsis dicere possunt, prævio Missæ Sacrificio; in quo *Parvulus datus est nobis*, ut illum pro gratiarum actione Divinæ Majestati offeramus; ut ipse Christus cuidam animæ devotæ pariter innuisse testatur Sanctiure *part. 3. cap. 10.*

Ex his concludamus, Sacrificium Missæ continere in se omnes effectus Sacrificiorum; quibus quovis tempore homines usi sunt; est enim Missa Sacrificium *Latreuticum*, sive *Holocaustum*, seu *honorarium*, & protestativum Divini Dominii, & sic refertur ad colendum Deum, & ad protestandam ejus Supremam Excellentiam; atque Superioritatem super omnes res creatas. Est *Eucharisticum*, quia fit in gratiarum actionem de summo beneficio Passionis Dominicæ & immensis aliis beneficiis, quibus à Deo donamur. Est *Impetratorium*, quia per Christum Deo Patri oblatum, & præsentatum; ejus misericordias, obtinemus. Est *Meritorium*, quia justis hominibus viatoribus augmentum gratiæ obtinet. Est *Propitiatorium*, sive *Expiatorium* pro peccatis vivorum, & mortuorum; virtute Dominicæ Passionis. Est *Satisfactorium*, quia pœnas debitas pro peccatis remittit, delet, & extinguit. Ita Fraxinell. *de Oblig. Sacerdotum sect. 3. prænot. 1.* Layman *d. lib. 5. tract. 5, cap. 2.* & Brognol *in Specul. Cleric. d. tract. 10. cap. 8, resol. 1.*

Utrum autem supradicti omnes effectus Sacrificii sint finiti, vel infiniti, tum quò ad intensionem, tum quò ad extensionem, examinabimus infra in *Decisione XXXIII.* ubi de valore, & fructu Missæ sumus loquuturi.

DECISIO XV.

ARGUMENTUM.

De Sacrificiis factis in Lege Naturæ; & primò de Sacrificiis Adæ, Caini, & Abelis. An Adam sciverit scientiam cabalisticam? Et quid, & quotuplex sit Cabala Hebræorum?

SUMMARIUM.

1 *Adam fuit primus, qui Deo obtulit Sacrificia.*
2 *Adam superavit in Scientia Salomonem.*
3 *Adam habuit fidem distinctam, & explicitam*

Unitatis, & Trinitatis Dei, ac Verbi Divini futuræ Incarnationis.

4 *Adam omnes scientias possidebat, ac etiam medicinam & Cabalam.*

5. *Cabala quid sit?*

6 *Cabalistica scientia alia bona, alia mala, & quot ejus species?*

7 *Hebræi, & Græci non utuntur numeris arithmeticis, sed litteris Alphabeti.*

8 *Aleph continet nomen Dei, & quare?*

9 *Aleph habet in se Mysterium Unitatis, & Trinitatis, Divinæ.*

10 *Cabala mala quænam sit?*

11 *Adam scivit, esse Deo Sacrificia offerenda & id ipse docuit filios, ac posteros suos.*

12 *Adam fabricavit Templa pro cultus Divini exercitio.*

13 *Cain, & Abel pluries sacrificaverant Deo.*

14 *Abelis Sacrificia comburebantur igne cœlesti. Non etiam illa Caini.*

15 *Sacrificia Deo grata sæpè igne cœlesti cumbusta.*

16 *Caini Sacrificia non grata Deo ob quatuor causas? Et quæ?*

17 *Genitores, qui offerunt Religioni filios pejores, sunt similes Caino.*

18 *Sacerdotes celebrantes Missam sine devotione sunt similes Caino.*

19 *Cain res oblatas in sacrificio convertebat in suum usum.*

20 *Abel utrum fuerit Martyr?*

21 *Abel occisus fuit in loco, ubi nunc est Damascus, & ibi terra adhuc rubra est ob ejus Sanguinem.*

22 *Abel occisus fuit die 25. Martii.*

HUcusque explanavimus quidditatem Sacrificii, & ea, quæ spectant ad actionem Liturgicam ritè, atque rectè exercendam; sequitur, ut præterita tempora percurrentes, & diversitatem Legum observantes, scilicet Naturæ, ac Mosaycæ; referamus personas, à quibus consuetum fuit Hostias Deo immolari in utraque ex prædictis Legibus, ac flatibus; ut deinde ad plenam tractationem incruenti Missæ Sacrificii, quo in lege gratiæ, in qua vivimus, à Christo Domino donati & ditati sumus, descendere possimus.

Igitur in lege naturæ primus, qui Sacrificia Deo
1 obtulit, fuit Protoplastus, ipse scilicet Adam; quem à Deo Sacerdotio initiatum fuisse deducunt Auctores, quos allegat eruditus Fr. Marcellus de Cavaleriis Ordinis Prædicatorum in eximio Opusculo *Statera Sacra tit. 1. num. 3.* Et quoniam Scriptura Sacra expressè non loquitur de sacrificiis, & Liturgiis Adæ; hanc assertionem probare licet ratione, & auctoritate. Ratio desumitur à concordi Theologorum, Sanctorumque Patrum consensu, affirmantium, quòd Deus in primum Parentem Adam non solum liberaliter infuderit scientiam omnium rerum naturalium, & cognitionem Astrorum, & elementorum, ita ut ipse Adam superaverit sapien-
2 tiam Salomonis, ut docent Pererius, Serarius, Cornelius à Lapide, & alii, quos cumulat Stephan. Menochius *in Storeis Centur. 12. cap. 50.* Sed etiam eum præditum fecerit omni supernaturali virtute, ut posteros suos posset instruere in his præcipuè quæ ad Religionem, & Divinum Cultum spectarent; ut considerat S. Thom. *1. part. quæst. 94. art. 3.* & ideò Adam habuit fidem de Deo, scivitque, ipsum Deum esse Auctorem naturæ, & gratiæ; atque remu-
3 neratorem bonorum operum; imò obtinuit fidem distinctam, & explicatam Mysterii Unitatis, & Trinitatis Dei; ac revelationem futuræ Incarnationis Verbi Divini pro redimendo genere humano; ut differunt. Valentia *tom. 1. disp. 7. quæst. 2. punct. 1.* Ludovic. Molina *in Opere Sex dierum disp. 25.* Salian. *in Annalib die sexto à num. 58. & seqq* Novissimè Mendezus *in Theolog. Catechetica libr. 8. cap 4.* Undè non est dubitandum, eundem Adam ornatum fuisse hac Religionis virtute, quæ consistit in Sacrificio; & sciviſſe, Deum esse colendum, atque honorandum immolatione Hostiarum.

Et equidem plura sunt, quæ leguntur apud Auctores de scientia Adæ; tum in scientiis naturalibus, quibus omnibus ipse callebat, etiam Medicina, ut eruditè pluribus auctoribus citatis probat Zacchias *in quæst. Medicoleg. tom. 1. lib. 6. tit. 3. quæst. 4. num. 2. & 3.* tum etiam *Kabala*, seu *Cabala* (utro- 4
que enim modo scribitur) quæ dicitur scientia Symbolica, per quam aliquod vocabulum cum altero, seu per numerationes arithmeticas aliquid aliud mysticè designatur: ut scribit Magr. *in Hierolexic Verb. Kabala*, ubi subdit, hanc scientiam ab Angelis traditam fuisse ex Rabbinorum traditione; & successivè 5
ad posteros Patriarchas, & Dei amicos pervenisse; apud quos tantummodò conservabatur; nec vulgò communicabatur; sed ea abusum esse Cham Noemi filium; qui eam Ægyptios docuit, & ipsi in Idololatriæ cultu illam adhibere cœperunt. Hæc autem scientia Cabalistica dividitur in bo-
nam, & malam secundùm Auctores infra citandos. 6.
Prima habet tres species; *Una* declarat verba scripturæ Sacræ in aliquo sensu mystico, & est veluti Theologia mystica Hebræorum, Julius Maurocenus, Neophitus, (antea verò Rabbinus) in suo opere. *Via fidei Hebræis ostensa part. 2. cap. 69 pag. 1132.* & Stephan. Menochius *in Storeis Centuria prima cap. 14.* ubi hanc propositionem pro exemplo ponit: *Cum fiet lux speculi non lucentis, sicut speculi lucentis, erit nox sicut dies.* Quæ indicat corporum resurrectionem, & glorificationem in cœlis juxta illud Apostoli: *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, ad Philip. 3.* Item exemplificat in Verbis illis, *Mane, Thecel, Phares*, quæ fuerunt interpretata per Danielem *cap. 5.* Et in Verbo *Sesach* apud Jeremiam *cap. 25. num. 26.* quæ significat *Babel* Secunda species Cabalæ bonæ consistit in mutatione verborum alicujus vocabuli pro relevando aliquo sensu recondito, vel mystico, ut nos facimus, cùm aliquod Anagramma componimus; & de hac Jul. Maurocenus ubi supra dat exemplum de verbo מלאכי *Malachi*; ideſt Angelus meus, de quo fit מיכאל *Michael*. Tertia verò est computatio Arithmetica; super litteris Alphabeti nam Hebræi, ac Græci non utuntur numeris, ut nos facimus, sed eorum vice adhibent litteras; *Aleph* enim 7
significat unum, *Beth* duo, *Ghimel* tria, & sic de singulis; quare qui Cabala pollent, numerant litteras alicujus vocabuli; ideſt observant, quem numerum faciant eædem litteræ; ut inde sumant sensum reconditum illius vocabuli. Menochius *d. Centur. prima cap. 14.* dat exemplum ex S. Irenæo sumptum de nomine Antichristi; de quo cum scriptum sit *in Apocalypsi cap. 13. Vers. 18. Numerus enim hominis est; & numerus ejus sexcenti sexaginta sex.* Arbitratus est, nomen Antichristi futurum esse TEITAN; ea ratione quia in numeris græcis T. significat 300. unde cùm sint duo TT. faciunt. 600. N. facit 50. I, facit 10. E, facit 5. A, facit 1. adeò ut hæc

tota

tota numerorum series compleat numerum 666. & de hoc latiùs agit Malvenda *lib.* 8. *de Antichristo cap.* 8.

Aliud exemplum deducere licet ex eod. Julio Mauroceno *d. lib. Via della fede part.* 3. *cap.* 2. *pag.* 1239. 8 ubi refert, Hebræos Cabalistas docere, quòd א *Aleph.* prima litteram Alphabeti Hibraici continet in se Nomen Ineffabile Dei יהוה *Jehovia*; propter hanc numericam rationem; quia tam *Aleph*, quàm *Jehova* important numerum vigesimum sextum. Ecce probationem. *Aleph.* componitur ex duobus, *Jod*; unum supra, aliud subtus, & ex uno; *Vau* transverso: ita א modo *Jod* numericè valet X. cumque sint duo *Jod.* faciunt XX ו *Vau* valet VI. idcirco hæ omnes summæ relevant XXVI. Idem importat vox יתוה *Jehova*: siquidem י Jod importat X. littera ה He importat V. cumque sint duæ faciunt X. Item ו *Vau* importat sex; quare si sumantur omnes, ascendunt ad numerum XXVI. prout dictum est de littera *Aleph.*

Sed ex eadem littera א *Aleph* prædictus Jul. 9 Maurocenus deducit *d. part.* 3. *cap.* 2. *pag.* 1239. pulcherrimam observationem, videlicet Mysterium Unitatis, & Trinitatis Divinæ? ait enim quòd sicut prædicta littera א *Aleph* componitur ex tribus litteris, ex ו *Vau*, & duobus י *Jod*; similiter Deitas, & Divina essentia consistit in tribus Personis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto; quarum una est natura; prout unica est littera א *Aleph* ex tribus composita. Hæ igitur sunt tres species Cabalæ bonæ, quæ cùm non repugnet Canonibus Ecclesiasticis, & Dogmatibus Christianis; imò contineat nonnulla antiqua, jucunda, & ingeniosa, non est damnabilis, ut ait Pignatellus *tom.* 5. *consult.* 24. *num.* 82. & Menochius *in Stor. d. Centur. prima cap.* 14.

Cabala verò mala est illa; ex qua Hebræi ex punctis, 10 lineis, accentibus, & spiritibus conantur deducere operationes mirabiles, & ea utuntur ad lingandos Dæmones, & ad præstigia facienda; adeo ut in effectu sit vera Necromantia, ars diabolica, continens non solùm multas ineptias, sed plures res impias, & omnium hæresum furfure conflatas; ut loquitur idem Pignatell *d. tom.* 5. *Consult.* 14. *num.* 7. & 8. contra quam gravi censura insurgunt Genebrard. *libr.* 12. *Chronol.* Cornel. Agrippa *libr. de Vanit. Scient. cap.* 47. Nicol. Serarius *libr.* 1. *de Rabbinis cap.* 13. & *in cap.* 10. *Josue quæst* 2. Galatin. *lib.* 1. *de Arcanis cap.* 7. Martin. Delrius *lib.* 1. *cap.* 4. *quæst.* 3. Baldellus *in Theod. Morali tom.* 2. *lib* 4. *disp.* 16. *num.* 5. & Gaspar. Schottus *in sua Physica Curiosa tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 1. *num* 1. ubi sic loquitur: *Errant, qui Cabalam. Judæorum Philosophiam omnium rerum doctrinam mystice, & symbolice callere putant. Fœtet illa jam satis vanitatis promissorum tantorum, & falsitatis convicta.*

Revertentes itaque ad scientiam Protoplasti Adæ, sive calluerit, sive non, Cabala in bono sensu accepta, certum est, eum omni scientia fuisse à Deo eminenter dotatum, ut suos posset os erudiret, ac dirigeret in iis, quæ Religionem, & cultum veri ac summi Dei concernebant, prout docet S. 11 Thom. *in cit. p.* 1. *q* 94. *art.* 3. & per consequens, eum non latuisse, esse Deo Hostias immolandas, & Sacrificia offerenda in protestationem supremi dominii ipsius Dei, ac subjectionis hominum, nec non pro consequenda felicitate tum temporali, tum æterna, quam assertionem confirmat Auctoritas SS. Patrum Athanasii, Cyrilli, Joannis Chrysostomi, Lyppomani, Lyrani, Tostati, & aliorum, quos cumulat, & sequitur Salian. *in Annalib. ad Annum Mundi* 100. *num.* 3. ubi Hugo à S. Victore sic ait: *Credimus Deum docuisse Adam cultum Divinum, quo ejus benevolentiam recuperaret, quam per peccatum transgressionis amiserat; ipsumque docuisse filios suos dare Deo decimas, & primitias*; quibus hæc addit Salian. *ibid. Cum legamus etiam Cainum Deo sacrificasse, quis dubitabit idem de Adamo confiteri à quo verbis, & exemplis ad omnem virtutem maximèque pietatem in Deum informabatur?* Idem testatur Torniell. *in iisdem Annalib. ad Annum Mundi* 236. *num.* 4. his verbis: *Credendum est etiam ante Enos, non modò Seth Patrem suum, quam diximus propter eximias ejus virtutes Deum fuisse appellatum; sed alios quoque, & primum omnium ipsum Adamum Sacrificia, oblationesque, & precationes Deo fecisse, posterosque suos eadem facere docuisse.* Cumque vixerit Adam annos 930. & fabricaverit plures domus, & palatia ad habitandum pro se, filiis, & descendentibus, probabilissimum quoque est ab eodem erecta, & constructa fuisse Templa pro Orationibus, & Sacrificiis Deo offerendis, & hanc opinionem amplectitur Eimn. 12 Card. de Lauræa *in* 3. *Sent. tom.* 2. *disp.* 25. *num.* 35. ita scribens: *Usus Templi ab initio mundi esse debuit, quia ex tunc cœperunt Sacrificia Abelis, & Caim: ideoque in loco peculiariter ad hoc deputato fieri oportuit.*

Secunda Sacrificia fuere illa, quæ obtulerunt Deo primi fratres Caim, & Abel; de quibus sic ait Scriptura Sacra: *Factum est autem, ut offerret Caim de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulerit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Genes.* 4. 3. Circa quæ Sacrificia sunt tria observanda. Primùm, quòd Caim, & Abel non semel tantùm, sed 13 pluries uterque sacrificaverat Domino, ut notat Salian: *ad Annum Mundi* 100. *num.* 1. Secundum, quòd Sacrificia Abelis Deo grata fuerunt; secùs autem illa Caini; unde ait sacer textus: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Caim autem, & ad munera illius non respexit. Genes.* 4. 5. Tertiùm, quòd ex eo cognovit Caim, Sacrificia sua non esse 14 grata Deo; quia non fuerunt combusta ab igne descendente de cœlo, quemadmodum vidit fieri de Sacrificiis Abelis fratris sui; quod scribit Sanctus Hieronym. *in Quæst. Hebraic.* his verbis: *& inflammavit Dominus super Abel & super Sacrificium Caim non inflammavit*, & ex aliis DD. probat Torniell. *ad Annum. Mundi* 130. *num.* 1 & Ponticell. *in Reflexionib. Litteral. in Pentateuch. in Reflex.* 27. *in Genes.* Quippè Divina clementia hoc signo sæpè usa est ad denotandum sibi grata fuisse Sacrificia per Sanctos viros sibi oblata: ut constat in Scriptura Sacra de Aarone *Levit* 9 *in fine, ibi Et ecce egressus ignis* 15 *à Domino devoravit holocaustum, & adipes, qui erant super Altare.* Idem de Gedeone *Judic.* 6. 21. *Ascenditque ignis de petra; & carnes, azymosque panes consumpsit.* Pariter de Rege David, pestilentia grassante, dum ad Deum placandum offerre fecit Sacrificium; nam *invocavit de Cœlo super Altare holocausti*: ut habetur 1. *Paralip.* 21. 26. Consimile signum super Sacrificia Salomonis, super quæ *Ignis descendit de Cœlo & devoravit holocausta, & victimas.* 2. *Paralipom.* 7. 1. Hoc idem Sacrificante Elia; siquidem *Cecidit ignis Domini & voravit holocaustum, & ligna, & lapides.* 3. *Reg.* 18. 38. Et aliis omissis per signum expertus est Nehemias, cùm enim Sacrificia imposuisset super Altare, *Accensus est ignis magnus, itaut omnes mirarentur.* 2. *Malach.* 1. 22.

Verùm, quibus de causis non respexit Deus ad 16 sacrificia Caini; prout fecit ad illa Abelis?

Respondeo, per quatuor causas. Prima est, quia Abel obtulit primogenita, & pretiosiora, ovium suarum; Caim verò deteriora de fructibus terræ. Ita S. Jo. Chrysost *Homil.* 18. *in Genes.* quod supra notatum est *Decis. VIII. num.* 6. ubi illa duo carmina de Abele, & Caino sacrificantibus. *Sacrum pingue da-*
17 *bo &c.* Caino autem similes esse videntur illi Patresfamilias, qui filios suos magis aptos, & idoneos retinent in vita mundana; miserabiliores autem, & pejores offerunt Deo in Religione; de quibusdisserit, & exempla refert Hieron. Piatti *de Bono Status Religiosi lib.* 3. *cap.* 35. Secunda causa fuit, quia Abel erat sollicitus, & diligens in sacrificando; Caim autem tardus, & piger. Sic S. Ambrosius notat *in. Psal.* 15. & hoc faciunt illi, qui in negotiis temporalibus peragendis sollicitudinem summam habent; in concernentibus autem salutem animæ pigerrimi evadunt. Tertia fuit, quia Abel unà cum victimis cor suum Deo offerebat; Caim verò nequaqam; sed absque devotione cordis sacrificabat ut mos est
18 plurimorum, & præcipuè Sacerdotum, Sacra exterius agere absque interiori devotione; ut notant Rupert. Abbas *lib.* 4. *in Genes. cap.* 2. & Cassiodor. *in Psal.* 65. Hinc dicitur in textu sacro, quod priùs *respexit Dominus ad Abel*, deinde *ad munera ejus*; quia Deus magis acceptat devotionem offerentis, quàm oblationem; idcircò grata fuit Deo devota voluntas Abelis; Omnia enim exteriora sunt Dei, solam voluntatem relinquit nostræ potestati, quam vult ei offerri devotè, ac obsequenter. Quarta tandem causa fuit, quia Abel perficiebat Sacrificium, victimam interimendo, & totam cremando in honorem Dei, quod esse de essentia Sacrificii
19 demonstravimus *Decis. III. num.* 2. *& Decis. VIII.* At Caim convertebat Sacrificium suum in simplicem oblationem, retrahendo ab Altari res oblatas, & easdem in usum suum convertendo: ut observat Aresius *in tract. de Tribulatione Lect.* 28. *num.* 17. adinstar eorum, qui se offerunt Deo, spondentes vitam immaculatam servare; sed paulò post re cedunt, & ad prima flagitia reverturtur.

20 Et quoniam prædictorum Sacrificiorum causa occisus fuit Abel à Caino, disputant SS. Patres, Utrum Abel verè fuerit Martyr? Quæstionem hanc examinat Emin. Cardin. Capisucchius *in Controversiis Theolog. Controvers.* 27. *de Martyrio* §. 21. ubi concludit affirmativè; & pluribus cum doctoribus demonstrat; Abelem fuisse primum Martyrem in mundo tanquam occisum in odium Divini cultus, quem ipse Deo exhibebat piè, ac devotè sacrificando; subdens, quod ideò à Christo Domino. *Matth.* 23. *& Luc.* 11. dictum est Judæis, *Ut veniat omnis Sanguis, qui effusus est à Sanguine Abel justi, usque ad Sanguinem Zachariæ*: quia isti duo sunt primus, & ultimus, quæ nominantur in Scriptura tanquam pro Religione occisi.

Corollarii loco hic notare liceat id, quod scribit
21 Ant. Masinus *in Schola Christ. cap.* 36. *post initium*: Videlicet locum, in quo fuit occisus Abel, esse illum, in quo nunc ædificata est civitas Damasci; ubi adhuc terra rubescere conspicitur, quam Saraceni vendere solent Indis. Contigit autem execrabile fratricidium die vigesimo quinto Martii; ut
21 esset figura Redemptoris nostri, tum in invidiam Judæorum, à quibus fuit occisus; tum in tempore, quia crucifixerunt eum die 25. Martii. Idem Masin. *ibid. cap.* 26. *pag.* 260. & Emin. Cardin. Baron. *Anno Christi* 34. *num.* 153.

DECISIO XVI.

ARGUMENTUM.

De Sacrificio Patriarchæ Noe. Quid significet ejus nomen? Quare Deus susceperit ejus Liturgiam in odorem suavitatis? Quid importet benedictio eidem à Deo data? Et de his, quæ vel concessa, vel vetita fuerint Noe, & posteris ejus, dubia curiosa.

SUMMARIUM.

1 *Noe sacrificavit statim post diluvium.*
2 *Noe significat requiem; & fuit requies ob sex causas*
3 *Noe Sacrificium an primum fuerit illud post diluvium?*
4 *Noe sacrificavit etiam ante diluvium.*
5 *Altare Noeticum ex qua materia compactum?*
6 *Noe quot Victimas sacrificaverit statim post diluvium.*
7 *Odoratus quomodo sit Deus Sacrificium Noe?*
8 *Figura* Antropospathos, *quæ sit?*
9 *Sacrificia animalium cur Deo essent grata.*
10 *Christi virtutes figuratæ in Victimis antiquorum.*
11 *Benedictio quod importet in Divina Scriptura?*
12 *Noetica benedictio quot bona continuerit?*
13 *Carnes utrum comedebantur ab hominibus ante diluvium?*
14 *Sanguinis comestio prohibita post diluvium. Item in lege Mosayca; & ab Apostolis in primitiva Ecclesia ad tempus, & cur?*
15 *Noe an peccaverit se inebriando?*

POst Sacrificia primi parentis Adæ, primorumque fratrum, filiorum ejus differendum de Sacrificio Patriarchæ Noe; de quo testatur textus Sacer, quòd finito diluvio, cùm egressus esset de Arca cum filiis, & eorum uxoribus, statim *ædificavit Altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocausta super Altare: odoratusque est Dominus odorem suavitatis. Genes.* 8. 20. Circa quod Liturgicum opus exercitum à Noe plura dubia sunt breviter proponenda, examinanda, & resolvenda. 1

Primum est: quid significet hoc nomen Noe? Respondetur, quod significat *Quietem, Cessationem,* 2 *& Consolationem*, ut legitur in indice versionum nominum Hebræorum in fine Bibliæ posito; idcircò statim nato Noe, Lamech ejus pater dixit: *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum. Gen.* 5. 29. Quæ verba septuaginta Interpretes sic verterunt: *Hic requiescere faciet nos ab operibus, & tristitiis manuum nostrarum.* Et equidem Noe fuit consolatio, & requies ob sex causas. I. Quia quiescere fecit peccatores ab offensis Dei in diluvio. II. Quia invenit aratrum in levamen agricolarum. III. Quia plantavit Vites, ex quibus vinum lætificans cor hominum. IV. Quia reportavit, terram à Deo benedici post diluviuna, ut esset fœcunda, V. Quia ei, & posteris ejus concessum, ut carnes comederent, & vinum biberent. VI. Quia reportavit promissionem, quòd non ampliùs veniret diluvium super terram. Ita Aresius *in tract. de Tribulat. Lect.* 44. *num.* 15. Menochius *in Storeis Centuria* 12. *cap.* 32.

Secun-

Secundum dubium. An hæc Noetica Altaris erectio fuerit prima? Et qua ex Materia factum à Noe
3 fuerit Altare? Respondetur nequaquam fuisse primam hanc Noeticam Altaris erectionem; quia cùm jam transissent Mundi anni sexcenti quinquaginta sex supra millesimum; & tot Patriarchæ, Religiosique homines præcesserint Noemum, credibile est, ut diximus supra de Adamo; quod ab iisdem plurima Altaria, & Templa Deo erecta fuerint ad orandum, & ad im-
4 molandas victimas; & præcisè ab ipso Noemo ante diluvio ob ejus longævam ætatem; & sic notat Salian *Ad Annum mundi* 1657. *num.* 10. Torniell. *ad eundem annum num.* 6. Eminent. Cardin. de Lauræa *d. tom.* 2. *in* 3. *sent. disput* 25. *num.* 35 Quò verò ad fabricam ejusdem Altaris, qua materia usus sit Noe? Cùm tempus non permitteret opportunitatem sculpendi, aut po-
5 liendi lapides, vel lateres coquendi, credibile est, quòd formaverit Altare ex terra aggerata, & compressa tabulis, vel ramis arborum; super ea lapides ponens vel ex montibus evulsos, vel ex ruinis domorum collectos, ut autumant Torniellus *d. num.* 6. & Athanasius Kirchier. *de Arca Noe lib.* 3. *part.* 1. *cap.* 2.

Tertium dubium. Quærtiur quot Victimæ sint
6 immolatæ à Noemo in hoc suo Sacrificio? Respondetur, incertum esse numerum; quemadmodum incerta est quantitas animalium in Arca receptorum ante diluvium; siquidem, ut monuimus in nostro libello *De prima mundi ætate serm.* 15. alii ex Sacris Interpretibus volunt mundorum animalium Septem individua tantùm recepta fuisse in Arcam, alii verò tenent septem paria cujuscunque speciei. Igitur juxta hanc opinionem duas Victimas de qua-
7 cumque munda specie, masculum & fœminam, esse Deo per Noemum immolatas super Altare credere oportet: At juxta primam opinionem, unum tantùm animal, & ipsum masculum ex quacunque specie munda obtulisse dicendum venit; relicta paria tria pro speciei propagatione ad tradita per eundem Torniell, *d. Anno.* 1657. *num.* 6. & Salian. *ibidem num.* 10

Quartum dubium est hujusmodi. Dicit Scriptura de Sacrificio Noetio, quòd *Odoratus est Dominus odorem suavitatis.* Quomodo hoc est intelligendum: Deus non odorat, cùm non sit corporeus; & dato quòd odoraret, talis odor non esset suavis, sed magis infestus, utpotè carnium combustarum cum adipibus suis? Respondetur, supradicta Verba *Odoratus est Dominus odorem suavitatis* non esse intelligenda ad sensum litteræ, sed ad mysticum intellectum, videlicet sacrificium Noeticum Deo placuisse, sicut placet homini aliqua res boni odoris; & est figura, quæ vocatur *Antropasphatos*, quando humana passio attribuitur Deo Ponticell.
8 *cit. lib. in Genes. Reflex.* 42. Erant autem grata, & odorosa Sacrificia animalium Deo in lege naturæ, & Moysis ob tres causas. Prima propter fidem, & devo-
9 tionem offerentium, qui profitebantur, Deum esse Dominum supremum eorum, ac cunctarũ rerum, cui seipsos subjectos mysticè protestabantur per sacrificia. Secunda, quia impediebant Idololatriam. Tertia, quia figurabant, & repræsentabant cruentum Sacrificium Crucis, in quo filius Dei erat immolandus; quapropter ipsa animalia oblata, & aliæ hostiæ erant symbolum virtutum Domini nostri Jesu
10 Christi. Vitulus enim significabat ejus labores; Agnus innocentiam, Aries principatum; Hircus similitudinem carnis peccati; Turtur, & Columba conjunctionem duarum naturarum; nec non Turtur castitatem; Columba charitatem; Ovis patientiam; & obedientiam; Panis, farina & spicæ frumenti totum Christum, qui de se ait: *Ego sum panis vivus. Jo.* 6. Vinum ejus sanguinem; Oleum ejus gratiosam mansuetudinem, Sal ejus Sapientiam, Thus ejus devotionem, & orationem. Igitur propter has figuras odoriferæ erant Deo Victimæ mactatæ in Sacrificiis antiquorum Patrum. Ita S. Antoninus *in Summa part.* 1. *tit.* 14. *cap.* 5. §. 2. nec non S. Thomas 1. 2. *quæst.* 102. *art.* 3.

Quintũ Dubium. Completo Noetico Sacrificio subdit textus Sacer: *Benedixitque Deus Noe, & filiis ejus* 11
Gen. 9. 1. Quæritur, quid importaverit dicta benedictio? Respondetur, quòd Benedictio in Divinis Scripturis importat multiplicationem tum in spiritualibus, tum in temporalibus. Ponticell. *in Genes. Reflex.* 43. & utramque reportarunt Noe, ac ejus filii; spiritualem quidem, ideſt gratiæ augmentum eo modo, quo supra docuimus *Decis. XIV. num.* 12. Temporalem verò, quæ 12
se extendebat ad tria bona, videlicet, 1. Ad singularem quandam fœcunditatem pro specie conservanda, individuisque multiplicandis; ideò subjunxit Deus ad illos: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram* 1. *Gen.* 9. II. Ad largam alimentorum copiam, ac varietatem pro commoda vitæ sustentatione, de qua illud: *Cœpitque Noe Vir Agricola exercere terram.* Et illud: *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum; quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Genes.* 9. 3. *III.* Ad dominium, & principatum super cuncta alia animantia, pro ostendenda, & commendanda ipsius hominis dignitate; *Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ; & super omnes volucres cœli, cum universis quæ moventur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt d. Genes.* 9. 2. De quibus omnibus fusè scribunt Torniell. *ad d. annum Mundi* 1657. *num* 9. & Salian. *ad eund. annum num* 14.

Sextum Dubium: Cùm ex illis verbis: *Omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum:* 13
data sit licentia Noe, & posteris ejus vescendi carnibus, Quæritur, an ante diluvium Homines soliti essent comedere carnes? Pro negativa facit; quia licentia hic concessa supponit antecedentem prohibitionẽ. Pro affirmativa verò urgent verba Redemptoris *in cap.* 24 *Matth. Vers.* 38 *Erant in diebus antediluvium comedentes, & bibentes;* utique non solùm olera, & lacticinia, sed carnes, more epulonum, ut considerant SS. Patres, quos citat Pererius *in Genes. lib* 14. *cap.* 9. *num.* 12. Sotus *de Just. & Jur. lib* 5. *q.* 1. *art.* 1. & Stephan. Menoch. *in Storeis centur.* 5. *cap.* 74. Resolutionem dubii dat Cornel. à Lapide *in Genes. d. cap* 9. *pag.* 124. dicendo, homines pios, & Religiosos ante diluvium abstinuisse à carnibus & à vino: non etiam epulones, ac alii carnales, & mundani; qui commessationes, & potationes sectantes neque ab esu carnium, neque à potu vini se continebant.

Septimum dubium requirit, quid prohibeant verba illa: *Excepto quòd carnem cum Sanguine non com-* 14
editis Genes. 9. 4. Respondetur per illa verba fuisse prohibitum omnibus in hominibus esum Sanguinis cujuscumque animalis, quæ prohibitio reiterata fuit in lege Moysis. *Levit. cap.* 17. & fuit ad tempus commendata etiam ab Apostolis in primitiva Ecclesia, ut legitur *Act.* 15. *ibi Visum*

est

est Spiritui Sancto, & nobis nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria... Ut abstineatis vos ab immolatis Simulacrorum: & Sanguine, & suffocato, & fornicatione. Dixi ad tempus; quia nunc cessant causæ ob quas olim esus sanguinis, & suffocati vetitus fuerat; statim enim post diluvium fuit facta prohibitio ad arcendos homines ab homicidio, quòd in principio mundi cœperat fieri. In lege Mosayca fuit renovata; quia Sanguis victimarum reservatus erat ad aspergendum Altare pro Divino cultu, ut legitur *Levit.* 17. A Sanctis postea Apostolis reiteratum fuit interdictum prædictæ Sanguinis comestionis, ne Judæi, qui convertebantur ad fidem, scandalizarentur, videntes alios fideles sanguinem, vel suffocatum manducare. Cùm igitur nunc ex Decalogo sit plenius prohibitum homicidium, & evacuata sit Legis Mosaycæ cæremonialis observantia, ac cesset timor scandali neophytorum, absque peccato licet comedere Sanguinem animalium, ut doctè, ac eruditè demonstrat Turian. *In explanatione lib. 6. S. Clementis, de Schismatib. cap. 12.* quæ legitur *in primo Tomo Concilior. pag. mihi* 227. & Menochius *in Act. Apostol. libr. 2. cap. 13.*

Octavum, & ultimum dubium sit; Dicente Scriptura Sacra de Noemeo, quod: *Bibens vinum inebriatus est, & nudatus jacuit in tabernaculo suo. Ge-*
15 *nes.* 9. 21. Utrum ob dictam ebrietatem Noe peccaverit? Respondetur negotivè, tum quia ebrietas fuit sine advertentia; nesciebat enim Sanctus Patriarcha fumositatem vini, de quo antea nullam habebat experientiam; tum etiam quia ebrietas processit ex stomachi debilitate ob senectutem, quæ non potuit liquori illi resistere; & ideò excusant Noemum à culpa SS. Patres, quos allegat Bonfrerius *in Genes. d. . cap. 9. &* Gobat. *in Quinario tract. 5. de Ebrietate cap. 7. num.* 14. Præterquàm quòd Senex fuit figura Christi Redemptoris amore nostrum inebriati, & in Cruce denudati, ut contemplatur S. Laurentius Justinianus *de Triumphali Agone cap. 7.* his verbis: *Amore ebrius Mediator suam coram omnibus exhibuit nuditatem, alter equidem Noe præfiguratus.*

DECISIO XVII.

ARGUMENTUM.

De Sacrificiis Patriarchæ Abrahami; & plura de ejus exitu de Ur Chaldæorum; descensuque in Ægyptum. De Uxoribus ejus Sara, Agar, & Cetura; ac de filiis Ismaele, Isaaco, aliisque. De præcepto Circumcisionis, & an fuerit Sacramentum? De immolando Isaaco. Cujus fuerit major virtus Isaaci, vel Abrahæ circa dictam immolationem? Compendium annorum, & vitæ Abrahami. Dubia quædam de Limbo, nuncupato sinu Abrahæ.

SUMMARUM.

1 *Abraham quot Sacrificia Deo obtulerit?*
2 *Abraham ubi, & quando natus?*
3 *Abraham descendebat à Sem filio Noe; cui erat decimo gradu; & vidit Noe viventem*
4 *Quo anno natus sit Abraham?*
5 *Noe obiit, dum Abraham esset in ætate annorum* 58.
6 *Ur Chaldæorum fuit patria Abrahami.*
7 *Chaldæi adorabant ignem. Et cur?*
8 *Abraham reprehendens Idololatras, fuit ab eis in ignem projectus, & miraculosè à Deo liberatus.*
9 *Sara uxor Abrahami erat ejus neptis ex fratre Aran.*
10 *Sara quo anno Mundi nata?*
11 *Abraham anno 75. ætatis suæ jussus exire de patria sua.*
12 *Abrahæ exeunti de Patria sua Deus promisit tria beneficia; & quæ?*
13 *Haram Urbs Mesopotamiæ penes Euphratem.*
14 *Thare pater Abrahæ mortuus est in ætate annorum* 205.
15 *Abrahæ primum Sacrificium ubi factum?*
16 *Abraham quando descenderit in Ægyptum? Et Cur?*
17 *Sara quomodo esset pulchra in ætate 66. annorum?*
18 *Mendacium an fuerit docere Saram dicere quòd non esset Uxor, sed soror Abrahæ.*
19 *Amphibologia cum restrictione mentali damnata ab Innocentio XI.*
20 *Veritatem tacere, & uti verbis æquivocis quando liceat?*
21 *Sara dicebatur Soror Abrahami ob duas rationes.*
22 *Patrueles, Consobrini; & Amitini qui sint?*
23 *Pharaones primum, deinde Ptolomæi appellati sunt Reges Ægypti.*
24 *Flagella quæ fuerint missa in Pharaonem?*
25 *Abrahæ secundum Sacrificium.*
26 *Elamitarum Regis pugna contra Regem Sodomorum.*
27 *Abraham pugnat, & vicit Regem Elamitarum.*
28 *Abrahæ tertium Sacrificium,*
29 *Vacca, Capra, Aries annorum trium Turtur & Columba Victimæ litatæ Deo ab Abrahamo quid significarent?*
30 *Abrahæ quartum Sacrificium.*
31 *Ismael filius Abrahæ ex Agar Ægyptia.*
32 *Circumcisio data in præcepto Abrahæ cum esset annorum* 99.
33 *Sodomitæ igne lapso de cœlo consumpti.*
34 *Sara nonagenaria concepit Isaacum ex Abrahamo centenario.*
35 *Circumcisio utrum fuerit Sacramentum pro delendo peccato originali? Vel tantummodò signum distinctivum populi electi.*
36 *Fœminæ, quomodo expiabantur ab originali tum in lege naturæ, tum in lege scripta, in qua ipsæ non circumcidebantur?*
37 *Præputii ablationem quare Deus præceperit potiùs, quàm aliud signum? Rationes multæ num.* 38.
39 *Abrahæ an major virtus fuerit in sacrificando Isaaco? An Isaaci permittendo se Sacrificari? Rationes pro Isaaco num.* 40. *Rationes pro Abrahamo num.* 41.
42. *Abrahæ tunc revelata futura Passio, & mors Redemptoris, quando ipse paratus erat in monte Sacrificare Isaacum.*
43 *Abrahæ annorum, & totius vitæ compendium.*

44 *Lim-*

44 *Limbus locus subterraneus quare dictus sit sinus Abrahæ.*

45 *Abrahæ sinu cur S. Martinus dicatur exceptus ?*

46 *Ecclesia cur oret, ut animæ defunctorum portentur ab Angelis in sinum Abrahæ?*

POst Noemi Sacrificium in Scriptura Sacra mentio fit de Sacrificiis Patriarchæ Abrahami: quem quidem quater Hostias Deo immolasse, notatur. Primò, dum egressus de terra sua pervenisset in terram Chanaam, in qua cum ei apparuisset Dominus ipse statim *Ædificavit ibi Altare Domino, qui apparuerat ei. Genes.* 12. 7. & 8. & Sacrificium obtulit. Secundò, dum reversus de Ægypto ingressus esset eamdem terram Chanaam; *In loco Altaris, quod fecerat prius, invocavit ibi nomen Domini Genes.* 13. 4. Deinde juxta convallem Mambre, quæ est in Hebron, iterum *Ædificavit Altare Domino. Genes.* 13. 18. scilicet victimas cremando. Tertiò, nabita à Deo promissione, quòd semen suum multiplicandum esset sicut Stellæ Cœli, iterum sacrificavit Domino *Vaccam trienne m, & Capram trimam, & Arietem annorum trium, Turturem quoque, & Columbam Genes.* 15. 9. Quartò dum jussus sacrificare filium suum Isaacum & ab ejus immolatione retardatus *Vidit post tergum Arietem inter vepres hærentem cornibus, quam assumens obtulit holocaustum pro filio. Genes.* 22. 12. De singulis hisce Liturgicis actibus liceat nonnulla satis curiosa ex fontibus Sacrorum Interpretum hautire, & pio Lectori exhibere.

1

Circa Primum Sacrificium Oblatum ab Abrahamo post egressum de terra sua; & ingressum in terram Chanaam, *ut in d. Gen. cap.* 12. *Vers.* 7 & 8. Quæritur, ubi natus sit Abraham? Ex quo patre? Quo Mundi anno? Quot uxores habuerit? Quando jussus à Deo Patriam deserere? Respondetur, Sanctum Patriarcham Abrahamum fuisse filium Thare, descendentem à Semo filio Noemi, & quidem in decimo gradu ab ipso Noemo, ipsum Noemum imitatum, qui fuit decimus post Adam. Cornelius à Lapide *in Genes c.* 11. *Vers.* 29. Torniell. *ad Ann. Mundi* 2026. & 2027. & Salian. *ad Annum Mundi* 2039. Porrò sicut omnes Interpretes concordant, ex Thare tres fuisse natos Filios, *Abraham, Nachor, & Aran*: sed ipsum Abrahamum, etsi primo loco nominatum, tamen natum esse ultimum, & extitisse natu minimum, tamen ex S. Augustino *quæst.* 25. *in Genes.* discordes sunt in definiendo anno, in quo ipse Abraham natus est: alii enim volunt, eum editum annum à diluvio 292. & sic à creatione mundi Anno, 1948. ut opinatur Cornel. à Lapide *in Genes cap.* 11. *Vers.* 26. ubi notat Noemum obiisse, quando Abraham erat in ætate annorum 68. adeò ut ipse Abraham viderit decem suos ascendentes usque ad eumdem Noemum inclusivè, scilicet *Thare* patrem, *Nachor* Avum; *Sarug* Proavum; *Reu* Abavum; *Phaleg* Atavum *Heber* Tritavum; *Sale* patrem Heberi; *Arphax ad* patrem Sale, *Sem.* genitorem Arphaxadi; & *Noe* genitorem *Semi*. Idemque de anno nativitatis Abrahami reiterat ipsemet Cornel. à Lapide *in Genes. cap.* 25. *Vers.* 8. §. *Nota: natus est Abraham.* E contra alii sustinent, Abrahami nativitatem fuisse post diluvium Anno 383. & sic Anno Mundi 2039. ut ad dictum Annum scribunt Torniell. & Salianus, plures rationes adducendo, quas Lector ibidem legere poterit.

2

3

4

5

Locus autem, in quo editus est Abraham, fuit *Ur Chaldæorum*; id est Civitas Chaldææ regionis, sub Babylonia, in Arabiæ desertæ confinio; vocata *Ur*. Ferrarius *in Texic. Geograph. Verb. Ur.* Quæ vox significat ignem, & hinc est, quod dicitur 2. *Esdr.* 9. 7. *Deus, qui elegisti Abraham, & eduxisti eum de igne Chaldæorum*, id est de eorum Civitate *Ur*, in qua adorabatur ignis; timentes enim populi Chaldæi, quòd destructio generis humani ventura esset non per aquam, ut antea, sed per ignem, cœperunt ignem colere, ut sibi propitius esset. Ponticell. *in Genes. cap.* 12. *Reflex* 51. Cornel à Lapide *ibid cap.* 11. *Vers.* 6. Subdens, quòd sicut *Heliopolis* sic dicebatur à cultu Solis; sic *Ur* ab adoratone ignis: vel quia Abraham reprehendens Populum Chaldæum, à quo adorabatur ignis, fuerit in ignem injectus, sed miraculosè à Deo præservatus; unde Ecclesia in precibus commendationis animæ agonizantium rogat Deum, eorum animas liberari à gehenna ignis, sicut liberatus fuit Abraham de *Ur*, id est de igne Chaldæorum, quamvis etiam pro igne Chaldæorum intelligi possint tribulationes, & vexationes, quas ipse Abraham patiebatur ab eis tanquam contemptor idololatriæ, juxta verba *Psal.* 16. 3. *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. & Psal.* 65. 12. *Transivimus per ignem, & aquam*; idest per multas pœnalitates, & afflictiones.

6

7

8

Quidquid sit de hoc, certum est, Abrahamum natum, & educatum in hac urbe Chaldaica *Ur*, Ætatis suæ Anno trigesimo, ut volunt Torniellus, & Salian. *ad Ann. Mundi* 2068. accepisse sibi in uxorem Saram, quæ sua Neptis erat, filia scilicet Arani fratris defuncti ejusdem Abrahami; & Sororem Lothi, ut plene examinat, & concludit Torniell. *ad annum Mundi* 2049. *num.* 10. & Salian. *ibid. num.* 7. *& seqq.* quæ quidem Sara orta erat Anno mundi prædicto 2040. ideóque Abraham senior erat, & illam præcedebat annis decem. Sara sterilitate laborabat, & per annos 45. conjugii prolem non pepererat, videlicet usque ad annum 75. vitæ ipsis Abrahæ; quo tempore Deus illi apparuit, & jussit discedere de *Ur* Chaldæorum patria sua, ut legitur. *Genes.* 12. 1. his verbis: *Dixit autem Deus ad Abraham, egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eritque benedictus: Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi; atque in te benedicentur omnes cogitationes terræ.* Et de eadem apparitione, & jussione locutus est S. Stephanus ad Scribas *Act.* 7. *Vers* 2. In quibus verbis tria beneficia fuerunt à Deo promissa Abrahæ; primum fuit promissio possessionis terræ Chanaan; ibi: *Veni in terram, quam monstravero tibi.* Secundum, Ampliatio suæ posteritatis; ibi: *Faciamque te in gentem magnam* Tertiò Redemptio totius orbis per Christum nascituram ex ejus semine; ibi: *In te benedicentur omnes cognationes terræ*; id est in semine tuo ut *Genes.* 22. 18. ibi. *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, de quo sic Apostolus ad *Galat.* 3. 16. *Abrahæ factæ sunt repromissiones, & semini ejus: non dicit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, & semini tuo, qui est Christus,*

9

10

11

12

Itaque Abraham statim Deo obediens, assumpta Sara Uxore, ac tota familia sua, discessit ex *Ur* Chaldæorum; quod cùm intellexisset *Thare* ejus pater, & Loth ejus Nepos sequuti sunt

eum cum familiis suis, & omnes pervenerunt in
13 *Haran*; Urbem scilicet Mesopotamiæ penes Euphratem, dictam etiam *Charan*, apud quam sub anno Mundi 4001. Marcus Crassus cum exercitu Romano fuit cæsus à Parthis, ut scribit *Ptolomæus Geograph. lib. 5. cap.* 18. Manserunt omnes in *Haran* per annum circiter, ubi supervenit & *Nachor* alter
14 frater Abrahæ forsan ob auditam infirmitatem *Thare* communis parentis, qui ibidem mortuus est, cùm esset annorum quinque supra ducentos. Torniell. *d. Ann. Mund.* 2113. *num.* 6. & Salian. *ibid. num.* 1. disputantes, an *Thare* aliquando fuerit Idololatra. Abraham verò, Patris funere completo, & paterna cura solutus, initio anni septuagesimi sexti ætatis suæ discessit. *Haran* cum familia sua, & *Loth* nepote suo: remanente ibidem dicto fratre *Nachore*) transmisso Euphrate venit in terram Chanaam, ad civitatem *Sichem*, quæ & *Salem* dicta est *Genes.* 33. 18. totumque territorium illud appellatum est *Sichima*, & habitatores ejus *Sichimitæ*, & posita erat Urbs prædicta penes montem *Garizim*, & *Hebal*; quæ tempore Salvatoris nuncupabatur *Sichar*; mons verò prædictus *Ephraim*; ubi cùm perveniisset Abraham apparuit ei secundò
15 Dominus, & dixit ei: *Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi Altare Domino, qui apparuerat ei*; offerens scilicet victimas, & hostias in Sacrificium, quod etiam reiteravit, cùm tendisset ibi tabernaculum suum montem versùs, & hoc est primum de Sacrificiis Abraham, de quibus mentionem facit Scriptura Sacra; & de Liturgia exercita per Abrahamum super hoc Altare meminit Torniell. *ad Ann. Mundi* 2114. *num.* 2. Salian. *ibidem num.* 13. Ponticell. *in Genes. d. Reflex* 52. & Cornelius à Lapide *Commentar in Genes. cap.* 12. *vers.* 7. ubi ait: *Ædificavit ibi Altare, in quo scilicet Abraham Victimas Deo obtulit in gratiarum actionem pro Chananæa suis posteris à Deo promissa.* Utrum verò Abraham duxerit alias Uxores & quas? dicimus infra. Hæc de primo Sacrificio.

Secundum Sacrificium est illud, quod Abraham peregit, postquam reversus est ex Ægypto, Quare sciendum, quòd eo anno, quo Sanctus Patriarcha pervenerat in terram Chanaan ex *Haran*,
16 & fixerat suum Tabernaculum penes *Bethel*, facta esse ibi fames magna, qua angustiatus cum omni familia sua, *Descendit Abraham in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi genes.* 12. 10. Qua in regione duo sunt notanda; quæ dicta fuerunt ab Abrahamo Saræ Uxori suæ his verbis: *Novi, quòd pulchra sis mulier; & quòd cùm viderint te Ægyptii, dicturi sint, Uxor illius est, & interficient me, & te reservabunt. Dic ergo, obsecro te, quòd Soror mea sis. Genes. cap.* 12. *vers.* 12. Notandum primùm, quomodo pulchra Sara, quæ annos sexaginta sex habebat? Forsan pulchra, quia
17 nunquam conceperat, pepererat, lactaverat? Vel comparata fœminis Ægyptiis quæ sunt cute nigerrimo capillo crispo, ac brevi, simo naso, proeminentibus labiis, felleis oculis, carne durissima, toto corpore ad servitutem nato? Certe illius temporibus sicut vita longior erat, ita pulchritudo corporis diù durabat. Notandum secundum, quomodo Abraham hortatus est Uxorem Saram, ne diceret, esse uxorem; sed Soro-
18 rem. Nonne hoc erat mendacium, & manifesta falsitas? Nonne semper malum? Forsan utebatur amphibologia cum restrictione mentali? Sed nonne amphibologiam, & restrictionem damnavit *Inno-*
19 *centius Papa XI. Proposit* 27. quæ sic ajebat: *Causa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quamlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* Sic igitur malum est amphibologicè loqui etiam propter prædictos fines tam necessarios; & malum est semper malum; quomodo, id fieri potuit, & doceri ab Abrahamo?

Respondet. S. August. *lib.* 16. *de Civ. Dei cap.* 19. *Uxorem tacuit, non negavit.* Ex quibus verbis docemur, non esse malum aliquando tacere veritatem. Quando autem, & quomodò licitum sit tacere veritatem; etsi malum sit negare veritatem inter Moralistas, & Theologos modernos exactè declarat Cardenas *in Crisi Theologic. Dissertat.* 16. 20
cap. 2. ubi tresdecim casus ponit, in quibus licitum est, veritatem tacere, & uti verbis æquivocis, vel loqui in sensu metaphorico quos observasse Lectorem studiosum non pigebit. Assertio autem Abrahami, ac Saræ, quòd hæc esset ejus Soror, vera fuit duplici ratione. Una, quia mortuo Arano Patre Lothi, & Saræ, habuerunt pro Patre ipsum Thare Avum suum, Patrem etiam Abrahami; quem propterea fratrem appellare ju-
re poterant, & ipse dicere Saram Sororem suam. 21
Altera, quia mos semper fuit apud Hebræos, ut filii fratrum, quos nos dicimus germanos, vocarentur ad invicem fratres; nec non neptes respectivè dicerentur Sorores; quod advertunt interpretes omnes Scripturæ Sacræ; inter quos Cornel. à Lapide *in Genes. cap.* 20 *vers.* 12. Torniellus *ad Annum Mundi* 2114. *num.* 7. Salian *ibid. num* 34. Ponticell *in Genes. cap.* 12. *Reflex* 2. & Menochius plures cumulans in *Stoeis centur.* 2. *cap.* 71. Latinè autem loquendo, & propriis vocabulis utendo, non est ignorandum, quòd filii duorum fratrum dicuntur *Patrueles.* Filii duarum Sororum appellantur *Con-* 22
sobrini. Quando autem unus est filius Fratris, & alter filius Sororis nuncupantur *Amitini*, ut observat Laurent. *in Amaltheæ Onomastica verb. Amitini*; quod in gratiam studiosorum dictum sit.

Igitur Ægyptii visa Sara, eam rapuerunt, & duxerunt ad Pharaonem, Regem scilicet Ægypti; quo nomine usi sunt Monarchæ illi usque ad Ptolomæum; à quo deinde, & ipsi Ptolomæi vocati sunt, quemadmodum Imperatores Ro- 23
mani dicti sunt Cæsares, post. C. Julium Cæsarem Augustum; ut disserit Torniell. *de Anno Mundi* 2114. *num.* 7. Porro Abrahamo fiduciam in Deo habente; qui *custodit advenam, pupillum & viduam. Psal.* 145. Deus *Non reliquit* Pharaonem *nocere eis, & corripuit pro eis Regem. Psalm.* 104. *num.* 14. nam ut ait Textus Sacer *Flagellavit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum ejus. Genes.* 12. 17. Quæ quidem flagella fuerunt secundùm Rabbinos tum 24
fluxus seminis, quo coire impediebantur, tum sterilitatem mulierum, ac animalium. Secundum verò Doctores sacros fuerunt infirmitates, & dolores gravissimi in persona Pharaonis, & servorum ejus, quibus illuminatus intellexit Saram esse Uxorem Abrahæ; & statim intactam illam dimisit; ac Abrahamum ipsius donis pluribus locupletatum jussit abire: qui cum Loth & numerosa familia sua, servis, ovibus, aliisque quadrupedibus reversus est in terra Chanaan, & cùm perveniisset Bethel; *In loco Altaris, quod fecerat priùs, invocavit ibi nomen Domini.* 25
Genes. 13. 4. scilicet litando, & holocausta offerendo in gratiarum actione pro reditu, & cùm à Patruo suo se Loth separasset ad jurgia vitanda inter servos, & pastores utriusque; ac interum Dominus apparuisset Abrahæ, & promisisset se daturum totam terram illam posteris suis, & veniisset

Abraham

Abraham juxta convallem Mambræ in Hæbron, etiam ibi *Ædificavit Altare Domino. Genes.* 13. 18. reiterans Sacrificium, victimas cremando.

Tertium Sacrificium factum per Abrahamum jussu Domini fuit completo bello contra Regem
26 Ælamitarum, & liberato Loth nepote suo de manu ejus; cùm enim Loth divisus à Patruo cum omni familia sua adhæsisset Regi Sodomorum: & contra hunc Rex Ælamitarum movisset bellum causa denegati tributi, & vicisset; non solùm abstulit omnem substantiam Sodomorum, sed etiam ipsius Loth, quem pariter captivum abduxit cum tota ejus familia; ut legitur *Genes. cap.* 14. Hoc cùm ad aures Abrahami pervenisset, eximio valore disposuit in bellum trecentos, decem, & octo vernaculos suos, & irruit super exercitum Regis Ælamitarum; ac dispersit, *Reduxitque omnem substantiam, & Loth fratrem suum* (intellige Nepotem filium fratris,
27 *cum substantia illius, mulieres quoque, & populum. Genes.* 14. 16. Hac habita victoria apparuit Dominus Abrahamo de nocte; & ait illi: *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes: & dixit ei, Sic erit semen tuum. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam. Genes* 15. 5. Deinde præcepit ei Dominus: *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium; turturem quoque, ac columbam, qui tollens universa hæc* obtulit Sacrificium; easdem victimas mactando, & cre-
28 mando super Altare, ut antea erecto, siquidem; *Divisit ea per medium, & utrasque partes: contra se alterutrum posuit, aves autem non divisit. Descendeuntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham. Genes.* 15. *vers.* 9. & 10.

29 Tale fuit Liturgicum opus tertio loco factum. Videamus, quale Misterium in se contineret. *Vacca triennis* indomita significabat primam generationem Hebræorum, eorumque libertatem in Ægypto tempore Joseph; tunc enim liberè, & lautè, instar Juvencæ pascebantur Hebræi opibus Ægypti. *Capra trima* figurabat secundam generationem eorumdem, quam post Josephum instar Capræ Ægyptii mulgere cœperunt, ditantes se operis, & servitute Hebræorum. *Aries* durus, & cornutus innuebat tertiam generationem ipsorum numerosissimam, & fortissimam, ac proinde oppressam durissima servitute ab Ægyptiis, Moyse nascente. *Duæ Aves* non divisæ, uti cætera, sed integræ in Sacrificium oblatæ, prænunciabant, quòd post quadringentos annos Hebræi liberi, & integri essent evolaturi ex Ægypto, ut Deum colerent tum in deserto, tum in Chanaam. *Turtur* autem gemebunda innuit 40. annos luctus in peregrinatione per desertum. *Columba* socialis demonstrat tempus Josue, quo Hebræi latè ac placidè habitarunt in terra promissa. *Dissectio quadrupedum* erat Symbolum diversarum afflictionum Hebræorum in Ægypto, earum verò finis aves integræ. *Volucrum volatus* ad cadavera erat signum *Og*, seu, *Amalec*, & hostium aliorum invadentium, & vellicantium populum Israeliticum peregrinantem in deserto. *Abraham abigens* volucres ostendebat providentiam Dei. Hebræos protegentis ob merita Abrahæ. Ita ex doctrina SS. Patrum Cornel. à Lapide *in genes. d. cap.* 15. *vers.* 9. ubi alios sensus explicat prædictarum Victimarum, & Sacrificii Abrahæ, Tropologicè, Mysticè, & Allegoricè, quos Lector scrutari poterit; valde enim deserviunt pro moralitate, atque sermonibus Pastoralibus ad populum; & concinunt, quæ de iisdem sensibus scribunt Torniell. *ad Ann. Mundi* 2118. *num.* 15. & Salian. *ad An. mundi* 2119. *num.* 16.

Quartum tandem Sacrificium Abrahamiticum est illud, quod litavit Sanctus Patriarcha in monte 30
nuncupato *Dominus videbit* post ei injunctam, deinde revocatam filii Isaaci immolationem; siquidem *levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum Arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Gen.* 22. 13. Circa quod Sacrificium notanda sunt quatuor, quæ præcesserunt. *Unum*, quòd ad suasionem Saræ sterilis, & spe habendæ prolis destitutæ Abraham copulavit sibi ancil- 31
lam suam Ægytiam Agar, ex qua genuit Ismaelem, & tunc erat in ætate annorum sex, & octoginta, ut legitur *in Genes. cap.* 16. *Alterum*, quòd cùm pervenisset Abraham ad annos nonaginta novem, reiteratis ei à Domino promissionibus super amplitudine, excellentia, ac felicitate posteritatis suæ; fuit illi data in præceptum Circumcisio his verbis: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum*; 32
& circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me, & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, ut latiùs *in Genes. cap.* 17. *vers.* 10. & 11. Hoc præceptum extenditur etiam ad servos vernaculos, &. emptitios; quod statim adimplevit in se Abraham; ac etiam in puero Ismaele annos tresdecim habente, ac in famulis suis quibuscunque. *Tertium*, quòd pluit ignis de Cœlo super So- 33
domam, & Gomorrham, deducto prius inde per Angelum Loth, uxorem ejus, ac familiam omnem; ipsaque Uxor, quia respexit retrò, conversa fuit in statuam Salis, quare duæ filiæ Loth dubitantes se remansuras absque marito, ac prole ob destructionem Sodomorum, & Gomorrhæorum, inebriaverunt eorum Patrem, & cum eo carnaliter se commiscentes conceperunt, atque pepererunt, una *Mohabum* auctorem gentis Mohabitæ; alia *Ammonem* patrem Ammonitarum, *Genes. cap.* 19. Quartum, quòd
Deus benedixit Saræ, quæ nonagenaria concepit 34
ex Abrahamo centenario; & peperit ei puerum Isaacum; quem octavo die circumcisum, anno quinto ablactatum, & in ætate annorum viginti quinque constitutum jussit Deus sibi sacrificari pro comprobanda fide, & obedientia Abrahæ, qui devenerat ad actum Sacrificii ejusdem, sed ab Angelo impeditus immolavit pro filio Arietem, ut dictum est supra, & iterum promissiones à Deo recepit de propagatione posteritatis suæ, quæ ex Isaaco erat proventura adinstar Stellarum Cœli, & ex ea Christus Dominus Rex Regum, & Dominus Dominantium; cujus Imperium sempiternum, & de præmissis omnibus *Genes. cap* 21.

Hic autem, attento præcepto Circumcisionis injuncto Patriarchæ Abrahæ, liceat percurrere aliquas difficultates à Theologis Scholasticis agitatas. Prima est: *Utrum circumcisio in lege scripta fuerit verum Sacramentum, pro delendo peccato originali; vel tantummodò fuerit signum quoddam corporale* 35
distinctivum solum carnaliter populi Judaici à cæteris nationibus.

Et prima facie videtur dicendum non fuisse Sacramentum; sed tantummodò signum [illegible]nctivum.

Primò ex doctrina Divi Pauli *ad Roman.* 3. *vers.* 1. ubi ait: *Quid ergo amplius Judæo est, aut quæ utilitas Circumcisionis?* Et in *Epist.* 1. *ad Cor. cap.* 7. *vers.* 19. *Circumcisio nihil est.*

Secundò, ex eodem Apostolo *in Epist. ad Galatas cap.* 4. *vers.* ubi ait ad illos: *Quomodo iterum convertimini ad infirma, & egena elementa, quibus iterum servire vultis?* Ergo Circumcisio erat infirma, & egena.

Tertiò, quia ex eodem Divo Paulo Sacramenta legis antiquæ, *erant umbra futurorum, corpus autem Christi. Ad Coloss cap. 2. vers.* 16. Sed umbra nihil in se continet; virtus autem est in corpore. Ergo Circumcisio nullam virtutem Sacramentalè continebat.

Quartò; Ex Concilio Florentino *sess. ult. ad Armen. in Decr. fidei* ubi sic: *Novæ legis Sacramenta multum differunt à Sacramentis legis antiquæ: hæc enim non causabant gratiam; sed solum per Passionem Christi dandam figurabant: nostra verò & continent gratiam, & dignè suscipientibus eam conferunt.*

Quintò. Si Circumcisio fuisset verum, & proprium Sacramentum contra Originale peccatum, prætermissa non fuisset cum tanta negligentia à Judæis revertentibus ex Ægypto, & perambulantibus in deserto per annos 40. ut legitur *in libr. Josue cap.* 5.

Sextò. S. Justinus Martyr *in Dialog. cum Tryphone* sic ait: *Abraham cùm nondum esset circumcisus, propter fidem, qua Deo credidit, justificatus est, & benedictionem accepit. Circumcisionem verò accepit, non ad justificationem, sed tantummodò in signum* Ergo Circumcisio non fuit Sacramentum deletivum culpæ originalis, sed merum signum distinctivum Hebræorum

Contrarium tamen est verius juxta doctrinam Scoti *in 4. dist. 1. quæst. 6.* & S. Thom. *part. 3. quæst. 70. art. 1. in responsione ad quartum*, quos sequuntur S. Bonaventura, Alensis, & Scotistæ, ut affirmant Mastrius *in 4. sent. disp. num. 9.* Et enim. card. de Lauræa *de Sacramentis in genere disp. 5, num. 5.* Probationes sunt.

Primò *ex Genes. cap. 17. vers. 14.* ubi dicitur: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima ejus de populo.* Ergo circumcisio erat ad delendum peccatum originale, ratione cujus anima periisset, nisi ipse esset circumcisus.

Secundò: *Ex cap. Majores. 3. De Baptismo*, ubi Innocentius Papa Tertius, expressè dicit, quòd *originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium; & periculum damnationis vitabatur.* Ergo erat non solùm signum distinctivum; sed etiam Sacramentũ

Tertiò ex Ven. Beda super illud *Luc. 2. Postquam consummati sunt dies octo &c.* ubi hæc scripsit: *Idem salutiferæ Crucis auxilium Circumcisio in lege agebat, quod Baptismus tempore gratiæ agere consuevit.* Et. S. Bernardus *Serm. 2. de Assumpt.* ait: *Sola aqua lavat hanc maculam, quam prius rasit petra Circumcisionis.* Idem docent S. Augustinus, S. Gregorius Magnus, S. Cyprianus, & alii apud eumdem Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 5. art. 1.*

Quartò. Sic Nullo tempore Deus reliquit genus humanum absque remedio necessario ad salutem. Ergo cùm dederit in lege circumcisionem pro parvulis; sequitur fuisse Sacramentum deletivum culpæ originalis. Ita concludit Eminent. de Lauræa *d. art. 1. n. 5.* & ante eum Durand. *in 4. dist. prima quæst. 5. num. 9. & ibi propos. 15.* & post omnes Mastrius 4. *disp. 1. n. 68. & seqq.*

Neque obstant adducta pro contraria opinione. Non *Primum*: nam Apostolus tum ad Romanos, tum ad Corinthios loquitur de Circumcisione post publicatum Evangelium quo tempore facta erat inutilis; secus autem antea; tunc enim erat Sacramentum necessarium ad delendum originale. Non *Secundum*; nam etiam ad Galatas Apostolus ita scribebat, reprehendens illos, qui etiam post baptismum susceptum volebant ritus Mosaycos servare, quos vocat *infirma, & egena elementa.* Neque obstat *Tertium*; Siquidem; etsi Circumcisio appellata sit umbra futurorum Sacramentorum, non sequitur quòd & ipsa non fuerit Sacramentum. Non *Quartum*; nam ex Scoto *in 4. dist. 1. Quæst. 6.* I. Respondet Emin. Card. de Lauræa, Verba illa Concilii Florentini intelligi de Sacramentis Mosaycæ legis sic impropriè dictis, excepta Circumcisione instituta ad delendam culpam originalem, quæ propterea gratiam verè causabat, & dictam culpam delebat. Non *Quintum*, quia omissio Circumcisionis per desertum ex incredulitate, & duritia cordis Hebræorum processit, etsi esset necessaria ad salutem, ut demonstrat Abulens. *in Jos. cap. 5.* Non *Sextum*; ea ratione quia S. Justinus Martyr loquebatur de Circumcisione individuali Abrahæ, qui non fuit justificatus per illam; cùm multò antè obtinuisset justificationem per Sacramentum legis naturæ, quod erat protestatio fidei; qua erat expurgatus à culpa originali, idcircò subdit Scotus *in 4. dist. 1. q. 6. M.* quòd Abraham, vo- do se ipsum circumcidit, potuit per modum meriti habere augmentum gratiæ. Concludunt ergo Theologi, Circumcisionem fuisse non tantùm signum discretivum populi Judaici, sed etiam Sacramentum delens culpam originalem, & concedens gratiam justificantem.

Secunda difficultas est. Esto, quòd Circumcisio 36
fuerit Sacramentum ad delendum originale peccatum in masculis, quomodo ipsa illud delebat in fœminis? Respondent communiter Sancti Patres, ac Theologi, quòd fœminæ justificabantur, & ab originali culpa liberabantur non per Circumcisionis Sacramentum; sed per Sacramentum à Deo institutum in lege naturæ ad originalem maculam tollendam: quod quidem Sacramentum erat externa protestatio fidei in venturum Messiã eliciendum vel ab adultis vel parvulis applicandum à parentibus: ut fusè diserit Emin. Card. de Lauræa *de Sacrament. in genere disp. 4. art. 2. & 3.* Et novissimè Mastrius *in 4. sent. d. disp. 1. quæst 2. art. 1.* Hanc autem explicitam fidei protestationem Deus voluit perdurare pro salute, & justificatione fœminarum, quæ non erant capaces Circumcisionis: quod probat Hugo de S. Victore *lib. 1. de Sacramentis part. 10.* ubi ita scribit: *Porrò fœminæ in populo Circumcisionis sola fide salvabantur, & oblationibus, aliisque cæremoniis purificatæ, ipsam quoque circumcisionem fide suscipientes, & in eis, qui carnem illam susceperunt, venerant participantes.* Et idem latiùs explicant *part. 15. cap. 6.* & prosequitur ipse Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 5. num. 15.*

Tertia est difficultas. Quare voluerit Deus præcipere 37
Circumcisionem, & præputii ablationem, potiùs quàm ordinare aliquod aliud signum distinctivum, quo possent characterizari etiam fœminæ; Respondent DD. sic fuisse Divinum beneplacitum. Cæterùm multæ sunt congruentiæ circa præputii Circumcisionem judaico populo tunc injunctum I. 38
Quia Adam primò inobedientiæ suæ effectum, & carnis rebellionem sensiit in ea corporis parte, II. Quia in eo membro generantur homines, & inde inficiuntur originali culpa III. Quia sicut in eodem membro est delectatio, ex qua insurgit originale peccatum, sic in eodem esset mortificatio. IV. Quia, ut ait Apostolus, *per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*, conveniens fuit, ut ipse homo magis læderetur, & sentiret dolorem. V. Ut clariùs innotesceret pactum à Deo susceptum cum Abrahamo, ex ejus scilicet semine nasciturum Christum VI. tandem

in

in odium obscœni cultus Ægyptiorum, qui venerabantur Simulacrum membri virilis *ex Diodor. Siculo lib.* 1. cujus indignitatis Historiæ faciunt auctorem Isidem uxorem Osiridis ; & habetur mentio *in* 2. *Paralipomenon cap.* 15. *vers.* 16. agitque S. Thom. 1. 2. *quæst.* 102. *art.* 5. *ad primum.* Cornel. à Lapid. *in Genes. cap.* 17. *vers.* 11. Et alii, quos citat Emin. Card. de Lauræa *de Sacram in genere disp.* 5. *num.* 64.

Quarta difficultas est (ut ad Sacrificium Abrahæ
39 revertamur) an fuerit major virtus ipsius Abrahæ in immolando filio suo Isaaco, vel ejusdem Isaaci permittentis, se immolari ? Pro majoritate virtutis Filii faciunt.

Primò, quia majoris fortitudinis est, mortem
40 pro Deo subire, quàm eam aliis inferre; fortiores enim sunt Martyres militibus. Isaac autem vere fuit Martyr, quia pro actu virtutis, scilicet ut obediret Deo, certæ morti se obtulit; esto fuerit ab ea liberatus, sicut Daniel, & S. Joannes Evangelista liberati fuerunt.

Secundò, nam dolor Abrahæ stabat tantùm in animo; at illi Isaaci, & animum, & corpus attingebat.

Tertiò; ex eo quia jacula prævisa minùs fuerit ipse autem Abraham jam per tres dies intellexerat Dei voluntatem, & se illi conformaverat; sed Isaaco ex improviso denunciata fuit mors à Patre; & sic fuit ipsi Isaaco majoris terroris ex doctrina Philosophi *lib.* 3. *Et hic. quæst.* 8.

Quartò, quia Isaac erat juvenis 25. annorum, sperans vivere saltem centum annos, & habere prolem, ac familiam, delectationes, & solatia, quibus omnibus repudiavit, ut Deo obediret. Econtra Abra-
41 ham erat senex annorum 125. Mors autem est tollerabilior senibus, quàm juvenibus.

Econtra, quòd major fuerit virtus ipsius Abrahæ in hoc certamine, deducere possumus ex sequentibus.

Primò, quia Abraham plus diligebat vitam filii sui Isaaci, quàm suam propriam; præcipuè quia erat unigenitus ex dilectissima uxore; erat amantissimus & obsequentissimus; procreatus à patre Sene & in quo omnes promissiones à Deo factæ nitebantur.

Secundò, quia Abraham per totum triduum excruciatus est mente revolvens futuram filii immolationem, & occisionem.

Tertiò, quia idem Abraham passus est tentationes maximas à diabolo circa fidem, itaut verteret in dubium, an verè Deus hoc opus sibi præcepisset? ideò ait Apostolus ad *Hebr.* 11. *Vers.* 17. *Fide Abraham obtulit primogenitum suum Isaac, cum tentaretur.*

Quartò, quia dolor Isaaci uno ictu, & quasi in puncto temporis cessasset, si immolatus fuisset; sed dolor Abrahæ futurus erat perennis tum occisione filii; tum in eo membratim concidendo in & sacrificali ritu, totumque cremando, & in cineres redigendo; & perpetua memoria recolendo, se talem filium jugulasse, ac perdidisse. Quare S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 48. *in Genes.* exclamat: *O Religiosam animam! O fortem mentem; O ingens robur animi! O rationem, omnem humanæ naturæ affectum vincentem*; Et nescius hanc difficultatem decidere subdit: *Utrum admirer, fortemne spiritum Patriarchæ, an tam constantem pueri obedientiam, quod neque reluctatus est, nec factum ægre tulit; sed cessit, & obtemperavit iis, quæ a patre fiebant; & sicut agnus eum silentio super altare decubuit, expectans Patris dexteram?*

Utique heroica fuit obedientia tum geniti, tum
42 genitoris; cui, tradunt DD. fuisse tunc revelatam passionem & mortem futuram Redemptoris nostri ob redemptionem omnium gentium, & de illa exultavit Abraham juxta verba ejusdem Redemptoris *Joan. cap.* 8. *v.* 56. *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum. Vidit & gavisus est.* Fuit enim jussio illius Sacrificii obtestatio divinæ charitatis, quia Pater cœlestis dignatus est tradere morti Unigenitum Filium suum; ut piè disserit S. Augustinus *in Serm.* 71 *de tempore* his verbis: *Videdete Deum cum hominibus magna pietate certantem: Abraham mortalem filium non moriturum obtulit Deo, & Deus immortalem Filium pro hominibus tradidit morti. Potest tamen & de beata Isaac, & de illo Ariete sic intelligi, ut in B. Isaac significata sit Divinitas & in Ariete Humanitas Christi, & quia in passione non Divinitas crucifixa creditur, Idcò non Isaac, sed Aries immolatur.* Et de his latiùs Torniell. *in Annal ad annum Mundi* 2163 *& novissimè Mendezius in Theolog. Catechetica tom* 1. *lib.* 6. *cap* 8. *n.* 17.

Ut autem concludamus præsentem decisionem de Sacrificiis Abrahæ cum ejus vita, ac morte; no-
43 tentur hîc omnes dies vitæ ipsius; quandoquidem Sanctus Patriarcha Abraham anno ætatis suæ 75. ex Chaldæa à Deo evocatus, profectus est in Haran. Anno ætatis suæ 85. duxit Agar, & anno 86. natus est ei Ismael. Anno 99. fuit circumcisus; eodemque anno igne cœlesti cremata est Sodoma. Anno 100. nascitur ei Isaac, & anno 105. ablactatur; Ismael verò è domò ejicitur Anno 125. Isaac jubetur immolari. Anno 135. moritur Thare ipsius Abrahæ pater, & anno 137. defuncta est Sara. Anno 140. dat Rebeccam uxorem Isaaco ipse Abraham, qui Centuram tertiam Uxorem accepit, quæ peperit ei sex filios, ut legitur *in Genes. cap.* 25. *vers.* 1. Anno 160. ætatis ejusdem Abrahæ nati sunt ei Nepotes Jacob & Esau ex filio suo Isaaco. Anno tandem 175. moritur Abraham in senectute bona, ac plenus dierum, & sepultus est apud Satam uxorem suam, *& congregatus est ad populum suum*, ait *Genes.* 25. 8. idest ivit ad limbum Sanctorum Patrum anima ejus, locum scilicet subterraneum, sed altiorem Inferno, ac Purgatorio, ubi animæ aliorum Sanctorum detinebantur extra omnem pœnam, expectantes liberationem à venturo Messia, cum quo ascenderent & gloriam, & hic locus deinceps dictus est Sinus Abrahæ, eò quia ipse fuerit Pater multarum gentium, ut ad S. Augustin. *De Anima, & ejus Orig.*
44 *lib.* 4. *cap.* 16. & in hunc locum portatus fuit mendicus Lazarus ab Angelis, ut legitur *in Evang. Luc. cap.* 16. *vers.* 22. ubi Lyranus ait: *In sinum Abrahæ, id est in Limbum SS. Patrum, ubi descendebunt justi morientes, antequam impedimentum generale gloriæ per Christi passionem esset amotum.*

Sed dicet aliquis, si sinus Abrahæ est Limbus
45 locus subterraneus, quomodo canit Ecclesia de S. Martino, *Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur* ? Et quomodo in exequiis defunctorum orat dicens ad animam defuncti, *& in sinum Abrahæ Angeli deducant*
46 *te*: Respondetur; quòd in prædictis verbis pro sinu Abrahæ non intelligitur Limbus locus subterraneus, sed Cœlum, locus quietis æternæ; idcircò de Sancto Martino subditur in eadem Antiphona: *Cœlum dives ingreditur, hymnis cœlestibus honoratur.* Et in prædicta oratione pro defunctis dicit Ecclesia: *Subvenite Sancti Dei occurrite Angeli Domini suscipientes animam ejus offerentes eam in conspectu Altissimi*: Ita ex S. Augustino *lib.* 9. *Confession cap.* 3. exponit Emin Card. de Lauræa *in tractatu de incarnatione disp.* 24. *num.* 40.

DECISIO XVIII.

ARGUMENTUM.

De Sacrificio Melchisedech Regis Salem : & de his, quæ ejus personam, dignitatem, & figuram concernunt, disputationes plurimæ ; non injucundæ.

SUMMARUM.

1 *Melchisedech Sacrificium obtulit Panis, & Vini, in gratiarum actionem, dum Abraham reverteretur cum victoria de pugna contra quinque Reges.*

2 *Melchisedech quisnam fuerit? & quomodo dicatur fuisse sine patre, & sine matre? opiniones quatuor.*

3 *Melchisedech fuit purus homo Chamæus, & Chananæus, Rex Salem, adorans verum Deum; atque Sacerdos Altissimi. Et num. 4.*

5 Salem *Urbs an fuerit* Sichem, *vel* Jerusalem ?

6 *Melchisedech Rex & Sacerdos.*

7 *Decimæ solvebantur Sacerdotibus, etiam à gentilibus de bello revertentibus.*

8 *Melchisedech quomodo factus sacerdos?*

9 *Melchisedech Sacrificasse panem, & vinum est de fide.*

10 *Hæreticorum objecta contra Sacificium Melchisedeci.*

11 *Benedicere possunt etiam illi, qui non sunt Sacerdotes.*

12 *Melchisedech figuravit Christum venturum quatuordecim signis.*

13 *Panis & Vinum offerebatur etiam in lege Mosayca; sed vel simul cum Victimis; vel panis separatus à vino, ad differentiam Sacrificii Melchisedech.*

INter cætera Sacrificia legis naturæ, de quibus adhuc egimus, præcipuum locum tenet illud, quod obtulit Melchisedech Rex Salem. Hic enim, cùm audisset, devictos fuisse ab Abrahamo Reges illos, à quibus in captivitatem reductus erat Loth, totaque ejus familia; occurrens idem Abrahamo
1 reverteti de prælio cum victoria, congratulatus est cum eo, & statim litavit Hostiam pacificam pro gratiarum actione ad Deum, Panem scilicet, & Vinum; ut narrat Scriptura Sacra *in Genes. cap.* 14. *vers.* 18. his verbis: *At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi, benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit Cœlum, & Terram. Et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei* (Abraham) *decimas ex omnibus.*

Quapropter occasione hujus Sacrificii quatuor sunt breviter examinanda.

1 Quis fuerit Melchisedech ?
2 An verè fuerit Rex, & Sacerdos ?
3 An occurrens Abrahæ verè obtulerit Sacrificium panis ac vini?
4 In quibus fuerit figura Christi Redemptoris Nostri ?

Quòd ad Primum. Non videtur facilis responsio, attentis verbis Apostoli, *ad Hebræos cap.* 7. *Vers.* 1. *Hic enim Melociscdech Rex Salem, Sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ, regresso à cæde Regum; & benedixit ei; cui & decimas omnium divisit Abraham; primum quidem, qui interpretatur Rex justitiæ, deinde autem & Rex Salem; quod est Rex pacis, sine patre, sin matre sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* Si enim Melchisedech fuit sine Patre, & sine Matre, atque sine genealogia, quomodo scire possumus, quisnam fuerit? Hinc apud Sacros interpretes quatuor habentur opiniones de persona, Melchisedech. *Una* fuit hæreticorum Melchisedechianorum, qui opinati sunt, fuisse Spiritum Sanctum, à quo assumpto corpore humano, factus sit occursus prædictus Abrahæ revertenti de prælio. Sed hæc hæresis, est, ut advertit S. Hyeronim. *Epist.* 126. *ad Evagrium*. Saurez *de Incarnatione disp.* 46 *sect.* 4. Emin. Card. Baronius *ad annum* 196. *num.* 12. Et de Lanræa *eod tract. de Incarnat. disp.* 22. *num.* 70. Novissimè Sebastian. Salelles *in tractatu de S. Inquisitione tom.* 2. *lib.* 3. *Regul.* 227. *num.* 308. Opinio secunda fuit Origenis, ac Didymi, qui dixerunt, Melchisedech fuisse Angelum de Cœlo in humana figura apparentem, ut refert Cornel. à Lapide *in Genes. d. cap.* 14. *vers.* 18. Sed hæc quoque est erronea. *Tertia* est Abulensis, Lyrani, Lippomani, Ruperti, & aliorum, quos citat, & sequitur Saurez *d. disp.* 46. *sect* 4. §. *Aliorum verò*, asserentium, Melchisedech fuisse ipsum *Sem*, primogenitum Noe, & nonum Avum ipsius Abrahæ; & hi DD. se fundant in traditione Hebræorum, ac Samaritanorum, & confirmantur in hac assertione ex eo, quia omnes Annalistæ astruunt, quòd *Sem* vivebat tempore Abrahæ, ut videri potest apud Torniellum *apud annum Mundi* 2118. *num.* 8. & Salianum *ibid. num.* 18. Imò *Sem* supervixit Abrahæ annos 35. ut notat Cornel. à Lapid. *in Genes. cap.* 25. *vers.* 8. Ad verba autem D. Pauli Apostoli in Epistola ad Hebræos respondent, quòd ipse *Sem* potitus est duplici nomine, vocatusque fuit *Sem*, atque *Melchisedech*. Sub primo nomine scriptum narrat ejus patrem, matrem, atque genealogiam: hoc autem non facit, dum secundo nomine nuncupatur; & sub reflexione hujus secundi nominis, ajunt, locutum fuisse Apostolum Paulum dicentem: Melchisedech extitisse *sine Patre, sine Matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ* habuisse. *Quarta* est opinio plurimorum SS. Patrum, Hieronymi, Epiphanii, Irenæi, ac aliorum, quos cumulat Salian. *ad d. annum Mundi* 2118. *num.* 22. asserentium, Melchisedech fuisse hominem gentilem, sed probum, ac timentem Deum, qualis erat etiam Sanctus Job; qui quidem Melchisedech erat unus ex pluribus Regulis, qui principabatur in terra Chanaan; & descendebat ex *Cham* filio Noe; siquidem *Sem* cum suis posteris occupavit terram Orientem versus; *Cham* verò cum descendentibus à se occupavit terram Chanaam, in qua condita fuerat Civitas 3
Salem; cujus Melchisedech Rex erat; & ideo Melchisedeh erat verus, & purus homo *Chamæus, & Chananæus* videlicet ex linea Chami, & Regulus, dominusque Urbis *Salem* in terra Chanaan; Deum verum adorans, unà cum subditis suis, ut plenè probat Tena *in cap.* 1. *ad Hebræos dessic* 1.

Et

Et Collegium Salmanticen. *tom.* 10. *De Incarnatione disp.* 31. *dub.* 2. §. 2. *num.* 25. Salian. *ad d. Annum Mundi* 2118 *à num.* 24. *& seqq.* & Cornel. à Lapide *in Genes. d. cap.* 14. *vers.* 18. *& in Epist. ad Hebræos d. cap.* 7. *vers.* 1. ubi advertit, quòd ideo appellatus est ab Apostolo Rex justitiæ ob ejus rectitudinem, atque sanctitatem Melchisedech enim interpretatur homo justus; quem etiam S. Ignatius Martyr, *in Epist. ad Philadelphios* vocavit hominem Virginem in tota vita sua, & S. Dionysius Areopagita *in libr. de Cœlesti Hierarch. cap.* 9. illum recenset inter gentiles, qui veram Dei fidem habuerunt. Eatenus autem Apostolus scripsit, eum non habuisse Patrem, neque Matrem, neque Genealogiam, quatenus de ea nihil loquitur Scriptura Sacra, & mens D. Pauli fuit differere illa phrasi ad Hebræos ad contudendam eorum superbiam; ipsi enim se extollebant ob descendentiam ab Abrahamo, & ob dignitatem Sacerdotii Aaronici; & ipse Apostolus objicit iisdem hominem gentilem, sed sanctum, videlicet Melchisedech, qui major fuit eodem Abrahamo; cui impertitus fuit benedictionem; ad majorem namque spectat benedicere minorem; & fungebatur Sacerdotio, immolans non bestias terræ, ut faciebant Aaronici Sacerdotes; sed incruentum Sacrificium Panis, & Vini in typum & figuram venturi Messiæ tali Sacerdotio, & ritu litandi functuri; ut plene prosequitur Collegium Salmanticen. *d. tom.* 10. *disp.* 31. *num.* 26. Et Salianus *ad d. Annum Mundi* 2118. *num.* 24. *& seqq.* Igitur Melchisedech fuit vir gentilis veram fidem Dei habens; ac illam custodiens in subditis suis, qui habitabant in *Salem*, ubi Rex, sive Regulus ipse erat.

Quò ad secundum. Nefas esset dubitare, quòd
4 Melchisedech fuerit Rex, & Sacerdos; cùm de utraque dignitate testimonium reddat textus Sacer *in Genes. d. cap.* 14. *vers.* 18. *ibi At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi.* Et in *Epist. ad Hebr. d. cap* 7. *vers.* 1. ibi: *Hic enim Melchisedech Rex Salem Sacerdos Dei summi.* Quapropter loquentes de prima dignitate, scilicet Regia, dubitare tantummodò possumus; quænam fuerit Urbs *Salem*, cujus Rex erat Melchisedech? Et duæ sunt antiquorum opiniones. Una, quòd *Salem* fuerit Urbs Sichimorum, quæ etiam dicebatur *Sichem*, ad quam transivit Jacob revertens de Mesopotamia, ut legitur *in Genes. cap.* 33. *vers.* 18. ibi *Transivit in Salem urbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaam*, & sic tenere videtur S. Hieronym. *Epist.* 126. *de locis Hebraic.* Altera opi-
5 nio est, quòd *Salem* fuerit ipsa Urbs *Jerusalem*; quæ interpretatur Urbs pacis, de qua intellexit David, dum dixit: *Et factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion. Psal.* 75. 3. ubi textus Hebraicus legit; *Et factus est in Salem locus ejus.* Pariterque Apostolus Paulus vocavit eundem Melchisedech *Regem Pacis, ad Hebr.* 7. 2. Hanc opinionem tutantur plurimi ex SS. Patribus quos congerit Salian. *ad d. Annum Mundi* 2118. *num.* 28. & 29. cujus hæc sunt verba: *Hæc posterior sententia & multitudine testium præponderat, & mysterii dignitate; ut non persona solum & dignitas, & officium, & virtus Melchisedecis Christum repræsentet: sed locus etiam ipse, in quo uterque & Regnum, & Sacerdotium exercuit.*

Circa verò Sacerdotalem dignitatem, concludens
6 habetur probatio de ea (ultra irrefragabile Sacri textus testimonium) tum quia, ut infra probabimus, Melchisedech opus Liturgicum peregit, & Sacrificium pro gratiarum actione obtulit Deo, panem, & vinum immolando, cùm Abraham reverteretur de bello; tum etiam quia ipse eidem Abrahamo benedixit, quod est officium Sacerdotis; ac etiam quia ab ipso Abrahamo Decimas excepit de his; quæ in bello lucratus fuerat, mos enim fuit apud Gentiles quoque, solvere decimas de manubiis in 7
bello collectis, religionis impulsu; ut factitasse Posthumium obtenta belli Latini victoria, ac alios Romanorum Duces narrat Dionysius Halicarnss. *lib.* 6. Livus, ac Xenophon, quos adducit Cornelius à Lapide *in Genes. d. cap.* 14. *vers.* 20. A quo autem 8
acceperit Melchisedech Sacerdotium? non est à veritate alienum, si dixerimus vel à natura, quia fuerit filius Primogenitus; vel à Patre, qui & ipse habuerit Regiam dignitatem; vel à populo, de cujus communi consensu potuit accepisse facultatem litandi; ad Deum placandum, & ad beneficia spiritualia, & temporalia, impetranda eidem populo; siquidem ex his fontibus, & radicibus, in lege naturæ prodibat dignitas Sacerdotalis, ut colligere licet ex doctrina S. Thom. 1. 2. *q.* 103. *art.* 1. *ad* 3. Lessii *de Just. & Jure lib.* 2. *cap.* 38. *num* 12. Collegii Salmaticen. *d. tom.* 10. *de Incarnat. disp.* 31. *num.* 3. *& num.* 27. *atque* 30. Nec non Eminent Card. de Lauræa *eodem tract de Incarnatione disp.* 22. *num.* 62. ac etiam Saliani *ad Annum Mundi* 2223. *num* 3. Et diximus supra *Decis* 7. *num.* 10. *&* 15.

Quo ad Tertium, in quo quæritur, an Melchisedech occurrens Abrahæ revertenti cum victoria de prælio verè obtulerit Sacrificium panis, & vini? Respondeo est affirmativa; est enim de fide, quòd 9
tunc Melchisedech obtulerit panem, & vinum in Sacrificium Deo, Liturgiam exercendo in gratiarum actionem, partem scilicet panis cremando, & partem vini libando; & de utroque participem faciendo eundem victorem Abrahamum, ut moris erat in immolatione Hostiæ pacificæ. Et quod tunc verè Melchisedech litaverit, probatur. Primò, quia id profitetur Ecclesia in Canone Missæ, in oratione *Supra quæ propitio*: ibi: *Et Sacrificium, quod tibi obtulit Summus Sacerdos tuus Melchisedech.* Secundò, quia idem canit in solemnitate Corporis Christi in Antiphona ad Vesperas, *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech panem & vinum obtulit*, idest secundum ritum, quo Melchisedech offerebat in Sacrificium panem, & vinum. Tertiò, quia Scriptura Sacra nominans oblationem prædictam panis, & vini factam à Melchisedech, subdit statim: *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi. Genes.* 14. *vers.* 18. cujus proprium officium est sacrificare. Quartò, quia tum in *Psalmo* 109. *& in Epist ad Hebr. cap.* 7. commendatur Sacerdotium, atque Sacrificium Melchisedech, & nullibi legitur, ipsum litasse, nisi in supradicto occursu Abrahæ, cum pane, & vino. Quintò, quia D. Paulus *in cit. cap* 7. opponit Sacrificium Melchisedeh in pane, & vino Sacrificiis Aaronicis in victimis cruentis; & sic quemadmodum hæc erant vera sacrificia, ita, & illud. Sextò, quia sic pro indubitato admittit Concil. Tridentinum *sess.* 22. *de Sacrificio Missæ cap.* 1. Septimò quia sic semper docuerunt omnes Sancti Patres antiqui tum Latini, tum Græci, quos cumulat, eorum verba referens Emin. Card. Bellarimus *lib.* 1. *de Missa cap.* 6. Suarez *de Incarnatione disp.* 46. *sect.* 4 §. *Tertio loco.* Lessius *in* 3. *part. D. Thomæ q.* 83. *num.* 13. Collegium Salmanticen. *d. tom.* 10. *De Incarnat. disp.* 31. *num.* 28. & Eminent Card. de Lauræa, *eodem tract, disp.* 22. *num.* 63.

Op-

Opponunt Calvinus, Kemnitius, & alii Misolitur-
10 gici, ut destruant sacrosanctum Missæ Sacrificium, primò, quòd Scriptura Sacra *in Genes. d. cap. 14. Vers. 18.* ait de Melchisedech, quod *Proferens panem, & vinum* benedixit Abrahæ: At proferre non est litare, vel sacrificium facere; sed exhibere, & ad exepellendam famem dare tum ipsi Abrahæ tum ejus militibus. Respondetur, frivolum esse hoc objectum. Primò, quia Abraham, ac ejus milites non adigebantur fame; immò saturi erant ex alimoniis repertis apud devictos Reges, ut legitur in eadem *Genes. cap. 14. Vers. 14.* Secundò, quia apud Hebræos ly *Proferens* significat litare, ac sacrificium offerre; ipsi enim utuntur verbo הוֹצִיא *Hotsi* quod in *lib. Judic cap. 6. Vers. 18.* exponitur *Sacrificium*, Hinc in *Genesi. cap. 4. Vers. 3.* ubi nos legimus, quòd Cain offerret de fructibus terræ munera Dominos in Hebræo est dictum verbum *Hotsi*, videlicet *proferret*, & certum est, quòd ibi loquebatur de Sacrificio. Tertiò, quia textus Sacer statim post Verba *Proferens panem, & vinum* reddit rationem dicens: *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi*; quod frustra, vel ineptè dictum esset, si de Sacrificio, tamque proprio Sacerdotis munere non intellexisset; poterat enim aliàs Scriptura dicere, *quia erat Astrologus vel Pictor*, quod est ridiculum asserere.

Secundò opponunt hæretici, quòd illa verba: *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi* referenda sunt benedictioni, quam Melchisedech dedit Abrahæ; ita ut ibi sint posita ad denotandam causam ejusdem be-
11 dictionis, non autem Sacrificii. Sed respondetur, hanc pariter interpretationem esse impropriam, atque inconcludentem; ea ratione, quia ad dandam benedictionem non est necessarium simpliciter Sacerdotium; cùm & illi, qui Sacerdotes non sunt, possint benedicere, ut plurima exempla habentur in Scriptura Sacra. Josue non erat Sacerdos, neque Levita, sed Princeps Politicus, & benedixit populo. *Jos. cap. 8. Vers. 32 & cap. 22. Vers. 6* Idemque fecit David Rex. *2. Reg. cap. 6. Vers. 18.* Stant igitur verba illa ad innuendum Liturgicam actionem in pane, & vino peractam à Melchisedech tanquam Sacerdote Dei summi; qui typum, & figuram gessit Redemptoris nostri JESU CHRISTI, à quo fuit in Ecclesia Catholica relictum Sacrificium sui Corporis, & Sanguinis sub speciebus panis, & vini; ut doctè comprobat Eminent Cardin. Bellarminus *d. lib. 1. de Missa cap 6.* ubi alia Novatorum objecta refert, & evacuat; ac novissimè Salian. *ad annum Mundi 2118. num. 31* atque Collegiũ Salmantic: *d. tom 10. de Incarnat. disp 51. n. 29*

12 Quòd ad Quartum. Melchisedech fuit typus, & figura venturi Messiæ, ac Redemptoris nostri JESU CHRISTI in sequentibus quatuordicim parilitatibus.

Primò, quia Melchisedech interpretatur Rex Justitiæ, ut ait Apostolus *ad Hebr. 7. 2.* & de Christo ait Jeremias *cap. 23. Vers. 5. & faciet judicium, & justitiam in terra.*

Secundò, quia Melchisedech fuit Rex *Salem*, idest Rex pacis *d cap 7. ad Hebr. Vers. 3.* & Christus vocatus fuit *Princeps Pacis* ab Isaia *cap. 9. vers. 6.*

Tertiò. Fuit Melchisedech Rex, & Summus Sacerdos; & in Christo Redemptore fuit utraque Dignitas Regia, & Pontificia, quia Deipara ejus Genitrix, à qua carnem sumpsit descendebat a Stirpe Regia, ac Sacerdotali, ut probavimus supra *in Decis. VII. num. 24.* Ideò de eo scriptum est, quod sit *Rex Regum, & Dominus dominantium, in Apocal. cap. 19. Vers. 16.* Ac etiam *Pontifex Sanctus innocens impollutus. Ad Hebr. d. cap. 7. Vers. 26.*

Quartò. Melchisedech non fuit unctus Sacerdos per manus hominum; prout ungebantur Sacerdotes Aaronici; dicente S. Hieronymo *in Epist. 126. ad Evagrium. Non fuit unctus oleo Sacerdotali, ut Moysis præcepta constituunt; sed oleo exultationis, & fidei puritate.* Sic Christus Dominus non à Pontificibus Hebræorũ, sed à Deo Patre fuit unctus Summus Sacerdos, juxta illud, *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Psalm. 48 vers. 7.* & notavimus *in d. Decis 7. num. 26.*

Quintò Quia sicut Sacerdotium Aaronis fuit typus Sacrificii cruenti, quod Christus de se oblaturus erat in Cruce; sic Sacerdotium Melchisedech figuravit Sacrificium incruentum; quod in ultima cœna obtulit ipse Christus sui Corporis, & Sanguinis sub speciebus panis, & vini; & offerendum reliquit jugiter in Ecclesia sua.

Sextò. Quia Melchisedech litans in solo pane, & vino comprehendebat in suo Sacrificio Holocausta, Hostias pro peccatis, & Hostias pacificas. Et Christus Dominus in Sacrificio Missæ omnia Sacrificiorum genera continet, ut latè ostendimus supra *Decis. XIV. num. 6.*

Septimò. De Melchisedech ait Apostolus: *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens. Ad Hebr. d. cap. 7. Vers. 3.* Et de Christo JESU pariter dixit idem Apostolus: *JESUS CHRISTUS heri, & hodie: ipse, & in sæcula. Ad Hebr. cap. 13. Vers 8.*

Octavo. Melchisedech in suo Sacerdotio neque prædecessorem, neque successorem habuit. Sic Christus habet quidem in terris Vicarium, & Ministros sui Sacerdotii, non autem Successores; ea ratione, qua ipse *Maneat in æternum, & sempiternum habet Sacerdotium: unde & salvare in perpetuum potest, semper vivens ad interpellandũ pro nobis. Hebr. 7. 23.*

Nonò. Repræsentatur Melchisedech ab Apostolo *Sine Patre, sine Matre, sine Genealogia d. cap. 7. ad Hebr. vers. 3.* Et de redemptore dictum est ab Isaia: *Generationem ejus quis enarrabit? Isaiæ cap. 53. vers. 8.* Natus enim est in terra sine Patre, genitus in cœlo sine Matre, & utraque generatio superat linguam, & intellectum tum hominum, tum Angelorum.

Decimò Apostolus vocavit Melchisedech majorem Abrahamo ob benedictionem per ipsum eidem datam; quia *sine ulla contradictione quod minus est à majore benedicitur. Ad Hebr. cap. 7. v. 7.* Et Christus Dominus acclamatur Abrahamo major in illis verbis: *Antequam Abraham fieret, ego sum. Joan. cap. 8. vers. 58.* respectu scilicet Divinitatis, & respectu omnis benedictionis, quæ nobis provenit per Christum ab æterno Patre; ut testatur Apostolus *ad Ephes cap. 1. vers 3 Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.*

Undecimò Melchisedech recepit per Abrahamum decimam populi Judaici, qui tunc in ejus lumbis erat, ut dixerit idem Apostolus *d. cap. 7. ad Hebr. vers. 9. & 10.* Sic Christus Dominus decimam partem Hebræorum videtur consequutus per conversionem illorum ad fidem; juxta mysticum numerum Leprosorum, quos à lepra mundaverat, eorum enim pars decima ad Christum rediit, idest ex decem unus. *Nonne decem mundati sunt & novem ubi sunt Luc. cap. 17. vers 17.*

Duodecimò Melchisedech Virgo fuit, non etiam Sacerdotes Hebræi, qui uxores ducebant. Sic Christus *Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus.* Virginitatis, & continentiæ consecrator, *Melior Angelis effectus*, ministros quoque suos ab omni voluptate carnis alienos esse voluit; de quibus scriptum

ptum est: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt Joan.* 1. 13.

Decimotertiò. Regnavit Melchisedech in *Salem*, quæ creditur fuisse *Jerusalem*, vocata *Domina gentium, Princeps provinciarum, gaudium universæ terræ. Thren.* 1. 1. Et Christus Dominus regnaturus est in æternum in cœlesti Jerusalem, quam videns Joannes in spiritu, de ea dixit: *Vidi Civitatem sanctam Jerusalem novam, descendentem de Cœlo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de Throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Apoc. cap.* 21. *Vers.* 2.

Decimoquartò. Sacerdotium Melchisedech fuit excellentius Sacerdotio Aaronis, ut deducit idem Apostolus *in cit. cap.* 7. *ad Hebr.* & docent omnes Theologi. Idcircò præcipuè in hoc Christus Dominus assimilatur Melchisedech, & dicitur Sacerdos secundùm ejus ordinem, quia Sacerdotium Christi, & Sacrificium, quod reliquit in sua Ecclesia, est excellentius, atque præstantius Aaronico Sacerdotio in dignitate, sanctitate, & fructu; ut plenissimè probant tres Eminentiss. Theologi Purpurati, videlicet Bellarminus *lib.* 1. *de Missa cap.* 6 *per totum.* De Lugo *in tract. de Incarnat. disp.* 29. *num.* 40 & de Lauræa *eod tract. disp.* 22. *art.* 4. quibus meritò est addendum Collegium Salmanticense *in d. tom.* 10. *de Incarnatione disp.* 31. *dub.* 2.

Sed dicet aliquis etiam in Sacrificiis Aaronicis litabatur Panis, & Vinum; Ergo etiam Sacerdo-
13 tium Christi potest dici Sacerdotium secundùm ordinem Aaronis. Respondetur primò cum eodem Eminent. Bellarmino *d. lib.* 1. *de Missa cap.* 6. *in resp. ad arg. quartum*; Quòd in Sacrificiis Aaronicis offerebatur quidem aliquando panis, & vinum; sed non de per se principaliter; at simul cum vitulis, agnis, aliisque hostiis; neque erat purus panis; sed ut plurimùm aspersus oleo, ex quo fiebant lagana, ut legitur *in Exod, cap.* 29. *& in Levit. cap.* 7. Porrò Melchisedech obtulit in sacrificium Panem, & Vinum purum; & sic perfectè figuravit Sacrosanctum Missæ Sacrificium, sub speciebus panis, & vini à Christo Domino institutum.

Respondetur secundò cum Collegio Salmanticen. *d. disp.* 32. *num.* 31. *in fine*, quòd Sacerdotes Levitici offerebant panem separatum à vino; non autem panem, & vinum simul, sicut obtulit Melchisedech; undè non potuit repræsentari Sacrificium Eucharisticum per Sacrificia Aaronica, seu Levitica, prout fuit repræsentatum in Liturgia peracta ab eodem Melchisedech.

DECISIO XIX.

ARGUMENTUM.

De Sacrificiis, tum Isaaci, tum Jacobi ejus filii. De cæcitate ejusdem Isaaci Patriarchæ; de Primogenituræ privilegiis, & an intercesserit Simonia, in cessione ejus facta ab Esau Jacobo? Quando liceat redimere vexationem in beneficiis, & electionibus absque simonia? Et utrum Esau sit damnatus?

SUMMARIUM.

1 *Isaac obtulit Sacrificium Deo in Bersabee.*
2 *Isaac quot annis fuerit cæcus?*
3 *Cæcitas oculorum pœnosissima infirmitas.*
4 *Isaac cæcitatem mentis passus, volens benedicere Esau.*
5 *Spirituales viri sæpè ignorant Dei voluntatem in rebus dubiis: quam humiliores attingunt.*
6 *Prælati in rebus arduis debent consulere suos ministros etsi humiles; & eorum consilium sequi.*
7 *Isaaci annorum, atque vitæ compendium.*
8 *Esau qua die vendiderit Primogenituram fratri suo Jacob?*
9 *Lenticulæ quare dentur in cibo in commemoratione omnium Defunctorum?*
10 *Jacobi Patriarchæ Sacrificia plura.*
11 *Primogenituræ Hebræorum Privilegia octo.*
12 *Siclus, nummus Hebraicus, cujus figuræ, & valoris esset?*
13 *Jacob an dixerit mendacium, asserendo, esse Esau, ut haberet paternam benedictionem?*
14 *Esau vendendo Primogenituram, cui erat annexum Sacerdotium, an commiserit simoniam?*
15 *Rebeccæ à Deo revelatum, Primogenituram dandam Jacobo filio suo, non autem Esau.*
16 *Vexationem redimere in beneficiis, & electionibus quando non sit simonia?*
17 *Esau tria peccata commisit, vendendo Primogenituram.*
18 *Esau utrum sit salvus, vel damnatus?*

SEquitur ut breviter videamus de Sacrificiis tum Isaaci, tum Jacobi ejus filii; uterque enim functus esse Mystarum officio, & pluries sacrificasse Domino in illa lege naturæ constat propriæ devotionis impulsu, atque ex institutione, exemplo majorum suorum.

Isaac obtulisse Sacrificium in Bersabee testatur 1
Scriptura Sacra *Genes. cap.* 26. *Vers.* 24. *&* 25. ibi enim recepit à Domino sibi apparente novam promissionem de semine suo propagando, ac benedicendo, idcircò ipse Isaac *Ædificavit ibi Altare, & invocato nomine Domini* litavit Hostias, ut notat Emin. Card. de Lauræa *in tractat. de Incarnatione disp* 29. *n.* 37.

Hic autem de Patriarcha Isaaco duo sunt breviter observanda; ejus caligo oculorum; ejusq; vitæ, & annorum cursus. Quo ad oculos, ait textus Sacer: *Senuit autem Isaac, & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat. Genes. cap.* 27. *Vers.* 1. contraxerat enim cæcitatem, quam patienter sustinuit annis quadraginta quatuor; siquidem ea 2
affligebatur anno, quo impertivit benedictionem filiis suis Jacob, & Esau; qui quidem annus erat trigesimus septimus supra centesimum ætatis suæ, ut firmant Cornel. à Lapide *ad d. cap.* 27. *vers.* 1. Torniell. *ad Annum Mundi* 2276. *num.* 1. & Salian. *ad eundem annum num.* 1. Complevit autem idem Isaac annos centum octoginta; adeo ut ab anno 136. inclusivè usque ad annum 180. decurrerint anni 44. in quibus usura lucis, oculisque caruit. Non mediocris fuit tanti Viri patientia; est enim inter alias corporis infirmitates pœnosissima cæcitas oculorum, ut scribit Fagnanus (quem eadem in- 3
firmitate laborantem Romæ ego visitavi Anno 1667.) *in cap. Cum percussio n.* 14. *De Clerico ægrotan. tom.* 4. *pag.* 19. Hinc de Didymo, qui octoginta annos cæcus fuit, & totam Scripturam Sacram memoriter retinebat, & à S. Hieronymo ob summam rerum

cœlestium intelligentiam vocabatur *Videns*, fertur, quod interrogatus à S. Antonio, an patienter suam cæcitatem toleraret? negativè respondit, ut in Vitis Patrum *Part.*2. §.205. undè à prædicto Sancto fuit leniter reprehensus, quod tristaretur de damno rei illius, qua & formicæ, & pulices carebant.

Porro de cæcitate corporis transeamus ad illam intellectus, quam passus fuit ipsemet Sanctus Pa-
4 triarcha Isaac, volens suam benedictionem impertiri filio Esau, ignorans contrariam esse Dei voluntatem; quæ benedictio decreta erat, & præordinata ad favorem filii Jacobi, quod mirum est considerare; virum scilicet adeò spiritualem & intimum Deo, in tenebris ambulasse in re tanti momenti, neque sciviisse scrutari, & videre beneplacitum Divinum; quod rectè cognovit Mater Jacobi Rebecca; cujus suasionibus, & industria filius Jacob benedictionem obtinuit, Causam refert Cornel. à
5 Lapide *in Genes. cap.*27. *vers*19. his verbis: *Discè hic quòd Deus subindè justos sinit aliqualiter ignorare, falli, cadere, & decipi; ut se agnoscant. Sic Isaac Sanctus putavit benedictionem Dei in Esau implendam esse, sed fallebatur. Secundò quòd Deus aliquando parvulis revelat, quæ magnis abscondit: sic Rebeccæ revelatur, quod Isaac ignorabat.* Plura possent exempla referri circa hanc spiritualem hominum cæcitatem, etsi sanctitate, ac dignitate sublimium; quæ brevitatis causa omitto; satis esse credens, quod ego in praxi observavi, Sanctos Viros, ac etiam pios Antistites eximiæ bonitatis, & excelsæ orationis, non præbentes ministris suis aures, sed propriam voluntatem sequutos, in rebus arduis deceptus non semel fuisse; & malum exitum certami-
6 num ostendisse, eos non secundùm divinam voluntatem operatos esse; quapropter jure optimo; Prælatos Ecclesiasticos scrutari debere in rebus ambiguis consilium ministrorum suorum, etsi humilium, illudque sequi docet eruditè calamus Jo. Pauli Oliva *in Concionibus Sacri Palatii part.*1. *conc.*32. ubi plurima digna scitu.

Quò verò ad cursum vitæ Isaaci hæc est summa
7 annorum ejus. Prævia Dei promissione de eo facta Abrahæ, conceptus fuit à Sara Anno Mundi 2138. & natus est Anno 2139. Ablactatus fuit à Matre sua cum esset quinquennis, Sacrificandus ductus fuit à Patre ad montem, cùm esset ipse Isaac in ætate annorum viginti quinque. Quadragenarius duxit Rebeccam in uxorem; quæ sterilitatem passa est viginti continuos annos. Pro illa oravit Isaac, & exauditus est, itaut Rebecca conceperit gemellos fœtus Esau, & Jacob Anno Mundi 2198. & anno se-
5 quenti 2199. nati sunt prædicto Isaaco iidem filii duo, & tunc Isaac erat sexagenarius. Educavit filios suos, qui attingebant annum septuagesimum octavum, quando eorum pater Isaac deliberavit impertiri benedictionem suam; sed ejus oculi caligaverant, erat enim in ætate annorum 137. Post datam Jacobo, & Esau benedictionem vixit Isaac alios annos 43. & exactis centum octoginta vitæ suæ annis mortuus est, atque sepultus in spelunca, ubi jacebant ossa Abrahæ, & Saræ genitorum ejus. Commoratus est vivens Isaac cum Atavis suis *Semo*, & *Sale* annis decem, & octo: cum Patre suo *Abrahamo* annis 75. Ipso vivente nati sunt omnes filii *Jacob*, nepotes ejus, ac etiam pronepotes ex *Joseph*o, qui tunc erat Pro-Rex Ægypti, ignotus tamen & Patri, & Avo, à quibus credebatur à fera occisus; ut exactè tradunt Torniell. & Salian. *ad dd. Annot Mundi.*

Sed nec illud ignorandum, quòd qua die mortuus est Abraham, reversus de agro Esau lassus vendidit fratri suo Jacobo primogenituram pro edulio lentis, ut legitur *Genes. cap.*25. 30. Hinc mos invaluit apud Hebræos, ut in die mortis patrisfamilias, & in die exequiarum, præparentur leticulæ in cibum, ut notat Ponticell. *in Genes. d. cap.*25. *Reflex.* 81. Quod servatur à Regularibus, & aliis facientibus eleemosynam in die Commemorationis omnium Defunctorum.

Quò verò ad Liturgias Patriarchæ Jacob, filii ejusdem Isaaci; plura reperiuntur sacrificia ab ipso 8
facta. Primum in monte Galaad pro pace inter ipsum, & Socerum suum Laban composita, de quo in *Genes. cap.*31. *vers.*54. Secundum propè Sichem pro benevolentia cum fratre Esau, dum rediret à Mesopotamia. *Genes. cap.*33. *vers.*20. Tertium in 9
Bethel ex eadem causa. *Genes. cap.*35. *vers.*14. Et Quartum ad puteum juramenti, cùm audivit Filium suum Joseph, quem credebat devoratum à feris, adhuc vivere; & felicem, atque potentem esse in Ægypto.

Cæterum frequenter sacrificasse Jacobum, ultra prædictas vices, credendum est; cùm vir pius, & religiosus esset, & sacerdotium ad ipsum spectaret, 10
tum vigore benedictionis Paternæ sibi impertitæ ex industria & suasionibus Rebeccæ Matris suæ, ut narratur *in Genes. cap.* 27. tum ex Primogenitura sibi vendita à fratre suo Esau ut legitur *in eod. libr. Genes. cap.*25. *vers*32. cujus quidem Primogenituræ 11
octo erant Privilegia; nam. I. Sacerdotali officio, ac dignitate Primogeniti fungebantur, ut probavimus supra *Decis. VII. num.* 10. II. Antecedebant alios fratres in mensa, & lautiùs tractabantur, quod notatur *in Genes. cap.*43. *in fine.* III. Benedicebant alios fratres genuflexos coram se; juxta illud, quod enunciaverat Isaac ipsi Jacobo, in benedictione ei data: *Et incurventur coram te filii Matris tuæ. Genes. cap.*27. *vers.* 29. IV. Primogeniti veste pretiosiore in festivitatibus, & actionibus publicis utebantur; Unde Rebecca induit Jacobum *Vestibus Esau valdè bonis, quas apud se habebat. Genes. cap.* 27. *vers.*15. V. Exercebant dominium quoddam in fratres, quasi Principes eorum: idcircò adjunxerat Isaac in benedictione ad eundem Jacobum, quem credebat Primogenitum, *Genes. d. cap. vers.* 29. *Et vers.*37. Esau ejulanti dixit: *Dominum tuum illum constitui; & omnes fratres ejus servituti illius subjugavi.* VI. Primogeniti duplices partes hæreditatis paternæ consequebantur, ut habetur *in Deuteronom. cap.* 21. *vers.* 17. Ponticell. *in Genes. d. Reflex.* 81. VII. Speciali ratione ad 12
Deum pertinebant, cùm propterea offerebantur; & redimebantur quinque Siclis, ut præceptum erat *in libr. Numer. cap.*3. *vers.*47. Hic autem notare liceat ex Pignatell. *tom.* 9. *Consult.* 3. *num.*87. quòd in Siclis Hebræorum ab una parte erat impressa imago Urnæ, in qua Manna fuit recondita, cum hac inscriptione: *Siclus Israel.* In altera verò Virga Aaronis florens cum hac Epigraphe *Jerusalem Sancta.* Valor autem Sicli erat medietatis unius Imperialis. VIII. Benedicebantur à Patre, ejus mortis tempore instante; propter quod Isaac jusserat Esau tanquam filio suo primogenito sibi prandium parari; subdens: *Ut benedicat tibi anima mea antequam moriar. Genes. d. cap.*27. *vers.*4.

Et

Et de his privilegiis differunt Salian. *ad Annum Mundi 2223. num. 3.* Abulens. Pererius, & Cornel. à Lipid. *in Genes. cap. 25.* nec non Canonistæ, atque Juristæ Gloss. *in cap. Quam periculosum in verb. Primatus 7. q. 1.* & ibi: Card. Archid. Alex. & alii. Hostien. Joan. Andr. & Abbas *in cap. Licet.* De voto. Tiraquellus *in tract. de Primogen. in Præfat. n. 17. & 18.* ac etiam Baldus *in l. Cum antiquioribus. col. 4. vers. Modo quæritur. C. de Jure deliberan.*

Duo autem dubia agitant Scripturistæ de Patriarcha Jacobo. *Unum* est, an reus fuerit mendacii, 13
dum rapturus paternam benedictionem, Patri suo interroganti, quis esset? Respondit: *Ego sum primogenitus tuus Esau: feci, sicut præcepisti mihi; surge, sede, & comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua. Genes. cap. 27. vers. 19.* Ipse enim neque Esau erat, neque venatum iverat. Salian. *ad Annum Mundi 2276. num. 7.* allegat plures è Sanctis Patribus; quos etiam congerit Pererius *in d. cap. 27.* asserentes inexcusabilem esse Jacobum à mendacio. Cæterùm tenenda est opinio S. Augustini *in libr. contra mandac. cap. 10.* ubi ostendit, mendacem non fuisse Jacobum: cùm enim ejus pater de his egisset cum Esau tanquam cum Primogenito; meritò potuit Jacob, cui jure divino, & humano Primogenita debebantur, eadem sibi applicare; & verè dicere, *Ego sum Esau primogenitus tuus*: non personaliter, sed virtualiter ex divina dispensatione: quemadmodum Salvator vocavit Baptistam Eliam. *Matth. cap. 11. vers. 14.* idest, ut exponit S. Gregorius non in persona, sed in spiritu, & virtute. Venatum quoque fuisse poterat asserere per metaphoram; venatio enim verificatur non tam in leporibus, sed etiam in hædis, & piscibus, ut scribit Plinius *libr. 16. cap. 1.* quod prosequitur Salian. *ad Annum Mundi 1276. num. 8.*

Alterum dubium est, An in emptione, & vendi- 14
tione respectivè facta per Jacobum, & Esau de Primogenitura, cui annexum erat Sacerdotium, peccaverint peccato Simoniæ? Et respondendum est negativè ob duas rationes. Prima est, quia Primogenitura de per se erat pretio æstimabilis ob privilegia, de quibus supra; idcircò respectu temporalium commoditatum vendi poterat, etsi annexum haberet Sacerdotium, exemplo hæreditatis, seu fundi cui annexum est Juspatronatus Ecclesiasticum; in cujus emtione, & venditione Simonia non committitur, ut DD. apud Tiraquell. *de Primog. quæst. 29.* & Giballin. *de Simonia quæst. 1. Consectar. 4.* Secunda ratio est, quòd Jacob erat jam electus à 15
Deo ad Primogenituram; qua privatus Esau remanserat juxta illud *Malach. cap. 1. vers. 3. Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; idque Rebeccæ revelatum fuerat, ut notat Ponticell. *in Genes. d. cap. 27. Reflex. 81.* Idcircò licitè potuit Jacob ad redimendam vexationem, quam de facto ab Esau patiebatur, vel pati poterat, illum adigere per edulium lentis, 16
ad sibi Primogenita vendenda, & venditionem cum juramento firmandam; juxta opinionem *Gloss. in can. Quæsitum. verb. Redemptione. 1 q. 3. & in can. Decimas. 3. 16. q. 6.* & *in cap. Dilectus 1. de Simonia.* S. Thom. 2. 2. *quæst. 100. art. 4. ad 3.* Cornel. à Lapide *in Genes. cap. 25. vers. 34.* Et novissimè Emin. Card. de Luca *in tract. de beneficiis disc. 70.* & Jacobi Pignatelli *tom. 10. Consult. 44. à n. 56. & seqq.* à quibus doctè demonstratur, quando licitum sit redimere vexationem pecunia tum in electionibus, tum in consequutione beneficiorum.

Porrò Esau tria peccata commisisse observant Sancti Patres; scilicet peccatum *Gulæ*; non refræ- 17
nando appetitum comedendi per breve spatium temporis. Peccatum *Prodigalitatis*, alienando Jus pretiosum ob vilissimum pulmentum. Et peccatum *Irreligiositatis*, flocci faciendo Jus Sacerdotii conjuncti suæ Primogenituræ. Ita S. August. *de Civit. Dei lib. 16. cap. 3.* S. Greg. *lib. 3. Moral. cap. 27.* & alii allegati à Lippomano *in Catena aur. ad Genes. cap. 25.* quibus addendus Cornelius à Lapide *in Genes. eod. cap. 25. vers. 31.* ubi subdit: *Peccavit Esau, quia prætulit ventrem virtuti; cibum honori, gulam Sacerdotio, & benedictioni.*

Utrùm autem Esau damnatus sit, vel pœnitens 18
obierit, & salutem æternam sit consequutus; Differit Menoch. *in Stoicis Centur. 6. cap. 96.* ubi conjecturas colligit pro utraque opinione, desumpta ex Bonfretio *super Gen. cap. 36.* & ex Cornel. à Lapide *in Epist. ad Rom. cap. 9.* Quos curiosus Lector poterit percurrere.

DECISIO XX.

ARGUMENTUM.

Do Sacrificiis patientissimi Jobi, & plura de ejus ortu, vita, atque tentationibus.

SUMMARIUM.

1 *Job Sacerdos erat, & sæpè sacrificabat.*
2 *Jobi liber an sit vera Historia? vel Parabola? Rationes pro Parabola. ibi. Pro veritate Historiæ n. 3. resolvuntur contraria n. 4.*
5 *Jobi libri quis fuit Auctor, & Scriptor?*
6 *Job quis fuerit? ubi, & quando natus? quatuor opiniones.*
7 *Job quot annis vixerit?*
8 *Ætas, & Anni Thare, Abrahami, Isaaci, Jacobi Josephi, ejusque fratrum; nec non Moysis.*
9 *Job fuit agnatus Abrahami, & de ejus parentela.*
10 *Job fuit Rex, & Sacerdos.*
11 *Hus patria Jobi ubi sita erat? Urbes aliæ nominatæ hoc nomine Hus.*
12 *Hus una superior citra Jordanem. Alia Hus inferior propè Idumæam, in terra Edom.*
14 *Jobum regnasse in Hus superiori, prope Stagnum Genesareth verior opinio.*
14 *S. Francisci Seraphici iter per Terram Sanctam.*
15 *Job an fuerit dives? Et an ejus subditi Idololatræ?*
16 *Job quo Anno Mundi sit natus? Opiniones duæ & num. 17.*
18 *Jobi Pietas, ac Virtutes.*
19 *Bosorra Arabissa Uxor Jobi.*
20 *Jobi mala alia interna fuerunt in anima; alia externa in corpore.*
21 *Filii Dei, inter quos apparuit Satan tentaturus Job, qui fuerint?*
22 *Satanæ intensum desiderium videndi faciem Dei.*
23 *Jobi dolores, & infirmitates multiplices.*
24 *Pediculari morbo afflictus Philippus Rex Hispaniarum Secundus in sua ultima infirmitate.*
25 *Job annos triginta quinque continuos sustulit in corpore suo multiplices dolores, ac ulcera.*

26 *Job an impatientia notandus?*
27 *Jobi maledictiones referuntur ad culpam originalem, à qua procedunt miseriæ hujus vitæ.*
28 *Job verum exemplar patientiæ.*
29 *Jobi patientia remunerata per sanitatem, divitias, atque numerosam prolem.*

1 INter cætera Sacrificia, durante lege naturæ, veniunt quoque illa, quæ litabat patientissimus Job; testatur enim Scriptura Sacra, hunc Sanctum Virum Sacerdotio functum, & non semel ab eo Sacrificia Deo oblata; prout legitur in ejus libro *cap. 1. Vers. 5.* ibi: *Consurgensque* (Job) *diluculò offerebat holocausta per singulos* (filios.) *Et sic faciebat Job cunctis diebus.* Idcircò Sanctum Jobum fuisse Sacerdotem: atque consuevisse Sacrificia Deo offerre, ex plurimorum SS. Patrum auctoritate demonstrat Pineda *in Job cap. 1. Vers. 5. num. 6.* & novissimè Eminent. Card. de Lauræa *in tomo de Incarnatione disp. 29. num. 37.* Quapropter hîc quatuor sunt breviter disquirenda.

1 *An liber Jobi sit vera Historia; an verò sit Parabola conficta ad moralitatem, & exemplum Patientiæ?*
2 *Quis fuerit Job? ubi, & quando natus?*
3 *Quæ, & Qualia fuerint ejus mala, ulcera, atque infirmitates?*
4 *An Job fuerit semper patiens in afflictionibus suis? vel aliquoties laceraverit Patientiam?*

Quò ad *Primum.* Non defuerunt Judæi in libro
2 Talmud, atque hæretici moderni Anabaptistæ, atque Lutherus, qui asseruerunt, librum hunc Jobi esse argumentum scenicum, non autem veram Historiam ex sequentibus præsumtionibus. *Primò* ex nominibus Jobi, ejus filiarum, & amicorum; quæ videntur esse Parabolica, & inventa ad significandam moralitatem: nam *Job* interpretatur *dolens. Hus* consilium, ex dolore enim mens nostra aptatur ad bona consilia eligenda. Filiæ Jobi vocatæ fuerunt una *Dies*: altera *Cassia*: tertia *Cornustibium*, de quibus sic ait *S. Greg. Nissenus Hom. 9. in Cant. Cùm Dici nomen audivimus, honestatem: quemadmodum & Apostolus filios lucis, ac diei appellat eos, qui vitam puram agunt. Cassiæ appellatione puritatem, ac fragrantiam studiorum. Cornu verò Amaltheæ laudem omnis generis virtutum significantes.* Sic nomina amicorum ejusdem Jobi non videntur esse propria, sed scenica, videlicet *Eliphax, Baldad, & Sophar*, de quibus *in cap. 2. Job. Vers. 11. Secundò*, quia liber iste scriptus est carmine, ut solent scribi comædiæ, atque Tragædiæ. *Tertiò*, quia Josephus Hebræus, qui texuit ab initio totam Historiam gentis Judaicæ, nunquam nominavit Jobum. *Quartò*, quia liber incipit: *Vir erat in terra Hus, nomine Job*; qua methodo dicendi utuntur, qui narrant aniles fabellas; aliter autem incipit Scriptura de aliis viris, de quibus non est dubium, eos verè extitisse; ut de Elcana *1. Reg. 1. Fuit Vir unus &c.* De Josue *cap. 1. Et factum est, &c.* Et sic de aliis. *Quintò*, quia non pauca sunt in hoc libro Jobi, quæ videntur intelligi non posse historicè; sed parabolicè tantum. Exempli gratia. Concilium Angelorum, Præsidente Deo. Colloquium Satanæ coram Deo. Interrogationes ad illum, & responsiones. *Sextò*, quia plura reputantur impossibilia; puta, quòd tres amici Jobi sederint immoti cum illo septem diebus, & septem noctibus sine cibo, & sine potu. Quod Job locupletissimus inter Orientales repente nudus sederit in sterquilinio. Quòd ejus uxor in proprio regno obierit munus ancillæ; & stipem coegerit; ut latiùs discurrit Pineda *in Præfatione ad eundem librum Jobi cap. 1. num. 1.* Et Menochius *in Storeis Centuria Prima cap. 99.*

Nihilominùs his, & similibus minimè obstantibus, tenendum, & credendum est; librum Jobi, & ejus vitam esse veram Historiam; & continere
3 ea, quæ ex divina permissione Jobo acciderunt: quod probatur. *Primò*, Auctoritate Sacræ Scripturæ in libro Tobiæ *cap. 2. Vers. 15.* ubi relatis ærumnis, & cæcitate illius Sancti Viri, textus Sacer facit comparationem patientiæ Tobiæ cum patientia Jobi dicens: *Nam sicut beato Job insultabant Reges, ita isti Parentes, & cognati ejus irridebant vitam ejus.* Igitur sicut verè fuit Tobias, sic verè fuit Job, ut argumentatur D. Chrysostomus de mendico Lazaro *in Hom. de Divite Epulone tom. 2.* dicens: *Si verus est Abraham, verus est Lazarus.* Non enim convenit veritati textus Sacri miscere falsa cum veris. *Secundò*, quia per Ezechielem *cap. 14.* bis Deus nominat hos tres Sanctos viros simul; scilicet Noe, Danielem, & Jobum, subdens *in d. cap. 14. Vers. 16. Tres viri isti si fuerint in ea, &c.* Ergo sicut verè fuerunt Noe, & Daniel; sic verè fuit & Jobus. *Tertiò*, auctoritate Sancti Jacobi Apostoli, qui in sua Epistola Canonica *cap. 5. Vers 11.* sine hæsitatione testatur de veritate vitæ ejusdem Jobi, dicens: *Sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis; quoniam misericors Dominus est, & miserator.* Hoc idem quartò firmatur consensu omnium Sanctorum Patrum, adeò ut contrarium sentire, esse terror, atque hæresis, ut advertunt S. Thom. Lyran. Cajetan. Bellarmin. & alii citati apud Pinedam *ubi supra n. 8.*

Neque officiunt, aut offuscant hanc veritatem argumenta contraria. Non Primum, ex nomi-
4 num significatione; hæc enim sæpè reperitur in antiquis viris! undè *Abel* interpretatus est *Luctus*; & Noè *Quies*, vel *cessatio*; quia primus fuit genitoribus suis causa lacrymarum, secundus verò requiei descendentibus suis: & idem practicatum fuit sæpè apud Gentiles, juxta illud: *Conveniunt rebus nomina sæpè suis.* Idcircò Protesilaus interpretatur *Primus*; quia Primus Græcorum obiit in bello Trojano; & de eo cecinit Ausonius.

Protesilae tibi nomen sic Fata dedere,
Victima quod Trojæ prima futurus eras.

Non obstat *Secundum*, quod scriptus sit liber carmine; prima enim capita sunt soluta oratione, quæ continent historiam; reliqua, quæ affectibus sunt plena, ut melius explicentur, scripta sunt carmine. At non est novum etiam historias versibus narrare, ut fecit Lucanus de bellis civilibus. Non *Tertium* de silentio Josephi hebræi; quia plura alia omisit in sua historia, quæ narrantur in Scriptura Sacra; & alia ipse addidit de suo, ut Sancti Patres, testantur. *Quartum* est irrelevans; sive enim incipiat Liber per Verbum *Fuit*; sive per Verbum *Erat*; nefas esset dubitare de existentia illius Viri, de quo Sacra Scriptura loquitur; & inter cætera exempla sufficiat Unum, quod est omnibus excellentius; nempè Verbi Divini, de quo ait Evangelista Joannes *cap. 1. In principio erat Verbum.*

Non obstat *Quintum* objectum; si quidem inconveniens non est, quòd Sancti Angeli simul substantialiter

ter congregentur; & quòd Dæmon ad eorum præsentiam accedat: prout etiam in conspectu Dei ubiq; existentis per suam immensitatem; non quidem, ut revelata facie videat Essentiam Divinam; sed ab Angelo superioris ordinis, vices Dei gerente, audiat Divinam Voluntatem, & promissionem; prout sæpius factum esse Sacra Scriptura testatur.

Non obstat *Ultimum* de sessione in sterquilinio, de silentio amicorum Jobi per septem dies, de inopia ejus Uxoris, & aliis; quia hæc omnia sunt benignè accipienda, & interpretanda juxta communem usum humani colloquii; quo attento non est illicitum figuratè loqui; neque derogatur veritati; sed magis explicatur res, de qua agitur. Exempli gratia; qui valdè vexatur à frigore, dicere consuevit; *mortuus sum frigore*; & tamen mortui non loquuntur; sensusque est, ipsum pati magnum frigus. De his latiùs agit Pineda *in d. cap. 1. Jobi Vers. 6. & cap. 2. Vers.* 12. & Salianus *ad Annum Mundi* 2398. *n.* 7. & *ad Annum M.* 2405. *n.* 7. Torniell. *ad Ann. M.* 2399. & Menochius *in Storeis d. Centur. prima cap.* 99. *& Centuria octava cap.* 74. ubi plures SS. Patrum Auctoritates.

Sed dicet aliquis; si liber Jobi est historicus, & continent veritatem eorum, quæ acciderunt in
5 ejus vita; quis fuit Auctor illius libri? Quis illum composuit? Quis exaravit? Respondet ad hoc quæsitum Eminent. Card. Bellarminus *in libro de Scriptorib. Ecclesiast. cap. de Job* his verbis: *Auctorem libri Job Sanctus Isidorus lib.* 6. *Origen. cap.* 2. *scribit fuisse Moysem, aut ipsum Job, aut alium ex Prophetis. Et quidem non pauci contendunt, auctorem libri fuisse Job; sed non pauciores volunt, fuisse Moysem. Mihi utraque sententia videtur vera, si ita dicamus; ab ipso Job fuisse annotatas res ejus gestas lingua Arabica; sed à Moyse fuisse postea ex volumine Job compositum librum, quem nunc habemus, lingua Hebraica, addito principio, & fine, idest additis illis verbis: Vir erat in terra Hus nomine Job, simplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo. Et ad finem addita morte ipsius.* Prosequitur deinde idem Emin. Cardin. Bellarminus diversas conjecturas, pro comprobanda supradicta ejus opinione; quas apud ipsum legendas relinquimus curioso Lectori, nec non apud Salianum *Anno* 2398. *num.* 2. *&* 3. apud Torniellum *Anno* 2530. *num.* 3. & apud Pinedam *in Præfat. ad eundem lib. Job cap.* 3. & novissimè apud Mendezium *in Theolog. Catechetica libr.* 1. *c.* 12. *n.* 4.

Quò ad Secundum. *Quis fuerit Job? Ubi? &*
6 *Quando natus?* Respondeo, quòd circa genus, & prosapiam Jobi quatuor sunt opiniones. *Una*, quòd fuerit Chananæus, descendens à Cham filio Noe. *Secunda*, quòd fuerit Israelita, nempè filius Issaachar, & nepos Jacobi. *Tertia* quòd fuerit Nachorita, idest natus ex Hus filio primogenito Nachoris fratris Abraham, de quo *Genes. cap.* 22. *Vers.* 21. & sic quòd extiterit Nepos Abrahami. *Quarta*, quòd fuerit Idumæus descendens ab Esau; siquidem Esau filius Isaaci genuit Rachuelem; Rachuel genuit Zaram, Zara genuit Jobab, ut legitur *Genes. cap.* 36. *Vers.* 9. *& seqq.* dictus autem *Jobab* idem sit ac *Job*; unde ejus amicus fuit Eliphaz Themanites, primogenitus Esau. Ita Cornelius à Lapide *in Genes. cap.* 36. *Vers.* 33. ubi allegat plures SS. Patres ita sentientes. Et Salian. *ad Annum Mundi* 2319. *n.* 4. nec non Pineda *in Job cap.* 1. *Vers.* 1. *n.* 31. qui fatentur, primam, & secundam opinionem paucos habere sectatores; at pro tertia, & quarta plurimos reperiri Auctores, quos ibidem cumulatos studiosus quisque inveniet. Quartæ opinioni tanquam probabiliori, ultra Cornelium à Lapide, adhærent Pineda, Salianusque ubi supra: & Torniellus *ad Ann. Mundi* 2319. *n.* 12. nec non Joan. Baptista Ricciolius *in Chronolog. Reform. tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 5. *in Appendice de S. Job* ob plura argumenta; sed præcipuè ob additionem positam in fine libri Job à septuaginta Interpretibus; ubi notant, Jobum descendere ab Esau, & esse quintum ab Abrahamo. Sed hanc additionem esse apocryphan opinatur Eminent. Card. Bellarminus, *d. lib. de Scriptor. Eccl. cap. de Job* addens ibi, sibi videri magis veram tertiam opinionem, quam tenuit, præter alios, S. Hieronymus; videlicet, S. Jobum fuisse filium Hus, filii Nachoris, fratris Abrahami, ea ratione, quia Job fuit multò antiquior Moyse; quod evidenter constat ex ejus longæva vita, & multitudine annorum; quorum numerum homines non attingebant, dum Moyses viveret. Vixit enim Job annos ducentos, & decem, ut notat Cornel. à Lapide *d. cap.* 7
36. *in Genes. Vers.* 33. & Salianus *ad Annum M.* 2398. *n.* 1. tempore autem Moysis, cui proximus fuit *Jobab* pronepos *Esau*, nullus homo ad tantam ætatem perveniebat; ut ex Scriptura sacra facilè demonstratur: nam Thare Pater Abrahami vixit annos 8
205. Ipse Abraham vixit annos centum septuagintaquinque. Isaac mortuus est in ætate annorum centum octoginta. Jacob in Ægypto obiit annorum 147. Joseph 110. Cæteri verò filii Jacobi, & fratres Josephi citiùs vitam cum morte permutarunt. Simeon quidem decessit, agens annos 120. Judas 119. Rubem 124. Issacar 122. Zabulom 124. Dan. 127. Aser. 125. Levi 137. Moyses autem obiit habens annos 120. adeo ut nullus, post Thare Patrem Abrahami, vixerit per duo sæcula in hac vita. Ex qua argumentatione affirmandum venit, Sanctum Jobum fuisse, prædictis omnibus antiquiorem; cùm ejus vita excesserit ducentesimum annum, & vixerit etiam alios non paucos, ut testantur omnes Scripturistæ.

Quidquid sit de hac quæstione; certum tamen est, quòd Job fuit agnatus Abrahami, & de ejus 9
parentela; vel quia descenderit ex ejus fratre Nachore; vel ex ejus Nepote Esau.

Quò verò ad Jobi conditionem, seu dignitatem; omnes scribentes faciunt eum Regem, atque Sacerdotem. Fuit Job Rex, quia sic ipse enarrat de se *cap.* 10
29. *Vers.* 7. *& seqq.* Et quia Amici illi tres, qui eum visitarunt infirmum, erant & ipsi Reges, ut legitur *in Tobia cap.* 2. *Vers.* 15. ibi: *Nam sicut beato Job insultabant Reges*, & deducitur ex eo, quòd visitatio illa fieri non poterat, nisi fuissent in dignitate pares; ut observat etiam Barradas *in Concord. Evangel. tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 8. *verb. Ecce Magi.* Fuit etiam Sacerdos, tum quia eo tempore Dignitas Pontificia unita erat Regiæ celsitudini; tum quia Job erat primogenitus, cui in lege naturæ, ut sæpè diximus, competebat Sacerdotium; idcircò pro filiis suis Sacrificia offerebat, & holocausta; ut legitur *Job cap.* 1. *vers.* 5. & post recuperatam sui ipsius sanitatem litavit etiam pro amicis suis, ad eis veniam impetrandam juxta monitum Divinum, de quo *in cap. ult. Job num.* 8. quod pluribus demonstrando prosequitur Pineda *d. cap.* 1. *Vers.* 5. *n.* 26.

Porrò scisciranti *Ubi natus? Ubi vixerit, & Ubi regnaverit Job?* respondemus, non esse sine difficultate 11
hæc quæsita. Ejus patria fuit *Hus*, ut legimus in initio libri, *Vir erat in terra Hus, nomine Job.* Sed disputabile est, ubi sita fuerit hæc *terra Hus*? Pineda pro-

fitetur, eam demonstrare, & promittit tabulam geographicam ponere *ad d. cap. Job. Vers.* 1. Sed ipsa tabella deest in meo Codice; & dictus Auctor sic obscurè loquitur, ut à se solo sit intelligendus. In meis chartis Geographiæ antiquæ, Auctore Sansone Abavillæo, in tabulis Terræ Promissæ, temporibus Abraham, & Moysis reperio duas Urbes
12 *Hus* nominatas. Unam superius citra Jordanem, contiguam stagno Genesareth; aliam interiùs propè Idumæam, in terra Edom; & tam in una, quàm in altera, non est inconveniens asserere, quòd Job regnaverit, juxta diversitatem opinionum circa ejus genealogiam. Si enim dicere velimus, Jobum fuisse pronepotem Esau; congruit affirmare, quòd vixerit in Terra *Hus*, quæ est in Edom propè Idumæam; ubi Esau habitavit. Si verò assentiamus illis, qui opinantur, eum fuisse nepotem Nachoris fratris Abrahami, verissimum videtur, quòd regnaverit in superiorem terram *Hus*, parùm distantem à prædicto stagno Genesareth, ubi peregrinabatur Thare cum Abrahamo, & aliis filiis suis. Hoc unum certum est, Sanctum Jobum natum esse, atque regnasse in Palæstina, quæ postea fuit appellata *Terra Promissionis*; & à Deo fuit concessa Israelitis post eorum exitum de Ægypto, ac longam peregrinationem in deserto; in ea enim tempore Abrahami, & Isaaci plures Reguli, & Duces principabantur.

Verùm, quòd Sanctus Job habitaverit in *Hus*
13 *Superiori*, & vicina Stagno Genesareth, novissimè sentire videtur *Pater Joanes de Calaguri vulgo de Calahorra* in sua Historia Chronologica Provinciæ Syriæ, ac Terræ Sanctæ, Typis data Venetiis ab Antonio Tivano anno 1694. in qua *lib.* 1. *cap.* 11. loquens de itineribus Seraphici Patriarchæ Sancti Francisci per ipsam Terram Sanctam ita Auctor prædictus scribit:
14 *Terminato, che ebbe il Serafico Padre la peregrinazione de Santi luoghi, nella quale per sua estrema povertà, e per andare sempre frà barbari patì innumerabili travagli, senza allegerimento veruno: entrò nel Regno di Soria, per vedere se poteva conquistare frà la barbarie de Soriani quello, che non haveva potuto conseguire nella perfida ostinazione degl' Egizii. Passiando con questo Santo fine il Gordano, entrò nel paese di Traconita; del quale fà mentione S. Luca nella sua Evangelica Historia; e lasciando à mano destra,* (notentur hæc Verba) *la Terra di Hus, da dove fù quel raro esemplare di pazienza invitta Giob; & alla sinistra le acque di Miron, caminando per la Siria Damascena, giunse alla nobilissima Città di Damasco. capo, e Metropoli di quel Regno.* Certum est autem, Civitatem Damasci esse in Provincia Syriæ, in superiori parte, versus Asiam minorem; & ita Terram *Hus* existentem in hac superiori parte propè Jordanem, fuisse patriam Sancti Jobi juxta placitum hujus Chronologi Religionis Seraphicæ, cui multum deferendum censeo, quia personaliter invisit regionem illam, eam pluries peragravit, ac diu inhabitavit ipsam.

Plurima autem Scripturistæ disputant, & dis-
15 putantes quærunt de S. Jobo, videlicet, An fuerit dives auri, & argenti? An possederit agros, domus, & palatia? An fuerit Sanctior Abrahamo, Isaaco, & Jacobo? An ejus subditi fuerint Idololatræ, vel verum Deum colentes? & alia, quæ brevitatis gratia hìc non attumuntur, sed videri poterunt à Lectoribus apud Auctores, quos congerit Pineda *in d. suo Commentar. in Job ubi supra.* Quò verò ad annum nativitatis ejusdem Sancti patientissimi; Annalistæ, qui opinantur, eum fuisse Jdumæum, & pronepotem Esau, volunt illum natum fuisse Anno Mundi 16
2329. & subindè ante Moysem annis 135. & ante Christum annis 1724. Ita Salianus, & Torniellus *ubi supra*: nec non Cornelius à Lapide *in Genes. d. cap.* 36. *Vers.* 33. subdens, ipsum S. Jobum vixisse una cum Moyse annis 57. defunctum esse annis quinque ante egressum Moysis, & Hebræorum ex Ægypto.

E contra illi, qui sequuntur tertiam opinionem, & tenent S. Jobum fuisse nepotem Nachoris fratris Abrahami, sicque eum multò ante natum fuisse; ponunt ejus nativitatem Anno Mundi 2029. cùm enim Nachor ortus sit Anno Mundi 1979. si addantur anni 25. necessarii Nachori ad generandum Hus; & 17
alii anni 25. eidem Hus ad generandum Jobum, clarè patet, ipsum S. Jobum natum esse anno Mundi 2029. & fuisse coætaneum ejusdem Abrahami; & hoc computo retento, magis atque magis elucet ratio considerata ab Eminent. Card. Bellarmino; eo tempore Jobum vixisse; quo homines ad annos ducentos vitæ suæ perveniebant, ut dictum est supra.

Hæc autem, quæ certa sunt, de Beato Jobo bre- 18
viter perstringamus; videlicet ipsum fuisse pium erga Deum, & misericordem erga pauperes; ait enim *cap.* 31. *vers.* 16. *& seqq. Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero Matris meæ egressa est mecum.* Excelluit enim in omni virtute, & circa annum trigesimum vitæ suæ duxit Uxorem (non *Dinam* filiam Ja- 19
cobi, quæ stuprum passa erat à Sichem) sed *Bosorram*, genere Arabissam; ex qua suscepit septem filios, & tres filias, ut legitur *cap.* 1. *Job. vers.* 2. *&* 3. ubi etiam narrantur ejus divitiæ his verbis: *Et fuit possessio ejus septem millia ovium, & tria millia Camelorum: quingenta quoque juga boum, & quingentæ Asinæ; ac familia multa nimis; eratque vir ille magnus, inter omnes Orientales;* Et de his omnibus erudite agit Pineda *d. cap.* 1. *vers.* 2. *&* 3. & Salian *ad Annum Mundi* 2357. *& ad Annum* 2398. ubi eum omni felicitate potitum astruit usque ad annum ætatis suæ septuagesimum; quo tempore Deus permisit Satanæ, ut illum affligeret, ad heroicæ patientiæ perpetuum exemplar.

Quò ad Tertium. Si quærimus *Quæ, & Qualia* 20
fuerint Jobi mala? ulcera? atque infirmitates? Respondendum venit; alia fuisse mala animi, alia verò corporis. Animi mala, & dolores interni fuerunt, quando audivit consumptionem armentorum, & mortem filiorum, sequutam ex industria Satanæ, ob permissionem Divinam, & licentiam ei à Deo elargitam, ut legitur *in d. cap.* 1. *vers.* 6. *ibi: Quadam autem die cum venissent Filii Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.* ubi Sancti Patres hunc textum explicantes advertunt, appellatione Filiorum Dei intelligendos esse sanctos 21
Angelos Custodes Jobi, filiorum ejus, ac populorum Terræ Hus, cujus Job Rex erat, & Princeps. Coram istis sanctis Angelis comparuit Satan, dum ipsi agerent de pietate, & sanctitate Jobi; cujus patientia, ut magis splendesceret, Angelus superior, Dei jussu, elargitus est potestatem Satanæ, ut Jobum affligeret citra mortem; non enim 22
Divina facies à diabolo visa fuit, vel videri potest, etsi id à se summoperè desiderari eundem aliquando dixisse, narrent P. Eusebius Nieremberg *in Statera Tempor, & Æternitatis lib.* 4. *cap.* 1. Mannus *in tract. Paradisi pag.* 67. & Carol. Lom-

Lompardus *Presbyter Congregat. Oratorii Neapol. in Serm. Dom. 4. Quadrag. Vers. ad Quartum.* Et de præmissis latiùs disserunt Salianus *ad d. Ann. Mundi 2398. n. 6.* Pineda *d. cap. 1. in Job. Vers. 6.* & Menochius *in Storeis Centr. 8. cap 74.*

23 Corporis autem dolores fuerunt multiplices, ac intensissimi; non enim unico morbo Santan eum impetivit, sed pluribus, teste Pineda *d. cap. 2. Vers. 7. & 8. sect. 2. num. 2.* ubi sic loquitur: *Habuit* (Job) *morbos ex specie, & ratione sua acutos, & qui aliis brevi dierum periodo exitium afferre solent; ut si pleuritidem dicas, aut febres ardentes; anginam, faucium que Phlegmonem: tum etiam quos diuturnos appellant, tabem, renum morbum, marcorem.* Et paulò post: *Nervorum, musculorum, aliarumque partium internarum contusionem, atque dolorem.* Quæ omnia mala comprehenduntur sub illis scripturæ verbis: *Egressus Satan à facie Domini percussit Job ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem capitis.* Itaque corpus S. Jobi his simul malis torquebatur; videlicet; I. Lepra ut *ly ulcere pessimo.* II. Podagra, & Chiragra; ly *In nihilum redacti sunt omnes artus mei. cap. 16. Vers. 8.* III. Morbo Phtiriasi, idest pediculari, itaut devoraretur à pediculis; ly *Qui comedunt me, non dormiunt: in multitudine eorum consumitur vestimentum meum. Cap. 30. Vers....* quia

24 infirmitate consumptum quoque fuisse Philippum Hispaniarum Regem Secundum, qui ajebat, utinam rusticus, & non Rex natus essem! scribit Petrus Matthæus *in Histor. Henrici Quarti Regis Francor. lib. 1. Narrat. 4. pag. 57.* IV. Dysenteria, cum doloribus viscerum: ibi *Convulneravit lumbos meos; non pepercit, & effudit in terra viscera mea. Cap. 16. Vers. 14.* V. Febre ethica, qua ejus caro consumpta erat, & exsiccata; unde ajebat; *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum. Cap. 19. Vers. 20. Et nunc autem in memetipso marcescit anima mea. cap. 30. Vers. 16.* VI. Pluribus aliis morbis, doloribus, & fœtoribus, quos enumerat Menochius *in Storeis Centur. 9. cap. 47. & cap. 48.* & latissimè Pineda *d. cap. 2. Vers. 6. atque 7.* per decem integras sectiones; ubi *sect. 5.* probat etiam patientissimum hunc Virum vexatum fuisse lue Venerea; ex ejusque corpore per septennium continuum fœtidissimam putredinem exisse, cujus causa ab uxore, & servis suis projectus fuit Job extra domum in sterquilinium; & concordat Salianus *Annum Mundi 2398. à num. 17. & seqq. & Anno Mundi 2405. num. 2. & 3.*

25 Illud autem est mirabile dictu; & auditu horribile, quod de hoc sancto Viro scribit S. Athanasius in Vita Sanctæ Synoleticæ *cap. 14. num. 105.* apud Bollandum *die 5. Januarii* videlicet, supradictas infirmitates patientem Jobum sustinuisse annos triginta quinque continuos; in quibus derelictis fuit ab omnibus amicis, & conjunctis; & passus est inenarrabiles animæ, & corporis afflictiones; adeò ut non absque causa obtinuerit nomen Patientissimi.

26 Quò ad Quartum. *An Sanctus Job fuerit semper patiens in infirmitatibus suis; vel aliquando prævaricatus sit contra Patientiam?* Videbatur dicendum, non fuisse immunem ab ira; siquidem *Maledixit diei suo, & nocti, in qua dictum est, conceptus est homo;* cumaliis imprecationibus, de quibus *toto cap. 3.* Certum est enim, quòd non est licitum maledicere neque creaturis irrationabilibus, ut docet S. Thom. *2. 2. q. 76. art. 2.* quare censetur lapsus S. Job in inpatientiam; cujus pœnituerit, dum dixit: *Leviter locutus sum: manum meam ponam super os meum. Unum locutus sum, quod utinam non dixissem, cap. 39. vers. 37.*

Cæterùm omnes SS. Patres liberum faciunt hunc 27 patientem Virum à quacunq; labe impatientiæ, & maledicentiæ, ut examinando prædicta verba demonstrat Pineda *in cap. 3. vers. 7. Sect. 5. & seqq.* ubi plures responsiones affert ad ipsa; quarum principalis est, quòd Job maledixerit peccato originali, ex quo procedunt tot pœnalitates, ac miseriæ in præsenti vita; quod confirmat Salian. *ad Annum Mundi 2544. num. 770.* apud quem sic loquitur Severius *in Catena Olymp. Peccati diem Jobus optat extingui, quo se scelere obligavit Adamus: totius enim humanæ naturæ personam suscipit: dicitque dies pereat; quo à virtute ad scelus homo migravit, atque ad ærumnas, & interitum ruit, munere immortalitatis amisso.*

Concludendum est igitur, quòd Sanctus Jobus fuit verum exemplar patientiæ cunctis hominibus, constanter sufferendo tot calamitates in persona sua, non per unum, duos, vel tres annos; sed triginta quinque, ut diximus; in quibus *non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est*, ut ait Scriptura Sacra *cap. 1, Job Vers. 22.* Sæpè enim repetisse credendum est aurea illa verba, à quocunque fideli mente retinenda: *Nudus egressus sum de utero Matris meæ, & nudus revertar illuc. Dominus dedit; Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum* Nec non illa: *Si bona suscepimus de manu Dei; mala quare non suscipiamus. cap. 2. vers. 10.* 28
Quare coronata fuit ejus patientia à Domino; nam *Addidit Dominus omnia, quæcunque fuerant Jobi, duplicia. Et vixit post hæc centum quadraginta annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum usque ad quartam generationem, & mortuus est senex, & plenus dierum;* ut habetur *cap. 42. Vers. 10. & Vers. 16.* 29
Et hæc sufficiant de Sancto Jobo, uno ex Sacerdotibus in lege naturæ, vero atque Altissimo Deo Sacrificia offerentibus.

DECISIO XXI.

ARGUMENTUM.

De Sacrificiis Paganorum; Gentilium, atque Idololatrarum. De initio Idololatriæ, ejusque progressu. An dari possit Idololatria absque peccato? Quot, & qualia Sacrificia profana, horrenda, & impia olim immolarentur Idolis, ac Diabolo?

SUMMARIUM.

1 *Idololatria accipitur Metaphoricè, & Propriè. Et quæ sit metaphorica?*
2 *Idololatriæ propriè sumptæ definitio.*
3 *Idololatria alia expressa, alia tacita. Et de utraque hic.*
4 *Idololatria Ethnicorum triplex, Physica, Civilis, & Fabulosa.*
5 *Idololatria an incœperit ante diluvium? Rationes pro affirmativa.*
6 *Idololatria habuit originem post diluvium, & à quo?*
7 *Polytheismus, ac Idololatria emanavit è radicibus sex hic enumeratis.*
8 *Idololatræ post diluvium facti sunt homines ut plurimùm ex ignorantia.*

9. Ido-

9 *Idololatria an dari possit sine peccato, ob ignorantiam veræ fidei invincibilem?*

10 *Infidelitas est triplex.* Positiva, Privativa, & Negativa. *Harum specierum declaratio hic.*

11 *Ignorantia non excusat infideles ab igne æterno. Rationes pro hac opinione hic.*

12 *Ignorantiam invincibilem non posse dari inter infideles; alia opinio, hic.*

13 *Idololatræ alia peccata committentes, ob ignorantiam fidei invincibilem non effugiunt Infernum.*

14 *Idololatræ ex ignorantia invincibili servantes legem naturalem effugiunt Infernum, & solam pœnam damni in Limbo patientur.*

15 *Infideles servantes legem naturalem non permittuntur mori in infidelitate.*

16 *Infidelitatem negativam in his, in quibus Christus non est prædicatus. esse peccatum est propositio* Baii. *In 64. damnata à S. Pio V. & Gregorio XIII.*

17 *Exempla infidelium viventium sine peccatis, miraculosè vocatorum ad veram fidem.*

18 *Ephemerides Sacræ, atque Metamorphoses Hieronymi à Basilica Petri, sunt vita Sanctorum valdè utiles Parochis pro instruendis plebibus in fide, atque moribus.*

19 *Fides vera tam ante diluvium, quàm post. ac semper subsequentibus sæculis prædicata fuit Infidelibus.*

20 *Fidei Catholicæ nunc sufficiens notitia habetur in universo mundo.*

21 *Romana Respublica exercebat quæcunque Sacrificia aliarum nationum infidelium.*

22 *Romæ Idolorum Sacrificia alia publica, alia privata.*

23 *Sacerdotum Polythistarum varia nomina.*

24 *Jura patronata instituebantur à Paganis pro eligendis Mystis idololatris.*

25 *Sacrificia Paganorum alia profana, alia impia, alia horrenda.*

26 *Victimæ ferales diversæ, quæ litabantur Diis, ac Deabus Gentilium.*

27 *Immolationes, & libamina, præter victimas ferales, offerebantur etiam Idolis de farina, vino, oleo, incenso.*

28 *Victimæ humanæ immolabantur Idolis per Gentiles, & Paganos, ac etiam proprii filii, & filiæ.*

29 *Israelitæ, atque Romani sacrificabant proprios filios Idolis.*

30 *Moloch Idolum erat Statua ærea, in qua accensa ponebant Hebræi filios suos cremandos pro Sacrificio.*

31 *Senatus Romanus, ac Imperatores prohibuerunt litare victimas humanas Idolis.*

32 *Indorum, ac aliarum barbararum nationum Sacrificia de Victimis humanis. De his Historiæ plurimæ hic.*

33 *Sacrificia horrenda facta Diabolo à strygibus, lamiis, & aliis perversis hominibus.*

34 *Apostata à fide est sacrificans Idolis; vel dæmoni; & punitur ab Inquisitoribus.*

35 *Pœnæ contra Apostatas à fide.*

36 *Sacrificare Idolis fictè non licet.*

37 *Libellatici Christiani quinam essent?*

38 *Mandarinis in India an liceat sacrificare Idolis fictè, tenendo Crucem in manu, & dirigendo intentionem ad illam? Damnavit hanc assertionem S. Congreg. de Propagan. Fide. Romæ die 12. Septembr. 1645.*

39 *Pœnitens, qui fictè sacrificavit Idolis, non est absolvendus, sed remittendus S. Inquisitioni, ut ibi prius abjuret.*

PRæter sacrificia vero, & Altissimo Deo oblata in lege naturæ à Sanctis Viris, de quibus hucusque egimus; alia sunt quæ Idolis litabantur, ac dæmonibus per Ethnicos, & Gentiles Idololatras; de quibus hic breviter est agendum, & pro clariori intelligentia quatuor sunt explicanda.

1 *Quid, & Quotuplex sit Idololatria?*

2 *Quando incœperint gentes adorare Idola?*

3 *An dari possit Idololatria sine peccato?*

4 *Quæ, & Qualia fuerint Sacrificia olim Idolis oblata?*

Quò ad Primum. Advertere oportet, quòd Idololatria dupliciter accipitur, *Metaphoricè*, & *Propriè*. Primo modo omnis amor inordinatus 1
alicujus rei creatæ solet appellari Idololatria, sed per metaphoram; quatenus significatur aversio à vero Deo, & conversio ad creaturam, ut contingit in omni peccato. Hinc Apostolus scribens *ad Ephes. cap. 5. Vers. 5.* vocat avaritiam Idolorum servitutem; innuens avarum esse quodammodò Idolatram, sicut etiam illos, qui nimis amant semetipsos, ut ajebat *ad Philipp. cap. 3. Vers. 19 Quorum Deus venter est.* Propriè verò accipitur Idololatria, quatenus importat adorationem Idoli, & definitur, quòd sit *Honor divinus exhibitus creaturæ repræsentatæ per aliquam sensibilem formam, seu* 2
figuram, quæ dicitur Idolum. Ita Simanca *de Catholic. Instit. tit. 32. num. 2.* Vel alio modo potest definiri, quòd sit *Idololatria superstitiosa observantia, quæ cultum Creatori debitum in creaturam traducit.* Ita Mendezius *in Theologia Catechetica lib. 10. cap. 3. num. 2.* ubi observat, Idololatriam esse compositam à voce græca εἴδωλον, quod est simulacrum, & λατρεία, quod est servitus; quasi simulacrorum servitus; etsi enim omne peccatum contineat ignominiam servitutis; *A quo enim quis superatus est, hujus & servus efficitur*, ait Princeps Apostolorum *in Epist. 2 cap. 2. Vers. 19.* peculiari tamen ratione Idololatria dicitur servitus, juxta illud D. Pauli *ad Roman. cap. 1. Vers. 25. Coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs, quam Creatori.*

Multiplex autem est divisio Idololatriæ: nam, secundùm Theologos Morales, Una est *expressa*: alia *tacita*. Idololatria expressa est, cùm id, quod 3
Deus non est, apertè ut Deus colitur, vel cum errore intellectus, credendo Idolum esse Deum verum; ut faciebant idiotæ, & ignorantes inter populum paganum; vel absque errore intellectus; sed vel ex sola prava voluntate; qualis erat Philosophorum gentilium, de quibus ait Apostolus: *Qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Ad Roman. cap. 1. Vers. 21.* Vel ex sola urbanitate erga Principes, vel amicos, ut fecisse Senecam, & Ciceronem notat S. Augustinus *lib. 8. de Civit. Dei cap. 12.* & Lactant. *de Orig. error. cap. 3. Tacita* Idololatria est, quando quis facit pactum cum Dæmone sivè explicitum, sivè implicitum, de eo venerando tanquam domino; & hanc impietatem committunt Pythones, Magi, Strygæ, & alii, qui dant operam Necromantiæ, de quibus fusè idem Mendezius *in d. Theolog. Catechet. lib. 10. cap. 4.*

Secundùm verò Theologos Scholasticos; Idololatria triplex erat apud Ethnicos, & Paganos.

Una

4 Una *Physica*: qua adorabant Sydera, Planetas, atque Elementa, putantes ea esse Numina, Entia necessaria, & Intelligentias motrices, à quibus mundus gubernaretur; ideoque iisdem Sacrificia litabant. Ægyptii autem præter Sydera, Planetas, & Elementa, adorabant etiam animalia; quod exprobrasse Moysem Pharaoni testatur textus Sacer in *Exod. cap.* 8. *Vers.* 26. Altera erat Idololatria *Civilis*, per quam adorabant simulacra, & Idola à Sacerdotibus, & Pontificibus in templis erecta, in quibus Dæmones responsa dabant, & prodigia ostendebant. Tertia erat Idololatria *fabulosa*; quæ ut Deos colebat homines, quos Poetæ fabulabantur esse divinitatem assecutos, etsi fuissent sceleratissimi, quales erant Jupiter, Venus, Mercurius, Bacchus; & similes, de quibus ultra S. Thom *in* 2. 2. *q.* 94. *art.* 1. agit S. Augustinus *lib.* 6. *de Civit. Dei. cap.* 5 *lib.* 7. *cap.* 6. & 16. & *lib.* 8. *cap.* 23. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 11. *punct.* 2. Baldellus *tom.* 2. *lib.* 4. *disp.* 2 *num.* 2. Et novissimè Collegium Salm. *in Cursu Theologico tom.* 10. *De Incarnat. disp.* 37. *num.* 26.

Quò ad secundum. Circa Idololatriæ originem, & principium duæ sunt opiniones. Una vult, quòd
5 Idololatria incœperit ante diluvium, & probatur duplici augmento. Primum tale est. In libro Sapientiæ Idolorum inventio, & adoratio vocatur corruptio vitæ. *Initium fornicationis est exquisitio Idolorum, & adinventio illorum* (notetur) *corruptio vitæ est. Sap. cap.* 14. *vers.* 12. Sed ante diluvium provocata fuit Divina indignatio super homines ob corruptionem vitæ; ait enim textus Sacer in *Genes. cap.* 6. *vers.* 11. *Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam super terram.* Ergo ante diluvium homines sibi fabricaverunt Idola, & ea adorantes facti erant Idololatræ. Secundum argumentum tale est. Inflictio gravissimæ pœnæ supponit præcessisse gravissimam aliquam iniquitatem, *cap. Felicis.* §. *Illud autem, ubi Prov. ad Monach. num.* 12. *de Pœnis lib.* 6. Menochius *de Arbitr. Judic. lib.* 1. *q.* 90. *num.* 30. Sed diluvium universale fuit gravissima pœna, quæ non pepercit infantibus, pupillis, viduis, neque animalibus irrationalibus; Ergo dicendum est, eam à Divina Justitia inflictam fuisse ob aliquam maximam iniquitatem. Porrò talis est Idololatria, ùt probat S. Thom. 2. 2. *d. q.* 94. *art.* 3. est enim crimen læsæ Majestatis Divinæ, auferens Divinitatem Creatori, & illam transferens quantum in se est, creaturæ. Lessius *de Justit. & Jure lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 10. Igitur dicendum videtur ob Idololatriam venisse diluvium; & sic ante diluvium homines fuisse Idololatras. Hanc opinionem tenent Torniell. *ad annum Mundi* 236 *num.* 3. Granata *in Introduct. ad Symbolum Fidei part.* 12. *cap.* 12. *in princ.* Cassian. *collat.* 8. *cap.* 21. Serlogus *in Cantic. Vestigat.* 7. *Explanat. Mystica sect.* 1. *num.* 38. Tosius *de India Orientali Vol.* 1. *disc.* 7. *pag. mihi* 221. ubi concordantes allegat, & Athanasius Kircher *de Arca Noetica part.* 1. *cap.* 4. ubi ostendit ante diluvium inter cætera facinora fuisse in usu artes Magicas, & Idolorum cultum.

Altera opinio docet, Idololatriam inventam esse
6 tantummodò post diluvium; vel à Nino filio Nembrodi nepotis Chami, filii Noe nuncupati etiam Beli, de quo testatur Scriptura Sacra *in Gen. cap.* 10. *vers.* 8. *& seqq.* quòd regnaverit in Babylone; mortuo enim eodem Rege Nembrodo, seu Belo, Ninus ejus filius eum solemni pompa Apotheosi donavit, ac ipsi & Flamines, & Templum, & Statuam dedicavit; & hæc fuerunt Polytheismi initia, ùt mordicus defendit Salianus *in Annalib. ad annum Mundi* 250. *à num.* 8. *& seqq.* ubi plurimos allegat hujus opinionis assertores, quod etiam facit Serlogus *in Cantica d. Vestig.* 7. *num.* 39. & ex modernis idem docent Salelles *de S. Inquisitione lib.* 3. *cap.* 4. *Regula* 210. *num.* 22. Paul. Segneri *in Incredulo part.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. Forestus *in Mappamundo Histor. lib.* 1. *cap.* 2. Mendezius *in d. Theolog. Catechetica lib.* 10. *cap.* 3 *n.* 8. & Emin. Card. de Lauræa *de Incarnatione disp.* 29. *num.* 314. Quamvis non desint, qui originem Idololatriæ deducant à contemplatione Planetarum ac Syderum; cui Babylonii, atque Chaldæi vacabant; hi enim moti tum à pulchritudine Stellarum, Solis ac Lunæ, tum ab eorum motibus atque influxibus; Solem, Lunam, ac Stellas, & subinde elementa, & præcipuè ignem adorare tanquam Deos cœperunt; omnium autem primus fertur Zoroaster; ùt scribunt SS. Patres, quos cumulant Salian. *ad d. annum* 250. *in Scholiis num.* 11. *anno Mundi* 1694. *n* 10. notans à pluribus traditum esse, quod Zoroaster idem fuerit ac Nembrod.

In hac opinionum diversitate mihi dicendum videtur, Polytheismum à sequentibus motivis, tanquam è fontibus, & radicibus, paulò post diluvium, scaturisse. Primò ab inordinato amore erga aliquam
7 creaturam. Hinc Ninus Rex Assyriorum statuam Patris sui Nembrodi, aliàs Beli nuncupati, erexit, ùt mox dicebamus, ac consecravit ob nimium affectum erga ipsum, & tanquam Deum gentes illum adorare cœperunt, ùt scribit Eusebius *in princ. sui Chronic.* Sic Alexander Magnus deificavit Ephestionem amicum suum, quem maximopere diligebat, ùt ait S. Cyrill. *lib.* 6. *in Julian. tent.* 8. Et Adrianus reposuit in numero Deorum Antinoum dilectum suum, teste *Lampid in ejus vita.* Secundò, Idololatria processit apud multos ex adulatione. Ægyptii declamarunt Alexandrum Magnum esse Deum, illum adulantes. Idem fecerant Cretenses cum Jove. Arcades cum Mercurio. Indi cum Baccho; Senatusque Romanus in hoc genere ita fuit proclivus, ut non solùm Apotheosi insigniret Imperatores; sed etiam mulieres non boni nominis, inter quas Floram & Faustinam, ùt latè dixerunt Theodoretus *lib.* 3. *adverss. Græcos*, & Lactantius *lib.* 1. *Institut. cap.* 22. Tertiò, prorupit adoratio Idolorum ex motivo gratitudinis; hinc Triptolemus divinis honoribus affectus, quia docuit serere bladas. Bacchus, quia inventor vini. Sterculinus, quia docuit stercorare arva, ut notat S. Augustinus *lib.* 18. *de Civit. Dei. cap.* 15. Pari modo Deæ nominatæ fuerunt Virtutes ipsæ, ut Justitia, Concordia, Pax, cui Vespasianus templum Romæ erexit; ac etiam Sors, seu Fortuna, de quo ait Plinius *lib.* 2. *cap.* 7. *Adeò obnoxii sumus sorti, ut sors ipsa pro Dea sit.* Quartò, eadem Idolomania ortum habuit à timore, cujus intuitu gentiles adorabant tanquam Deas Eumenides, nempè furias Averni, nec non Febrim, Tonitrua, Ventos, Rubiginem, atque consimilia, de quibus S. Cyprian. *de Vanitate Idolor.* S. Cyrill. *Cateches.* 6. S. Clemens Alexandr. *lib.* 6. *Stromat. cap.* 1. & S. Augustinus *libr.* 4. *de Civit. Dei cap.* 21. Hinc etiam Ægyptii adorare cœperunt ranas, ut earum vexationem effugerent, quæ inducta fuerat à Moyse, Dei jussu, ùt tradit Salelles *de S. Inquisit. Officio lib.* 3. *cap.* 4. *Regul.* 201. *num.* 70. ubi duodecim sectas Idololatriæ notat, quas etiam Hebræi amplexati fuerunt. Quintò ab Interesse, & utilitate, cujus respectu tot & tanti Dei fabulosi reperti sunt apud Gentiles, quos Pennates, & Lares appellabant, Deosque tutelares, de quibus Arnobius *libro quarto*, ac etiam Cicero *libro*

secundo de Natur. Deor. ubi ait: *Itaque tum illud, quod erat à Deo natum, nomine ipsius Dei nuncupabant; ut cùm fruges Cererem appellamus; vinum autem Liberum, ex quo illud Terentii sinè Cerere, & Libero friget Venus.* Sextò tandem Idololatria erupit à voluptatibus; ut enim homines absque rubore possent voluptates suas, etiam turpissimas exercere, inter Deos numerarunt tum Viros, tum fœminas flagitiis celebres, quales fuerunt Venus & Cupido in luxuria; Mars in iracundia, atque vindicta, Mercurius in fraudibus, & furtis; Jupiter in adulteriis; Hercules in furore; & alii similes, de quibus doctè agit Theodor. *Orat.* 1. *ad Providen.*

Ex his colligere debemus, adeò crevisse malitiam hominum, eorumque tenebras, & ignorantiam post diluvium; ut veri & Altissimi Creatoris
8 Dei cultu derelicto, quilibet ad libitum sibi Deos adorandos proponeret, ac formaret, ut eruditè observat etiam Eminent. Card. de Nores *in Cœnotaphia Pisana Dissertat. 1. cap. 5. prope finem.* Cumque ab initio cœpissent adorare Solem, Lunam, atque Stellas, teste Origine contra Celsum, & Cicerone *lib. 2. de Legibus*; deinde elementa tanquam res Divinas venerati sunt, & præcipuè ignem, tanquam cæteris potentiorem, à quo reliqua consumebantur, & cujus erant Chaldæi devotissimi; tandem statuas hominum, etiam impiorum sibi confecerunt adorandas; Dæmone in ipsis frequenter residente, & respondente; de quibus ajebat Psaltes: *Omnes Dii gentium Dæmonia. Psalm. 95. vers. 3. Deuter cap. 32. vers. 17. Immolaverunt Dæmoniis, & non Deo, Diis, quos ignorabant.*

Quò ad Tertium. Gravissimum est Quæsitum
9 istud: *An dari possit Idololatria sinè peccato?* & pendet ab illa quæstione, quam agitant Scholastici, seu à qua Scholastici agitantur, *An detur Infidelitas, quæ non sit peccatum, ob ignorantiam invincibilem veræ fidei?* de qua Eminent. Card. de Lauræa *in 3. Sent. tom. 3. part. 2. de Fide, & Propagatione ejus, disp. 12.* Theodorus Gennari Episcop. Veglensis *in Præludio Symboli Apostolici, vers. An possit dari. pag. 9.* & novissimè Philippinus *de Privilegiis ignorantiæ tom. 1. cap. 6. Privileg. 1.* ubi DD. cumulat.

10 Pro resolutione dubii præmittendum est, quòd Infidelitas est Triplex. *Positiva, Privativa, & Negativa.* Prima est eorum infidelium, qui sortiti sunt sufficientem notitiam veræ fidei Christianæ, vel per lectionem scripturarum, vel per prædicationem, aut disputationem; & nihilominus obstinatè resistunt, & nolunt credere, prout faciunt Judæi, Pagani, Hæretici, Apostatæ, & alii infideles infidelitate Positiva. *Privativa* autem infidelitate detinentur illi, qui ad institutionem veræ fidei non resistunt, sed non condescendunt, & remanent dubii, quales fuerunt Athenienses, qui audita Divi Pauli Apostoli prædicatione, eidem dixerunt: *Audiemus te de hoc iterum. Act. cap. 17. vers. 32.* Supradicti omnes infideles positivæ, & privativæ infidelitatis sunt in statu damnationis, atque inexcusabiles à peccato, juxta illud: *Qui non credit, jam judicatus est. Joann. cap. 15. vers. 18.* Et illud: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo Joan. capit. 15. vers. 22.* Infidelitas *Negativa* est eorum, qui nati inter infideles nunquam audierunt Apostolicos viros, qui eos veram fidem Christianam docerent; neque eis fuit facultas vel dubitandi de eorum infidelitate, vel inquirendi veritatem; & de his quæritur, an talis ignorantia, dicta invincibilis circa veram fidem, excuset eos à peccato Idololatriæ; ita ut si in ea moriantur, absque commissione alicujus alterius peccati, effugiant ignem æternum?

Quatuor circa hanc quæstionem sunt opiniones. 11
Prima, quòd tales infideles, & idololatræ non effugiunt ignem æternum; tum quia *sinè fide impossibile est placere Deo. Hebr. cap. 11. vers. 6.* Et qui ignorat, ignorabitur. 1. *Cor. capit. 14. vers. 38.* tum quia videntur inexcusabiles: eò quod solo lumine naturali homines possunt cognoscere, unum solum Deum esse, Creatorem, ac Gubernatorem omnium; & de existentia unius solius veri Dei dari non potest ignorantia invincibilis, ùt probant Theologi, quos allegat Carena *de Offic. Sanct. Inquisit. in Anteludio num. 2. & 3.* Hinc Paganos, atque Ethnicos esse Dei inimicos dixit Psaltes *in Psalm. 78. vers. 6.* ibi: *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* Et de illis fertur hæc gravissima sententia D. Augustini *in libr. de Gratia, & liber arb. capit. 3.* Videlicet: *Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt* (ut sunt Judæi) *sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat; si propterea non credidit, quia non audivit omninò, quod crederet, sed fortassis ut minus ardeat.* Et hujus opinionis Auctores refert, ac talia argumenta adducit Comitolus *in Respons. Moral. lib. 5. quæst. prima.*

Secunda opinio tenet, non dari in facto ignorantiam invincibilem in Idololatria, seu infidelitate negativa, quia *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, ut ait Apostolus *in Epist. 1.* 12
ad Timoth. cap. 2. vers. 4. idcircò dat omnibus infidelibus gratiam sufficientem ad salutem, illos excitando aut externis, aut internis illuminationibus, & motionibus, ut inquirant loca, in quibus vera fides prædicatur, & hoc ex professo disputando probat Eminentissimus Cardinalis de Lauræa *d. disp. 12. art. 4. per totum.* Et in suis ultimis Opusculis *de Gratia Actuali Opusc. 3. cap. 19. à num. 443. & seqq.* nec non Gonet. *tom. 1. disp. 1. art. 3.*

Tertia opinio concedit, quòd detur hæc ignorantia invincibilis, & infidelitas omninò negativa, qualis supponi potest in Mexicanis, & Americanis Terræ 13
Australis, in qua forsan non pervenit prædicatio Catholicæ fidei; sed in hoc casu supponit, quòd hujusmodi Idololatræ alia plura peccata commiserunt contra legem naturæ; & ideo non effugiunt ignem sempiternum; siquidem: *Quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*, ait Apostolus *ad Roman. cap. 2. vers. 11.* & hoc docet S. Thom. *2. 2. quæst. 10. art. 3. Et Episc. Veglen. d. Prælud. in Symb. Apostol. pag. 9.*

Quarta opinio tenet, quòd si prædicti Idololatræ innocentem vitam duxerunt, & à quocunque alio peccato abstinuerunt, & hi si sic moriantur, 14
non incurrunt damnationem æternam in igne infernali ob peccatum Idololatriæ, eos excusante ignorantia invincibili; sed ob culpam originalem sunt passuri in Limbo tantummodò pœnam damni, sicut infantes carentes baptismo, & hoc defendit Macedo *in libr. de Clavib. Petri libr. 3. de Fide dogmat. capit. 3.* & docuit Coninch *de Moralitate Actuum Supernatur. disp. 14. dub. 11. sub num. 227. vers. ad Tertium.* Et novissimè astruunt Philippin. *d. tom. 1. de Privileg. Ignorantiæ cap. 3. Privileg. 2. num. 65.* & antedictus Gennari *Episc. Veglen. ubi supra pag. 11. col. 2. vers. secundò dico* Qui addunt, quòd si iidem Idololatræ aliquas veniales culpas commisissent,

sent, ultra pœnam damni, & carentiam visionis Dei, aliquam pœnam sensus, sed levem essent passuri.

Porrò supposita invincibili ignorantia, & totali vitæ innocentia in prædictis Infidelibus, atque Idolatris, verior est opinio Eminent. Card. de Lauræa, quòd Deus non permitteret eos mori in infidelitate; siquidem vel per efficaces illuminationes, de quibus supra, vel per miraculosam notificationem veritatis eos ad fidem veram vocaret ex absoluta sua potentia; dat enim semper auxilia sufficientia ad salutem unicuique facienti, quod in se est; quod fusè prosequitur idem Emin. Card. de Lauræa tum *in tractat. de Incarnat. disput. 20. art. 50. per totum*, tum *de Fide, & Propagat. ejus d. disput. 12. art. 4.* ubi *num.* 86. advertit, hanc propositionem: *Infidelitas negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*, fuisse damnatam *à S. Pio V. & à Gregorio XIII.* cum aliis hæretici *Baii*, cujus illa erat *la* 64. Et insuper respondet, ad supradictam auctoritatem Sancti Augustini, ostendens, locutum fuisse Sanctum Doctorem non de ignorantia omninò invincibili; sed aliquo modo culpabili, in illis scilicet infidelibus, qui notitiam aliquam habuerunt de Fide Christi, & ex negligentia non curarunt inquirere de veritate, & eam credere. Quare hæc est dubii proposiți resolutio, vel non dari ignorantiam invincibilem in facto, cùm jam in toto mundo divulgatum sit Evangelium, ac Fides Christi, & quatenus daretur aliqua pars terræ incognitæ, ad quam nulla fidei Christianæ notitia pervenisset, & ibi infideles Idololatræ viverent absque ullo alio peccato, hi non permitterentur mori in infidelitate, sed miraculosè vocarentur à Deo ad agnitionem veritatis; at si de facto morerentur, ignem sempiternum effugerent, & solam pœnam damni in Limbo adinstar puerorum non baptizatorum subirent. 15 16

Comprobari autem potest sperata conversio etiam per viam miraculosam Polytheorum innocentem vitam ducentium, si invincibili ignorantia excusentur, sequentibus exemplis. I. Conversione mirabili Divi Pauli Apostoli, cui eunti Damascum de cœlo apparuit Dominus dicens: *Saule, Saule, quid me persequeris? Act. cap. 9. vers.* II. Illuminatione Eunuchi Candacis Reginæ Æthyopum, cui Philippus Diaconus ductus ab Angelo evangelizavit Christum, & baptismum dedit, ut habetur *in eod. libr. Actor. cap. 8. vers. 26.* III. Monitione facta per Angelum Cornelio Centurioni, ut mitteret viros in Joppen ad Divum Petrum, à quo instructus, & baptizatus fuit, IV. Vocatione S. Eustachii nobilis Romani ad fidem, qui dum in venatione *fugientem miræ magnitudinis Cervum insequeretur, vidit repentè inter consistentis feræ cornua excelsam, atque fulgentem Christi Domini è Cruce pendentis Imaginem, cujus voce ad immortalis vitæ prædam invitatus, una cum uxore Theopista, ac duobus parvulis filiis, Agapito, & Theopisto Christianæ militiæ nomen dedit*, ut in Breviario Romano *die 20. Septembris*, V. Consimili apparitione, qua vocatus fuit ad Fidem Catholicam Ubertus filius Bertrandi Ducis Aquitaniæ, cùm adhuc esset Paganus, & Idololatra, tempore Regis Pipini, ut narrat Lippelous *in vitis Sanctorum die 3. Novembr.* VI. Monitione per Deiparam facta genitoribus sancti Angeli Carmelitæ Martyris, ut irent ad Ecclesiam Cathedralem, (erant enim Judæi) & audirent in ea Patriarcham Jerusalem, à quo in fide instructi baptizati sunt, ut legitur *in Vita ejusdem sancti Angeli, auctore F. Doct. Clericati Tom. I. Liber III. Alberto Angelini impressa Venetiis 1662.* VII. Cœlesti vocatione tum S. Ephisii Martyris ad instar Saulis, dum Idololatra mitteretur à Diocletiano, Antiochia Romam, ad fovendam persecutionem Christianorum: tum Sancti Menigni pariter Martyris, qui erat Idololatra tempore Decii Imperatoris: uterque enim cœlitus ad amplectendam Christianam Religionem vocatus, Polytheismum abjuravit, ut in eorum Vitis *die 15. Januarii, & die 15. Martii* narrat Hieronym. à Basilica Petri *Sacerdos Congregationis Oratorii Neapolis in Ephemeridibus Sacris*; id est Vitis Sanctorum extravagantium è Bollando desumptis. VIII. Conversionibus ferè miraculosis centum viginti tribus Paganorum, Judæorum, atque Turcarum ad Catholicam Fidem, quas narrat idem Hieronymus à Basilica Petri *in quatuor libris Metamorphoseon Sacrarum* quas legere Parochos valdè juvaret pro instruendis plebibus tum in fide, tum in moribus; ex quibus deprehendere licet, Divinam Pietatem exuberasse omni tempore in illuminandis, & excitandis infidelibus ad cognitionem veritatis & ad veram fidem amplectendam: & consimiles mirabiles conversiones refert, in inferiori Ethyopia sequutas, P. Cavatius de Montecucolo Capuccinus *in Historia trium Regnorum Congi, Matambæ, seu Benguelæ, atque Angolæ*, impressa Bononiæ, Italico Sermone Anno 1687. 17 18

Et ex his duo notanda veniunt. *Unum*, quòd sicut à duobus hinc sæculis manifestata est affluenter Fides Christiana per Apostolicos viros infidelibus, ut testantur Historiæ, sic ante, & post diluvium, atque subsequentibus sæculis nunquam defuerunt homines Sancti, qui commonefacerent Idololatras, ut falsis Idolis derelictis verum Deum adorarent; prout disserit Eminentissimus Card. de Lauræa *d. Opusculo tertio de Gratia cap. 19. à num. 443. & seqq.* ubi discurrit per omnes ætates & per quascunque nationes. *Alterum* quòd nunc absque hæsitatione asseverare possumus, sufficientem notitiam de Christiana Religione haberi in qualibet parte Orbis terrarum; quia, esto quod Prædicatores Apostolici adhuc ingredi non potuerint aliquam Provinciam Idololatrum; nihilominus ex vicinitate locorum, in quibus Evangelium Christi promulgatum est, & ex commercio eorum, qui ejusdem Fidei Christianæ prædicationem audiverunt, nullus infidelium reperiri potest, qui saltem dubitare non possit de falsitate Idolorum, & non teneatur indagare veritatem fidei pro salvanda anima sua, ut concludit idem Eminentissimus Cardinalis de Lauræa *d. Opusc. num.* 448. Et latiùs *de Fidei Propagatione disp. 17. art. 8. §. 2. à num. 516.* usque ad *num.* 540. ubi ponit Catalogum omnium Religiosorum, quos Sedes Apostolica indesinenter mittit in universum mundum ad prædicandam Christianam Religionem Paganis, Turcis, Judæis, Hæreticis, atque Schismaticis. 19 20

Quò ad Quartum. Tandem si quærimus, *Quæ, & qualia fuerint Sacrificia olim Idolis facta?* Ea depromere licet è Romana Republica, quæ *cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus*, teste S. Leone Papa *serm. 1. de Natal. Apost.* & hæres facta omnium antiquorum Idololatrarum, eorundem sacrificiorum ritus omnes custodiebat, & observabat. Igitur apud Romanos Sacrificia alia erant publica, quæ pro toto populo fiebant vel ludis, & spectaculis diversorum generum, vel epulis, & conviviis in Templis Deorum, vel de die, aut de nocte, de quibus agunt Tho- 21 22

Iosan. *Syntagm. Jur. part.* 2. *lib.* 16. *num.* 5. Manuus *in Select. Histor. cap.* 19. Forestus *in Mappamundo tom.* 2. *lib.* 15. *cap.* 9. §. 2. & eruditè Eminent. Card. Noris *in Cænotaph. Pisan. dissert.* 3. *cap.* 6 Alia verò erant privata, & gentilitia, quæ pro singularibus personis ac familiis litabantur à Pontificibus, & Sacerdotibus, quorum ingens erat numerus, & tituli 23 varii, alii enim (ut innuimus supra *in Decis. VII. num.* 16.) dicebantur *Luperti*, alii *Augures*, alii *Aruspices*, alii *Flamines*, alii *Vestales*, de quibus idem Forestus *in cit. lib.* 15. *cap.* 9. §. 3. *& seqq.* Tantaque erat sollicitudo apud eosdem gentiles de honorandis Idolis per Sacrificia, ut non omiserint instituere Jura patronata, videlicet Sacerdotia habentia 24 annuos redditus pro suis sacrificulis ad electionem hæredum, & eorum, qui erant de familia fundatoris, de quibus meminit *Cicero de Aruspicum Responsis*, & notam facit eruditissimus Jacobus Pignatellus *tom.* 9. *cons.* 82. *num.* 147. ubi exemplum Michæ, de quo *in lib. Judic. cap.* 17. *&* 18.

Cæterùm ne sub tanta generalitate nobis remaneant ignota Infidelium sacrificia, dicendum est illorum alia fuisse *Profana*, alia *Impia*, alia *Horrenda*. Sacrificia *Profana* erant, quæ immolatione 25 bestiarum Idolis ac Diis offerebantur. Variæ autem, & multiplices erant hujusmodi Victimæ secundùm varietatem Deorum; siquidem Ethnici litabant Proserpinæ extra canum, Dianæ cervas, 26 Soli equos, Inacho anseres, Nocti Deæ gallos, Bacho capros, Cereri porcas, & Priapo asinos; de quibus omnibus Ovidius 1. *Fastor.* sic cecinit:

Exta canum Triviæ vidi libare Sabæos;
Quæ semel est triplici pro Virgine cæsa Dianæ,
Nunc quoque pro nulla Virgine Cerva cadit.
Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri Victima tarda Deo.
Nec defensa juvant Capitolia, quo minus Anser
Det jecur in lances Inachi lauta tuas.
Nocte Deæ Noctis cristatus cæditur ales,
Quod tepidum vigili provocat ore diem.
Rode Caper vitem; tamen hæc cùm sæpius ara,
In tua quæ spargis cornua pestis erit.
Prima Ceres avidæ gavisa est sanguine Porcæ.
Cæditur & rigido custodi ruris Asellus.

Sed præter has victimas aliæ plurimæ immolabantur Idolis, juxta eorundem ritum & cultum, de quibus differit Cicero *de Natur. Deorum lib.* 3. & S. Augustinus *de Civitat. Dei lib.* 6. *cap.* 7. *& seqq.* & quas cumulat Franciscus Serra *in Synonimor. Apparatu. Verb. Sacrificia Veterum.* ubi doctè advertit, quòd 27 præter sacrificia animalium, offerebantur etiam Idolis Immolationes, & libamina farinæ, vini, olei, incensi, ac aliarum rerum, quas recensèt Forestus in *Mappamundo cit. lib.* 15. *cap.* 9. §. 2. omissis, honestatis causa, aliis sacrificiis immundis, & inhonestis, de quibus *Juvenalis Satyr* 6. Theodoretus *libr.* 2. *&* 7. *contra Græcos.* Ponticellus *in Deuteron. cap.* 7. *Reflex.* 330. & Ludovicus Granata *Introduct. ad Symbolum Fidei part.* 4. *tract.* 1. *cap.* 10.

Sacrificia *impia* illa erant, in quibus Ethnici, ac Pagani immolabant Idolis suis victimas humanas, ut 28 testatur Porphyrius *De antiqua hominum immolandorum consuetudine* relatus à Saliano *sub anno Mundi* 3139. *num.* 78. *Schol.* 5. Hinc Tarquinienses trecentos, & septem captivos Romanos Idolis suis litarunt. Salianus *anno Mundi* 3696. *num.* 5. Xerses Rex Persarum novem pueros, totidemque Virgines in sacrificium obtulit, & ejus Uxor Amestris quatuordecim illustrium Persarum liberos in gratiarum actionem sacrificavit. Idem Salianus *anno* 3574. *num.* 5. Arelatenses quoque immolabant annuatim tres pueros. Bouquin, *in Solis Aquinat. Splendor. lib.* 2. *text.* 10. *num,* 170. Et non solùm Deis homines litabant, sed etiam proprios filios, tum ad impetrandam veniam ab Idolis in publicis calamitatibus, tum ad sibi benevolum reddendum Saturnum, & hanc impietatem exercebant annuatim Rhodii, & Phœnices, Cimbri, Galli, Druidæ, Germani, Carthaginenses, atque Æthyopes, ut videre est apud Plinium *lib.* 30. *cap.* 1. Solinum *cap.* 33. Lactantium *lib.* 1. *cap.* 25. & Tirinum *Comment. in Sapient. cap.* 12. *vers.* 5. *& cap.* 14. *vers.* 23. Et quod magis est, etiam Israelitæ, atque Romani ab his impiis Liturgiis non abstinuerunt; nam de istis intellexit Prudentius *lib.* 2. *adverss. Simmachum,* 29 dicens:

Cædibus Infantum sument Saturnia Sacra;
Flebilibusque truces resonent vagitibus aræ,

Nec non Silus Italicus Punicor. *libr.* 4. *ad finem.*

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido.
Poscere cæde Deos veniam, ac flagrantibus aris,
Infandum dictu! parvos imponere natos.

Romanorum quoque exempla referunt Orosius, Zonaras, & Livius apud Salianum, *anno Mundi* 3828. *num.* 4.

De illis autem, scilicet Israelitis, locutus est David *in Psalm.* 105. *vers.* 37. dicens: *Immolaverunt filios suos, & filias suas Dæmoniis. Et effuderunt sanguinem* 30 *innocentem; sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* Illud autem sculptile erat Idolum Molochum, statua nempè ænea, intus concava, referens figuram Regis in throno sedentis, de quo sic ait Torniell. *ad annum Mundi* 3406. *num.* 2. (& nos innuimus suprà *in Decis. VI. num.* 31.) *erat autem ritus immolandi huic Idolo puerulos talis. Ignem in simulacri concavitate supponentes accendebant, & ubi æs urendi vim jam benè contraxisset, tum impiissimi parentes, incredibili crudelitate, proprios filios, aut filias, charissima pignora, detestandis hisce Idoli complexibus concremanda tradebant.*

Abhorruit tandem Senatus Romanus tantum sce- 31 lus, ut scribit Alex. ab Alex. *lib.* 6. *Dierum Genial. cap.* 26. Et ponit in annalibus suis Salianus *anno Mundi* 3957. *num.* 6. & subindè tantam impietatem detestati Romani Imperatoris statuerunt pœnam mortis contra quoscunque sacrificantes Victimas humanas sub eorum Imperio. *l. Si quis* 8. *Cod. ad leg. Cornel. de Sicariis cap. Si quis* 11. *de Pœnitent. dist.* 1. Si inimicus humani generis non omisit inhumana hæc Sacrificia sibi procurare extra Romanum Imperium, in Indiis præcipuè Orientalibus, & Occidentalibus, juxta relationem, & attestationem sequentium Historiarum, ac Auctorum, quorum verba hic non me piget transcribere.

Ludovicus Granata *in d. part.* 4. *Introduct. ad Sym-* 32 *bol. fidei tract.* 1. *cap.* 10. ita scribit: *Nella Città di Heliopoli, che era in Egitto, sacrificavansi ciascun giorno trè Huomini. Così anco i Lacedemoni sacrificavano un' Huomo al Dio Marte; e l' istesso facevano in Laodicea, & in Cartagine.* Et paulò pòst: *Insino al dì d' hoggi nelle Indie Orientali sacrificavansi huomini à malvagi Dei, e nelle Occidentali, avanti, che vi giungesse la luce del Vangelo, si usava questa medesima beccaria.*

Joannes Boterus *in relatione Universi. Mundi part.* 4. *libr.* 1. *tit. de Sacrificiis*, confirmat supradictas impias

immo-

immolationes hominum, ita scribens: *Nel Perù sacrificavano fanciulli di quattro fino à dieci anni; e ciò massime per la prosperità dell' Inga nelle impresse di guerra. Nel giorno della sua Incoronatione il numero de fanciulli sacrificati arrivava à ducento.* Et infra: *Mà passava ogni segno la beccaria de Missicani, primieramente non si sacrificavano, se non huomini presi in guerra.*

Clemens Totius Abbas Sylvestrinus *in descriptione Geographica, & Historica Indiæ Orientalis Volum. 2. Discurs. 12. in princ.* sic loquitur: *Nel Regno Peruano riferisce l' Acosta nel libro quinto dell' Historie dell' Indie al cap. 15. che v'era con grandi spese fabricato un Monasterio, ò più tosto un serraglio capacissimo per l' ampiezza del suo recinto, dove si faceva conserva di Vergini, che di tempo in tempo erano da quegl' empii Ministri sacrificate à loro falsi Numi.* Et infrà: *Nel Messico Città Regia, e capo di quella parte, che oggi nuova Spagna si appella, era spaventevole la Carnesicina, che vi si faceva delle Vittime humane, sacrificate à quegl' empli simulacri. Osserva il Torquemada nel tom. 4. de Monarchia Indorum lib. 4. in Prologo fol. 374. che nell' Anno 1486. in cui natque Ferdinando Cortese, con l' occasione d' una festa, ne furono sacrificati ottantamile.* Et paulò inferiùs: *Il Bozio libr. 7. de Signis Ecclesiæ cap. 4. in fine, e nel libr. 12. cap. 21. favellando della detta Città del Messico scrive, che per uso già introdotto per molto tempo, visi sacrificavano da settanta mille huomini in circa per ciascun' Anno; ricevendo quei miserelli maggiore strage da Ministri dentro de Templii, che da gl' inimici nelle guerre campali.*

P. Vincentius Maria à S. Catharina de Senis, Missionarius Apostolicus, & Carmelita discalceatus *in suis Itineribus ad Indias Orient. lib. 3. cap. 25. de Sacrificiis Indorum* hæc inter cætera refert: *Per cancellare i peccati vi aggiongono il sangue di qualche animale; e quando il sangue sit humano, suppongono, che riesca più grato: percio li Prencipi, ed altri che hanno libera potestà, e giurisdizione, per offerirlo sicuro, e con minor discapito proprio, mandano talvolta, massimamente, nel Novilunio, e Plenilunio, ad incendiare di notte qualche casuppolo de' suoi vassalli, quando sono sopiti nel sonno, abbruggiando le famiglie intiere per sodisfare è questa osservanza.*

P. Joannes Antonius Cavatius supra cit. Missionarius Apostolicus, & Capuccinus *in Æthyopia l. 5. num. 111.* referens Lusitanorum bella contra Zingham Reginam Matambæ Æthyopissam, subdit de illa, quòd ad implorandam opem ab Idolis, ut effugeret à Lusitano exercitu: *mediante il Sacrificio di quattordeci Donzelle de sua Corte, ringratiato lo Spirito, e varcante nel bujo della notte, per la parte meno guardata l' acque del fiume, ricovrandosi nella Provincia di Oavo delusè il disegno de nemici.* Et successivè *in libr. 6. num. 32.* cùm jam mortua esset prædicta Zingha Regina, narrat immolatas fuisse plures Virgines, & alias humanas victimas ad ejus sepulchrum: idemque confirmat P. Dionysius Carolus Placentinus, Missionarius, & ipse Capuccinus in Regnis Æthyopiæ *in suis Relationibus libr. 1. cap. 9. in fine*; præter alios Historicos, qui brevitatis causa omittuntur.

33 *Horrenda* demùm *Sacrificia* sunt illa, quæ fiebant à Lamiis, Strigibus, & aliis perversis hominibus, adorantibus Dæmonem in specie visibili; & ei victimas immolantes, de quibus Gaspar Schottus *in Physica curiosa lib. 1. cap. 23. §. 6.* ita narrat: *Ad illum* (nempè Dæmonem) *accedunt adorandi gratia, non eodem modo omnes, & semper; sed interdum complicatis genibus supplices, interdum obverso tergo stantes; interdum cruribus etiam in altum jactis; nec capite in anteriorem partem prono, sed resupinato; adeo ut mentum ad cœlum feratur. Tum candelis piceis oblatis, vel umbilico infantuli* (ecce Sacrificium) *ad signum homagii eum in podice osculantur.* Alia enormissima narrat, quæ calamus præ horrore transcribere detrectat, & quæ leguntur etiam apud Comitolum *in Respons. Moral. lib. 4. q. 7.* & apud Guaccium *in Compendio Maleficarum libr. 1. cap. 13.*

Ex quibus omnibus colligere debemus duo corollaria. *Unum*, quòd Sacrificans Dæmoni, vel Idolis, 34
si sit baptizatus, dicitur Apostata à fide, ùt docet S. Thom. 2. 2. q. 12. art. 1. Decian. *tract. Crimin. lib. 5. cap. 72. num.* 3. & Ricciulus *de Jure Personar. lib. 6. cap. 2. num.* 3. Ideoque contra tales procedit Sancta Inquisitio sicut contra hæreticos. *cap. Contra. De Hæretic. in* 35
6. Menochius *de Arbitr. Judic. casu* 557. *num.* 6. Pœnæ autem contra Apostatas à fide sunt Excommunicatio, Infamia, Irregularitas, privatio omnium bonorum, & aliæ statutæ contra hæreticos, de quibus Sanchez *in Decalog. cap. 7. num.* 18. & Thesaur. *de Pœnis part. 2. verb. Apostasia à fide cap. 1.* Alterum est, non esse licitum sacrificare Idolis fictè, retinendo scilicet in corde veram fidem; talis enim 36
ficta immolatio est ejusdem fidei exterior negatio; quam commiserunt in primitiva Ecclesia Christiani illi, qui timore tormentorum, vel pœnarum ab Imperatoribus Paganis indictarum contra non sacrificantes Idolis, fingebant sacrificare; vel emebant à Judicibus libellum, in quo scriptum erat, eos sacrificare: vel emebant à Judicibus libellum, in quo scriptum erat, eos sacrificasse; unde cœperunt appellari 37
Christiani Libellatici, contra quos invehit S. Cyprianus Martyr *Epist. 52.* committebant namque grave facinus, ut ostendit Mendezius *in d. Theol. Catechetica lib. 10. cap. 3. num. 5.*

Hinc cùm in præsenti sæculo nonnulli Missionarii Apostolici in Indiis Orientalibus docerent, ibidem esse licitum Mandarinis Christianis, qui sunt publici Rectores, ac Gubernatores Urbium, offerre Sacrificia Idolis, tenendo occultè Crucem in manu, & 38
dirigendo intentionem ad illam, ne causetur tumultus in populis, & ne ipsi Mandarini, aliique Litterati baptizati cogantur apostatare à fide: *Sacra Congregatio de Propaganda Fide Romæ die 12. Septembris* 1645. prædictam doctrinam damnavit, & declaravit, nullatenus præmissa fieri licere; quia sunt contra præceptum confessionis Fidei; prout ex decretis ipsius Sacræ Congregationis ad diversos casus circa prædictam fictam Sacrificationem resultat, quæ per extensum leguntur apud Hurtadum *tom. 1. resol. moral. tract. 5. cap. 5. resol. 40.* & apud Collegium Salmanticen. *tom. 7. in tractatu Dei Fidei Confessione disp. 7. à num. 58. & seqq.* ubi affirmat, Decreta ipsa fuisse confirmata ab Innocentio Papa Decimo tunc regnante. Idcircò, si quis accederet ad Confessionem; & in foro secreto se accusaret, sacrificasse ficte Dæmoni, vel Idolis, retinendo in corde suo 39
veram fidem, non esse absolvendum, sed remittendum ad Sanctum Officium Inquisitionis, ut ibi priùs abjuret; docet contra Dianam Thesaurus *de Pœnis d. part. 2. verb. Apostasia à fide cap. 1.* Et hæc satis sint de Sacrificiis Ethnicorum, & Paganorum, Idolis cultum Divinum ex ignorantia, seu malitia exhibentium.

DECISIO XXII.

ARGUMENTUM.

De Clero in Lege Moysis. Cur Deus elegerit pro rebus Sacris potiùs Levitas, de Tribu Levi, quàm Rubenitas, de Tribu Ruben primogeniti Jacobi? De divisione Cleri Levitici; & primùm de Summo Pontifice Aarone; ejusque descendentibus. An Moyses quoque fuerit Sacerdos, & Pontifex? Quibus Cæremoniis, & Ritibus Aaron sit consecratus? Quo Oleo Sancto unctus? Quibus vestibus indutus? Quæ officia, & quæ prærogativæ Summi Pontificis? Quomodo tempore Christi essent plures Summi Pontifices; & præcipuè Annas, & Caiphas? Quæ eorum Potestas judiciaria? Catalogus omnium Pontificum Hebræorum.

SUMMARIUM.

1 *Clerus in lege Moysis qualis esset?*
2 *Hebræus populus totus erat servitio Dei mancipatus.*
3 Meum *est dictio denotans dominium.*
4 *Levitæ, id est descendentes à Levi fuerunt specialiter electi à Deo pro servitio Tabernaculi, & Templi.*
5 *Levitæ quare electi à Deo pro Sacerdotio, non autem Rubenitæ?*
6 *Levitis datum ministerium Tabernaculi ob tres causas.*
7 *Ruben perdidit Sacerdotium, ac Principatum ob incestum commissum cum Bala Uxore Patris sui.*
8 *Incestuosi sunt infames, irregulares, ac deponendi.*
9 *Levitarum ordines alii majores, alii minores.*
10 *Pontificatus Dignitas suprema Cleri Mosayci collata Aaroni jussu Dei.*
11 *Primogeniti de stirpe Aaronis jus habebant ad Summum Pontificatum.*
12 *Moyses fuit Summus Pontifex, & Sacerdos una cum Aarone fratre suo; figuravitque Christum; Aaron verò fuit figura Petri, & Romanorum Pontificum.*
13 *Ritus & Cæremoniæ, quibus Aaron fuit consecratus in Summum Pontificem.*
14 *Oleum Sanctum, quo fuit consecratus Aaron, cur dicebatur Unguentum, & qualiter compositum?*
15 *Vestimenta Aaronis Summi Pontificis decem, & quæ?*
16 *Pontifex Romanus loco Ephod utitur* Fanone, *& quid sit* Fanon?
17 *Officia Summi Pontificis Hebræorum quinque. Et quæ?*
18 *Senedrim Concilium convocabatur à Summo Pontifice pro judicandis causis Religionis.*
19 *Summus Pontifex Hebræorum non plorabat mortuos, neque ducebat uxorem, nisi Virginem, & nobilem.*
20 *Prærogativæ octo Summorum Pontificum Hebræorum, quarum una, quod ipse solus ingrediebatur in Sancta Sanctorum.*
21 *Pontifices Hebraici, an tenerent illam dignitatem tota eorum vita durante?*
22 *Anna, & Caiphas quomodo essent simul Summi Pontifices?*
23 *Pontificatus Hebræorum factus erat venalis Tempore Herodis, ac Præsidum Romanorum.*
24 *Sacerdotes Hebræi tempore David divisi fuerunt in vigintiquatuor Vices, sive Classes.*
25 *Principes Sacerdotum quinam essent?*
26 *S. Zacharias pater S. Joannis Baptistæ erat Sacerdos de Vice, id est de classe, & familia Abia.*
27 *Sacerdotes unius Vicis, qua hebdomada serviebant in Templo, sorte dividebant sibi ministeria sacra.*
28 *Pontifici Hebræorum dabatur Coadjutor ante festum* Kepur, *& dicebatur Pontifex anni illius.*
29 *Annas Summus Pontifex anno post Resurrectionem CHRISTI.*
30 *Pontifices Hebraici non poterant damnare aliquem ad mortem tempore Herodis, ac Præsidum Romanorum.*
31 *Catalogus omnium Pontificum Hebræorum.*

EXplicatis hucusque Sacrificiis Deo oblatis, dum sola lex naturalis vigebat, & Sacerdotum præcipuorum illius temporis summaria notitia data; unà cum Idolorum Sacrificulis, ac immolationibus; superest, ut verba faciamus de Liturgiis, atque Sacerdotibus legis Mosaycæ, antequam descendamus ad specialem tractatum Sacrosancti, ac incruenti Missæ Sacrificii, in lege gratiæ à JESU CHRISTO DEI FILIO instituti, cujus explanatio præsentium Decisionum objectum concernit. Porrò, antequam varietatem, ritus, ac mysteria Sacrificiorum Mosaycæ legis aggrediamur, necesse est, summatim Lectorem docere, & instruere; qualisnam esset Clerus in lege Moysis? quivè Ministri Deo consecrati, ut ei litare, Sacrificiaque, & libamina ritè, ac rectè possent offerre? Nec non quæ Sectæ religiosæ institutæ, & Divino cultui dicatæ? 1

Sciendum est igitur, quòd licèt totus populus Hebræus, & Israeliticus, descendens ab Abrahamo, 2
Isaaco, Jacobo, ac cæteris eorum posteris, esset specialiter servitio Dei altissimi, ac ejus cultui mancipatus; etenim quilibet eorum circumcisione obsignabatur, tanquam signo distinctivo, quo populus ipse denotaretur à Deo electus, & servituti suæ appositus, ut diximus supra *Decis XVII. num.* 35. & hac de causa Moyses. & Aaron dixerint Pharaoni: *Hæc dicit Dominus Deus Israel, dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto. Exod. cap.* 5. *vers.* 1. ly autem *Meum* denotat dominium, & dicitur id, quod ex re nostra provenit, & est propriè nostrum: Menoch. *consil.* 106. *num.* 182. *& consil.* 456. *num.* 6. Rota coram Durano *Decis.* 82. *num.* 4. Et licèt Dominus voluerit esse sibi consecratos omnes Primogenitos tam de hominibus, quàm de jumentis, ut legitur in *Exod. cap.* 13. *vers.* 12. Nihilominus voluit Deus ex eodem Israelitico populo seligere sibi speciales Ministros, qui consecrati possent primùm Tabernaculo, deindeTemplo deservire, victimas mactando, & Divinum Cultum præcipuè Sacrificiis exercendo, & hi fuerunt Levitæ; scilicet descendentes à Le- 4
vi, tertio filio Patriarchæ Jacobi; & de ejusdem Levi Tribu generati, juxta id, quod legitur *in lib. Numeri c.* 3.

vers.

vers. 5. videlicet : *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: applica Tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, ut ministrent ei, & excubent, & observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram Tabernaculo testimonii: & custodiant vasa Tabernaculi, servientes in ministerio ejus. Et vers.* 10. subdit: *Aaron autem, & filios ejus constitues super cultum Sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.*

Hîc autem non spernenda oritur dubitatio; nam diximus supra *Decis. XIX. num.* 11. quòd inter cætera
5 Primogenitorum privilegia præcipuum erat Sacerdotium ; inter filios autem Patriarchæ Jacobi primogenitus fuit Ruben, ut legitur *in Genes. cap.* 29. *num.* 32. Igitur qua de causa Deus non firmavit Sacerdotium in Tribu Ruben; & in descendentibus ab eo, & non elegit Rubenitas ad servitium Tabernaculi, atque Templi; sed hæc jura Sacerdotalia transtulit ad Levitas, descendentes à Levi, tertio fratre ejusdem Ruben ?

Respondetur id factum esse ob tres causas. Primò
6 ob Zelum, quo Tribus Levitica ulta est injuriam Dei, occidendo Idololatras vituli aurei, ut legitur in *Exod. cap.* 32. *vers.* 26. *&* 29. Secundò, quia Tribus Levitica erat cæteris minor; ideoque facilius ali poterat à populo, nam ipsa non possidebat campos, & erat expers omnis hæreditatis. Tertiò, quia Ruben reus fuit carnalis peccati, & quidem scandalosi, nempe incestus; nam *dormivit cum Bala concubina Patri sui, quod illum minimè latuit*, ut ait Scriptura *Genes. cap.* 35. *vers.* 22. & ideo ob tantum facinus perdidit potiora jura Primogenituræ suæ; siquidem Jus Regni, & primatus inter fratres translatum est
7 in Judam; de cujus Tribu CHRISTUS DOMINUS voluit carnem sumere, ut probavimus *Decis. VII. num.* 21. *& seqq.* Jus autem Sacerdotii transmissum fuit in Levi, atque in ejus progeniem Leviticam, & jure optimo, cùm incestuosus sit infa-
8 mis. *l. 1. ff. de His, qui notant. infam.* Farinac. *de delictis carnis quæst.* 149. *num.* 1. atque efficiatur irregularis. *ibid. num.* 136. qui non solùm prohibetur promoveri ad ministerium, sed ulteriùs si sit promotus, venit deponendus. Diaz *in Praxi cap.* 37. Barbos. *alleg.* 110. *n.* 10. & Thesaur. *de Pœnis part.* 2. *verb. Incestus pœnæ, cap.* 1. ex quibus Ecclesiastici, qui sunt Levitæ in lege gratiæ, discere debent, magnam Dei offensam ab illis committi, si Sacerdotali insigniti dignitate, se ipsos carnalibus culpis commaculant; de pœnis autem, quibus plectendi sunt incestuosi, videndus est Bellettus *Disquisit. Clerical. part.* 2. *de Pœnis Clericor. §.* 7. ubi Canonistas cumulat, atque Criminalistas.

Itaque Tribus Levitica fuit à Deo elevata ad ministerium Tabernaculi, ac Templi, & ad exercendum Divinum cultum, præcipuè in Sacrificiis peragendis;
9 quapropter varii ordines ejusdem Tribus sunt hîc explanandi; alii enim erant majores, & alii minores, & de singulis sunt tria breviter declaranda, Consecratio, Vestimenta, & officia.

Ordines majores Levitarum erant tres; id est Summus Pontificatus; Principatus Sacerdotum, & Sacerdotium simplex. De Summo Pontifice agemus in præsenti.

Summus Pontificatus erat prima ac suprema Dignitas Levitarum, seu Cleri Mosayci, & Aaronici;
10 quam Deus jussit conferri per Moysem Aaroni fratri
11 suo; & successivè filiis primogenitis, & ejusdem Aaronis stirpe nascituris; ita ut Primogeniti de recta ipsius Aaronis linea propagati, successivè unus post alterum, ordinariè Pontificatum tenerent (nisi aliqua deformitate, maculave affecti essent ex his, quæ notantur *Levitic. cap.* 21. *vers.* 17, *usque ad fin.*) Quanquam aliquando justis, gravibusque de causis, & interdum etiam impiorum Regum potentia, iste ordo non fuerit observatus, ut dixerit Torniell. *ad annum Mundi* 2545. *num.* 16. & Ricciolus *in Chronologia Reform. tom.* 1. *libr.* 6. *cap.* 13. *& tom.* 3 *part.* 1. *Catalogo V.* qui utrobique ponit seriem omnium Summorum Pontificum Hebræorum.

Fuit itaque Aaron primus omnium Summus Sacerdos, & Pontifex Levitarum, jussu Dei electus, 12
atque à Moyse consecratus, ut mox dicemus: ita tamen ut cum eo etiam Moyses possederit eandem dignitatem Summi Pontificatus, & Sacerdotii, juxta illud *Psalm.* 98. *vers.* 6. *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus*, cum hac differentia, quòd Moyses fuit electus immediatè à Deo, & invisibiliter ordinatus Summus Sacerdos, ut probat Eminent. Cardin. Bellarm. *lib.* 3. *de Verbi Dei interpretatione cap.* 4. *Controv.* 1. Cornel. à Lapide *in Exod. cap.* 29. *vers.* 11. Et inter Canonistas Fagnanus *in cap. Henricus. num.* 31. *De Cleric. Pugnantib. in duello tom.* 6. *pag.* 279. ubi alii allegantur (& ideò ipse Moyses, juxta Dei mandatum obtulit Sacrificium *Exod. cap.* 29. *vers.* 1. *& seqq.* & passim ingrediebatur Sancta Sanctorum ad Deum colloquendum, & ibidem ad responsa Divina recipienda, quod proprium erat solius Summi Sacerdotis & Pontificis *Exod. cap.* 25. *vers.* 22. Aaron verò Deo præcipiente, per Moysem visibiliter constitutus, & consecratus fuit, ut notat Torniell. *d. num.* 16. subdens ipsum Moysem præfiguralse in hoc Christum, qui est verus ac Summus Pontifex, sempiternusque Sacerdos, non tamquam Aaron ab hominibus consecratus, sed ab æterno Patre Divinitatis oleo unctus, & electus, juxta Divi Pauli testimonium *ad Hebr cap.* 7. *vers.* 21. Aaron verò fuit figura Petri, & Romanorum Pontificum, qui vices Christi gerunt in terris, iisdemque traditæ sunt claves Regni Cœlorum, & Sancta Ecclesia gubernanda est commendata. Sacerdotium autem Moysis non transivit in ejus filios, ac posteros, etsi essent Levitæ; sed descendentibus ab Aarone tantùm, ut dictum est, fuit hæc prærogativa concessa.

Cæterum videamus, quo ritu, & quibus cæremoniis fuerit Aaron consecratus Summus Sacerdos, & Pontifex à Moyse; nam ad ejus exemplar futuri Pontifices consecrabantur. In Aaronis consecratione 13
novem fuerunt ritus, & ceremoniæ observatæ, quæ plenius enarrantur in *Exod. cap.* 29. *& in Levit. cap.* 8. Siquidem I. Aaron vocatus fuit ad Sanctuarium à Moyse ex Dei expresso mandato; undè Apostolus Paulus desumpsit illam regulam: *Nec enim quisquam sumit sibi honorem; sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. ad Hebr. cap.* 5. *vers.* 4. II. Congregatus fuit populus universus ante fores Tabernaculi, ut consecrationem conspiceret, & eam solemnizaret. III. Ad introitum Atrii Tabernaculi Moyses applicavit Aaronem, spectante tota multitudine, quæ applicatio fuit quædam oblatio in ministrum Sanctuarii. IV. Moyses lavit totum corpus Aaronis denudati, in aliquo angulo Atrii, ut est credibile, quod aliquo velo tectum erat, ad honestatem servandam. V. Ablutum Aaronem Moyses induit sacris vestibus, de quibus infra verba habebimus. VI. Deinde illum unxit Oleo Sancto, fundens ipsum Oleum super caput ejusdem Aaronis, de qua unctione copiosa cecinit David *in Psalm.* 132.
vers. 14

vers. 2. *Sicut Unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus.* Vocatur autem Unguentum, quia oleum illud Sanctum, jussu Dei compositum fuerat à Beseleel opere unguentarii, ùt dicitur *in Exod. cap.* 30. *vers.* 22. *& seqq.* & in eo commiscebantur aromata plura, videlicet Myrrha, Cinnamomum, Calamus, & Casia, de quorum identitate, & qualitate differit Menochius *in Storeis part.* 6. *Cent.* 12. *cap.* 94. VII. Subinde tria Sacrificia fuerunt à Moyse facta; Unum Vituli pro peccato; ad expiationem omnis culpæ, quæ in ipso Aarone reperiretur. Alterum Arietis in holocaustum. Tertium alterius Arietis in Hostiam pacificam, de cujus sanguine sumens Moyses inunxit extremum auriculæ dexteræ Aaronis; pollicem manus ejus dexteræ; & similiter pedis. VIII. Asperst Moyses ipsum Aaronem, & vestes ejus Unguento Sacro antedicto permixto cum sanguine ejusdem Arietis. IX. Imposuit in manibus Aaronis adipem, interiora, & armum dexterum prædicti Arietis, ac tortam panis, cum aliis, de quibus *Exod. cap.* 29. *vers.* 24. *& Levitic. cap.* 8. *vers.* 27. & ea omnia Aaron elevavit coram Domino, quæ rursus, susceptа de manu ipsius, Moyses adolevit super Altare holocausti; & hic fuit finis consecrationis Summi Sacerdotis, atque Pontificis Hebræorum, de qua latiùs scribunt Salian. *ad annum Mundi* 2545. *n.* 15. *& seqq.* Cornel. à Lapide *in Exod. d. capit.* 29. Barradas *in Itiner. filior. Israel lib.* 5. *capit.* 15. & Ponticell. *in Exod. d. cap.* 29. *Reflex.* 199.

Vestimenta autem Summi Pontificis erant de-
15 cem. *Primum,* femoralia linea ad operiendam turpitudinem carnis suæ; scilicet verenda, forsan casu quo Victimas feriendo, aut sacrificando ipse Pontifex, aut Sacerdotes (qui & ipsi ea induebant) cecidissent in terram. *Secundum* erat Tunica de Byssо, non crispata, sed stricta, & talaris; ad instar tunicarum, quæ hoc tempore *Ovatæ* appellantur. *Tertium* erat Balteus; id est cingulum de diversis coloribus, latitudinis quatuor digitorum, cujus extremitates pendebant in parte anteriori Pontificis, & habebant de auro, aliisque coloribus mirâ varietate contextis. *Quartum* erat Tiara, sive Mitra de byssо in capite, habens pileoli formam, quæ ligabatur cum bindello sub mento, ne caderet in ministerio Sacrificii. *Quintum* erat Tunica talaris hyacinthina, dicta *Poderis*, habens circa collum, & in extremitatibus manicarum oras contextas ex diversis coloribus, & lapidibus pretiosis: in margine autem inferiori habebat malogranata facta de hyacintho, purpura, & byssо retorta, & tintinnabula aurea sic intermixta, quod inter duo malogranata erat unum tintinnabulum: & è converso inter duo tintinnabula unum malogranatum. *Sextum* erat Superhumerale, quod ponebatur super dictam Tunicam hyacinthinam; cujus materia erat de panno contexto quinque generibus filorum factis de auro, hyacintho, purpura, byssо retorta, coccoque bis tincto, cum pulchra varietate ob flores in eo figuratos. Forma autem erat adinstar *Mozzettæ Prælatitiæ*, quia dorsum operiebat usque ad renes, & pectus; cum duobus Onychinis, lapidibus scilicet pretiosis super humeros, & in medio pectoris habebat foramen quadratum magnitudinis unius palmi, in quo ponebatur *Septimum* ornamentum, & erat Rationale, quod vocabatur *Rationale judicii*, quia in ipso quærebatur judicium illarum rerum, quas Summus Sacerdos scire desiderabat, præmissâ Oratione ad Deum. In eo erant duodecim lapides pretiosi, habentes sculpta in se nomina duodecim filiorum Israel; annectebaturque Superhumerali quatuor annulis aureis; & utrumque vestimentum denominabatur *Ephod.* Cognoscebatur autem Dei voluntas ex splendoribus dictorum lapidum, quorum fulgorem omninò cessasse, testatur Josephus Flavius per ducentos annos antequam scriberet suum librum Antiquitatum Judaicarum; & sic annos 160. ante Christi nativitatem, ut videri potest *in libr.* 3. *Antiq. cap.* 8. *&* 9. Alii tamen dicunt in ipso Rationali fuisse scriptum nomen Domini *Tetragrammaton*, virtute cujus manifestabatur veritas requisita à Pontifice in oratione. *Octavum* ornamentum erat *Balteus*, sive cingulum contextum quinque coloribus, pulchra varietate sicut Superhumerale; cujus extremitates auro contextæ pendebant in parte anteriori Sacerdotis. *Nonum* ornamentum erat *Mitra Hyacinthina* posita in capite Summi Pontificis, super aliam Mitram byssinam habens in inferiori parte semicirculum aureum. *Decimum* erat *Lamina aurea* pendens in fronte Summi Sacerdotis, ligata cum Mitra filis hyacinthinis, in qua inscriptum erat Nomen Domini *Tetragrammaton.* De his vestibus, atque ornamentis Pontificis fusiùs agit S. Hieron. *Epist.* 128. *ad Fabiolam.* Torniell. *ad annum Mundi* 2544. *à num.* 78. *& seqq.* Salianus *ad eundem annum num.* 517. cum pluribus sequentibus. Cornel. à Lap. *in Exod. cap.* 28. Ponticell. *in Exod cap.* 28. *Reflex.* 197. & Magri *in Hierolexic. verb. Ephod.* ubi in fine
16 notat, quòd Summus Pontifex Romanus loco *Ephod* utitur *Fanone*, Velo scilicet serico, subtilissimo & variegato, quod induit Papa, quando Pontificaliter celebrat, post Albam; & ligatur circa collum ad modum capuccii, ac supra caput ejus imponitur usquequo accipiat Planetam; supra quam deinde ad modum Mozzettæ adaptatur, & Pallium superimponitur; ùt latiùs idem Magri *in verb. Fanon.* Et hæc de Vestibus Pontificiis, quarum mysticam significationem declarat Durand. *de Divin. Offic. libr.* 3. *cap.* 19.

Quò verò ad munus, seu officium Summi Ponti-
17 ficis Hebraici, erat quintuplex. *Primum* introire in Sancta Sanctorum semel dumtaxat in anno; in solemni scilicet die expiationis, seu Propitiationis, quæ celebrabatur die decimo Mensis septimi; & ibi peragere ea, quæ describuntur *Levitic. cap.* 16. per totum. *Secundum* Pontificis officium erat initiare, & consecrare Sacerdotes & Levitas, illos promovendo & applicando ad ministeria Tabernaculi atque Templi, ritibus ac cæremoniis à Domino præscriptis; de quibus *in Exod. cap.* 29. *in Levitic. cap.* 8. *& in Numer. cap.* 8. *vers.* 6. usque ad finem capitis. *Tertium* munus erat in rebus dubiis, & gravibus consulere Dominum in Ephod & rationali scrutando ejus divinam voluntatem, & causas Religionis judicare. Hinc cùm David timeret Saulem venientem contra se, *Dixit ad Abiathar Sacerdotem,* (Summum scilicet & Pontificem) *Applica Ephod.* 1. *Reg.* 13. 9. & iterùm irruentibus in se Amalecitis idem David: *ait ad Abiathar Sacerdotem filium Achimelech; applica ad me Ephod.* Et *applicavit Abiathar Ephod ad David; & consuluit David Dominum* (mediante scilicet ipso Summo Sacerdote Abiathar) *dicens: persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, ac non? Dixitque ei Dominus, persequere: absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.* 1. *Reg.* 30. 7. Pro judicandis autem

autem causis ad Religionem pertinentibus tam civilibus, quàm criminalibus Summus Sacerdos erat Judex, & convocabat Concilium dictum *Sanedrim*, quod constabat ex Senioribus septuaginta; & horum alii erant Scribæ, alii Pharisæi, & alii Principes Sacerdotum, de quibus sæpè mentionem faciunt Evangelistæ; & diserit ex professo Barradas *in Itiner. filior. Israel lib. 7. capit. 1. num. 12. Et in Concord. Evangelist. tom. 4. libr. 1. capit. 3.* (& nos paulò infra loquemur.) De supradicta autem Judiciaria Potestate Summi Pontificis videri potest Cornel. à Lapide *in Deuteron. cap. 17. vers. 8. & 9.* ubi plura dubia examinat, & resolvit. Et antedicta officia recensetetiam Eminent. Card. de Lauræa *in tractat. de Incarnat. disput. 20. num. 20.* Quartum officium, seu obligatio Summi Sacerdotis erat abstinere à lacrymis, & à funeribus quorumcunque mortuorum. *Levitic. cap. 21. vers. 10. & 11.* & ibi Cornel. à Lapide, ostendens hoc idem practicatum etiam à
19 Pontificibus Gentilibus. Quintum munus erat non ducere Uxorem, nisi nobilem, & Virginem. *d. cap. 21. Levitic. vers. 13. & seqq.* ad servandam excellentiam suæ dignitatis, cujus causa poterat sibi copulare etiam mulieres ex Tribu non Sacerdotali, dummodo essent nobiles; & sic Jojadas Summus Sacerdos duxit Josabet filiam Joram Regis Juda, ut testatur Josephus *lib. 9. Antiq. cap. 7.*

Ex hucusque dictis, & deductis circa Consecrationem, Vestimenta, ac Officia Summorum Pontificum Hebræorum notare debemus octo prærogativas,
20 quibus ipsi differebant ab aliis Sacerdotibus, & Levitis. Siquidem I. Summus Pontifex erat Primogenitus, seu senior de stirpe, & progenie Aaronis. II. Ipse solus ingrediebatur in Sancta Sanctorum. III. Utebatur majori ornatu in vestibus, tùm respectu muneris, tùm respectu excellentiæ earum. IV. Obtinebat ampliſſimas divitias; nam ut ait Cornel. à Lapide *Commentar. in Numer. capit. 18. vers. 27. & cap. 25. vers. 13.* secundùm opinionem Lyrani, & Abulensis, Summus Sacerdos capiebat Decimam omnium decimarum, primitiarum, & oblationum, adeò ut ex communi opinione ipse solus percipiebat centesimam partem omnium fructuum totius Judææ. V. Non impediebatur munera inferiorum Sacerdotum obire, ac pro libito poterat Sacrificia, aliasve functiones minores peragere. Torniell. *ad annum Mundi 2545. num. 17.* ubi refert *Josephum libr. 6. de Bello capit. 6. in fin.* testantem, quòd singulis festivis diebus Summus Sacerdos interveniebat cum aliis ad Sacrificia. VI. Ejus familia æqualis erat familiis Regum; cùm quibus jungebat connubia; imò Pontifices prædicti adepti sunt Sceptrum; nam Machabei fuerunt Pontifices, atque Duces; at paulò post Reges Israel, ut ex Josepho *libr. 13. Antiquit. capit. 19.* probat Cornel. à Lapide *loco supra cit.* VII. Ipse Pontifex Summus solus erat in eadem dignitate Pontificia; quam retinebat tota sua vita durante. VIII. Moriente Summo Pontifice homicidæ fugitivi obtinebant libertatem, & redibant ad suos, quod non fiebat in morte aliorum Sacerdotum; ad tradita per Cornel à Lapide *in Levit. cap. 8. vers. 7.* & novissimè per Jacobum Pignatellum *tom. 9. Consult. 141. num. 17.*

Difficultatem autem non levem quis promovere
21 potest circa septimam prærogativam; quòd scilicet Summus Pontifex esset solus in ipsa Pontificia dignitate; & eam tota sua vita durante retineret; quandoquidem ex Sanctis Evangelistis habemus, plures fuisse Summos Pontifices eodem tempore; eosdemque non extitisse perpetuos, sed temporales. Exempli causa: Sanctus Lucas agens de prædicatione S. Joannis Baptistæ ait: *Sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto. Luc. 3. vers. 2.* Ergo tunc erant duo Summi Pontifices simul *Anna & Caiphas.* Item Sanctus Joannes incipiens agere de Passione Christi, dicit: *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit. Joann. 11. 47. & vers. 57. Dederant autem Pontifices & Pharisæi mandatum; ut si quis cognoverit, ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.* Et cùm Pilatus vellet dimittere Jesum, & diceret Judæis: *Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices, non habemus Regem, nisi Cæsarem. Joan. 19. 15.* Igitur eodem tempore plu- 22
ries erant Pontifices, non unus tantùm? Ulteriùs erat ad tempus, & non durabat tota vita; nam cùm Judæi comprehendissent JESUM, *adduxerunt eum ad Annam primùm: erat enim Socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Joann. d. cap. 18. vers. 13.* Si ergo Pontifex illius anni; non in tota vita.

Pro resolutione hujus difficultatis dantur quatuor responsiones. *Prima* est Sancti Augustini *tract. 49. in Joan.* ad illa verba: *Cùm esset Caiphas Pontifex anni illius*; ubi sic dicit: *Potest movere, quomodo Caiphas dicatur Pontifex anni illius: cùm Deus unum constituerit Summum Sacerdotem, cui mortuo unus succederet; sed intelligendum est, per ambitiones, & contentiones inter Judæos postea constitutum, ut plures essent Summi Sacerdotes, & per annos singulos, vicibus ministrarent.* Et hanc responsionem placere Cajetano, Jansenio, & Maldonato ait Barradas *in Concordan. Evangel. tom. 2. libr. 1. capit. 1.* Etenim omnes Scriptores testantur, quòd tempore Hero- 23
dis, ac Præsidum Romanorum in Judæa, Pontificatus Hebræorum factus erat temporarius, & venalis, illum Sacerdotibus ope pecuniæ occupantibus. Salian. *ad annum Mundi 4071. num. 2.* *Secunda* responsio est, quòd plures erant Pontifices non actu, sed nomine; eò quia qui habuerant Pontificatum, eo dimisso, retinebant nomen Pontificis, & remanebant assistentes in Concilio; & sic dicebantur Pontifices etiam illi, qui Pontifices esse jam desierant. Ita Euthymius *in Joan. cap. 11.* quem refert Barradas *in Evang. tom. 3. lib. 6. capit. 6* *Tertia* responsio est, quòd tempore Regis David divisi fuerunt omnes Sacerdotes in viginti quatuor familias, 24
quæ vices, & sortes vocabantur; nam sorte fuerunt sic distributi; ad hoc ut unaquæque familia, & sors per integram hebdomodam staret in templo ad Sacrificia, aliasque functiones sacras explendas, ut legitur *in libr. 1. Paralipom. cap. 24.* & dicemus infrà *Decis. XXIII. num. 4.* His autem familiis, sor- 25
tibus, & vicibus Sacerdotum fuerunt constituti sui Principes; tanquam capita, & directores totius sortis, vicis, ac familiæ subditorum sibi Sacerdotum: qui quidem Principes vocabantur etiam Pontifices; idcircò de his intelligendus est S. Joan. *cap. 18. vers. 3.* dum ait: *Judas ergo cùm accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros &c.* videlicet à viginti quatuor Pontificibus, qui erant Principes sortium, & familiarum Sacerdotalium, ut eruditè declarat Barradas *in Evang. tom. 2. libr. 3. cap. 53.* ubi observat duo notatu digna. *Unum*, quòd inter cæteras sortes, & vices octava vocabatur *Abia*, & de hac vice, & familia erat S. Zacharias Pater S. Joannis Baptistæ juxta illud S. Lucæ *cap. 1. vers. 5.* *Fuit in* 26

diebus Herodis Regis Judææ Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia. Alterum est, quod Sacerdotes unius vicis, seu sortis, qua hebdomada mi-
27 nistrabant in Templo, per sortes videbant functiones ab eis peragendas; videlicet uni committabatur sorte oblatio thymiamatis, alteri compositio lucernarum: alteri ignis accensio; alii sacrificium unius generis, alii alterius, ex quibus patet intellectus verborum ejusdem S. Evangelistæ Lucæ, dum *d. cap. 1. vers. 8. & 9.* de eodem S. Zacharia subjunxit: *Factum est autem cùm Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundùm consuetudinem Sacerdotii, sorte exiit, ut incensum poneret ingressus in Templum Domini.* Sorte namque obvenit Zachariæ oblatio incensi, hoc est thymiamatis ea die, qua monitus fuit ab Angelo de futura nativitate S. Joannis Baptistæ. *Quarta* tandem responsio est: quæ desumitur ex *Petro Cunæo de Republica Hebræorum libr. 2. capit. 6.* quòd scilicet solitum erat apud Hebræos, septem dies ante *Kepur*, id est diem Expiationis, separare Pontificem, illumque instruere cæremoniis, quibus ingredi debeat Sancta Sanctorum;
28 sed quia aliquando contingebat, ipsum Summum Pontificem eo tempore pollui, ac reddi immundum; ideo eligebant alium Pontificem coadjutorem, quem vocabant Pontificem anni; ne prætermitteretur illa solemnitas, qui assistebat in eadem functione; & si ipse offerebat illud Sacrificium propter aliquam immunditiam Summi Pontificis, remanebat toto eo anno in gradu Pontificali. Et de hac re loquitur Josephus *lib. 17. Antiquit. cap. 4.* & nos infrà *Decis. XLVII.* Applicando hanc responsionem *Annæ & Caiphæ* Summis Pontificibus, lucidè intelligi potest, quomodo ambo essent Pontifices eodem tempore: Siquidem Annas erat actualis Pontifex, Caiphas verò erat Pontifex anni illius, id est coadjutor substitutus Annæ in casu immunditiæ, & impedimenti pro die festo *Kepur*, seu Expiationis. Comprobantur prædicta ex actis Apostolorum *cap. 4. vers. 6.* ubi sic scribitur: *Factum est autem in crastinum, ut congregarentur Principes eorum, & Seniores, & Scribæ in Jerusalem. Et Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali,* ut scilicet judicarent Apostolos carceratos, qui prædicabant JESUM resurrexisse à
29 mortuis. Nam in prædictis verbis nominatur primùm Annas, tanquam Summus Pontifex actualis. Deinde Caiphas tanquam Pontifex illius anni, id est substitutus, & Coadjutor; successivè Joannes, & Alexander tanquam Principes sortium, seu familiarum, qui comitabantur Summum Sacerdotem, & interveniebant in Concilio. Ita Dominicus Magri *in Opuscul. de Apparentibus Sacræ Scripturæ Contradictionibus in Evangel. S. Lucæ cap. 3.* ubi prædictam doctrinam desumptam esse ait ex Cæremoniali Hebræorum, de quo ipsi testatus fuit Joannes Baptista Jonas in Romano Sapientiæ Archigymnasio Hebraicæ Linguæ professor, olim inter Rabbinos Archisynagogus celeberrimus.

Quòd si quis quærat, Utrùm Pontifices Hebræi
30 possent damnare reos ad mortem? Respondetur affirmativè in casu ad Religionem spectantibus, ut docet Cornel. à Lapide *in cit. capit. 17. Deuteron. vers. 9.* quamvis tempore Herodis, & aliorum Gubernatorum Judææ sub Imperatoribus Romanis, eis non liceret sententiam exequi, ideò dixerunt de Christo ad Pilatum: *Nobis non licet interficere quemquam. Joan. 18. vers. 31.* Neque obstat, quod de facto ipsi Pontifices Judæorum lapidaverint Sanctum Stephanum, & præcipitaverint Sanctum Jacobum, quia tumultuario, atque subitò furore prædictos Sanctos interfecerunt, dissimulante Præside Romano eorum facinus: etsi Josephus *libr. 20. Antiquit. cap. 8. alias 16.* asserat, Ananum privatum fuisse Pontificatu, eò quod jussisset occidi Sanctum Jacobum, quod notat etiam Magri *in d. Opuscul. Contradictionum S. Scripturæ in Joan. cap. 18. vers. 31.*

Tandem pro complemento materiæ tangentis dignitatem Pontificiam Hebræorum, placet hìc an- 31
nectere Catalogum Summorum Pontificum, qui eam obtinuerunt ab Aarone usque ad desolationem Templi, & Jerusalem factam à Tito Vespasiano anno 67. à Nativitate Christi.

CATALOGUS PONTIFICUM HEBRÆORUM.

1 Aaron frater Moysis, & filius Caath de tribu Levi;
2 Eleazarus filius Aaronis.
3 Phinees filius Eleazari.
4 Abisue filius Phineæ.
5 Bocci filius Abisue.
6 Ozi filius Bocci.
7 Zararias filius Ozi.
8 Merajoth filius Zarariæ.
9 Amarias filius Merajoth, post quem Pontificatus ablatus fuit à posteris ejus, & à progenie Eleazari filii Aaronis, & translatus fuit in posteritatem Ithamari alterius filii Aaronis, ob negligentiam descendentium ab Eleazaro in erudiendo Populo legem Dei. Itaque,
10 Heli descendens è stirpe Ithamari secundi filiis Aaronis,
11 Achitob Nepos Heli.
12 Achias, dictus etiam Achimelech filius Achitobi.
13 Abiatar filius Achiæ; quem Salomon deposuit ob negligentiam in suo munere, substituto *Sadoch* de stirpe Eleazari filii majoris Aaronis.
14 Sadoch de stirpe Eleazari prædicti.
15 Achimaas filius Sadochi.
16 Azarias filius Achimaati.
17 Joannam filius Azariæ.
18 Isus filius Joannami.
19 Axioramus filius Isu.
20 Phideas filius Axioramı.
21 Jojadas filius Phideæ.
22 Zacharias filius Jojadæ.
23 Joannam II. filius Zachariæ.
24 Azarias II. filius dicti Joannami.
25 Amarias filius Azariæ.
26 Achitob II. filius Amariæ.
27 Sadoch II. filius Achitobi.
28 Sellum, dictus etiam Salom, & Saldus filios Sadochi.
29 Elcias filius Sellumi, cujus loco se intrusit Sobnas.
30 Eliacim filius Eleiæ, pulso Sobna intruso.
31 Azarias III. filius secundogenitus Helciæ, defuncto Eliacimo absque liberis.
32 Sararias, seu Sareas filius Azariæ, occisus à Nabuchodonosor anno excidii Jerosolymitani.
33 Josedech filius Saratiæ, mortuus in exilio.
34 Jesus, seu Josue filius Josodechi, sub quo cœpit reædificari Templum.

35 Joa-

35 Joachim filius Josue.
36 Eliasib filius Joacimi.
37 Jojadas II. filius Eliasibi.
38 Jonathan filius Jojadæ.
39 Jeddoa, seu Jadus filius Jonathani. Hic obviam ivit Alexandro Magno; eumque Judæis conciliavit; ejusque frater Manasses fuit primus Pontifex Templi Samaritani in monte Garizim; de quo diximus supra Decis. XII. num. 40.
40 Onias Priscus filius Jeddoæ.
41 Simon Oniæ filius, cognominatus Justus.
42 Eleazarus II. frater Simonis; quia ejus filius erat puerulus. Hic misit 72. Interpretes ad Ptolomæum Regem Ægypti.
43 Manasses Patruus Eleazari.
44 Onias II. filius Simonis Justi.
45 Simon II. filius Oniæ.
46 Onias III. filius Simonis II. cognomento Sanctus, qui impetravit veniam Heliodoro flagellato ab Angelis.
47 Jason frater Oniæ III. qui ab Antiocho emit Pseudopontificatum.
48 Menelaus Onias, non soluta pecunia jussus cedere Pontificatum fratri.
49 Lysimachus frater Menelai, qui pecuniam solvit.
50 Mathathias Sacerdos de Vice Joarim, de Assamonæorum Prosapia; de eadem stirpe Eleazari, & Aaronis. 1. *Machab.* 2. 1.
51 Judas Machabæus filius Mathathiæ.
52 Jonathas frater Judæ.
53 Simon frater Jonathæ.
54 Joannes Hyrcanus filius Simonis.

Sequentes fuerunt Pontifices, ac Reges.

55 Aristobolus filius Joannis Hyrcani, qui primus Diadema sumpsit.
56 Alexander Jannæus frater Aristobuli.
57 Hyrcanus II. Primogenitus Alexandri.
58 Aristobulus II. Secundogenitus Alexandri, qui spoliavit Hyrcanum Pontificatu, seu Hyrcanus auxilio Romanorum Pontificatum recuperavit.
59 Antigonus Secundogenitus Aristobuli II. Hic tenuit Pontificatum, & Regnum per annos quatuor; deinde jussu M. Antonii securi percussus. Regnum transiit ad Herodem Idumæum, Pontificatus autem ad Ananelum.
60 Ananelus, Sacerdos quidem de stirpe Aaronis, sed conditione ignobilis, ab Herode promotus, Salian., *ad annum Mundi* 4018. *num.* 4. & 5. Sed paulò post depositus.
61 Aristobulus III. nepos Hyrcani; contra quem iterum insurrexit, & Pontificatum obtinuit Ananelus.
62 Jehu Phabetis, ignotæ originis, Salian. *anno* 4030. *num.* 8 quem Herodes deposuit, ut promoveret Simonem Patrem Mariamnæ ab eo desponsatæ.
63 Simon Socer Herodis, sub quo Pontifice natus est Christus.
64 Matthias filius Josephi ad Annum.
65 Joazarus filius Simonis ad Annum.
66 Jesus filius Siæ ad Annum.
67 Joazarus iterum ad biennium.
68 Ananus Sethi filius annis decem.
69 Ismael Fabi creatus à Valerio Grato Præside Judææ ad Annum.
70 Aleazarus filius Anani ad Annum.
71 Simon filius Camithi ad Annum.
72 Josephus Caiphas promotus ab eodem Præside Valerio Grato.
73 Jonathas Anani filius substitutus Caiphæ à Vitellio Præside.
74 Simon filius Boethi.
75 Matthias filius Anani promotus ab Agrippa.
76 Elionæus filius Cithæi.
77 Simon Boethi iterum.
78 Ananias filius Nebedæi, de quo *Actor. capit.* 23. & 24.
79 Ismael Fabæi.
80 Josephus Canæi iterum.
81 Ananus filius Anani.
82 Jesus filius Damnæi.
83 Jesus filius Gamalielis.
84 Matthias filius Theophili.
85 Phanasius Rusticus, qui fuit ultimus inter Hebraicos Pontifices; siquidem ejus Pontificatus anno quarto capta fuit Jerosolyma à Tito; anno à Nativitate Christi 70. & sub ruinis Urbis, & Templi sepulta est Dignitas illa Pontificia in pœnam tot, & gravium facinorum, quibus rei facti erant, qui ea fungebantur, tum in transgressione Divinæ legis, tum in Deicidio in Crucifixione CHRISTI; de quibus omnibus Torniell. & Salian. in suis Annalibus, & Riccioius *in Chronolog. Reform. d. tom.* 1. *libr.* 6. *cap.* 13. & *tom.* 3. *part.* 1. *Catalog. V.*

DECISIO XXIII.

ARGUMENTUM.

De Sacerdotibus Aaronicis, & eorum divisione in 24. Vices, seu Classes. Qui, & Quot essent Principes Sacerdotum? Relatio cujusdam Hebræi, quòd CHRISTUS Adolescens fuerit à Senioribus scriptus in numero Principum Sacerdotum. Quibus cæremoniis consecrarentur Sacerdotes Hebræi? Quibus, & quot Vestibus iidem uterentur, in Sacrificiis? Vestes CHRISTI cujus coloris essent, & quantæ? Quæ officia, & munia Sacerdotum Aaronicorum? Quo tempore, qua ætate, quibus requisitis ministrabant in Templo? Cur tecto capite, & nudis pedibus? Quid esset scindere Vestes? Alimenta Pontificum, & Sacerdotum Hebræorum unde desumpta?

SUMMARIUM.

1 *Sacerdotes Aaronici alii erant majores, & dicebantur Principes Sacerdotum, & alii erant minores.*
2 *Nadab, & Abiu filii Aaronis cur occisi à Deo intra Tabernaculum? & num* 34.
3 *Sacerdotium Aaronicum erat in descendentibus ab Eleazaro, & Ithamaro filiis Aaronis.*
4 *Sacerdotes divisi in* 24. *classes, seu vices à Rege David.*

5 *Historia cujusdam Theodosii Hebræi tempore Justiniani Imperatoris, qui asserebat vidisse Codicem pervetustum, in quo Christus notatus fuerat, dum esset juvenis, inter Principes Sacerdotum, & num. 6.*

7 *Cæremoniæ, quibus consecrabantur minores Sacerdotes Hebræorum.*

8 *Episcopi dum consecrantur, oleo Sacro liniuntur in capite.*

9 *Sacerdotum Aaronicorum manus an Oleo Sancto ungerentur in eorum consecratione?*

10 *Cæremoniæ in consecratione Sacerdotum prædictorum. Utrum reiterarentur omnes singulis septem diebus?*

11 *Vestes quasnam induerent Sacerdotes Aaronici in eorum consecratione?*

12 *Tunica Sacerdotum Hebræorum pro sacrificio an esset albi coloris?*

13 *Vestes CHRISTI Domini cujus coloris fuerint?*

14 *Emanuel Paleologus Imperator Orientis donavit partem Vestis Salvatoris nostri anno 1400. Henrico Regi Castiliæ. Eadem ubi nunc servetur.*

15 *Christophorus Columbus magnus Argonauta, ubi, & quando mortuus, & sepultus?*

16 *Epitaphium Christophori Columbi.*

17 *Coloris violacei quare sint vestes Episcoporum, & Clericorum Seminarii? aliorum autem nigri?*

18 *Vestium Sacerdotum Hebræorum numerus, & forma.*

19 *Vestes Redemptoris nostri quæ, & quot essent?*

20 *Femoralia an portarentur à Judæis?*

21 *Officia, & munia Sacerdotum Hebræorum quæ, & quot? ubi sexdecim eorum obligationes.*

22 *Docere populum Dei non solùm spectabat ad Sacerdotes, sed etiam ad Levitas.*

23 *Doctrinam Christianam docentibus pueros concessæ sunt Indulgentiæ multæ à Summis Pontificibus.*

24 *Summus Pontifex Hebræorum exercere poterat omnia ministeria aliorum Sacerdotum.*

25 *Sacerdotes Hebraici pro libito, sed in sua hebdomada tantum ministrabant in Templo.*

26 *Sacerdotibus prædictis sorte assignabantur ministeria explenda in Templo in eorum hebdomadâ.*

27 *Sacerdotes Aaronici septem continuis diebus stabant in Templo, morantes in exedris, & cubiculis ejus.*

28 *Sacerdotes in lege Moysis non ministrabant in Templo, nisi initiati, & consecrati.*

29 *Ætas triginta annorum requirebatur in consecratione Sacerdotum, & in Prædicatoribus.*

30 *Christus, ac S. Joannes Baptista cur cœperint prædicare solùm in ætate annorum triginta?*

31 *Ætas pro Summo Pontificatu Hebræorum erat annorum 40.*

32 *Irregularitates Sacerdotum Aaronicorum quales.*

33 *Irregularitas ex defectu corporis à quo tempore sit introducta in Ecclesia?*

34 *Castitas necessaria in Sacerdotibus Hebræis ingressuris Tabernaculum, ac Templum, atque abstinentia à Vino.*

35 *Sacerdotes Hebræi sacrificabant operto capite. Et cur nostri capite aperto?*

36 *Capite cooperto non licet celebrare Missam, neque ex dispensatione Episcopi.*

37 *Pileolus in celebratione Missæ à solo Papa concedendus.*

38 Perucca *an possit teneri à Sacerdote Missam celebrante?*

39 *Chinenses Sacerdotes celebrant tecto capite. Et cur nostri cum calceis?*

41 *Vestes scindere erat prohibitum Sacerdotibus, ac Pontificibus Hebraicis.*

42 *Vestes scindere erat signum magni doloris.*

43 *Vestes scindere quomodo erat possibile apud Hebræos? Et quid esset scindere Vestes?*

44 *Alimenta Pontificum, & Sacerdotum Hebræorum à sex fontibus desumebantur. Et qui?*

45 *Primitiæ in quo differant à Decimis?*

46 *Primitiarum quota pars daretur Sacerdotibus?*

47 *Primogenita omnium animalium, atque hominum erant Deo offerenda in lege Mosayca.*

48 *Siclus Hebræorum valebat libras quinque de nõ stratibus.*

DEclaratis iis, quæ spectabant ad personam Summi Pontificis Hebraici; oportet explicare ea, quæ attinebant tum ad alios Principes Sacerdotales, tum ad inferiores Sacerdotes. Quapropter 1 scitendum est omnium Sacerdotum Aaronicorum hanc fuisse divisionem, ut alii essent Principes Sacerdotum, seu Sacerdotes majores, alii verò Sacerdotes minores, & ordinarii. Pro intelligentia repetendum est, Aaronem habuisse quatuor filios: *Nadab, Abiu, Eleazarum, & Ithamarum.* Duo 2 primi igne alieno thurificantes, à Deo igne afflati occisi sunt in Tabernaculo. *Levit. cap. 12. vers. 1. & 2.* in pœnam inobedientiæ; quàm commiserunt sive temulenti à vino, sive ex inconsideratione, aliavè de causa; quam examinat Cornel. à Lapide ibid. Remanserunt alii duo filii Aaronis *Eleazarus & Ithamar*, in quorum stirpe; & descendentibus Deus voluit Sacerdotium permanere; exclusis ab eo cæteris de Tribu Levitica. Ab his duobus stipibus propagati omnes Sacerdotes, tempore Regis 3 David, dividebantur in duos columnellos, seu familias; alii enim vocabantur *Eleazarei*, descendentes scilicet ab Eleazaro, quorum Princeps erat *Sadoc*, & alii dicebantur *Ithamaritæ*, proficiscentes ab Ithamaro; horumque caput erat *Achimelech* filius Abiatharis tunc temporis Summi Pontificis. Verùm quia ob multiplicem numerum Sacerdotum 4 confusio oriebatur in sacrificiis, & functionibus sacris, David Rex, ex Dei instinctu, fecit numerare omnes Sacerdotes per eorum Principes Sadochum, & Achimelechum, illosque distribuere, ut innuimus supra *Decis. XXII. num. 24.* in viginti-quatuor Classes, seu Sortes, familias, & vices, quarum sexdecim fuerunt de descendentia Eleazari numerosiori; & octo de propagine Ithamari minùs fœcunda; & his omnibus classibus, sortibus, vicibus, & familiis viginti-quatuor deputatus est proprius Præsul, videlicet unus Sacerdos ex nobilioribus; qui assumpsit nomen Principis; itaut in 5 posterum semper fuerint viginti-quatuor Principes Sacerdotum, ut legitur 1. *Paralipom. 24. vers. 5. ibi: Porrò divisit utrasque inter se familias sortibus; erant enim Principes Dei tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar.* Quo loci sic commentatur Cornelius à Lapide: *Erant 24. familiæ Sacerdotales: & quæque suum hebebat Principem, puta Primogenitum, qui in Vice sua omnibus præerat; omniaque in Templo dirigebat: quare erat ipse Summus classis suæ Sacerdos; ideòque vocabatur Pontifex. Erant ergo viginti-quatuor Pontifices; sive* PRINCIPES *Sacerdotum; de quibus*

in

in Evangeliis crebra est mentio, sed his omnibus eminebat, & præerat Summus Pontifex, scilicet Sadoc. Et idem ex Abulensi, Tostato, & Serario referunt Torniell. *ad annum Mundi 3020. num 5.* & Salianus *ad annum 3021. n. 24.* & nos diximus supra *in antecedenti Decis. XXII. num. 24.*

Hi igitur erant Sacerdotes majores, & Principes Sacerdotum, à quorum nutu, & directione pendebant Sacerdotes minores, tum in sacrificiis, tum in aliis functionibus spectantibus ad Templum, & ad Divinum cultum; & ipsi Principes assidebant in Conciliis unà cum Summo Pontifice; exercentes auctoritatem, & Jurisdictionem in concernentibus Legem, & traditiones Seniorum. Sed præter supradictos, erant etiam alii Sacerdotes, qui Principes vocabantur, videlicet septem Sacerdotes, à quibus claves Templi custodiebantur, adeò ut nemo eorum illud aperire posset, ni unà omnes adessent. Item tres alii Præfecti sacro ærario, qui Thesaurarii vocitabantur, ac alii, de quibus juxta Talmudicorum relationes disserit Petrus Cunæus *de Republica Hebræorum d. libr. 2. capit. 6. & capit 7.* ubi alios quoque fuisse Principes Sacerdotum ostendit, qui ob eminentem scientiam in *Sanedrim*, id est in Concilio septuaginta duorum Judicum assumebantur, ultra alia capita primarum quarundam familiarum; quibus nomen Principis erat concessum, ut notat etiam Tirinus *in Matth. vers. 4.*

Horum Principum Sacerdotum occasione fas mihi sit hoc in loco referre narrationem quandam, existentem penes Chassanæum *in Catalog. Glor. Mund. part. 4. consider. 6.* excerptam, ut ipse ait, ex Lactantio, & ex Petro de Lesuanderie *in suo tractatu de Doctoribus part. 4. quæst. 86.* videlicet, tempore Justiniani Imperatoris, fuisse quendam Hebræum nomine Theodosium, ut asserebat, Principem Sacerdotum, Rabbinum in sua lege doctissimum; qui hortatus à quodam Christiano Philosopho de Aula Imperatoris, ut fidem Christianam amplecteretur, cujus veritatem ipse Theodosius ob suam scientiam ignorare non poterat; respondit, eam non amplectere non ex insciția, sed ne divicias, & honores perderet; quippè certus erat, Christum Dominum esse verum Messiam, & Filium Dei, conceptum de Spiritu Sancto, atque natum de Maria Virgine; idque legisse in codice pervetusto, occultè, & diligenter servato Tyberiadè apud Hebræos, qui quidem Codex, & liber erat in Jerusalem apud Summum Pontificem, dum viveret JESUS CHRISTUS Dominus noster; & in eodem scribebantur, & notabantur nomina omnium Principum Sacerdotum, qui pro tempore erant electi; inter quos numeratus etiam erat ipse CHRISTUS. Siquidem defuncto, dum ipse CHRISTUS esset juvenis, uno ex Principibus Sacerdotum, cùm in Concilio Seniorum esset dissidium circa electionem alterius, fuit ab uno eorum nominatus, & propositus JESUS CHRISTUS tanquam adolescens nobilis, pius, & omnium virtutum genere eximius; & in eum omnium electorum vota convenerunt. Pro describenda autem ejus parentela, vocarunt Deiparam Mariam, à qua juxta interrogationes sibi per eos factas circa Tribum, & Patrem, intellexerunt, CHRISTUM Dominum non ex Josepho procreatum; sed de Spiritu Sancto ab ipsa genitum, prævia Archangeli annunciatione, sine suæ Virginitatis detrimento, & ita annotarunt tunc Seniores in illo codice; & sic in eodem annotatum reperisse, & vidisse testabatur antedictus Theodosius Judæus; subdens, sublatum fuisse scrupulum Seniorum Templi, quòd CHRISTUS non esset de stirpe Aaronica; sed de Tribu Juda; ex eo quia hæ duæ Tribus Sacerdotalis, & Regia à multis annis ante fuerant simul commixtæ; ita ut illicitum illis tunc non foret, describere JESUM CHRISTUM inter Principes Sacerdotum. Hæc fusiùs narrat Chassanæus, ubi supra, & novissimè Donatus Calvi *in Proprinomio Evangelico Resolut. 8.* Quibus quanta fides sit præstanda, prudenti Lectori relinquimus decidendum, quem recogitare non pigebit ea, quæ scripsimus supra *Decis. VII. à num. 21. & seqq.* circa genealogiam Redemptoris; qui quidem non fuit Sacerdos Aaronicus, neque de stirpe Aaronis; sed Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech de Regiâ stirpe Judæ, & David, unctus ab æterno suo Patre oleo Divinitatis, ut ex professo disseruimus supra in *d. Decis. VII. num. 24. & num. 26.*

His de Principibus Sacerdotum notatis, videndum est de Sacerdotibus inferioribus; & circa istos 7
tria sunt breviter examinanda, videlicet eorum consecrationem, vestimenta, & officia. Quò ad consecrationem servabantur omnes ritus, & cæremoniæ, quibus Summus Pontifex consecrabatur, de quibus diximus supra *Decis. XXII. num. 13.* excepto quòd Summus Pontifex ungebatur oleo, & unguento sacro in capite, ibidem illo profuso per consecratorem; inferiores verò Sacerdotes hanc unctionem non recipiebant, quia eorum caput non ungebatur; sed lotis corporibus, induebantur fœmoralibus, tunica linea, cingulo, atque tiara, & immolatis tribus sacrificiis Vituli pro peccato; Arietis unius in holocaustum, & alterius Arietis pro hostia pacifica; cum sanguine hujus hostiæ ungebatur extremum auriculæ dexteræ Sacerdotum; nec non eorum pollex manus dexteræ, & pollex pedis dexteri, factaque aspersione vestimentorum Sacer- 8
dotalium cum eodem Sanguine mixto cum oleo, & unguento Sacro, & per manus eorundem Sacerdotum oblatis Deo interioribus, & carnibus Sacrificii, complebatur eorum consecratio; ad cujus exemplar Ecclesia Catholica à Spiritu Sancto erudita in consecratione minorum Sacerdotum, solas eorum manus oleo Sacro injungit; in consecratione verò Episcoporum etiam eorum caput Sacro Chrismate mandat linire. *capit. Unico. De Sacram. Unction.* ubi Hostien. Butr. Joan. Andr. & Abbas. Et de earundem unctionum mystica significatione agit Durand. *in Ration. Divin. offic. libr. 2. cap. ult.* Barbosa *de Offic. Episc. part. 1. tit. 1. cap. 5. à num. 10. & seqq.* & Pax Jordan. *tom. 1. libr. 3. tit. 1. à num. 24. & seqq.*

Porrò circa prædictam Sacerdotum consecrationem duo oriuntur dubia. *Unum* est: an in eorundem Sacerdotum consecratione manus ipsorum oleo sacro ungerentur? Pro affirmativa facit textus Sacer *in Exod. cap. 29. vers. 36.* ubi Deus dixit Moysi: *Septem diebus consecrabis manus eorum.* Quo loci ait Cornelius à Lapide: *Præcipitur hic, ut in consecratione Sacerdotum per septem dies hæc quatuor quotidie fiant. Primò ungantur manus Sacerdotum. Secundò immoletur vitulus. Tertiò mundetur Altare. Quartò Altare ungatur.* Ergo manus Sacerdotum ungebantur oleo Sacro in consecratione; & ita sentit Cajetan. *in 3. Reg. cap. 13. & in Judith. cap. 17.* Pro negativa facit, quod in textu hebræo *d. cap. 29. Exod. vers. 36.* legitur מלא *male*, quòd versio latina dicit *consecrabis*; proprie tamen significat *implebis*; ideò jussit Deus Moysi consecranti Sacer-

dotes, ut septem diebus *impleret manus eorum*, scilicet ponendo super illas adipem, & carnes victimarum tunc immolatarum; ut eas Domino offerrent, non autem ut ungeret eorum manus oleo Sacro; nam manus Sacerdotum dicebantur consecrari per superimpositionem carnium oblatarum in Sacrificio, ut legitur *Num. cap. 3. vers. 3 Judic. cap. 17. vers. 5. & vers. 12.* nec non *3. Reg. cap. 13. vers. 33.* Ergo Sacerdotum manus consecrabantur per impletionem oblationum; sic enim incipiebant novelli Mystæ Sacrificia offerre, & mittebantur in possessionem Sacerdotii, ut ajunt Lyran. Abulens. Oleaster, & Lippomanus, quos citat, & sequitur Barradas *in Itinerar filior. Israel lib. 5. cap. 15.* ubi in fine subdit: *Hæc opinio mihi videtur probabilior, quàm verbum ipsum* Impleo *indicat. Implebantur namque manus Sacerdotum carnibus Sacrificiorum. Nunquam autem legitur, impletas esse oleo; primæenim die, qua maximè oleo essent implendæ, unctus tantùm est pollex dextræ manus, ut diximus;*

10 Alterum dubium est, an omnes prædictæ cæremoniæ, lotionis scilicet totius corporis, unctionis auriculæ, & pollicis tum manus, tum pedis, nec non aspersio Vestium cum Sanguine Arietis, fierent reiteratò omnibus septem diebus, vel tantummodò die prima? Cajetanus *in Levit. cap. 8.* ait: *Relege caput vigesimum nonum, & invenies, quòd omnes cæremoniæ peractæ pridie consecrationis, repetendæ erant singulis diebus*; & idem sentire videtur *Joseph libr. 3. Antiquit. cap. 9.* Contrarium tamen tenent Abulens. *in Exod. cap. 29. post quæst. 18.* Barrad. *d. libr. 5. cap. 15.* & Salian. *ad annum Mundi 2545. num. 22.* & advertentes, quòd sola prima die fiebat unctio Sacerdotum prædicta; reliquis autem sex diebus mactabantur victimæ; in quarum oblatione novi Sacerdotes adhibebantur, & ex hoc colligunt iidem Doctores, quod Sacerdotes initiandi stabant continuis septem diebus in atrio Tabernaculi, sive Templi, commorantes in exedris, cubiculisve ibidem fabricatis; ad quos ferebantur cibi quotidie, & inde vasa cum sordibus efferebantur, ne contaminaretur locus sacer. Et hæc de Sacerdotum Aaronicorum consecratione.

11 Quò ad Vestes, quibus Sacerdotes induebantur in eorum consecratione; erant quatuor primæ, quibus vestiebatur etiam Summus Pontifex, nempè *Femoralia, Tunica stricta, Zona, sive Balteus, & Tiara*; de quibus tractat Barrad. *in Evangel. tom. 2. libr. 3. cap. 49.* & Torniellus *ad annum Mundi 2544. à num. 78. & seqq.* ubi disputat, utrum Tunica prædicta fuerit omnino alba, vel potiùs, quibusdam velut oculis, colorum varietate distincta? Et concludit, credibile esse qu[illegible]rit omninò alba, ut sæpius lavari posset; e[illegible] Sacerdotes in cædendis victimis, frequent[illegible]um sanguine aspergerentur.

12 Concordat Ivo Carnotensis *de Rebus Ecclesiasticis* sic scribens: *Minoribus Sacerdotibus neque duplex Tunica datur, neque humerale, neque Rationale, neque lamina aurea; sed tantùm Poderis, & Mitra, & Zona, qua stringatur Tunica byssina*, quæ verba referens Octav. Ferrarius *de Re Vestiaria part. 1 libr. 3. cap. 5.* subdit: *Hæc tunica linea ποδήρης, quod talaris esset, dicebatur*; *& Alba à colore.* Nam antiqui utebantur Vestibus albis, ut demonstrat idem Ferrarius *d. part. 1. libr. 1. cap. 35. & libr. 3. cap. 10.* Quod confirmatur, quia Hebræi solebant frequenter lavare vestes suas, ad expiandas legales immunditias, quas de facili contrahebant, & ideò apud ipsos magna erat multitudo fullonum; quorum ars erat lavare Vestes, easque albas, & nitidas reddere; & de his mentio habetur *in 4. Reg. capit. 18. & in Isaia cap. 7. & cap. 36. atque in Evang. Marci cap. 9.*

Porro vestes Domini nostri JESU CHRISTI fuisse coloris cærulei, & quasi violacei deducitur ex particula baltei, quo ipse Redemptor utebatur, 13
custodita Vesontii (quæ est Urbs Galliæ Lugdunensis, nunc Comitatus Burgundiæ) in Ecclesia S. Joannis Evangelistæ; & ex alia particula Vestis ipsiusmet SALVATORIS, qua donatus fuit Henricus Rex Castiliæ anno Domini 1400. ab Emmanuele 14
Paleologo secundo, Imperatore Constantinopolitano, in cujus litteris patentibus ita legitur: *Dedimus enim ipsi Illustrissimo Regi particulam vestimenti Nostri REDEMPTORIS, quasi blavi coloris; ex eo scilicet vestimento, cujus fimbriam tangens mulier à fluxu Sanguinis est sanata.* Color blaveus idem est ac cæruleus; ut testatur S. Birgitta *in libr. 1. Revelat. cap. 31.* ubi vidit *Reginam Cœli, Matrem Dei, habentem pretiosam coronam inæstimabilem in capite suo, & capillos extensos super spatulas admirabilis pulchritudinis. Tunicam auream splendore indicibili coruscantem; & Mantellum blaveum de lazuro, seu sereni cœli coloris.* Antedictam partem Vestis Redemptoris servant Patres Carthusiani; (referentibus Magrio *in suo Hierolexic Verb. Birrus. Col. 4.* & Serlogo *tom. 3. in Cantic. Vestigat. 32. sect. 3. num. 33.* & Menochio *in Stoicis Centur. 9. cap. 69.*) in eorum Ecclesia Sanctæ Mariæ de Arriago Diœcesis Vallisoletanæ. Est autem Vallisoletum Urbs Castellæ veteris, in qua *anno 1506. die Jovis 20. Maji* obiit Christophorus Columbus, magnus ille Argonauta, qui primus Indiam Occidentalem, seu Americam detexerat Anno 1492. cujus corpus translatum fuit Domenicopolim in America ex ipsius mandato; ubi tale Epitaphium ad ejus sepulchrum (ut refertur *à Joanne de Castellanis in suo tractatu de Viribus Illustribus India*) fuit insculptum. 15

Hic locus abscondit præclari membra Columbi, 16
Cujus præclarum nomen ad astra volat.
Non satis unus erat sibi mundus notus; at Orbem
Ignotum priscis omnibus ipse dedit.
Divitias summas terras dispersit in omnes,
Atque animas Cœlo tradidit innumeras.
Invenit campos divinis legibus aptos.
Regibus & nostris prospera Regna dedit.

Et quoniam cærulei coloris erant Vestes Redemptoris, hinc est quòd in primitiva Ecclesia 17
omnes Clerici vestibus Coloris violacei utebantur, juxta observationem Eminent. Card. Baronii *anno 393.* ac successit color niger postquam Monachi ad ordines, & ad Sacerdotium cœperunt promoveri, sic eorum modestia, & mundi contemptu dictante, ut ait S. Hieronymus *in Epist. 22. Et in Epitaph. S. Marcellæ.* Retentus autem fuit color violaceus in vestibus Episcoporum; nec non familiarium Papæ; & in Clericis Seminariorum, ne omninò usus pervetustus aboleretur. Magrius in *Hierolexicon d. Verb. Birrus.*

Occasione autem Vestium Sacerdotum Hebraicorum investigabit curiosus Lector, an ipsi antedictas tantùm quatuor Vestes induerent; vel etiam alias? Et an ubique eas deferrent? Respondetur, dum litarent, & in actuali ministerio Sacrificiorum Tabernaculi, atque Templi essent Sacerdotes Aaronici, necessariò induebantur *femoralibus, tunica, balteo, & Tiara*, de quibus supra. Extra autem functiones Sacerdotales, certum est, quòd utebantur etiam pallio; illud supra tunicam deferentes; nam legimus in *libro Numeri cap. 15.* 18

vers.

Vers. 37. quòd *dixit Dominus ad Moysen, loquere filiis Israel, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum; ponentes in eis vittas hyacinthinas.* Igitur sicut exteriùs portabant pallium; ita subtus tunicam credendum est, eosdem induisse interulam, seu camisiam, thoracem, braccas cum calceis; & ideo scriptum est, quòd jussu Nabuchodonosoris Regis tres pueri, *vincti cum braccis, & tiaris, & calceamentis missi sunt in medium fornacis*
19 *ignis ardentis. Dan. cap. 3. vers. 21.* Et Redemptorem nostrum præter tunicam inconsutilem, quam sibi Deipara Virgo, ejus Mater illi formaverat suis manibus in modum subuculæ, (ut est communis Patrum traditio, & ipsa revelavit B. Brigittæ *libr. 7. Revel. cap 8.*) & præter Tunicam, & Pallium, solitum fuisse portare thoracem laneum, sive lineum, & fœmoralia cum calceis, opinatur Barradas *in concordan. Evangel. tom. 4. libr. 7. cap. 12.* ad illa Verba: *Diviserunt sibi vestimenta ejus.* Quod congruit Verbis Evangelistæ Joannis *cap. 19. vers. 23*, dicentis: *Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes; unicuique militi partem, & tunicam. Erat autem Tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem, non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit.* Quatuor partes vestium esse potuerunt 1. Pallium. 2. Tunica exterior. 3. Thorax. 4. Fœmoralia cum calceis. Præter has postea Tunica inconsutilis, id est interula, seu subucula, aut camisia fabricatam per Deiparam, ut dictum est supra.

Cæterùm Aaronicos Sacerdotes extra Sacrificium
20 non habuisse fœmoralia, sed tunicam solummodo, ac pallium, more aliorum Hebræorum, ac Gentilium videtur sentire Menochius *in Storeis cent. 2. cap. 59.* ubi præter exempla ex Homero desumpta, ex Plutarcho, & ex Svetonio de Ulysse, Philippo Macedone, & Julio Cæsare, adducit illud Noe, qui dormiens vino sopitus, partes verendas non opertas habebat, ex defectu scilicet fœmoralium; & illud Regis Ammonitarum, qui Legatis Regis *David præscidit vestes medias usque ad nates. 2. Reg. 10.* scilicet, in contumeliam; ut deficientibus fœmoralibus ostenderentur partes, quas verecundia tegit, & sic à populis irriderentur; quare utraque opinio habet probabilitatem; nisi velimus eas concordare dicendo; quòd usque ad tempora Davidis, & Salomonis non essent in usu fœmoralia, præcipuè in Syria, & Palæstina, regione calida; at deinceps tum ob mutationem antiquæ consuetudinis in vestimentis (quæ nostris temporibus tam variabilis est, experientia teste) tum ob diversitatem regionum, braccas, & fœmoralia etiam apud Hebræos, Levitas, & Sacerdotes usum obtinuisse,

Quò verò ad officia, & munia Sacerdotum ve-
21 teris testamenti erant sexdecim sequentia. I. Sacrificia cujusvis generis facere super Altare holocautomatum, quod stabat in atrio ante vestibulum Tabernaculi, vel Templi. II. Libamina à populo oblata recipere, eaque offerre coram Domino, ut præcipiebatur in *Levit. capit. 1. 2. 3. & 7.* III. Diligenter inspicere hostias, victimasque offerendas, illas scrutando, & disquirendo; & si quid vitii in eis deprehendissent, rejiciendo; immaculatas verò ad Sacrificia admittendo. IV. Easdem Victimas admissas mactare, excoriare, in partes secare, abluere, cremare; & nonnullas etiam coquere, atque comedere juxta naturam, & qualitatem Sacrificiorum, de quibus infra agemus. V. Ignem sacrum alere, ac nutrire, subjiciendo ei quotidie ligna, ut jugiter, perpetuóque arderet super antedictum Altare holocautomatum; ut legitur in *Levit capit. 6. vers. 12.* VI. Bis quotidie introire in anteriorem partem Tabernaculi, Templive, quæ *Sancta* dicebatur, & ibi ponere thymiama, & illud adolere super Altare incensi manè, & vespere; quòd dicebatur *Juge Sacrificium.* Quomodo autem adoleretur, explicabimus infra, agentes de Sacrificiis in specie. VII. Pariter bis ingredi *in Sancta* ad accendendas lucernas, id est Vespere, quia totâ nocte ardere debebant, nec non manè ad illas extinguendas, ùt notat Cornel. à Lapide in *Levitic. cap. 24. vers. 2. in fine.* VIII. Singulis Sabbatis, hoc est septima quaque die, ponere duodecim panes calidos super Mensam Propositionis existentem *in Sancta*; & indè veteres removere, & comedere. IX. Conservare olea Sacra, tam ea, quæ quæ pro Sacris unctionibus necessaria erant, quàm illa pro lucernis accendendis; nec non thymiama, seu compositionis incensum, vasa Sanctuarii, & quidquid ad usum Tabernaculi, Templive interioris usum pertineret. X. Involvere velaminibus Arcam, aliasque res sacras portandas à Levitis, quando movebatur Tabernaculum. *Num. cap. 4. vers. 5.* sed hoc officium cessavit ædificato Templo. XI. Clangere buccinis corneis, & argenteis in casibus descriptis. *Num. cap. 10. vers. 1. & seqq.* XII. Adjurare mulieres in casibus Zelotypiæ. *Num. cap. 5. vers. 11. usque ad finem.* XIII. Discernere inter lepram, & lepram; inter mundum, ac leprosum, ùt in *Levitic. cap. 13.* & in Evangelio *S. Lucæ cap. 17. vers. 14.* ubi Redemptor, ait leprosis verbo suo mundatis: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* XIV. Facere expiationis, seu purificationes leprosorum, puerperarum, mulieris menstruosæ, viri seminiflui, & aliorum hujusmodi, de quibus *in Levitic. cap. 12.* XV. Orare pro populo tum in universali, tum in particulari, de quo officio ait Dominus, *in Oseæ cap. 4. vers. 8. Sacerdotes peccata populi mei comedent*, videlicet precibus suis, & oblationibus ea delebunt, atque consument, ut exponitur *in cap. ipsi Sacerdotes 1. quæst. 1 XVI.* & ultimum; sed præcipuum Sacerdotum officium, atque munus erat, studere continuò Scripturæ Sacræ, & habere perfectam scientiam Divinæ Legis, ut eam populum docere possent, juxta illud *Malach. cap. 7. vers. 7. Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Undè non immeritò Sacerdotibus ignorantibus comminatus fuit Dominus dicens: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te; ne Sacerdotio fungaris mihi. Ose. cap. 4. vers. 6.* Quamvis hæc obligatio sciendi Legem Divinam, & in- 22
structuendi populum in ea extenderetur etiam ad alios Levitas inferiores Sacerdotibus, & eorum adjutores; immò etiam ad Scribas doctores laicos, ut dicemus infrà *Decis. XXIV.* Quemadmodum nunc in Ecclesia Catholica etiam personæ laicæ adhibentur ab Episcopis, & Parochis in edocendis pueris Doctrinam Christianam; ac iisdem laicis se exercentibus in prædicta instructione puerorum concessæ sunt amplissimæ Indulgentiæ à S. Pio V. in Constitutione *Ex debito, diei 6. Octobr.* 1582. nec non à Gregorio XIII. & à Clemente VIII. & deindè 23
à Paulo V. in Bulla, *Ex credito diei 6. Octobris* 1607. de quibus Barbosa *de Parocho cap. 15. in fine.* Et Pax Jordanus *tom. 1. libro sexto, tit. secundo. De Doctrina Christiana.*

Ex

Ex hucusque dictis circa personas Sacerdotum Aaronicorum duodecim sunt recolligenda, atque notan-
24 da. *Primum*; quòd supradicta omnia munera, & officia poterant exerceri pro libito etiam à Summo eorum Pontifice; quin immò in diebus festis, nec non in Calendis per singulos menses, vel quando aliqua festivitas, aut anniversaria solemnitas à populo celebrabatur, obligatus erat, personaliter ad Templum accedere, & unà cum aliis Sacerdotibus interesse Sacrificiis. *Secundum notandum* est; quòd prædicti Sacerdotes non turmatim, & pro libito se intrudebant in functionibus Sacris, ac Sacrificiis per-
25 agendis; sed in sua hebdomada tantùm; cùm enim essent distincti in vigintiquatuor vicibus, seu classibus, ut demonstratum est suprà: unusquisque Sacerdos per duas hebdomadas annuatim; quæ contingebant vici & classi suæ, sub suo Principe cum eadem classe Sacerdotali accedebat ad Tabernaculum, Templumve, ut ibi deserviret. In anno sunt hebdomadæ 52. Vices autem, & classes Sacerdotum erant 48 Itaque per circulum una Classis serviebat per integram hebdomadam, & expletis hebdomadis 24. iterum prima Classis revertebatur ad actuale ministerium Templi, & post eam aliæ juxta ordinem suum, ut scribunt Barradas *in Evangel. tom. 2. libr. 3. cap. 53.* & Salianus *ad annum Mundi 3021. à num. 26. & seqq. Tertium notandum*: Et quoniam in unaquaque classe, seu vice plures erant Sacerdotes; ne qua contentio inter ipsos existeret, vel confusio fieret in aggrediendis functionibus, & Sacrificiis; pridie initii suarum hebdomada-
26 rum, sors mittebatur etiam inter ipsos, & sorte extrahebantur ad quæcunque ministeria obeunda in sua hebdomada; exempli gratia, sorte extrahebatur quis deberet incensum adolere, quis afferre, & auferre Panes propositionis; quis lucernarum curam habere, quis victimas seligere; eas mactare, comburere, & alia in sacrificando facere. Hinc est, quod scripsit S. Lucas *cap. 1. vers. 8.* de S. Zacharia Patre Præcursoris (ut supra innuimus) *Factum est autem cùm Sacerdotio fungeretur in ordine VICIS SUÆ ante Deum, secundùm consuetudinem Sacerdotii, SORTE exiit, ut incensum poneret ingressus in templum Domini. Quartum notandum*: Toto septiduo commorabantur Sacerdotes in exedris, & cubiculis
27 Tabernaculi, ac Templi; tum quia tota nocte ad erant Altari, in quo Sacrificium Vespertinum paulatim consumabatur. *Levitic. cap. 6. vers. 9.* tum quia non poterant deserere Sacrificium Matutinum, quod perdurabat usque ad Vesperam; Et ideò non revertebantur ad domos suas, nisi expleta hebdomoda, prout fecisse S. Zachariam notavit pariter Evan-
28 gelista dicens: *Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam. Luc. cap. 1. vers. 24. Quintum notandum*: Quamvis omnes descendentes ab Aaronis stipite, & à duobus filiis ejus Eleazaro, & Ithamaro dicerentur Sacerdotes; non tamen admittebantur ad Sacra facienda in Tabernaculum, Templumve; nisi essent initiati, & à Summo Pontifice consecrati; at non initiabantur nisi in
30 ætatę annorum triginta, ut ex auctoritate S. Hieronymi *Epist. 62. ad Theophil. & in proœmio libr. 1. in Ezechielem* docent Salianus *ad annum Mundi 2849. num. 8.* & Barradas *tom. 4. in Evangel. libr. 5. cap.* 9. Quæ ætas triginta annorum requirebatur etiam
29 ut quis posset alios docere. Cornel. à Lapide *in Numer. capit. 4. vers. 3.* ubi notat, S. Joannem Baptistam, atque ipsum CHRISTUM expectasse eandem ætatem, antequam inciperent prædicare; quia apud Hebræos id non erat licitum alicui ante annum trigesimum. Porrò ad obtinendum Summum Pontificatum attendebatur ætas quadraginta annorum. Salian. *d. anno 2849. num. 9.* quòd si Hyrcani filius eo functus fuit anno ætatis decimo octavo, ùt refert Josephus, egit contra legem. Cornel. à Lapide *d. cap. 4. Numer. Vers. 2. Sextum notandum.* Non tamen initiebantur Sacerdotes irregulares; scilicet irregularitate corporis. Describuntur autem irregularitates in libro *Levitic. cap. 21.* 32
vers. 18. his verbis: *Si cæcus fuerit, si claudus, si vel parvo, vel grandi, vel torto naso: si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel hernioſus. Omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo.* Et de iisdem disserit Cornel. à
Lapide *dicto loco*: & novissimè eruditus Vir Gaspar 33
Ivenin *in Commentar. Historico Dogmat. de Sacramentis tom. 2. Dissertatione XIII. quæst. 5. capit. 5. §. 8.* ubi irregularitates corporis etiam in Sacerdotibus Ecclesiæ Catholicæ servatas fuisse ait à tempore Apostolorum; quamvis à duodecimo sæculo tantùm positæ fuerint sub præcepto, & in Jure Canonico relatæ. *cap. 1. & cap. 2. De Corp. Vit. & cap. 2. De Clerico ægrot. Septimum Notandum*: Prædicti Aaro-
nici Sacerdotes ingredi non poterant Tabernacu- 34
lum, vel Templum, nisi saltem ab uno integro die ante ab uxoribus abstinuissent, & à quacunque seminis effusione mundi fuissent; quam munditiam multò magis obligati erant servare per totam hebdomadam, in qua actualiter sacras functiones peragebant: ut ex Abulensi notant Salian. *ad annum Mundi 3021. num. 31.* Torniell. *ad annum 2545. num. 17.* aliàs fiebant immundi, & egebant expiatione præscripta *in Levitic. cap. 15. & in Numer. cap. 19. Octavum notandum*: Abstinere debebant à vino, & à quocunque potu, qui inebriare potest, quousque ministrabant prædicti Sacerdotes in Tabernaculo, & in Templo. *Levitic. cap. 10. vers. 9.* Et ibi Cornel. à Lapide, ubi rationem reddit hujus prohibitionis, subdens: Nadab, & Abiu credi occisos fuisse ab igne in Tabernaculo, quia ebrii erant. Et Salian. *ad d. annum 2545. num. 46.* ubi advertit, quod non erat dura prædicta vini abstinentia, quia multiplicatis Sacerdotibus, satis infrequens erat eorum ministratio. *Nonum notandum.* Sacerdotes Hebraici sacrificabant, & orabant non nudo capite, sed tiara tecto, 35
vel causa ornatus, & majestatis. Cornel. à Lapide in *Exod. cap. 28. vers. 40. & 41.* vel quia eorum mentes potiùs ad terrena, quàm ad cœlestia dirigebantur. Durand. *de Divin. Offic. libr. 3. cap. 3. & cap. 13. num. 5.* vel in signum subjectionis, & servitutis. Gavant. *in Rubr. Missal. part. 2. tit. 2. num. 2.* Verùm Sacerdotes novi testamenti, & in Ecclesia Catholica orant, & celebrant detecto capite, quia eorum mentes tendunt ad contemplandum Deum facie ad faciem, & fruuntur libertate, quia Christus eos donavit, ùt ajunt prædicti DD. Et quia nostrum caput est Christus. *1. Cor. 11. vers. 3.* Christus autem in novo testamento est nobis manifestus, ac conspicuus; at Judæis in lege veteri erat velatus & absconditus. Idcircò si quis celebraret Missam operto capite, peccaret mortaliter, & esset excommunicatione plectendus. *cap. Nullus Episcopus. De Consecr. dist. 1.* Et quamvis Sà *in Aphorism. verb. Missa num. 17.*
dicat, quòd Episcopus potest dare licentiam, si justa sit 36
causa, & cesset scandalum, ut Sacerdos Sacrum faciat capite cooperto usque ad consecrationem; contrarium

tamen

tamen est tenendum, tum quia Episcopus non dispensat contra Canones, & decreta Conciliorum generalium. Jo. Andr. & Hostien. *in cap. 1. de Supplen. neglig. Prælat.* Sylvester *verb. Dispensatio quæst.* 11. tum etiam quia soli Papæ reservatum est con-
37 cedere usus Pileoli in Missa, ut ex pluribus Decretis S. Congreg. relatis à Gavant. *d. part. 2. tit. 2. num. 2.* à Bisso *in Hierurg. Eccles. tom. 1. Verb. Biretum num.* 109. à Barbosa *de Parocho capit. 11. num.* 36. & à Quarto *in Rubric. Missal. eadem part. 2. tit. 2. dub.* 3. ubi in casu urgentis necessitatis, in quo recursus non sit facilis ad Sedem Apostolicam, atque scandalo cessante, videtur concedere non esse peccatum uti pileolo, usque ad consecrationem: immò Gobat. *in Theolog. Experiment. tract. 8. num.* 680. ait, non esse illicitum patienti debilitatem capitis sacrum facere cum capillitio assumptitio, vul-
38 gò *Perucca*, si ita sit capiti Sacerdotis conformatum, ut ab aspicientibus habeatur pro naturali, ob eam rationem, quòd *Perucca* non deponitur nec coram ullo Rege terreno; nec coram Rege sæculorum, quando Hic vel attollitur, vel sumitur in Sacramento. Cogitet pius Lector, an in Italia talis opinio sit ad praxim reducenda? & videat, quæ scribam infra *Decis. L. n.*
39 38. Chinenses quidem toto tempore Liturgiæ tenent caput tectum, quia apud ipsos stare cooperto capite est signum honoris & reverentiæ. Idem Gobat. *tract. 3. num.* 385. *Decimum notandum*: Sacerdotes legis antiquæ nudis pedibus in Tabernaculo, atque in Templo ministrabant. Cornel. à Lapide *in Exod. cap. 39. vers. 19. & 20.* Salian. *ad annum Mundi 2544. num.* 573. vel ad imitationem Moysis,
40 qui collocuturus cum Deo in Monte Sina jussus est deponere calceamenta, *Exod. cap. 3. vers. 5.* vel ad servandam munditiem pavimenti Sacri; ad quem effectum tenebantur lavare manus suas, ac pedes, quando ingressuri erant Tabernaculum, & accessuri ad Altare. *Exod. d. cap. 30. vers. 20.* ad quorum exemplum etiam nunc Turcæ & Saraceni deponunt calceos, dum ingrediuntur Meschitas. Nostri verò Sacerdotes celebrant calceati, non nudi pedes, tum ob verecundiam, tum quia sunt milites Christi, quos decet esse calceatos; immò ocreatos, ut parati semper sint ad bellum contra dæmones, & ad evangelizandum, juxta illud Apostoli *ad Ephes. cap. 6. vers. 15. Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis*; quamvis secluso contemptu, vel scandalo, nullum esse peccatum litare nudis pedibus, quia de hoc nullum reperitur præceptum, docent Suarez *part. 3. disp. 82. sect. 3.* Eminentissimus Card. de Lugo *de Euchar. disp. 20 num. 102.* & Layman. *libr. 5. tract. 5. cap. 6. num. 15. Undecimum notandum*
41 prohibebantur Summi Pontifices, & Aaronici Sacerdotes suas vestes scindere. *Levitic. cap. 10. vers. 6. & cap. 21. vers. 10.* quocirca Caiphas, qui eas scidit, dum CHRISTUM interrogaret, peccavit in legem, & de eo sic notat Eminentissimus Cardinalis Baronius *ad annum Christi 34. num. 73. Caiphas, lege contempta, quo cæterorum astantium animos in Christi perditionem magis, ac magis concitaret, furore quodam percitus, primus Summorum omnium Pontificum (quorum sit memoria, sic sua vesti-*
42 *menta concidit.* Erat enim mos apud Hebræos ad ostendendum dolorem animi vehementem scindere vestes, ut fecit Jacob, cùm sibi dictum fuisset, Josephum filium suum à fera pessima esse devoratum. *Genes. cap. 37. vers. 34.* & David, cùm sibi nunciata esset mors Saulis, & Jonathæ. *2. Reg. cap. 1. vers. 11.* Et alii plures, etiam Gentiles, de quibus Menochius *in Histor. Sacra lib. 7. cap. 10. n. 3.*

Sed dicet aliquis: Quomodo Judæi scindebant unico ictu sibi vestes? Nonnè sive lineæ, sivè laneæ sint; 43
ita fortes sunt, ut manibus hominis, teste experientia, frangi, rumpi, & scindi non valeant? Curiosæ huic interrogationi respondetur tripliciter. Primò, quòd scindere vestes nil aliud erat, nisi eas à pectore ad talos aperire. Sive enim claudantur globulis, ut sunt vestes Prælatorum, & Presbyterorum; sive conglutinentur strophiis, impetu manuum non est grave illas aperire; prout opinatus est Joan. Hieronymus Soprani *de Re Vestiaria cap. 2. §. 12.* Vel secundò, quòd Vestes erant è Serico pertenui, ut absque difficultate in frusta possent disrumpi. Vel tertiò, quòd in crumena cultros parvos, aut forcipes tenebant, quibus adhibitis vestes etsi laneæ, fortes, & duplices scindebantur.

Duodecimum tandem *Notandum* concernit eorun-
dem Summi Pontificis, & Sacerdotum alimenta, qui- 44
bus sustentabantur, in defectu agrorum, quos possidere non poterant. Erant autem alimenta sequentia. I. Decimæ universales totius terræ Promissionis ex quibuscunque bladis, uvis, oleis, fructibus, herbis, lignis, ac artificiis; sed hæ decimæ exigebantur à Levitis non Sacerdotibus, apud quos remanebant pro eorundem Levitarum sustentatione; soluta tamen decima parte earundem decimarum ipsis Sacerdotibus, qui secundùm veriorem opinionem, de eadem decima decimæ competentem, magnamque portionem Summo Pontifici refundebant. S. Hieronym. *in cap. 45.* Ezechiel. Josephus *libr. 4. Antiquit. cap. 4.* Ribera *libr. 3. de Tempore cap. 2.* Et Cornel. à Lapide *in lib. Numer. cap. 18. vers. 27.* II. Stipendium erant Victimæ omnes, quæ de præcepto mactabantur in Sacrificio, boves, vituli, capræ, oves, agni, columbæ, & turtures; de his enim, etsi quæ in holocaustum sacrificabantur, integræ comburerentur in altari; quæ litabantur pro peccatis, cedebant pro medietate in cibum Sacerdotum, & quæ erant hostiæ pacificæ concedebantur comedendæ etiam uxoribus, ac filiis eorundem Sacerdotum. *Levit. cap. 10. vers. 14. & Deuteron. cap. 12. vers. 18. & cap. 16. vers. 11.* III. Ultra victimas mactandas de præcepto fruebantur Sacerdotes hostiis, quæ ex devotione populorum, vel ex voto sponte erant ipsis ad sacrificandum elargitæ. *Numer. cap. 18.*
vers. 11. & ibi Cornel. à Lapide. IV. Habebant Pri- 45
mitias omnium fructuum. Differebant autem Primitiæ à Decimis; nam Primitiæ erant primi fructus. Decimæ erant decima pars omnium fructuum. Quadrupliciter autem solvebantur Primitiæ. Primitiæ spicarum de secunda Azymorum. *Levit. cap. 23 cap. 10.* Primitiæ panum in Pentecoste. *d. cap. 23. vers. 17.* Primitiæ aliorum panum, quos dabant Sacerdotibus per singulas hebdomadas. *Numer. cap. 15. vers. 21.* Et Primitiæ in mense septimo in festo Tabernaculorum de omnibus frugibus, tam ex granis, quàm ex uvis. Cornel. à Lapide *d. cap. 18. Numer. vers. 12.* ubi doctè advertit, quòd licèt harum Primitiarum quantitas non
esset à Deo definita; tamen ex universali consuetudine 46
erat inter quadragesimam, & sexagesimam partem; ita ut nisi Primitiæ essent majores quadragesima parte, non possent esse minores sexagesima. S. Hieronym. *in Ezechiel. cap. 45.* Abulens. *in cap. 18. Numer. qu. 14.* & Ribera *de Templo libr. 3. cap. 2.* V. Stipendium Sacerdotum erant quæcunque Oblationes, de quacunque re, quæ sive ex voto, sive ex mera devotione Laicorum fiebant Templo, & ministris ejus. *Numer. cap. 18. vers. 14.* VI. tandem stipendium

47 Aaronici Cleri erant Primogenita tum quorumcunque animalium, tum ipsorum hominum; cum his tamen differentiis; quòd Primogeniti hominum redimebantur à genitoribus suis quinque siclis; unus autem siclus erat libr. quinque, ut diximus supra *Decis. XIX. num.* 12. & notat Salianus *ad annum* 2545.

48 *num.* 88. Primogenita animalium non immundorum, nempe Bovis, Ovis, & Capræ, non redimebantur; quia litabantur Deo in Sacrificio, cum combustione Sanguinis, & adipis; at carnes cedebant pro alimento Sacerdotum. Cætera autem Primogenita quorumcunque animalium immundorum, nempè Equi, Asini, & similium redimebantur pecunia juxta æquivalentem eorum valorem; Et cùm hæc primogenita essent multiplicia; magna etiam erat summa denariorum, quam Sacerdotes ex eis colligebant: & sibi ipsis appropriabant; ut disserit Cornelius à Lapide *d. capitulo* 18. *Numer. vers.* 16. *& sequentibus.* Et hi omnes erant redditus, quibus sustentabantur Levitæ, & Sacerdotes Veteris Testamenti.

DECISIO XXIV.

ARGUMENTUM.

De aliis Levitis, Caathitis, Gersonitis, & Meraritis, qui inserviebant Tabernaculo, ac Templo, & de eorum ministeriis. De urbibus Levitarum, atque eorum agris suburbanis, emptitiis, & votivis. De Nathinæis servis Tabernaculi, & Templi; ac de religiosis sectis Scribarum, Pharisæorum, Saducæorum, Nazaræorum, Rechabitarum, Essenorum, Assidæorum, Dosithæorum, Hemerobaptistarum, & Herodianorum. Circa quos omnes Origo, Virtutes, ac Vitia demonstrantur.

SUMMARIUM.

1 *Primogenita omnia à Deo sibi reservata. Et cur?*
2 *Tribus Levi mancipata Deo in ministerium sibi.*
3 *Levitæ numerati in deserto erant viginti duo millia.*
4 *Primogenitorum numerus major, quàm Levitarum in deserto.*
5 *Levitæ destinati ad Divinum servitium, & quomodo consecrati?*
6 *Ritus, & Cæremoniæ octo in consecratione Levitarum.*
7 *Levitæ per desertum deferebant totum Tabernaculum sacrum.*
8 *Levi habuit tres filios Caath, Gerson, & Merari.*
9 *Tres familiæ, seu Columnelli Levitarum, Caathitæ, Gersonitæ, & Meraritæ.*
19 *Moyses, & Aaron erant de progenie Caath filii Levi.*
11 *Sacerdotium Hebræorum firmatum fuit à Deo in progenie Aaronis; ideò omnes Sacerdotes erant de Tribu Levi; sed non omnes Levitæ erant Sacerdotes.*
12 *Delatio Tabernaculi, & Arcæ fœderis pro parte divisa inter Levitas.*
13 *Caathitæ tanquam nobiliores portabant sanctiora de Tabernaculo: sed velis involuta.*
14 *Gersonitæ portabant operimenta Tabernaculi.*
15 *Meraritæ deferebant tabulas, & columnas Tabernaculi.*
16 *Levitæ per desertum excubias circa Tabernaculum tota nocte faciebant. Et laudes Deo canebant.*
17 *Levitæ ab anno trigesimo usque ad quinquagesimum serviebant Tabernaculo.*
18 *Levitarum munia sex post ædificatum Templum.*
19 *Levitis civitates* 48. *datæ ad habitandum; cum campis suburbanis passuum mille per gyrum.*
20 *Levitæ habebant agros emptitios, vel ex voto, aut piis legatis relictos.*
21 *Levitarum divitiæ, & opes magnæ.*
22 *Nathinæi quinam essent, & cur Levitis servirent?*
23 *Fœdera ab antiquis fiebant prævio cibo, & potu.*
24 *Georgius Cornelius Episcopus Patavinus Anno* 1644. *quomodo pacificaverit homines septem Communium suæ Diœcesis?*
25 *Cardinalis Cornelius Anno* 1697. *è Legatione Lusitana vocatus à Papa Innocentio XII. ad Purpuram, & ad Episcopatum Patavinum.*
26 *Scribæ quinam essent in lege Mosayca?*
27 *Scribæ erant de omni Tribu, & quamvis Laici poterant explicare legem divinam populo, &* num. 30.
28 *Tribus Simeon quare dispersa inter alias Tribus?*
29 *Scribæ, & Rabbini secundum aliquos erant de Tribu Issachar.*
31 *Templum an intrarent Scribæ, ut docerent populum?*
32 *Synagogæ erant ampla ædificia, in quibus Scribæ explicabant Legem Divinam.*
33 *Scribæ, & Rabbini in porticu Templi docebant populum.*
34 *Discipuli sedebant ad pedes Magistri, eo docente.*
35 *Scribarum ambitio, & vanagloria.*
36 *Concupiscere mulierem innuptam, pejerare, & vindictam sumere, non esse peccatum Scribæ docebant.*
37 *Talmudici Rabbini appellantur* Chachamin.
38 *Talmud liber quid contineat ex Deciano Criminalista, & publico Lectore in Archigymnasio Patavino?*
39 *Rabbinorum errores, & deliramenta* 38. *contenta in libro Talmud.* & num. 40.
41 *Talmudicos libros igne consumptos Venetiis Anno* 1533. *ex Decreto Excellent. Magist. contra Blasphemias.*
42 *Constitutiones Pontificiæ contra libros Talmudicos.*
43 *Pharisæi quinam essent? Qui adoptarentur inter illos?*
44 *Collegia DD. Juristarum, & Philosophorum Paduæ non aggregant in se nisi Doctores Nobiles.*
45 *Pharisæorum vitia, & errores.*
46 *Pharisæorum secta subdivisa in aliis sectis.*
47 *Phylacteria Pharisæorum, quid essent?*
48 *Saducæi quinam essent? Unde sic dicti? Quinam eorum errores?*
49 *Saducæorum secta amplissima, nam vergebat in Epicureismum, & Atheismum.*

50 *Naza-*

50 *Nazaræi quinam fuerint?*
51 *Nazaræi servabant quinque regulas. Et quas?*
52 *Chenebræ qui sint?*
53 *Nazaræi fuerunt figura nostrorum Regularium.*
54 *Joseph Patriarcha an fuerit Nazaræus?*
55 *Absalon an fuerit Nazaræus?*
56 *Christus an fuerit Nazaræus? An sibi aliquando tonderet capillos?*
57 *Rechabitæ quinam essent? Quæ eorum tria vota?*
58 *Monastica, & Regularis vita an ortum habuerit à S. Elia?*
59 *Rechabitarum mirabile experimentum jussu Dei factum.*
60 *S. Elias, & Eliseus emiserunt tria vota Religiosa.*
61 *Esseni quinam essent? quando incœperint?*
62 *Eunuchos facere prohibitum erat Hebræis tum homines, tum animalia.*
63 *Esseni erant Monachi Christiani à S. Marco instituti.*
64 *Essenorum classes duæ.*
65 *Astidæi quinam essent?*
66 *Dosithæi qui?*
67 *Dosithæi nautæ exemplum curiosum de observatione Sabbati.*
68 *Hemerobaptistæ quotidie corpus suum lavabant?*
69 *Herodiani quinam essent?*

POst notitiam datam Lectoribus de Summis Pontificibus, ac Sacerdotibus Aaronicis tum Principibus, tum inferioribus; oportet verba facere de aliis Levitis, qui Tabernaculo, ac Templo serviebant, nec non de aliis personis, quæ se Divino servitio applicabant, quales erant Nathinæi, Scribæ, Pharisæi, Saducæi, Nazaræi, Rechabitæ, Esseni, Astidæi, Dosithæi, Hemerobaptistæ, & Herodiani; de quibus ômnibus hic agendum.

Quòd ad Levitas in universum attinet, sciendum est. In exitu Israel de Ægypto Deum sibi reservasse
1 omnia primogenita Hebræorum, ùt legitur *in Exod. capit.* 13. *vers.* 12. eò quòd ad Israelitarum favorem cuncta Ægyptiorum primogenita occidisset. Noluit autem Deus dicta primogenita in suo servitio pro Sacrificiis, & ministeriis in Tabernaculo, atque Templo retinere; sed eorum loco assumere sibi in ministros Tribum Levi, ùt innuimus supra *Decis. XXII. num.*
2 3. idcircò post peractam consecrationem Aaronis, & Sacerdotum filiorum ejus, præcepit Dominus numerari omnes de Tribu Levi ab uno mense, & supra; & inventi sunt Levitæ viginti duo millia. Deinde pari-
3 ter ab uno mense, & supra collecta fuit summa omnium Primogenitorum populi Israel, quæ, quia ad viginti duo millia ducenta septuaginta tria ascendere deprehensa est; pro æqualitate constituenda; protinus illa ducenda septuaginta tria Primogenita fuerunt redempta, pretio siclorum quinque per sin-
4 gula capita: & tota hæc pecunia data fuit Aaroni, & filiis ejus, ùt disserit Torniell. *ad annum Mundi* 2545. *num.* 8. & Salianus *ad eundem annum num.* 85. & 86. ubi doctè advertit, quòd Levitæ fuerunt verè viginti duo mille trecenti; sed illi trecenti non fuerunt computati, eò quia tot erant Primogeniti viventes de Tribu Levi, quos tanquam suos Dominus noluit unà cum aliis Leviticis sibi à populo offerri, & dono dari.

Destinati igitur fuerunt Levitæ ad Divinum servi-
5 tium, & ad hunc effectum fuerunt consecrati, & iisdem propria munia, & officia imposita. Eorum consecratio describitur *in libro Numeror. capit.* 8. *vers.* 5. *& seqq.* his verbis: *Et locutus est Dominus ad Moysem dicens: Tolle Levitas de medio filiorum Israel, & purificabis eos juxta hunc ritum: Aspergantur aqua lustrationis, & radant omnes pilos carnis suæ. Cumque laverint vestimenta sua, & mundati fuerint, tollent bovem de armento &c. Deindè, & applicabis Levitas coram Tabernaculo fœderis, convocata omni multitudine filiorum Israel. Cumque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Israel manus suas super eos, & offeret Aaron Levitas, munus in conspectu Domini à filiis Israel, ut serviant in ministerio ejus. Levitæ quoque ponent manus suas super capita boum; è quibus unum facies pro peccato, & alterum in holocaustum Domini, ut depreceris pro eis. Statuesque Levitas in conspectu Aaron, & filiorum ejus, & consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei, & posteà ingrediantur Tabernaculum fœderis, ut serviant mihi.* In qua quidem Levitarum consecratione octo ritus, seu cæ-
6 remoniæ fuerunt præceptæ, ac in omni eorundem initiatione observandæ. Primò, ut Pontifex aspergeret eos aqua lustrationis, quæ mixta erat cineribus vitulæ rufæ, de quibus Apostolus *ad Hebr. cap.* 19. mentionem fecit. Secundò, ut ipsi Levitæ raderent sibi omnes pilos carnis suæ; cujus actionis mysterium explicat S. Gregor. *libr.* 5. *Moral. cap.* 23. Tertiò, ut lavarent Vestes suas. Quartò, ut fieret immolatio duorum boum; unus in holocaustum; alter pro peccato. Quintò, ut iidem Levitæ offerrentur Deo in Tabernaculo coram toto populo, à quo censebantur oblati, & donati Deo. Sextò, ut filii Israel suas manus eis imponerent in signum abdicationis dominii. Septimò, ut aliquantulum elevati de terra agitarentur modicè ad quatuor plagas mundi adinstar oblatarum rerum Deo, per cæremoniam dictam *Tenuphi*, de qua *Levit. cap.* 7. *vers.* 30. Octavò, Levitæ ipsi imponerent manus super dictis duobus bovibus immolandis; quarum Cæremoniarum significationem declarat Cornelius à Lapide *d. cap.* 8. *Numer. vers.* 7. *& sequentibus.*

Quò verò ad Levitarum munia, & officia distinguendum est tempus itineris, ac delationis Tabernaculi usquequò populus Hebræus posset Terram promissam; & tempus, in quo fabricatum erat Templum, & cessaverat deportatio Tabernaculi. Primo tempore præcipuum munus Levitarum erat
7 delatio Tabernaculi; quæ quidem delatio fuit tripliciter distributa Levitis, prout eorundem tres erant columnelli, seu familiæ descendentes à tribus filiis Levi.

Quapropter hic memoria repetendum, quòd Patriarcha Levi, filius Jacob, habuit tres filios
8 *Caath, Gerson, & Merari. Genes. cap.* 46. *vers.* 11. ex quibus tribus filiis prodierunt omnes Levitæ per tres columnellos, seu familias; quæ nominabantur Caathitæ, Gersonitæ, & Meraritæ, ipseque
9 Moyses, & Aaron erant de columnello, & familia
10 Caathita; nam Caath genuit Amran; Amran verò genuit Aaron, Moysem, & Mariam sororem eorum. *Numer. cap.* 26. *vers.* 59. & sic Moyses, Aaron, & Maria erant Nepotes Caath. In Aaro-
11 ne postea, & ejus filiis ac descendentibus Deus constituit Sacerdotium; & hinc est, quòd omnes Sacerdotes erant Levitæ; sed non è contra omnes Levitæ obtinebant Sacerdotium. Idcircò, cùm Levitæ essent in triplici differentia; quia alii descen-

debant à *Caath*, & dicebantur *Caathitæ*; alii prodibant à *Gerson*; & nuncupabantur *Gersonitæ*; & alii proveniebant à *Merari*, & appellabantur *Meraritæ*; itinerantibus filiis Israel, quando opus erat deferre
12 Tabernaculum, Arcam fœderis, & alias res sacras per desertum; fuerunt partita munia, atque onera iisdem omnibus Levitis per Moysem, & Aaron hoc pacto.

Caathidis tanquam nobilioribus propter Moy-
13 sem, & Aaron, qui erant de eodem columnello, data est cura ferendi nobiliora, & sanctiora, videlicet Arcam fœderis, mensam propositionis, candelabrum aureum, & Altare incensi cum omnibus ad singula spectantibus; hac tamen conditione, ut illa non tangerent, sed nec ulla curiositate inspicere attentarent, quæ in Sanctuario erant, antequam involuta essent; alioquin scirent, se morituros. Propterea namque mandatum fuerat Sacerdotibus, id est Aaroni, & filiis ejus, ut quotiescunque movenda forent castra, ipsi duntaxat ingrederentur Tabernaculum, & singula concinnè composita velamentis involverent, mitterentque vectes, & efferrent; & deinde filii, & descendentes *Caath*; ac etiam filii ipsius Moysis eadem bajularent.

Gersonitis assignatum fuit munus, & onus asportandi cortinas Tabernaculi; & alia ejus operimenta,
14 & idem cortinas Atrii, & omnia, quæ ad Altare holocausti pertinebant.

15 Meraritis fuit datum onus deferendi tabulas Tabernaculi, & Vectes ejus, & columnas, earumque bases; nec non atrii columnas, cum basibus, & paxillis, & funibus suis. Et quia filii *Caath*, quibus sacratiora, eademque leviora onera obtigerant, propriis ea humeris bajulare debebant: onera verò Meraritarum duplo graviora erant oneribus Gersonitarum: propterea Moyses, de sex plaustris, & duodecim bobus, quæ Principes Tribuum obtulerant. *Numer. capit. 7. vers. 2.* nihil dedit Caathitis; sed Gersonitis duo tantum plaustra, & quatuor boves; Meraritis verò elargitus est plaustra quatuor, & boves octo; quibus suas Tabernaculi portiones vehere per desertum possent. Hæc fuerunt munia præcipua Levitarum in itinere, de quibus agit Torniellus *ad annum Mundi 2545. num. 8.* & Salianus *ad eundem annum num. 90. & seqq.* ubi addit duo alia munia, & officia; videlicet, excubare tota nocte in cu-
16 stodia Tabernaculi, more militum fidelium, dividendo noctem in quatuor vigilias; ut una cohorte vigilante, aliæ requiescerent: & psallerent laudes Deo in eodem Tabernaculo; juxta testimonium Psalmistæ dicentis: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri: In noctibus extollite manus vestras in Sancta, & benedicite Domino. Psalm. 133. vers. 1. & seqq.* Ad præmissa autem onera Levitæ non obligabantur, nisi ab anno trigesimo suæ ætatis us-
17 que ad annum quinquagesimum; quo completo, tanquam jubilati ab oneribus cujuscunque muneris, & officiis vacabant, etsi stipendiis Tabernaculi viverent. Et hæc de tempore itineris ad terram promissam, & ante fabricationem Templi in Jerusalem.

Secundo autem tempore; scilicet fabricato, vel mox fabricando Templo quando ampliùs non erat Tabernaculum circumferendum; iisdem Levitis ab anno vigesimo absque alio termino senectutis impo-
18 sita sunt sequentia munia, onera, & officia. I. Ut servirent Sacerdotibus in his, quæ concernebant Sacrificia, & functiones sacras. 1. *Paralipom. cap. 13. vers. 24.* II. Ut per ordinem Ostiarii essent; id est custodes quatuor portarum Templi. III. Ut custodirent Gazophylacium, & thesauros repositos in Templo, sive jure proprietatis ipsius Templi, sive jure depositi. IV. Ut quotidie canerent, & psallerent Divinas laudes in Templo, quando manè, & Vespere offerebatur juge Sacrificium, & in Sabbatis, ac Neomeniis, aliisque solemnitatibus, pulsantes musica instrumenta. Ad hunc effectum à Samuele Propheta fuerunt instituti Cantores, & ab eo instructi in cantu Hymnorum, & Divinarum laudum, ut notat Salianus *ad annum Mundi 2962. num. 101.* Cumque ingens factus esset numerus Levitarum canentium tempore David; hi fuerunt divisi in 24. Vices, seu classes, ut ordinatim psallerent in Templo, & in aliis locis deputatis ad divinas laudes, ut habetur *in libr. 1. Paralipom. cap. 25.* Qui quidem Cantores dicebantur etiam Prophetæ, ut dicemus infra *Decis. XXV. num. 47.* V. Ut prædicarent populo, ipsumque docerent legem Dei, & servare præcepta tam moralia, quàm judicialia, & cæremonialia; & VI. Ut judicarent causas minores ad Religionem spectantes, ad quem effectum in omnibus Civitatibus terræ Promissæ deputabantur Judices iidem Levitæ; à quorum sententiis dabatur appellatio ad Summum Pontificem. & Concilium *Sanedrim*, quod erat in Jerusalem, ut fusiùs scribit Torniell. *ad annum Mundi 3020. à num. 3. & seqq.* & Salian. *ad annum Mundi 3021. à num. 15. & seqq.* ubi putat, Levitas in omnibus urbibus fuisse Judices Assessores dati singulis Laicis Magistratibus, ut unà secum quascunque causas judicarent.

Illud autem est notatu dignum circa Levitarum personas, quòd licèt ipsis in divisione terræ Promissionis non fuerint assignatæ possessiones ter- 19
rarum, sic Deo præcipiente, qui voluit esse eorum possessio, & hæreditas. *Numer. cap. 18. vers. 20.* Nihilominùs, cùm Israelitæ terram Promissionis occupassent, voluit Deus, ut Levitis darentur quadraginta octo Urbes ad habitandum; nec non suburbana earum; spatio mille passuum per circuitum, pro pascuis suorum pecorum, & jumentorum, ut legitur *in libr. Numer. cap. 35. vers. 3. & seqq.* Idcircò Levitæ erant Domini proprietarii, & possessores omnium domorum, quæ constitutæ erant in prædictis 48. Civitatibus, in una quarum servabant Tabernaculum fœderis, antequam fabricaretur Templum in Jerusalem; ubi conveniebant per vices, & hebdomadas suas ad ministrandum Sacerdotibus, deinde revertebantur ad suas Urbes, & domos; quas illis prohibitum non erant vendere, ac redimere; atque anno Jubilæi recuperare, prout faciebant Laici de possessionibus suis, quòd docet Torniellus *ad annum Mundi 2583. num. 31. & anno 3552. num. 9. & 10.* Salianus *ad annum 2583. num. 140. & ad annum 2590. num. 27.* Cornel. à Lapide *in dict. cap. 35. libr. Numer. vers. 2. & 3.* Addens, quòd Levitæ, & Sacerdotes præter Urbes, domos, & agros suburbanos antedictos, poterant alios agros, ac vineas propria pecunia emere; nec non ex voto, oblatione, vel piis legatis sibi relictos 20
retinere; adeò ut eis vetitum fuerit tantummodò jure hæreditario bona aliarum Tribuum capere in Judæa; extra Judæam verò passim hæreditare stabilia, ac possidere valebant, & hinc est illud, quod Salomon dixit Abiatharo Sacerdoti 3. *Reg. 3. vers. 26. Vade ad agrum tuum.* Et de Jeremia Sacerdote, quòd emerit, & possederit agrum. *Jerem. cap. 32. vers. 9.* Et quòd Sanctus Barnabas Levites, Cyrius genere,

vendi-

vendiderit agrum, quem habebat. *Act. capit.* 3.
21 *vers.* 37. Ex quibus resultat, magnas fuisse opes, ac divitias Levitarum, pensatis simul Decimis Universalibus, Oblationibus, Primitiis, ac Victimis. Et hæc de iisdem Levitis dicta sint satis.

Porrò præter Levitas, non pauca aliarum personarum genera erant mancipata Divino servitio in Lege Mosayca. De quibus breviter oportet hìc agere, ut totius Cleri Aaronici Sæcularis, & Regularis, ordinarii, & extraordinarii sufficiens notitia habeatur. Et quidem in primo loco veniunt.

22 Nathinæi. Hi ducebant origenem à Gabaonitis, qui cùm audissent, Israelitas è Deserto properare, & in se irruere ad internecionem, nec sperarent viribus, aut precibus se tueri, ad astutiam se converterunt, sumentes duri panis frusta, & utres vinarios scissos, & calceamenta perantiqua, & fingentes se de longè venire, accesserunt ad Josue Principem populi, & coram eo, ac Summo Pontifice Eleazaro, ac aliis principalibus populi Israel dixerunt, se missos à Senioribus, & habitatoribus terræ suæ; & narrantes magnalia Dei Israel, rogaverunt, ut eos, ac suos omnes in servos acciperent, & secus fœdus inirent. Quòd misericordia moti fecerunt Josue, & alii Duces exercitus, jurantes se eis non nocituros, ut legitur in *Josue cap.* 9. *vers.* 11. *& seqq.* & narrat Josephus *lib.* 1. *Antiquitat. cap.* 1. *&* 2. ubi scribit, quòd *Eleazarus Pontifex cum Senatu juravit, habituros se eos pro amicis, ac sociis, & nihil contra eos injustum molituros; & in signum initi fœderis, de cibariis eorum*
23 *susceperunt.* Hanc cæremoniam in stipulanda amicitia, & reconciliandis animis hostium manducandi, & bibendi simul, observant Sacri Interpretes relati circa hos Nathinæos à Salian. *ad annum Mundi* 2584. *num.* 152. ubi eam pluribus antiquorum Patriarcharum exemplis confirmat; quibus addere liceat, quod obvenit Illustrissimo, ac Reverendissimo Georgio
24 Cornelio Episcopo Patavino Anno 1644. in initio sui regiminis Episcopalis; cùm enim esset in Visitatione septem Communium: Montium scilicet altissimorum, ubi bellicosi homines, teutonicò idiomate loquentes degunt sub Patavina Diœcesi, & ibi quamplures inter se discordes ad pacem induxisset, firmatis concordiæ articulis, exhibuerunt ipsi magnam Trullam mero plenam, poscentes, ut Dominatio ejus illustrissima, ac Reverendissima, ex ea biberet, atque cæteri omnes in signum sinceræ amicitiæ, quod benignè fecit Antistes, cujus memoria sit in benedictione æterna ob ejus egregias dotes, roburque in Ecclesiæ Juribus tuendis; cujus meritissimus Nepos, tùm in prosapia, tùm in regimine tanti Episcopatus est Eminentissimus, ac Reverendissimus Geor-
25 gius Cornelius ex Legatione Lusitana à SS. D. N. Innocentio XII. ad Cardinalitiam Dignitatem, & ad spirituale connubium cum hac Patavina Ecclesia nuper est electus. Gabaonitarum autem fraude detecta ab Israelitis, fremuit Exercitus universus, voluitque eos delere; sed Principes, & Duces ob jusjurandum servarunt eos innocuos, & damnarunt eos, ut ligna cæderent, & aquas comportarent in servitium Levitarum; pro usu Sacrificiorum, & dicti sunt *Nathinæi*, quasi dati, & donati in Templi famulatum; quomodo Religiosi Laici etiam nunc appellantur, qui se sponte suaque dedicant ad opera servilia in Dei, & Religionis obsequium, ùt disserunt Torniell. *ad annum Mundi* 2545. *num.* 15. & Salianus *annum* 2584. *à num.* 149. *& seqq.* ubi refert discrepantiam Scripturistarum circa prædicti Juris-

jurandi Josue, ac Principum Israelitici populi obligationem, & validitatem.

Scribæ erant pariter principales Ministri in Dei ser-
vitio: nempè Legisperiti, Doctores, Magistri, & 26
communi titulo vocati *Rabbini*; nam Rabbi est vox hebraica, quæ interpretatur Magister meus. Magri *in Hierolexicon Verb. Rabbi*, & Barradas *in Evangel. tom.* 3. *libr.* 8. *cap.* 19. ubi disputat de origine, ac derivatione hujus vocis *Scribæ*, & concludit ita dici à Litteratura & Sapientia; erant enim Scribæ Rabbini, & homines Sapientes apud Judæos, ad instar Magorum apud Chaldæos: Philosophorum apud Græcos; & Jurisperitorum apud Latinos ad quos spectabat difficultates Sacræ Scripturæ tùm in scriptis, tùm viva voce exponere. Tirinus *in lib.* 1. *Esdræ cap.* 7. *vers.* 6. & Barradas *d. cap.* 19. Idcircò cùm Magi venissent Jerosolymam quærentes, ubi esset, qui natus erat Rex Judæorum, Herodes *congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, suscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur? Matth. capit.* 2. *vers.* 4. attinebat enim ad eosdem Scribas scire, quod Lex Mosayca diceret, id est Scriptura Sacra de loco, & tempore ortus futuri Messiæ. Eodem modo ubi Evangelistæ *Matthæus cap.* 22. *vers.* 35. *& Lucas cap.* 10. *vers.* 25. narrat, quòd unus legis Doctor, & Legisperitus interrogavit Salvatorem, quodnam esset mandatum magnum in Lege? idem referens *Marcus cap.* 18. *vers* 28. vocat illum Doctorem, & Legisperitum *Scribam* dicens: *Et accessit unus de Scribis, & interrogavit eum, quod esset primum omnium mandatum?*

Erant autem hi Scribæ non de sola Tribu Levitica, 27
& Aaronica; sed etiam de aliis Tribubus Israel; tunc enim non solùm obligatio docendi populum Legem Dei incumbebat Sacerdotibus, & Levitis, ut diximus supra *Decis. XXIII. num.* 22. sed transibat pariter in Laicos Litteratos, & Legisperitos de qualibet Tribu juxta observationem Saliani *ad annum Mundi* 3123. *num.* 2. & Barradæ *in Evangel. tom.* 2. *libr.* 3. *cap.* 51. *vers. Docet tamen*, & ibi Abulens. *in libr.* 2. *Paralipom. cap.* 15. *quæst.* 4. Imò videtur communis opinio Scripturistarum, quòd *Scribæ* essent de Tribu Simeonis; ea ratione quia, sicut Levitæ receperunt quadraginta octo Civitates ad habitandum, ut paulo ante innuimus *num.* 19. non quidem omnes simul unitas, sed dispersas in omnibus, & singulis possessionibus aliarum Tribuum; ex Dei speciali providentia, ùt commodiùs possent ipsi Levitæ, ac Sacerdotes populos instruere in Divinis mandatis, ut notat Torniellus *ad annum Mundi* 2591. *num.* 9. ita, sic Deo permittente, Tribus Simeonis coacta fuit deserere suas primas possessiones, & habitare intra terminos Tribus Judæ ob causas re- 28
latas *in libr. Josue cap.* 19. *à num.* 1. *& seqq.* ubi Cornel. à Lapide & Magri *in Hierolexico Verbo Scriba, & in Opusculo de Contradictionibus Sacræ Scripturæ cap.* 49. *Genesis, vers.* 7. ubi sic ait: *Judaica tribus, quæ prima erat, plus spatii contigerat errore Geometricorum: qui error correctus fuit jussu Principum; tunc filii Simeon prima possessione privati, & inter possessionem filiorum Juda excepti in alterius Tribus terminis habitarunt.* Ita Abulens. *Insuper cum posita crevisset Tribus Simeonis novas sedes, & possessiones sibi quæsivit, ut habetur Paralip.* 4. *Denique Scribæ, ac Legisperiti erant ex ista Tribu oriundi, qui per omnes Tribus dispersi sunt, ut populum in lege instruerent.* Ita Cornelius à Lapide, *& Rabbi Salomon.* De hac autem dispersione Tribus, & filiorum Simeonis loquitur

his verbis Cornelius à Lapide *in Genesi cap* 49. *vers.* 7. explanans scilicet illam prophetiam Patriarchæ Jacobi; *Dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israel. Ne scilicet rursum capita conferant, & suo consilio alii perniciem machinentur. Id impletum est in Levi, quia Levitis nulla sors obtigit in Chananæa: sed fuere per omnes Tribus dispersi. In Simeone quoque, quia ei data fuit Sors, & sedes in medio Tribus Juda. Jos.* 19. *vers.* 2. & 9. *Rursum cùm Tribus Simeon excrevisset, novas sedes quæsivit, & pars in Gador, pars in monte Seir abiit.* 1. *Paralipom.* 4. *vers.* 27. 39. & 42, *Denique Scriba, & Legis periti, ex Simone oriundi, qui ut Sacerdotes, sparsi fuerunt per omnes Tribus, ut populum in Lege instruerent.*

Cæterùm prædictos Scribas, Legis Doctores, ac
29 Rabbinos fuisse de Tribu Issachar, ob illa Verba: 1. *Paralip. cap.* 12. *vers.* 32. *De filiis Issachar viri eruditi, &c.* voluit *ibi Gloss. Ordin. atque* Lyran. & Abulens. *in Gen.* 49. quos allegat Barradas *dict. tom.* 3. *in Evangel. libr.* 8. *cap.* 19. Sed verius est, quòd Scribæ prædicti erant de omni Tribu; nam unicui-
30 que Sapienti licebat de lege disserere, disputare, & erudire plebem: & sic David, qui erat de Tribu Juda, fatetur, se hoc munere functum, dum dixit: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctum ejus: Prædicans* (notetur) *præceptum ejus. Psal.* 2. *vers.* 6. Et Apostolus Paulus, qui erat de Tribu Beniamin ingressus Synagogam Antiochiæ Pisidiæ, fuit invitatus à Principe Synagogæ ejusdem habere sermonem exhortationis ad plebem; cui proindè statim prædicavit Christum, ùt legitur *Act. cap.* 13. *vers.* 15. Imò Christus Dominus de prædicta Regia Tribu Juda, & Davidica prædicabat, & docebat, vocaturque *Rabbi*, ut pluries legitur in Evangelio, & de se testatus fuit coram Caipha: *Ego palam locutus sum mundo: Ego semper docui in Synagoga, & in Templo, quò omnes Judæi conveniunt. Joan. cap.* 18. *vers.* 20.

Sed dicet aliquis, si in Templo interiori erat Altare propositionis, nempe in Sancta, ubi non in-
31 grediebantur nisi Sacerdotes; & Altare cum Arca, in Sancta Sanctorum, ubi non intrabat, nisi solus Summus Pontifex semel in anno; extra verò in Atrio Templi erat Altare holocautomatum, pro Sacrificiis Hostiarum, & animalium, ubi in Templo erat locus aptus ad docendum, & prædicandum? Respondetur, quòd licèt Scribæ, & Rabbini Hebræorum soliti essent explicare Legem Divinam in Synagogis, quæ erant ampla ædificia facta, ut populus doceretur in eis, quorum immensus numerus erat tùm in omnibus Civitatibus Judæorum, juxta illud, quod describit de Redemptore nostro *S.*
32 *Matth. cap.* 4. *vers.* 13. scilicet: *Circuibat JESUS totam Galilæam, & docebat in Synagogis eorum*; tùm in eadem Urbe Jerosolyma, in qua 480. numerantur à Genebrardo *in Chronolog.* relatum à Menochio *in Storeis part. & Certuria* 1. *cap.* 91. de quibus dicitur, quòd Scribæ amabant *primas Cathedras in Synagogis. Matth. cap.* 23. *vers.* 6. Et quòd Salvator noster *intravit secundùm consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere. Luc. cap.* 4. *vers.* 17. Nihilominùs præter Synagogas prædictas mos erat Scribarum, & Rabbinorum docere populum, & explicare Legem etiam in Templo Jerosolymitano; non intra Templum in Sancta, vel in Sancta Sanctorum; sed in porticu Templi, ùt
33 advertit S. Antonin. 1. *par. tit.* 5. *cap.* 1. §. 5. ibi enim erat Aula, & locus dispositus cum Cathedris, & subselliis ad sedendum, & ad docendum, de quo Templi loco, id est Porticu, & Atrio intelligendus est D. Paulus, dum dixit *Act. cap.* 24. *vers.* 12. *Neque in Templo invenerunt me cum aliquo disputantem.* Et idem docent Montanus, & alii allegati per Barradam *in Evangel. tom.* 1. *libr.* 10. *capit.* 14. *vers. Invenerunt illum in Templo*, ubi eruditè advertit, quòd Scribæ sedebant in Cathedris tanquam Doctores, & Magistri; discipuli autem in pavimento super storeas humi stratas ad eorum pedes, juxta illud ejusdem D. Pauli, *Act.* 22. *vers.* 3. *Nutritus sum in ista Civitate* (id est Jerusalem) *secus pedes Gamaliel, eruditus juxta veritatem paternæ legis.* 34
Et juxta morem Mariæ Magdalenæ de qua S. Lucas *cap.* 10. *vers.* 30. quæ *sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.*

Porrò eorundem Scribarum, tempore Redemptoris nostri, excessiva erat superbia, vanagloria, & ambitio; cujus causa cùm facturi essent eleemosynam, faciebant sonare tubam, & ad illius sonitum convocare pauperes, quod à Christo dicebatur 35
non esse faciendum, his verbis. *Cùm facies eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut Hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Matth. cap.* 6. *vers.* 2. Quo loci sic ait Tirinus: *Quod faciebant Scribæ prætextu quidem, ne quis egenus beneficio excluderetur; sed revera ut multos haberent beneficentiæ suæ spectatores.* Et ad innuendam Scribarum nequitiam, & elationem valdè conferunt illa alia verba Redemptoris, *in Matth. cap.* 23. *vers.* 5. *& seqq. Dicunt, & non faciunt: Omnia verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas Cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Non enim operabantur ex motivo virtutis, & ex amore Dei; sed propter vanam gloriam. Hinc subjunxit Redemptor ad discipulos suos. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum. Matth. cap.* 5. *vers.* 20. Nam, ùt ajebat S. Augustinus *in libr. de fide, & oper. cap.* 26. *Justitia Scribarum erat, dicere, & non facere.* Siquidem Scribæ docebant, sed non faciebant; & si quid faciebant, propter solam humanam laudem faciebant. Barradas *in Evangel. tom.* 2. *lib.* 7. *capit.* 14. *in fin.* Sed plures alii erant errores Scribarum, inter quos, quòd non esset peccatum concupiscere mulierem innuptam; sed tantummodò actus carnales exteriores, ut notat idem Tirinus *in Matth. cap.* 9. *vers.* 28. qui subindè *vers.* 34. & 39. ostendit, eosdem Scribas docuisse, non esse peccatum pejerare, neque de injuria vindictam sumere.

Quòd si Scribæ, ac Rabbini eo tempore, quo Salvator vivebat in terris, ita reprensibiles, & mali erant; quantò nequiores sunt Rabbini Judæorum 36
hisce temporibus viventes? qui ab iisdem appellantur *Cachamin*, id est sapientes Talmudici; illi nem- 37
pè qui student scelestissimo libro Talmud; de quo Tiberius Decianus *in tractat. Criminal. libr.* 5. *cavit.* 12. *num.* 3. sic scribit: *Liber iste, qui Hebraica lingua vocatur Talmud, latina dici potest disciplina, vel doctrina; in quo libro collecta sunt decreta omnia Ma-* 38
gistrorum suorum; quos Rabbinos vocant, & omnes traditiones eorum, & divinarum, atque humanarum legum interpretationes, quibus nunc tota Judæorum natio regitur. Qui liber, ut ipsi Hebræi sunt auctores, initium habuit anno 150. *post ultimam Jerosolyma desolationem,*

nem, à Juda quodam Simonis filio, qui omnia decreta Prædecessorum Interpretum, & Rabbinorum, qui ad ea usque tempora vixerant, in unum coegit volumen. Post id etiam tempus, annis 150. lapsis, idem liber iterum recognitus, & auctus à quodam Joanne Rabbi, Talmud Jerosolymitanum vocatus est. Postremò, anno à Christo nato 476. & sic anno 136. post præfatam secundam compilationem tertiò compositus à quodam Asse, & quodam Hama Rabbinis, Babylon in Ægypto, quam Cairum vocant, habitantibus; ea de causa Talmud Babylonicum appellatum est, in quo multas hæreses conscripserunt, & docuerunt contra ipsam, quam profitentur, Moysis legem quinimò contra ipsam naturæ legem, & contra omne jus gentium; nec non multas, & execrandas blasphemias in Christum Salvatorem nostrum. Hucusque Tiberius Decianus, olim hujus nostri Publici Gymnasii Patavini, Lector in prima Sede, & Juris Cæsarei Professor.

Imò Marquardus *in tractat. de Judæis part. 3. capit. 1. num. 49.* affirmat, in eodem libro Talmud contineri deliramenta non solùm falsa & irrisibilia, sed impia; & inhonesta, quorum catalogum summavit Salelles *de Offic. S. Inquisitionis lib. 3, capit. 10. Regula 210. à num. 105. & seqq.* Et sunt sequentia: 39
1. Quòd Deus ante creationem Mundi se exercuerit in creandis diversis aliis mundis, quibus postea destructis, ad hujus creationem descendit. 2. Deum expendere tres cujusque diei primas horas in lectione legis Mosaycæ; & Moysem aliquando cœlum ascendisse, & reperisse Deum inscribentem accentus in Scriptura Sacra. 3. Primo die novæ Lunæ Septembris Deum universum orbem judicare. 4. Quòd singulis diebus Deus preces, & orationes fundat. 5. Quòd certis temporibus Deus ploret, eò quòd permiserit Templi Jerosolymitani destructionem, & populi sui dispersionem. 6. Quòd in omni novilunio Deus præceperit sacrificium expiationis propter scelus ab eo commissum in spolianda Luna lumine suo. 7. Quòd certis diebus & horis Deus ludat cum magno quodam pisce, Leviathan vocato. 8. Elementum ignis esse creatum die Sabbati. 9. Quòd quidam Rabbini Deum excommunicaverint. 10. Quemdam Rabbinum se fecisse deferri à diabolo ad portam Paradisi, quam citò ingressum jurasse, non indè exire; Deumque ibi eum retinuisse, ne perjurus evaderet. 11. Quemdam Angelum peccato coinquinatum flagello igneo à Deo fuisse cæsum. 12. Ab Adamo & Noe spurcitias carnales plurimas esse commissas. 13. Historiam S. Jobi esse meram fabulam. 14. Davidem non peccasse in adulterio, & homicidio Uriæ. 15. Nullam honestatem in Matrimonio servandam. 16. De inimicis vindictam sumendam. 17. Gravioribus pœnis esse plectendos eos, qui contradicunt Scribis & Rabbinis, quàm qui contradicunt legi Moysis. 18. Falsos testes nulla pœna afficiendos. 19. Reum damnatum in concilio, ubi aliquis contradixit, esse ultimo supplicio afficiendum. Si nullus contradixerit, esse liberandum. 20. Crumenam repertam cum nummis non esse restituendam vero Domino, si hic spem eam inveniendi amiserit. 21. Judæos omnes teneri ter in die Christianos maledicere, atque pro eorumdem Regum, & Principum extirpatione quotidie orare. 22. Judæos habere præceptum à Deo convertendi in suos usus bona Christianorum: qua via poterunt, dolo, vi, fœnore, furto, & similibus. 23. Iisdem Judæis à Deo mandatum esse, ut habeant omnes Christianos in numero bestiarum; & illos tractent tanquam bruta animantia. 24. Quòd si quadrupes Judæi occidat quadrupedem Christiani, nihil reficiendum. Secus si quadrupes Christiani occiderit illum Judæi. 25. Gentilibus, & Paganis per Judæos nullam offensam faciendam. Christianis mortem omni studio procurandam. 26. Quòd si Judæus animo occidendi Christianum occidat Judæum, sit venia dignus. 27. Quòd Judæus videns Christianum præcipitantem, teneatur nulla interposita mora eum in præcipitium impellere. 28. Quòd Imperium Christianorum est execrabilius Imperio Ethnicorum. 29. Judæos obligatos esse evertere, si possint, Templa Christianorum, tanquam domicilia Idololatriæ. 30. Evangeliorum librum igne comburendum. 31. Animas transmigrare de corpore in corpus; ita tamen ut si peccaverit tum in primo, tum in secundo, tum etiam in tertio corpore, dimittitur postea in infernum. Hinc animam Abelis transmigrasse in Seth; Sethi autem animam in Moysem. 32. Animas rudium & ignorantium non redituras in resurrectione ad sua corpora. 33. Duos è suis Rabbinis die veneris cujusque hebdomadæ creare duos Viculos, eosque paulò post ab eis devorari. 34. Vitam æternam habituros comedentes saltem ter in die Sabbati. 35. Esse comedendas res impares, quia Deus impari numero gaudet. 36. Orantem versus meridiem adeptutum esse sapientiam: versus verò Septentrionem divitias. 37. Transeuntem inter duos Camelos, vel duas inter fœminas nunquam esse intellecturum hunc Talmud librum. 38. Dubitare de veritate Talmud esse negare Deum. Hæc Salelles deprompsit ex probatis Auctoribus.

His alia deliramenta addit Masquar. *de Judæis d. part. 3. cap. 1. num. 49.* Videlicet, Adamum fuisse ita magnum in corpore, ut cœlum tangeret. Deum 40
reservare piscem sale conditum pro convivio faciendo Messiæ, cui dabit vinum factum de vineis suis à principio mundi. Deum equitare super Cherubim causa visitandi decem, & octo millia mundos, quos creavit. Maledicentem Deo nulla pœna afficiendum, nisi Dei nomen *Tetragrammaton* protulerit. Alia etiam fœda, & nefanda doceri, à quibus calamus præ verecundia abstinet; subdens Masquardus ubi supra, anno 1553. Venetiis per Illustriss. ac Excellentiss. Magistratum contra Blasphemias fuisse incendio consumpta innumerabilia volumina Talmudica; contra quæ, tanquam continentia tot, & tantos errores, atque contumelias in Deum, ac Redemptorem Nostrum emanarunt quamplures Sum- 41
morum Pontificum Constitutiones; nempè Innocentii IV. *La seconda Incipit Impia.* Item Julii III. *la 24. Incipien. Cum sicut.* Pauli IV. *la 3. Incip. Cum nimis.* Clementis VIII. *la 20. Incip. Cum Hebræorum malitia.* Et præcipuè Gregorii XIII. *la 70.* 42
Incip. Antiqua Judæorum improbitas. In qua referuntur multa Judæorum flagitia in contemptum Religionis nostræ, juxta suorum Scribarum, & Rabbinorum iniqua documenta, contra quæ Officium Sanctæ Inquisitionis tenetur procedere; ùt latissimè docent Carena *in tractatu de eodem Sanctæ Inquisitionis Officio part. 2. tit. 14. §. 13.* & Salelles *tom. 3. libr. 5. capit. 5. Regul. 387. & libr. 6. cap. 8. Reg. 504.* ubi *num. 160.* advertit, inflictam esse pœnam Excommunicationis contra Christianos tenentes, legentes, aut typis excudentes libros Talmudicos, Cabalistas, aliosve nefarios codices, vel scripta

pta Rabbinorum Judæorum. Et hæc satis sint de eorum Scribis.

Pharisæi quoque spectabant ad Clerum, & Re-
43 ligionem Mosaycam. Erant autem Pharisæi Judæi profitentes se sanctè vivere, & austeram vitam facere; propter quam erant apud plebem in magna existimatione. Dicebantur autem *Pharisæi* à verbo *Pharas*, quod significat separare, & dividere; ea ratione quia vivebant separati ab aliis hominibus habitu, cibo, & moribus, ut disserit S. Augustinus *serm.* 15. *de Verbis Domini*, & notat Barradas *in Evangel. tom.* 3. *libr.* 8. *cap.* 17. Tirinus *in Matth. capit.* 3. *vers.* 7. & Magr. *in Hierolexic. Verb. Pharisæus*, subdens ibidem, varias esse opiniones Scriptorum circa tempus, quo cœperit hæc Pharisæorum secta; quamvis de ea credatur, quòd habuerit ortum tempore Jonathæ Machabæi; scilicet centum & triginta annis ante adventum Christi. In eam ingrediebantur tum Laici, tum Sacerdotes, & Levitæ, dummodo non essent plebei, sed nobiles conditione, litteris, aut opibus; ad instar Collegiorum DD. Juristarum & Philosophorum Paduæ;
44 in quæ non recipiuntur nisi Cives nobiles, vel eminenti doctrina præclari. Ideò multi de Scribis, & Legisperitis Hebræorum intrabant hanc sectam, & erant Pharisæi de quacunque Tribu; ut testatur S. Paulus de se ipso sic scribens ad Philippenses *cap.* 3. *vers.* 5. *Circumcisus octavo die, ex genere Israel, de Tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus*: nam huic sectæ se adjunxerat zelo majoris observantiæ Legis Divinæ, quam Pharisæi profitebantur, ut explicat Tirinus dicto loco. Major autem pars Pharisæorum erat de Sacerdotibus, ac Levitis, quales fuerunt illi missi à Judæis ad Joannem Baptistam, qui *erant ex Pharisæis*, ut habetur *Joan. cap.* 1. *vers.* 19, & 24.

At progressu temporis secta hæc Pharisæorum in varia vitia relaxata est, & præcipuè in hypocrysim,
45 & varias superstitiones; nec non in varios errores, docentes omnia ex facto accidere; arbitrium non esse liberum in homine, animasque piorum hominum in alia corpora transmigrare; qua de causa dixerunt, Christum Dominum esse vel Eliam, vel Jeremiam, vel Joannem Baptistam; quia ipsi Pharisæi putabant animas eorundem Prophetarum transmigratas in Christum, ut observat Eminentissimus Cardinalis Baronius *in Apparatu Annalium à num.* 8. *& seqq.* Menochius *in Storeis Centur. prima cap.* 92. & Magri *in Hierolexic. d. verb. Pharisæus*, referens prædicta vitia, & errores, de quibus frequenter à Christo Domino distringebantur. Et Tirinus *in verb. Pharisæi* subdit, eos fuisse collegas in vitiis, & erroribus cum Scribis, & quòd totum eorum studium in exteriori pietatis specie versabatur.

Hinc cùm Religio Pharisaica cursu temporis à vera sanctitate defecisset, divisa fuit in varias spe-
46 cies Pharisæorum; quarum septem narrat Julius Maurocenus Neophitus, olim Rabbinus Hebræus in suo opere *Via della fede mostrata à gl' Ebrei part.* 2. *cap.* 14. *pag.* 239. desumptas ex libro Talmud in tractatu *Sotta*, & sunt hujusmodi. Prima *Pharisæorum Sichimitarum*, qui se circumcidebant, non ut Deo obtemperarent, sed ut hominibus placerent. Secunda *Pharisæorum impingentium*, qui simulantes abstractionem mentis in Deum, dum ambularent, pedibus impingebant in saxa. Tertia *Pharisæorum Sanguinolentorum*, quia (ut docet etiam Magr. *in Hierolexic. in Verb. Pallium.*) Ponebant spinas in pallii extremitatibus, à quibus eorum pedes puncti sanguinem effundebant. Quarta *Pharisæorum incurvantium*, qui stultè credentes illidere ad divinos pedes, ob Dei immensitatem, toto corpore curvo incedebant. Quinta *Pharisæorum interrogantium*; à quibus flagitabantur apud omnes, *Quid faciam?* ut ostenderent, se legis observatores. Sexta *Pharisæorum amantium*, qui amore præmii pœnitentiam agebant. Septima tandem *Pharisæorum timentium*; qui ex timore pœnæ dicebant, se bene agere. Hæc ex Talmudicis eruditionibus. His addenda est Octava secta *Pharisæorum jejunantium*, qui jejunabant bis in hebdomada, ut dicebat Pharisæus ille in templo. *Luc. cap.* 18. *vers.* 11. *Jejuno bis in Sabbato.*

Omnia autem opera sua Pharisæi dirigebant ad eum scopum, ut ab hominibus laudarentur, ut ajebat Salvator *Matth. cap.* 22. *vers.* 5. idcircò dila- 47
tabant Philacteria sua, & magnificabant fimbrias, *Philacteria* ast nomen græcum φυλακτήρια, nempè *custoditoria*, sive *conservatoria*, & desumitur à verbo φυλαττω quod idem est ac custodia, custodiebant enim Pharisæi præcepta Decalogi scripta in chartis, seu membranis, quas irrigatas auro, & complicatas portabant quasi coronam capitis ante oculos, Magr. *in Hierolexic. verb. Phylacteria*. Tirin. *in c.* 23. *Matth. vers* 5. & Barrad. *d. tom.* 3. *in Evangel. lib.* 8. *cap.* 24 *vers.* 6. ubi alias interpretationes ponit de *Phylacteriis*, *ac fimbriis*; Sed omnes tendebant ad demonstrandam superbiam, ambitionem, & hypocrisim eorumdem Pharisæorum, quos acriter redarguebat S. Joannes Baptista, vocans eos, *progeniem, & genimina Viperarum. Matth. & Luc. cap.* 3. *vers.* 7. ex eo quia lacerabant, & rodebant falsis doctrinis eorum Matrem Synagogam, sicut viperæ lacerantur à filiis, quos pariunt, teste Plinio *in Histor. Nat. libr.* 10. *capit.* 62. & Aristotele *lib.* 6. *de Nat. Anim. cap.* 34. Eosdem Pharisæos Christus Dominus fortiter increpabat, ut in *Matth. capit* 23. ubi octies ipsis interminatur damnationem æternam, cum interjectione illa *Va*? ob scilicet multiplices, in quibus vivebant, iniquitates; nam ut idem Salvator revelavit Sanctæ Birgittæ, *in Revelat. Extravag. tom.* 2. *cap.* 60. *Lavabant se jugiter, ut viderentur mundi, jejunabant, & orabant in aperto, ut vocarentur Sancti; docebant, & præcipiebant multa, quæ ipsi minimè faciebant. Sed modicum profuit eis apud Deum, quia intentio eorum erat corrupta, & anima immunda.* Et hæc de Pharisæis. Post quos veniebant.

Sadducæi, quorum inter Hebræos erat secta pe-
culiaris, quæ gloriabatur justitiam colere, & Legem 48
Mosaycam observare; & nominabantur Sadducæi vel ab Hebraica voce *Tsaddic*, seu *Tsedech* quæ significat justitiam, ut ait Sanctus Epiphanius *Hæres.* 14. S. Hieronymus *in cap.* 22. *Matth.* & Abulensis ibid. *quæst.* 125. vel à quodam *Sadok* eorum institutore, qui cùm fuisset discipulus Antigoni Pharisæi magni nominis, eo derelicto, se conjunxit cuidam Dositheo, apostatæ Judæo, facto Samaritano, ut ex Tertulliano *libr. de Præscriptionib. cap.* 45. scribit Menochius *in Storeis d. part.* 1. *Centur.* 1. *cap.* 93. & Magr. *in Hierolexic. verb. Sadducæus.* Hi negabant tum libros Prophetarum, tum cæteros veteris testamenti, & solum Pontateuchum admittebant. Refutabant quascunque traditiones Seniorum, & negabant resurrectionem mortuorum, Animæ immortalitatem; Angelos & Spiritus, ut legitur *in Matth. cap.* 22. *vers.* 23. nec non æterna bonorum præmia,

& malo-

& malorum supplicia; & eorum doctrina vergebat
49 in Epicureismum atque Atheismum; & hos Sadducæos sectabantur multi Principes Sacerdotum, & ferè Optimates Judæorum, libertati carnis præ aliis inhiantes. Tirinus *in Matth. cap. 3. Vers. 7.* Menochius *d. Centur. 1. cap. 93.* Idcircò contrarii, atque infensi erant Christo Domino, à quo de errore doctrinæ, & de iniquitate morum reprehendebantur, & convincebantur. *Matth. cap. 16. Vers. 1, & cap. 22. Vers. 23.* eorumque crudelitas sævit in Apostolos, & discipulos Christi, & præcipuè contra Divum Paulum; ut legitur *in Actib. Apostol. cap. 4. Vers. 2. cap. 5. Vers. 17. & cap. 23. Vers. 6. & seqq.* Satis autem sit de his referre, quæ scribit Eminent. Cardin. Baronius *in apparatu Annal. cap. 9.* his verbis: *Sadducæos inter se feris moribus discrepasse; & erga exteros illiberales, & inhumanos fuisse; quam ob causam aversatum eos populum, Pharisæorum potiùs audientes fuisse. Josephus de Bello Judaico lib. 2. cap. 7. in fin. & lib. 18. Antiquit. cap. 2. tradit: additque ejus sectæ fuisse paucos; sed ferè dignitate præcipuos.* At relictis his viperarum geniminibus, loquamur de sanctis, & religiosis viris, qui in Lege Mosayca vivebant, quorum præcipui,

Nazaræi. Hi erant viri, & mulieres de quacunque Tribu, à quibus emittebatur votum de
50 serviendo Deo sub certis regulis vel ad tempus limitatum, vel in tota vita; ut habetur in *libro Numeri cap. 6.* & ibi Tirinus *Vers. 2.* observans hos Nazaræos dici à verbo Hebræo *Nazir*, quod significat *Segregatum*; quia Nazaræi segregabantur à communi aliorum hominum statu, peculiari professione sanctimoniæ, ac Religionis. Menochius *d. Centur. 1. cap. 94.* & Magr. *in Hierolexic. Verb. Nazaræus.* Addentes, quòd Nazaræatus incœpit tempore Moysis, & duravit usque ad Apostolorum ævum; nam Divus Paulus cum aliis suscepit ex voto Nazaræatum ad tempus, ut legitur in *Actib. Apostol. cap. 18. Vers. 18. & in cap. 21. Vers. 25.* quemadmodum tota eorum vita durante fuisse Nazaræos Sampsonem, Samuelem, S. Joannem Baptistam, S. Jacobum Minorem, & alios registrat Tirinus *in libr. Numer. cap. 6. Vers. 2.*

Regulæ autem servandæ à Nazaræis, toto tem-
51 pore, quo eorum votum durabat, erant quinque. *Prima*: Abstinebant à vino, sicera, uvis, ac etiam aceto, sola aqua contenti. *Secunda*: Capillos intonsos ferebant. *Tertia*: Intervenire non poterant exequiis mortuorum, neque cadavera tangere, etsi Patris, ac Matris, neque sepulchra defunctorum; aliàs remanebant polluti, & contaminati; opusque erat tondere comam, offerre Sacrificium pro expiatione; & reassumere à principio tempus Nazaræatus; & sic fecisse Apostolum Paulum, qui in Chenchris sibi caput to-
52 tondit, (*Chenchræ* est portus Corinthi, ad Orientem, ut inquit Strabo) forsan ob contractam aliquam legalem immunditiam ex contactu alicujus morticini, vel ex aliquo funere, putat Tirinus *in cit. cap. 18. Actor. Vers. 18.* & Menoch. *in iisdem Actib. lib. 2. cap. 25. num. 4. Quarta*: Completo Nazaræatus tempore offerebant ad portam Tabernaculi tres Victimas; Agnum scilicet pro holocausto; Ovem pro hostia peccati; & Arietem pro Hostia pacifica; quæ litabantur à Sacerdotibus. *Quinta*: Tondebant sibi capillos, quos Deo oblatos Sacerdos comburebat; & sic finem habebat Votum, & observantia assumpta Nazaræatus; ut latiùs scribunt Tirinus *in dict. libr. Num. cap. 6. Vers. 2.* & ibidem Cornelius à Lapide *Vers. 9.* Saltanus *ad Annum Mundi 2860. num. 14.* Torniell. *ad Annum 2545. num. 13.* Barradas *in Evangel. tom. 1. lib. 10. cap. 11.* & 53
Menochius *d. Centur. 1. cap. 94* ubi eruditè probat, antiqui testamenti Nazaræos fuisse umbram Religiosorum novæ legis; hi enim separati vivunt à laicis habitu, habitatione, & professione. Abstinent à deliciis per votum paupertatis, sicut illi abstinebant à vino, & ab omni potu, ex quo causari posset ebrietas. Cavent à culpis etiam venialibus; sicut prædicti cavebant ab immunditiis legalibus. Spoliantur omni affectu Parentum. Nutriunt bona desideria, quemadmodum illi comam. Complent tandem Nazaræatum, ideſt Religionis cursum triplici Sacrificio, scilicet holocausto, hostia pro peccato, & pro gratiarum actione per mortem Sanctam, quam obeunt Religiosi, ac Moniales, quorum vita, bona opera, atque pœnalitates in iisdem Sacrificiis continentur.

Hìc autem tria dubia possunt excitari. *Unum*
54 est, an Joseph Patriarcha, atque Pro-Rex Ægypti fuerit Nazaræus? De eo enim Moyses benedicens illius progeniem, ait: *Benedictio illius, qui apparuit in Rubo, veniat super caput Joseph, & super verticem Nazaræi inter fratres suos. Deuter. cap. 33. Vers. 16.* Respondetur, Josephum non fuisse Religiosum Nazaræum, quippe hæc Religio Nazaræa cœpit tantummodo tempore Moysis; sed sic appellari per antonomasiam; nam fuit separatus ab aliis suis fratribus in venditione; fuit sanctus, & impollutus resistendo illecebris Heræ suæ; & fuit intonsus toto tempore, quòd stetit in carcere. Ita ex Ruperto Abbate, Cornel. à Lapide *d. cap. 33. Vers. 16. Deuter. Secundum* dubium est; An Absalon 55
fuerit Nazaræus? siquidem semel in anno tondebat capillos. 2. *Reg. 14. 26.* Respondetur, non fuisse Nazaræum; tonsio autem capillorum fiebat ab eo, quia sibi erant oneris, & à mulieribus Hebræis emebantur ducentis siclis, ut ait ibi Scriptura. *Tertium* dubium est; an Chri- 56
stus Dominus hanc professionem Nazaræatus fecerit? Et respondetur, non fuisse legalem Nazaræum; tùm quia vinum potabat, tum etiam quia caput suum non radebat, & cæsariem subflavam, capillosque prolixiores portabat; quos tamen aliquando rescidisse, ne nimiùm longi evaderent, verisimile esse affirmat Barradas *dict. tom. 1. in Evangel. lib. 10. cap. 11. in fine.* Vocabatur autem Nazaræus Salvator noster juxta dictum *Matthæi cap. 2. Vers. 23.* vel à Civitate Nazareth in qua educatus est; vel quia separatus ab aliis hominibus, *Sanctus, innocens, impollutus, & segregatus à peccatoribus* fuit, ut ait Apostolus *ad Hebr. cap. 7. Vers. 26.* Vel etiam quia Nazaræus interpretatur *floridus*; ideò verba illa Isaiæ Prophetæ *cap. 11. Vers. 1. Egredietur Virga de radice Jesse; & flos de radice ejus ascendet:* Ita declarantur à SS. Patribus. *Virga*, ideſt Deipara egredietur de progenie David filii Jesse. *Et flos de radice ejus ascendet*; ideſt Christus Nazaræus, floridus omni virtute, gratia, & scientia; ut ex Divo Hieronymo, aliisque Doctoribus Sacris differunt Barradas *d. tom. 1. lib. 10. cap. 11.* & Tirinus *in Isaiam cap. 11. Vers. 1.* Hæc de Nazaræis; quibus succedunt.

Rechabitæ, ideſt Religioſi vitam Monaſticam
57 tenentes, ita appellati à *Rechab.* patre Jonadab; inſtitutoris, qui tria iiſdem Religioſis præcipua commendavit. *Unum*, quòd abſtinerent à vino. *Alterum*, quòd domos non fabricarent, ſed degerent tanquam peregrini in hoc ſæculo ſub tentoriis. *Tertium*, quòd agros non ſererent, neque vineas plantarent; ſed in ſumma paupertate viverent, ut latiùs ſcribit Sanctus Hieronymus *in Epiſt. 13. ad Paulinum.* Becanus *in Analogia Veter. ac novi Teſtam. cap. 9.* Menochius *in Storeis d. Centur. 1. cap. 94.* Magr. *in Hierolexic. Verb. Recabiti*, & Tirinus *in libr. Num. cap. 10. Verſ. 29.* ubi advertit, Recabitas deſcendere à Madianitis, eorumque fundatorem fuiſſe *Hobab* filium Jetro Madianitæ, ſoceri ipſius Moyſis, & per conſequens ejuſdem Moyſis cognatum, à quo hi Religioſi piam vitam ducere edocti ſunt, abſtemii à vino, & ab aliis deliciis; & occupati in continua meditatione, ac contemplatione divinæ legis; idemque autumat Seratius *in Trihæreſio lib. 3. cap. 9. & 10.* nec non Cornelius à Lapide *in Jeremia cap. 35. Verſ. 2.* addentes ibid. probabilius
58 eſſe, quòd vita Anachoretica, & Monaſtica derivata ad Chriſtianos initium ſumpſerit non à S. Elia, ſed prædicto pio, ac ſancto Viro *Hobab* cognato Moyſis, Cinæo etiam vocato. Cæterum Salianus *ad Annum Mundi 3151. num. 52.* innixus auctoritate Joannis Hieroſolymitani *de Inſtitut. Monachor. cap. 5.* docet, auctorem, & fundatorem Rechabitarum fuiſſe prædictum *Jonadabum* diſcipulum Eliſæi Prophetæ, ex quo is ſuſcitavit à mortuis filium Sunamitidis; amplexum omne inſtitutum vivendi ejuſdem Eliſæi; quamvis concedat, Rechabitas oriundos à Cinæis cognatis Moyſis; & idem ſentire videtur Torniellus *Anno Mundi 3151. num. 2. & Anno 3428. num. 7.*

Sed mirabile fertur experimentum factum, juſ-
59 ſu Dei, ab Jeremia de Rechabitis proponendo iiſdem Calices mero plenos, ut biberent; & eorum conſtantiam in non bibendo; à quorum exemplo Jeremias cœpit redarguere populum Iſraëliticum de ejus inobedientia erga Dei præcepta: quæ omnia, quia clarè habentur in textu ſacro *Jerem. cap. 35. à num. 5. & ſeqq.* ideò non me piget Scripturæ verba tranſcribere, & ſunt iſta: *Et poſui* (ait Jeremias de ſe) *coram filiis domus Rechabitarum ſcyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos: Bibite vinum. Qui reſponderunt, non bibemus vinum; quia Jonadab filius Rechab, Pater noſter, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filii veſtri uſque in ſempiternum. Et domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris, ut vivatis diebus multis ſuper faciem terræ, in qua vos peregrinamini. Obedivimus ergo voci Jonadab filii Rechab, patris noſtri, in omnibus, quæ præcepit nobis: itaut non biberemus vinum cunctis diebus noſtris, nos, & mulieres noſtræ; filii, & filiæ noſtræ: & non ædificaremus domos ad habitandum, & vineam, & agrum, & ſementem non habuimus: ſed habitavimus in tabernaculis; & obedientes fuimus juxta omnia, quæ præcepit nobis Jonadab Pater noſter.* Ex hoc textu Sacro tria collige. *Unum*, quòd fundator Rechabitarum fuit Jonadab, qui vivebat tempore Eliſæi, nam ab iiſdem vocatur *Pater noſter*. *Alterum* quòd Rechabitæ etſi Religioſi, ac Monachi non ſervabant continentiam, quia habebant mulieres, filios, & filias. *Tertium*, quòd Elias, & Eliſæus emiſerunt tria vota 60
Religioſa Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ; ut ex innumeris antiquis, & modernis auctoribus deducit, ac firmat Collegium Salmanticenſe *tom. 8. tractat. 20. de Statu Religioſo diſput. 3. dub. 2. §. 1. & ſeqq. ac dub. 3. cum aliis ſequentibus*, in quibus contrarium ſentientes allegat, & conatur convincere, quos ſtudioſus ibi poterit videre. Poſt prædictos Rechabitas veniunt,

Eſſeni, qui ex univerſali Scriptorum placito
61 erant Monachi, ſeu Anachoretæ, ſervitio Dei mancipati, vitam rigidiſſimam agentes; caſtitatemque, paupertatem, ac obedientiam ex voto ſervantes, ut pluribus auctoribus demonſtrat Collegium Salmanticenſe *dict. tom. 8. de Statu Religioſo tractat. 20. diſput. 3. dub. 2. & ſeqq.* Cæterùm quo tempore Secta Eſſenorum inſtituta ſit? non eſt facilè diffinire; tres enim reperio de Eſſenorum antiquitate opiniones. Una Saliani *ad Annum Mundi 3021. num. 8.* qui auctoritate Sancti Hieronymi fretus putat eos viguiſſe tempore Regis David; & propter eorum egregium vitæ probitatem, fuiſſe præceptores nobiliorum adoleſcentium, ac etiam filiorum ejuſdem Regis, à quo honoris cauſa vocati fuerunt ad generalia comitia per ipſum Regem David convocata, ut legitur 1. *Paralipom. cap. 28. Verſ. 1.* ubi, appellantur Eunuchi; non ob virilium abſciſſionem; id enim erat prohibitum inter Judæos tum viris, tum brutis. *Deuteronom. cap. 23 Verſ. 1. & Levitic. cap.* 62
23. Verſ. 24. Sed ob voluntariam caſtitatem, & abſtinentiam à nuptiis, ut fuſiùs proſequitur idem Salianus *in Schol. 1.* ad d. Annum. Secunda opinio eſt antedicti Collegii Salmanticenſis *d. tom. 8. de Statu Religioſo, tractat. 20. diſp. 3. à num. 22. uſque ad num. 60.* ubi mordicùs tuetur, Eſſenos extitiſſe diſcipulos Eliſæi; & ab eo vitam Monaſticam, & Religioſam recepiſſe; & per conſequens tempore Eliæ, & Eliſæi eorum Sectam ortum habuiſſe. Tertia eſt Eminentiſſimi Cardinalis Baronii *ad Annum Chriſti 64. à num. 3. & ſeqq.* ubi abundanter probat, ex Caſſian. *lib. 2. cap. 5. de Inſtitut. Cœnob.* ex Sozomeno *lib. 1. cap. 12. in fine*, ex Beda *in Præf. in Marcum.* Eſſenos fuiſſe 63
Chriſtianos Monachos, à S. Marco Evangeliſta inſtitutos in Eccleſia Alexandrina; quorum vita erat auſteriſſima, & tantæ Sanctitatis, ut meruerit laudari à Joſepho, & Philone hebræis; tum à Plinio, ac aliis Scriptoribus profanis, de quibus Cardinalis Baronius antedictus; & Serlogus *in Cantic. tom. 2. Veſtig. 24. ſect. 1. num. 15.* ubi plurimos DD. cumulat ſic opinantes.

Quidquid ſit de origine, ac initio Eſſenorum
64 Anachoritarum, dicendum videtur, eorundem fuiſſe claſſes duas; quia præter ſupradictos religioſiſſimos, ac exemplares, de alia Eſſenorum claſſe ſic ſcribit Magr. *in Hierolexic. verb Eſſeni. Eſſeni, una ex Hebræorum ſectis, quæ nimia auſteritate, & à reliquis ſegregate vivebat; & ideò à cæteris Hebræis tanquam Schiſmatici habebantur Eſſeni, tum ex hoc, tum etiam quia nolebant ſacrificare in Templo, aſſerentes ſanctioribus cæremonus eos uti, ac teſte S. Epiphanio, tantùm Pentateuchon ex Sacra Scriptura admittebant; reliquos verò ejuſdem ſacra paginæ libros rejiciebant;*

non

non credebant in mortuorum resurrectionem; nihilominùs quò ad mores ab omnibus laudabantur. Quem fidei defectum in Essenis objicit etiam Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 3. cap. 1. à num. 8.* & novissimè Salelles *de S. Inquisitione libr. 3. cap. 4. Regul. 212. num. 111. & seqq.* Nihilominus Collegium Salmanticense *d. disput. 3. num. 62.* ab hac nota vindicat, Essenos Eliseæ discipulos, & demonstrat schismaticos Essenos fuisse Samaritanos, qui videntes Essenorum institutum apud Judæos florere, conati sunt illud imitari; sed cum defectibus, de quibus supra; ut latiùs apud idem Collegium Salmanticense, non levem pugnam ingressum ad sustinendam sobolem Eliseæ Monasticam contra tot, & tantos Auctores, qui scripserunt, verum statum Religiosum cum tribus solemnibus votis, qui in Ecclesia Christiana habetur, non fuisse in veteri Testamento.

Assidæi post prædictos Essenos aliam speciem
65 Cleri Regularis Mosayci videntur conficere, de quibus mentio habetur *in lib. 1. Machabæor. cap. 7. Vers. 13. & in lib. 2. cap. 14. Vers. 6.* de quibus sic differit Tirinus *d. lib. 1. cap 7. Vers. 13. Assidei sic dicti à radice* Cassid, *idest Misericors, Sanctus, Pius, quales hos fuisse testatur Joseph; tum professione religionis, & fidei, tum præstantia operum. Præ cæteris enim majorem Religionis Zelum, & sanctitatis studium præseferebant, speciali Societatis vinculo inter se devincti, & specialibus institutis non minus, quàm nomine à reliquo populo distincti, ferè ut nunc Religiosi.* Subdens ibidem, quòd Judas Machabæus erat Præpositus generalis hujus Ordinis, ut legitur *in d. lib. 2. Machabæor. cap. 14. Vers. 6.* & quod herbis nutriebantur, de resurrectione carnis, & animæ immortalitate piè sentiebant; uxores vel nunquam, vel non nisi tardè ducebant; & quòd zelo religionis, & animi fortitudine fuerunt præclari. Alii tamen arbitrantur, Assidæos non fuisse Religiosos; sed Hebræos magnum Zelum observantiæ legis habentes; de quibus sic ait Magri *in Hierolexic. in verb. Assidæi. Hæc non fuit secta inter Hebræos, ut aliqui autumant: sed ita Mosaycæ legis observatores, ad distinctionem Apostatarum; Vox enim* Cassidim, *hebraicè sonat justos, ac pios.* His annectendi sunt.

Dosithæi; de quibus scribit idem Magri *in Hie-*
66 *rolex. eod. verb.* quod erat quædam Samaritanorum secta religiosa, quæ abstinebat ab esu rerum animatarum, credebat mortuorum resurrectionem; observabat Sabbata, sed ita, & taliter ut ipsi Dosithæi remanerent immoti toto eo die festivo in illo situ, ac positione, in quibus præventi ab eodem die reperiebantur; quod etiam affir-
67 mat Eminent. Cardin. Baronius *in Apparatu ad Annal. Ecclesiast. cap. 10.* ubi curiosum refert exemplum, desumptum *ex Epistola 4. Synesii* Episcopi Cyrenensis ad Evoptium; narrat enim ipse Synesius Episcopus navigasse ex Africa in navi cujusdam Judæi Dosithei, cujus nomen Amarantus erat; ortaque tempestate die Veneris cum evidenti periculo naufragii, Amarantus constanter rexit navim usque ad occasum Solis; at inchoante tunc Sabbato, Amarantus, relicto clavo, prosternit se; ratique navigantes id ex desperatione eum, fecisse, omnes consternabantur; sed cùm intellexissent, sic eum stare ex superstitiosa observatione Sabbati, non obstante prædicto periculo naufragii, evaginatis ensibus, eum cogere tentarunt, ut ad clavum, & ad regimen navis assurgeret: at ille impertetritus immobilisque remansit, tota nocte, ac Sabbato sequenti, quo expleto spontè surrexit, & clavum omissum recepit navis, quæ ex Dei misericordia naufragium non fecerat, orantibus cum lacrymis omnes Christiani in ea existentes. Idem exemplum fusius narrat Menochius *in Stores part. 1. Centur. 1. cap. 11.* ad confusionem fidelium nostri temporis, quorum parùm videtur interesse dies festivos sanctificare; & à servilibus operibus abstinere.

Hemerobaptistæ, erat alia classis religiosorum
hominum apud Judæos; sic dicti, quia quo- 68
tidie lavabant totum corpus suum ad sanctitatem acquirendam; affirmantes, hominem vivere non posse, absque quotidiano lavacro; quorum exemplum nunc Mahometani imitantur. Hi autem Hemerobaptistæ fuerunt illi, qui exprobrarunt discipulos Christi, quia non lotis manibus panem manducabant, ut ex S. Epiphanio *in Panar. libr. 1. cap. 17. & cap. 18.* scribit Eminent. Cardin. Baronius *in d. Apparatu cap. 11. & Ann. 33. num. 14.* Salelles *de S. Inquisit. lib. 3. cap. 4. regula 212. num. 115.* ubi plures Auctores citat. Et novissimè Magri *in Hierolex. eod. verb. Hemerobaptistæ.*

Herodiani tandem constituebant aliam sectam religionis in Lege Mosayca; & hi adorabant Herodem tanquam Messiam, talem illum existi- 69
mantes; quia intrusus erat in regnum Judaicum tempore, quo ablatum erat sceptrum de Juda juxta prophetiam Jacobi Patriarchæ. *Genes. cap. 49. Vers. 10.* Ideò Herodes hac opinione allectus fabricavit de novo Templum Jerosolymitanum, ut diximus supra *Decis. XIII num. 38.* & differit Menochius in Histor. *Sacra libr. 4. cap. 4. num. 3.* ubi Auctores antiquos cumulat. Quamvis alii dissentiant, autumantes Herodianos fuisse de familia Herodis; vel sic nominatos, quia celebrabant annualem Herodis diem; sive quia ad Herodis complacentiam solvebant tributum Romanis; à quibus ipse Regnum obtinuerat; quod satis verisimile appareat; quia hi Herodiani cum Pharisæis accesserant ad Christum, tentantes eum, an liceret tributum dare Cæsari? ut legitur *in Matth. cap. 22. vers. 17.* De his autem videndus Barradas *in Evangel. tom. 3. libr. 8. cap. 12.* & Magri *in Hierolexic. Verb. Herodiani*, ubi de supradictis opinionibus copiosè discurrunt.

DECISIO XXV.

ARGUMENTUM.

De Prophetis Legis naturæ, Mosaycæ, & Evangelicæ. Quid sit Prophetia? A Quo detur hoc donum, & Quibus? An Dæmones possint revelare futura? Et an cognoscant occultas hominum cogitationes? Quot, & quibus modis fiant revelationes hominibus tum externæ, tum internæ; tam in somnis, quàm in extasi, & raptu? Signa cognoscendi revelationes veras à falsis. Compen-

diosa relatio sexdecim Prophetarum, de quibus in Sacra Scriptura. Quæsita plura curiosa circa materiam Prophetiæ.

SUMMARIUM.

1 *Prophetæ nomen quid significet? & unde ejus Etymologia?*
2 *Prophetiæ definitio, ac ejus declaratio.*
3 *Prophetare an quis possit rem, quam ipse non intelligat?*
4 *Dei solius est scire futura, & occulta.*
5 *Dæmones an possint revelare futura, & occulta?*
6 *Oracula gentilium, in quibus dabantur responsa.*
7 *Oraculum Gerionis in Villa Apponi Diœcesis Patavinæ, ubi Diabolus revelabat futura.*
8 *P. Jacobus Salomonius è familia Prædicatorum laudatus.*
9 *Cogitationes hominum an cognoscantur à dæmonibus?*
10 *Dæmoniacæ revelationes incertæ, & æquivocæ.*
11 *Deus cognoscit omnia futura contingentia, non solùm libera, sed etiam contingentia. Et quomodo?*
12 *Exempla futurorum contingentium.*
13 *Præterita repetere est proprium Prophetarum.*
14 *Prophetarum est manifestare præsentia, quæ sint occulta.*
15 *S. Benedictus Abbas dono prophetiæ ditatus. S. Pius V. S. Philippus Nerius, & S. Catharina Senensis revelantes res præsentes, sed occultas.*
16 *Prophetia datur in utilitatem populorum.*
17 *Prophetæ quot, & quibus modis recipiant Divinas revelationes?*
18 *Revelationes fiunt vel immediatè à Deo, vel ejus jussu ab Angelis.*
19 *Adamo, & Evæ Deus immediatè, & per se loquebatur.*
20 *S. Ignatio Loyolæ Deus Pater est immediatè locutus.*
21 *Deus an videri possit in sua essentia ab homine viatore?*
22 *Angeli revelabant ut plurimùm futura hominibus.*
23 *Revelationes cœlestes aliæ sunt claræ, aliæ æniginaticæ. Exempla de utrisque.*
24 *Revelationes fiunt vel per locutionem externam, vel in somnis, vel in extasi.*
25 *Quid, & Quotuplex sit Extasis?*
26 *Dæmon quomodo illudat phantasiam hominum?*
27 *Raptus quid sit?*
28 *Exempla Sanctorum, qui in spiritu etiam cum corpore elevabantur à terra.*
29 *Revelationes interna fiunt vel per species imaginarias in phantasia; vel per species intelligibiles in intellectu. Et quomodo?*
30 *Revelationes, & Visiones merè intellectuales an dentur?*
31 *Prophetiæ qui sint capaces?*
32 *Infantium exempla, qui miraculosè prophetaruut.*
33 *Plebis Sacci Castri Paduani infans disertè locutus.*
34 *Templum D. Antonii Patavini cur dicatur.* Il Santo.
35 *Ethnici, & Gentiles aliquando prophetarunt.*
36 *Animalia irrationabilia Prophetarum officio functa.*
37 *Canis Beatæ Margaritæ Cortonensis indicat ei Amasium occisum.*
38 *Prophetia utrum sit qualitas habitualis.*
39 *S. Philippo Nerio subtractum donum cognoscendi Spiritum Ursulæ Benincasæ.*
40 *Prophetia an sit à Deo, & Angelo bono, vel à dæmone quomodo cognoscatur? Signa decem & septem.*
41 *Bonitas Prophetæ an satis sit pro certitudine Prophetiæ?*
42 *Revelationes à quibus examinandæ ex Concil. Lateranensi?*
43 *Urbanus VIII. quid decreverit circa impressionem librorum cum revelationibus, & miraculis servorum Dei?*
44 *Protestatio Scriptoris facienda in principio libri circa revelationes, & miracula servorum Dei ex alio Decreto Urbani VIII.*
45 *Revelationes, & miracula scripta in Vitis Sanctorum & Servorum Dei à privatis auctoribus an sint necessario credendæ?*
46 *Prophetæ in Lege Naturæ, qui, & quot fuerint?*
47 *Prophetarum duo genera in Lege Mosayca Unum prædicentium futura. Aliud cantantium divinas laudes.*
48 *Prophetæ in Lege Scripta prædicentes futura qui, & quot fuerint?*
49 *Prophetæ alii majores; & qui, & quot?*
50 *Isaiæ Prophetæ compendiosa vitæ narratio.*
51 *Jeremiæ vita breviter relata.*
52 *Ezechielis vitæ summaria notitia.*
53 *Danielis Prophetæ brevis narratio vitæ.*
54 *Daniel in lacu leonum liber insculptus in sepulchris Christianorum in Symbolum resurrectionis futuræ.*
55 *Oseæ Prophetæ Vita.*
56 *Joelis Prophetæ Vitæ compendium.*
57 *Amos pastor ovium, deinde Propheta, & Martyr.*
58 *Abdias Propheta quisnam fuerit, & quo tempore?*
59 *Jonæ Prophetæ vita breviter narrata.*
60 *Michææ Prophetæ ortus, vita, & Martyrium.*
61 *Nahum quid significet? ubi, & quando prophetaverit?*
62 *Habacuc Propheta an fuerit ille, qui prandium detulit Danieli in lacu leonum? Brevis notitia ipsius vitæ.*
63 *Sophoniæ Prophetæ Vita, & revelationes.*
64 *Aggæi Prophetæ, & labores in reædificatione Templi.*
65 *Zachariæ Propheta quis, & quando fuerit?*
66 *Malachiæ prædictiones, & Prophetia.*
67 *Prophetæ innumeri in Lege Evangelica.*
68 *Christus Dominus Prophetiæ dono semper ditatus, ut homo.*
69 *S. Zacharias Pater S. Joannis Baptistæ, Simeon Senex, S. Joannes Evangelista, & Agabus Prophetæ fuerunt, præter alios innominatos.*
70 *Prophetæ quare non sunt accepti in Patria sua.*

Ultra

ULtra Levitarum personas, & alias religiosas sectas, sive bonas, sive malas hominum Divino servitio mancipatorum in Lege Mosayca, considerandi etiam veniunt Prophetæ, à quibus Synagoga continuis temporibus fuit illustrata; & quorum ministerio Deus frequenter utebatur in reprehendendis peccatoribus; & in comminandis pœnis, ac flagellis, ob eorundem culpas infligendis; quapropter ad plenam notitiam Cleri Mosayci, & Aaronici, antequam ad ejusdem sacrificia descendamus, oportet breviter, quæ principaliora sunt de Prophetis explicare; & de his in præsenti Decisione videbimus

1 *Quid sit Prophetia?*
2 *Quot, & Quibus modis Prophetæ recipiant Divinas revelationes de rebus futuris, & arcanis?*
3 *Qui sint capaces Prophetiæ, & Divinarum Revelationum?*
4 *An Prophetia sit qualitas habitualis?*
5 *Quomodo cognoscatur, an Prophetia sit à Deo, seu ab Angelo bono? vel ab Angelo malo?*
6 *Qui, & Quot fuerint Prophetæ in Lege Naturæ? In Lege Mosayca? & in Lege Evangelica?*

1 Quò ad primum. Prænotare oportet etymologiam hujus nominis *Propheta* provenire, vel *à procul fando*, ut ait Lyranus *in lib. Num. cap.* 22. quia qui prophetat, fatur ea, quæ à nobis sunt procul, vel loco, vel tempore; vel à verbo græco πρόφαγι, quod est *profari*, scilicet prædicere, ut ex auctoritate Vulpiani observat Vossius *in Etymolog. Linguæ Latinæ, verb. Propheta*; addens ibidem multiplicem fuisse significationem hujus nominis apud Gentiles, apud quos ita vocabantur tum Sacerdotes Idolorum, tum Antistites Fanorum. Porrò apud Auctores Sacros Prophetas innuit tria genera personarum; nempè Cantores, divinas laudes psallentes, ut notat Cornelius à Lapide *in libr.* 1. *Reg. cap.* 10. *Vers.* 5, & nos diximus supra *Decis. XXIV. num.* 18. Personas operantes miracula, prout de Eliæo jam mortuo, ad cujus contactum mortuus suscitatus fuit, dicit Scriptura *Ecclesiast.* 48. 14. *Mortuum prophetavit corpus ejus: in vita fecit monstra; & in morte mirabilia operatus est.* Et de Salvatore nostro, quando suscitavit filium Viduæ in Civitate Naim, dixerunt populi: *Propheta magnus surrexit in nobis. Luc.* 7. 16. Sed communiter significat aliquem prædicentem futura, vel abscondita; scilicet habentem donum Prophetiæ, ut bene advertit Tirinus *in Prolog. Idiotis, mor. Linguæ Hebr. num.* 11. Eminent. Cardin. de Lauræa *in* 3. *libr. Sent. tom.* 4. *de Virtutib. Theolog. & aliis gratiis gratis disp.* 19. *num.* 160.

2 Igitur Prophetia sic definitur. *Prophetia Spiritus est externa manifestatio ex Dei revelatione futurorum contingentium principaliter; & aliquando etiam præteritorum, ac præsentium occultorum, sive distantium, sive indistantium, & vicinorum, in utilitatem personarum.* Et est desumpta ex scriptis ejusdem Emin. Cardin. de Lauræa *d. disput.* 19. *num.* 168. Quæ verba singillatim, sed breviter, sunt ponderanda, & exponenda.

Dicitur *Prophetiæ Spiritus*, quia Prophetia est donum spirituale, & gratia gratis data; quam quis sola sua industria non potest acquirere; nisi à Spiritu Sancto sibi benignè elargiatur; juxta illud Apostoli. 1. *Corinth.* 12. *Vers.* 4. *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* Et Vers. 8. *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ.* Et paulò post. *Alii operatio virtutum; alii Prophetia*, nam ut ibi concludit Apostolus *vers.* 11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.*

Dicitur, quòd Prophetia est *manifestatio*, proprium enim est illius, qui prophetat, manifestare prædicendo ea, quæ sunt ventura; ut fecerunt omnes Prophetæ in Lege naturæ, Mosayca, & Evangelica; qui inter cætera manifestarunt adventum Messiæ, ejus conceptionem ex Virgine; prædicationem, miracula, persecutionem, passionem, mortem, resurrectionem, & cætera omnia ad eum, & Ecclesiam Sponsam suam pertinentia; unde S. Petrus *in Epist.* 1. *cap.* 1. *vers.* 10. ait: *De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt; scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi; prænunciantes eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias; quibus revelatum est &c.* Et quamvis Prophetia includat etiam in Prophetante cognitionem eorum, quæ ab eo prædicantur; nemo enim potest loqui de aliqua re, nisi eam agnoscat; & ideò olim Propheta vocabatur *Videns*; & Saul sollicitus de Asinis deperditis dixit socio suo: *Eamus ad Videntem*, quia subdit Scriptura 1. *Reg. cap.* 9. *vers.* 9. *Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns*; sciebant namque Prophetæ, & intelligebant res, de quibus prophetabant: Nihilominus in definitione dicitur tantùm, quòd Prophetia sit *manifestatio*, & non *cognitio*; quandoquidem Deus potest committere 3
manifestationem futurorum, vel arcanorum alicui illa non intelligenti, exempli gratia si faciat loqui aliquod jumentum, ut *in libr. Num. cap.* 22. ubi *num.* 28. *Aperuit Dominus os Asinæ Balaam, & dixit Asina.* Vel pueros, ut de illis acclamantibus Salvatori: *Hosanna filio David, Benedictus, qui venit in nomine Domini. Matth. cap.* 21. *vers.* 9. Vel si committeret Deus alicui Italo ignaro linguæ Græcæ, vel Hebraicæ, ut manifestaret aliquod Divinum secretum verbis Græcis, aut Hebraicis ipsi revelatum; ut latè disserit, alias de hac re rationes allegando, Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disput.* 19. *De Gratia gratis data à num.* 185. *& seqq.* in his enim, & similibus casibus esset Prophetia per solam manifestationem futurorum, vel occultorum; etsi ille, qui prophetaret, aut loqueretur, non haberet cognitionem de rebus sibi revelatis, & manifestatis.

Dicitur in definitione *ex Dei revelatione*; quia proprium est solius Dei scire futura, & cognoscere 4
arcana, & quæ sunt aliis occulta; juxta *vers.* 5. *Psal.* 138. *Ecce tu Domine cognovisti omnia novissima, & antiqua.* Et *Isa. cap.* 41. *vers.* 23. *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum; & scietimus, quia Dii estis vos.* Quare Redemptor noster optimè docuit Apostolos hanc veritatem, dicens: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Actor. cap.* 1. *vers.* 7. Et de quolibet Prophetante legitur in sacro Textu, quòd ex Dei locutione vel interna, vel externa, (ut postea declarabimus) manifestaverit futura: Unde *Petrus in Epistol.* 2. *cap.* 1. *vers.* 21. ait: *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

Hic autem objiciet aliquis, Manifestatio futu-
5 rorum, nec non arcanorum fieri potest virtute Dæmonis. Ergo non ex sola Dei revelatione. Antecedens probatur. *In Deuteronom. cap.* 18. *vers.* 11. Deus prohibet consulere Pythones, ac divinos, maleficos, & incantatores. Ergo dantur isti, qui possunt futura prædicere, & sic Saul cùm accessisset ad mulierem Pythonissam; ait illi: *Divina mihi in Pythone.* 1. *Reg.* 28. *vers.* 8. Et Ochozias Rex Israel cùm esset infirmus misit Nuncios ad consulendum Deum Accaron, an vivere posset de infirmitate sua? quem reprehendit Elias Propheta, ut legitur 4. *Reg.* 1. *vers.* 16. Ex
6 historiis autem prophanis notorium est, Gentiles habuisse quædam Idola, quæ Oracula dicebantur; à quibus petebant vaticinia; & recipiebant responsa futurorum. Hujusmodi fuerunt Oraculum Dodonæum in Epiro; Jovis Ammonis in Lybia; Delphicum, sive Pythium in Delphis; Lycium, Dyndimæum; & alia plura, de quibus Franciscus Serra *in Apparatu Synonymor. Verb. Oraculum*, ubi notat ritus, quos adhibebant, pro vaticinio habendo, & revelatione futurorum. Et magistraliter de prædictis omnibus Oraculis Martin. Delrius *Disquisit. Magicar. lib.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 6. Et ad horum normam in hac Diœcesi Patavina, ab ipsa Urbe Antenorea condita Anno 1188. à Nativitate autem Christi sexto, in Villa Apponi
7 extabat Oraculum Gerionis, à quo responsa futurorum dabantur; ad quod teste Svetonio *in Tiberium cap.* 14. accessit Tiberius ipse, qui de mandato Cæsaris Augusti cum militiis ibat contra Dalmatas; ac illud consuluit de sua successione in Romanum Imperium; & affirmativum responsum reportavit; ut enarrant Portenarius *de felicitate Paduæ lib.* 9. *cap.* 1. Sertorius Ursatus Eques *in Histor. Patav. lib.* 1. *part.* 1. *pag.* 46. Et novissimè eruditissimus Theologus, acantiquitatum Cœ-
8 li Antenorei diligentissimus investigator P. Jacobus Salomonius Ordinis Prædicatorum *in Inscriptionib. Agri Patavini, De Villa Apponi pag.* 159.

Crescit autem objectio, quia non solùm videntur Dæmonia posse vaticinari, & manifestare futura, vel abscondita ex traditis per Bartol. Sybillam *in Speculo Peregrinar. QQ. Decade tertia cap.* 9. *quæst.* 1. per Martin. Delrium *d. cap.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 2. & Schottum *in Physica Curiosa tom.* 1. *lib.*
9 1. *cap.* 5. §. 2. Sed etiam secreta cordium, & occultas cogitationes manifestare; ut innuit idem Delrius *eod. cap.* 2. *quæst.* 1. *vers.* 5. ibi: *De solis cogitationibus in animo manentibus controvertitur, an eas Dæmon cognoscat? Experientia sæpè probavit, illum non esse mendacem indicem; sed per energumenos veris infamiæ jaculis configere.* Cui adstipulatur Gasp. Schottus *in d. tom.* 1. *Physic. Curiosa lib.* 1. *cap.* 5. §. 1. *in fine* his verbis: *Scio, ante non multos annos dæmonem ex quadam persona energumena loquentem revelasse multas accedentium cogitationes occultissimas; & nullo externo signo proditas.*

Respondetur, objectiones has non officere definitioni Prophetiæ, quatenus firmat, manifestationem futurorum, vel arcanorum venire ex Dei solius revelatione; quia intelligenda est de revelatione vera, & certa; non autem de incerta, dubia,
10 & æquivoca; qualis esse solet dæmoniaca. Ita Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disput.* 19. *num.* 183. Siquidem dæmon dum futura prædicit, vel revelat; argumentis, & præsumptionibus utitur ad divinandum; vel à motu Cœlorum, ac Syderum, pro pluvia, serenitate, tempestate, messis abundantia, vel penuria prædicenda. Vel à complexione hominum, eorumque moribus, & naturali propensione; nec non à phantasmatibus in eorum mentes excitatis; ex quibus futuras rixas, amore, vel alios humanos actus prænunciat, antequam sequantur; ut doctè Delrius, & Schottus locis proxime allegatis; & Bartol. Sibylla *d. Decad.* 3. *cap.* 9. *q.* 1. Quò verò ad cognitionem occultarum hominum cogitationum; quamvis sit famosa quæstio inter utramque Scholam Theologorum, an Angeli solis viribus naturalibus eas videre, & scire valeant? de qua Collegium Salmanticen. *in Cursu Theologic. tom.* 2. *part.* 2. *De Angelis tract.* 7. *disput.* 7. *dub.* 5. & Mastrius *in* 2. *libr. Sent. disput.* 2. *quæst.* 8. à quibus diversæ Sententiæ propugnantur, & ad invicem impugnantur; nihilominus illas procedere, ajunt, de Angelis bonis; siquidem de malis, & sic de dæmonibus, concordant omnes Scholastici, quòd internas hominum cogitationes iidem non vident, ut ex Auctore *de Eccles. dogmatib.* apud S. Augustinum *cap.* 81. comprobat ipse Mastrius *d. tractat. de Angelis quæst.* 8. *disput.* 2. *num.* 236. Testimonia autem contraria relata à Delrio, & Gaspare Schotto, procedunt ex conjecturis, vel aliis signis per hominem datis de eorum internis cogitationibus, ut prædicti Auctores declarant, & prosequitur Bartol. Sibylla *d. Decad.* 3. *cap.* 7. *qu.* 2. omninò videndus; & novissimè Colleg. Salmanticen. *de Angelis d. tractat.* 7. *disput.* 7. *num.* 65.

Sequitur in definitione: *Futurorum contingentium principaliter.* Quia talis & tanta est scien- 11
tia Dei, ut omnia futura contingentia clarè cognoscat, non solùm libera, sed etiam conditionata; de qua scientia exclamat Apostolus: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei. ad Rom.* 11. 33. Hoc autem probatur ratione, & exemplis. Rationes multæ afferuntur à Theologis, sed illa præcipua, quia omnia futura contingentia sunt ab æterno realiter, & physicè præsentia Deo, & ratione hujus præsentiæ à Deo certè cognoscuntur. Hinc scriptum est *in libr. Ecclesiast. cap.* 39. *Vers.* 24. *Opera omnis carnis coram illo à sæculo, & usque in sæculum respicit; & nihil est mirabile in conspectu ejus.* Et in hac conformitate scripsit S. Gregorius *lib.* 20. *Moral. cap.* 23. *Ante Dei oculos præterita nulla sunt; præsentia non transeunt; futura non veniunt; quippè quia omne, quod nobis fuit, & erit, in Dei prospectu præsto est.* Et concordanter dixit S. Augustinus *lib.* 15. *De Trinitate cap.* 7. *Quis hominum potest istam capere sapientiam, qua Deus novit omnia; ita ut nec ea, quæ dicuntur futura, quasi desint, expectentur, ut veniant; sed & præterita, & futura cum præsentibus sint cuncta præsentia.* Et de hac veritate copiosè disputant, & rationes cumulant tam Thomistæ, quàm Scotistæ *in tract. de Scientia Dei*, inter quos Colleg. Salmanticen. *in d. cursu Theologico tom.* 1. *de Deo tract.* 3. *disp.* 8. *per totam.* Gonet. *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. & *disp.* 5. ubi de scientia simplicis intelligentiæ, ac de scientia Visionis; nec non de scientia media; quam *disp.* 6. acriter impugnat Abelly *in Medulla Theologica tom.* 1. *part.* 1. *tr.* 1. *cap.* 3. *sect.* 1, 2, 3. & 4. Et inter doctos doctissimus Mastrius *in* 1. *Sent. disp.* 3. ubi per decem articulos

totam

totam hanc subtilissimam, & altissimam simul materiam Scientiæ Dei futurorum contingentium examinat, & declarat, quomodo nihil officiat humanæ libertati, ad explodendum errorem Wiclefi, qui fuit damnatus in *Concilio Constantiæ sess. 8.*

12 Exempla autem sunt innumera de Dei scientia, & præscientia circa futuros eventus; de quibus plena est Scriptura Sacra. Noe enim præter diluvium ex Dei revelatione prædixit Cham futurum servum Semi fratris sui. Jacob prænunciavit duodecim filiis suis, quæ illis contingere debebant. Samuel prædixit, regnum transferendum à Saule. 1. *Reg.* 15. 18. Abdias prophetavit, quòd Regnum Israel scindendum erat in duas partes. 3. *Reg.* 11. 31. & alia plurima in veteri Testamento de peculiaribus eventibus futuris, quæ Prophetæ prænunciarunt. Pariter in Testamento novo à Zacharia prædicitur, quòd ejus filius Joannes parabit viam ante faciem Domini. Simeon prophetavit persecutionem Christi. Ipse verò Christus tot, & tanta prædixit, prout in Evangelio; & præcipuè traditionem Judæ Iscariotæ; ac trinam negationem Petri.

Subditur in definitione. *Et aliquando etiam præteritorum*, nam proprium est Prophetiæ etiam 13 præterita repetere, ostendere, ac demonstrare. Hinc Moyses tanquam Propheta, Deo revelante, conscripsit Pentateuchum, Seriem scilicet ordinatam, & distinctam eorum, quæ per tot annorum millia præcesserant; quod notat S. Greg. *hom.* 1. *in Ezech.* Sic de Esdra, qui post reditum de Babylonia, Legem jam deperditam, Deo inspirante, cunctis Judæis audientibus, in scriptis redegit, Propheta dicitur, teste S. Augustino *lib.* 17. *de Civit. Dei cap.* 24. Salvatore autem nostro dicente Samaritanæ: *Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir. Joan.* 4. 20. ipsa ad eum dixit: *Domine, ut video, Propheta es tu.*

Additur in definitione. *Ac præsentium occultorum, sive distantium, sive indistantium, & vici-* 14 *norum.* Prophetæ enim dicuntur etiam illi, qui præsentia, sed in cognita denunciant. Ita fecit Sanctus Joannes Baptista, vocatus Propheta; qui de Messia jam in humanis agente, sed nondum cognito, ait: *Ego baptizo in aquâ; medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est.* Et cùm vidisset Jesum exclamavit: *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Joan.* 1. 29. Hac de causa donum Prophetiæ habuisse dicuntur Sancti illi in Ecclesia Catholica; qui in distantia occulta agnoverunt. De Sancto Benedicto Abbate; 15 sic in Breviario Romano *lect.* 5. legitur: *Augebatur in dies magis divina gratia Benedictus, ut etiam prophetico spiritu ventura prædiceret. Quod ubi accepit Totila Gothorum Rex, exploraturus an re ita esset; Spatharium suum regio ornatu, & comitatu præmittit, qui se regem simularet. Quem ut ille vidit, depone, inquit, depone fili, quod gerit. nam tuum non est.* Pari modo de Sancto Pio Quinto legitur, quòd de Classe Turcica maritima *Victoriam ea ipsa hora, qua obtenta fuit, Deo revelante, cognovit; suisque familiaribus indicavit. Brev. Rom. lect.* 6. Item de Sancto Philippo Nerio: *Prophetiæ dono fuit illustris, & in animorum sensibus penetrandis mirificè enituit:* nam, *eos, qui puritatem colerent, ex odore; qui verò secus ex fœtore dignosceret*, ejusdem *Brev. Rom. lect.* 6. Et in ædificatione Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Vallicella murum subtus terra absconditum cognovit, & Architecto indicavit; ut in ipsius Sancti Philippi Nerii vita scribit Jacobus Baccius *lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 6. ultra plurimas alias arcanorum revelationes. His concors est etiam id, quod recitatur in eodem Breviario *lect.* 6. de Sancta Catharina Senensi, scilicet: *Avenionem ad Gregorium Undecimum Pontificem Maximum profecta est: cui etiam votum ejus de petenda Urbe, soli Deo notum, sese divinitus cognovisse monstravit.* Plura autem testimonia, & auctoritates Sacras de prædictione rerum præsentium occultarum congerit Eminentissim. Cardin. de Lauræa *dict. disputat.* 19. *num.* 178.

Tandem dicitur in definitione Prophetiæ, *In utilitatem personarum*, quia hæc est causa finalis; ob 16 quam Divina Clementia dignatur revelare futura, aut præterita, vel præsentia abscondita; videlicet, ut fideles, & alii reportent utilitatem, salutemque animarum; undè ait Apostolus 1. *Corinth.* 12. 7. *Manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Et de futuro Messia omnem gratiam, donumque Prophetiæ eminenter habituro, ait *Isaia cap.* 61. *vers.* 1. *Spiritus Domini super me; eò quod Dominus unxerit me; ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, &c.* Quòd de se dictum fuisse ostendit Salvator Judæis, ut habetur *in Lucæ cap.* 4. *vers.* 18. Omnes autem Prophetæ, ut plurimùm jussi sunt prophetare, ut peccatores agerent pœnitentiam; & Sancto Joanni in Apocalypsi dictum fuit: *Quod vides, scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Apoc.* 1. *vers.* 11.

Quò ad secundum; in quo quæritur, *Quot, & quibus modis Prophetæ recipiant divinas revelatio-* 17 *nes, de rebus futuris, & arcanis?* distinguere oportet tria: *Revelantes, res revelatas, & formalitatem Revelationum.*

Circa Revelantes scire oportet, quòd revelationes fiunt Prophetis, ac Sanctis Viris vel immediatè ab ipso Deo, quia non repugnat, quòd Deus im- 18 mediatè loquatur Prophetæ, docens eum; quæ debet revelare, vel manifestare; siquidem potest Deus vel humano modo, sicut alius homo, loqui Prophetæ sensibiliter; vel apparens in forma hominis; vel non apparens, sed tantùm formans vocem, & ei dicere res manifestandas, quod enim Deus potest facere per Angelum, vel per aliam creaturam, potest etiam facere per seipsum immediatè; ut disserit Eminent. Cardin. de Lauræa *d. tractat. de Gratia gratis data disp.* 19. *num.* 204. *& seqq.* & docuerunt S. Cyprianus *lib.* 2. *contra Judæos cap.* 5. S. Hilarius *lib.* 4. *de Trinitate*; & S. Gregor. Nazianzenus *tract. de fide*; quos refert Cornelius à Lapide *ante Genes. Canon.* 16. Probari autem potest hoc dictum exemplis Scripturæ Sacræ; nam cum Adamo, & Eva Deus immediatè 19 est locutus, secundùm opinionem prædictorum SS. Patrum, & Doctorum, nec non S. Augustini *in libr.* 8. *de Genes. ad Litter. cap.* 18. Sic cum Abrahamo, & Jacobo, qui testatur vidisse: *Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Deus Abraham patris tui. Genes.* 28. 13. Idem pluries legitur de Moyse; nec non de Isaia; qui *cap.* 6. *vers.* 1. ait: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum.* Et paulò post *vers.* 8. *Et audivi vocem Domini dicentis: Vade, & dices populo huic, &c.*

His

His addere licet, quod de S. Ignatio Loyola
20 scribit Maffeus *in ejus Vita lib. 2. cap. 5.* quem refert etiam Bagatta *in Admirand. Orbis Christ. tom. 2. libr. 8. cap. 1. num. 43.* videlicet eunti Romam prædicto Sancto, & non longè ab Urbe Templum ingresso, ut oraret, *abstracto à sensibus, atque alta quadam animæ contemplatione defixo, clarissima in luce per speciem illi sese Deus Pater ostendit, JESU Filio bajulanti crucem, & crudelissimis affecto supplicijs, præsentem Ignatium, sociosque commendans: quos ille, cum in fidem, ac patrocinium libentissimè recepisset, ad Ignatium placido, ac sereno vultu conversus, hæc ipsa affari verba dignatus est. Ego vobis Romæ propitius ero.*

Sed utrum Deus permiserit, se videri à præ-
21 dictis Sanctis Prophetis, atque Sancto Ignatio in sua essentia, & sicuti est? Quæstio est difficilis, pendens ab illa controversia Scholasticorum, an de potentia Dei absoluta possit intellectus creatus elevari sine lumine gloriæ, per solum auxilium extrinsecum ad beatam visionem? In qua quidem disputatione negativam partem tenent Thomistæ; affirmativam verò Scotistæ; & utrosque assertores allegat Mastrius *in 1. sent. tom. 1. disp. 5. quæst. 5. num. 153. & num. 154.* Et in puncto, quòd Moyses & Divus Paulus in hac vita viderint Deum, ut est in se, & secundùm substantiam, asseruerunt S. Ambrosius *in Hexamer. cap. 2.* S. Basilius *in Hexamer. Homil. 1.* & S. Augustinus *libr. 12. de Genes. ad Litter. cap. 26. &* 27. quorum verba transcribit Eminent. Cardin. de Lauræa *in 4. sent. tom. 4. in tractat. de beatitudine disput. 14. à num. 359. & seqq.* ubi tamen se declarat inhabilem ad hanc controversiam decidendam; stante auctoritate contraria Sacræ Scripturæ. *Exod. 33. 20.* ubi Moysi, petenti videre faciem divinam, fuit à Deo responsum: *Non poteris faciem meam videre: non enim videbit me homo, & vivet.* Ibique Glossa declarat, idest *per incircumscriptam essentiam.* Et in Evangelio S. Joannis *cap. 1. vers. 18. Deum nemo vidit unquam*, nec non *in 1. Epistol. ad Timoth. cap. 26. vers. 16. Deum nullus hominum vidit.* Nihilominus prælaudatus Eminent. Card. de Lauræa *in alio tom. 4. in 3. Sent. in prædicta disput. 19. de Gratia gratis data num. 229.* concordat supradictas discrepantes Theologorum opiniones, dicendo; posse intelligi Scripturam Sacram, quòd neque Prophetæ, neque aliquis Sanctus in hac mortali vita viderint Deum immediatè in essentia; & prout est in sua substantia; at ipsum Deum viderint in aliqua imagine, & similitudine; aut alia forma sensibili juxta Divinæ Voluntatis, cui nihil est impossibile, beneplacitum; & in hoc concordat auctoritas S. Dionysii Areopagitæ *in libro de Cœlesti Hierarc. cap. 4.* sic dicentis: *Deum verò Sanctis visum, ac ostensum esse; illum quidem, sed enunciationibus, quæ Deo dignæ sint, per quasdam sacras, & eorum, quibus ostenduntur, captui accommodatas visiones.*

Ab Angelis autem jussu Dei, ut plurimum fiunt
22 etiam revelationes hominibus de rebus futuris, vel absconditis, ea ratione quia Angeli sunt ministri Dei, facientes voluntatem ejus, ut ait *Psalm. 102. vers. 21. Et omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Hebr. 1. 14.* ac idem S. Dionysius *d. cap. 4.* subdit: *Per Angelos ad nos perveniunt ea, quæ naturam nostram superant patefactiones.* Atque de hac veritate habemus innumera exempla; nam Angelus loquitur ad Agar. *Gen. 7.* Ad Loth. *Gen. 19.* Ad Tobiam, ut in ejus libro. Ad Danielem *cap. 3. & cap. 6. & cap. 13. & 14.* & alibi, ac aliis sæpè. Sic in novo testamento Angelus apparuit Zachariæ, eique prædixit conceptionem Joannis, & ministerium Præcursoris Messiæ; atque Deiparæ revelavit altissima mysteria Incarnationis Verbi Divini, & Redemptionis humani generis. *Luc. cap. 1. per tot.* Præter alia exempla considerata ab ipso Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disput, 19. num. 212. & 213.* Et centena, ac millena collecta ab Historiis Ecclesiasticis per Bonifacium Bagattam *in Admirand. Orbis Christ. tom. 1. lib. 1. cap. 2.* præcipuè §. 5. *&* 6. nec non *lib. 4. cap. 1.* ubi de pane, vino, aliisque edulis per Angelos hominibus porrectis; ac etiam *tom. 2. libr. 3. cap. 3. §. 4.* ubi exempla illorum, qui Sacra Eucharistia ab Angelis pasti fuerunt.

Circa verò *res revelatas* scire oportet, has aliquando continere sensum expressum, apertamque 23
significationem, aliquando verò obscurum, & in ænigmate. Primo modo factæ sunt omnes revelationes tam in veteri, quàm in novo testamento, in quibus Deus vel per se, vel per Angelos explicitè manifestavit ventura; ut de promissionibus factis Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Moysi, & aliis de terra promissionis concedenda Israeliticæ genti. Item de punitione danda Heli Summo Sacerdoti ob malè educatos filios, manifestata adolescenti Samueli. *1. Reg. 3. 11.* De electione, & unctione, facienda per ipsum Samuelem de Saule in Regem. *1. Reg. 9. 15.* De alia unctione David in Regem, reprobato Saule, *1. Reg. 16. 1.* De Templo ædificando non à David, sed à Salomone filio ejus. *2. Reg. 7. 5.* Et de aliis plurimis in testamento veteri: prout etiam in novo, quando manifestata est nativitas Joannis Baptistæ, Incarnatio Filii Dei; admonitus Joseph, quòd Deipara gravida esset virtute Spiritus Sancti. Quòd fugeret in Ægyptum; deindè reverteretur in terram Israel, defuncto Herode; & his similia. Altero modo factæ erant revelationes non expressæ, sed obscuræ; & in ænigmate. Exempli gratia; quando Deus apparuit Moysi in rubo; & dixit Moyses: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Exod. 3. 3.* significabat enim in ænigmate, tum *Divinitatem in humanitate Christi*, ut ait ibi *Glossa ordin.* vel Virginitatem illibatam Deiparæ, ut canit Ecclesia: *Rubum, quem viderat Moyses incombustum; conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem.* Quando Pincerna Regis Ægypti, & Pistor viderunt somnia in carcere, à Josepho ibi interpretata. *Genes. 40. 5.* Nec non somnium Pharaonis de septem bovibus pulchris, & septem macie confectis. *Genes. 41. 2.* Quando Deus jussit Ahiæ prophetæ; ut scinderet pallium suum novum, & daret decem scissuras Jeroboamo, denotans scindendum esse Regnum Salomonis, & decem Tribus subdendas Jeroboamo; duasque tantùm remansuras sub regimine Roboami filii Salomonis. *3. Reg. 11. 30.* Quando Isaias multa de futuro Messia dixit, ejusque virtutes, ac passionem, sed sub ænigmate prophetavit, prout in toto ejus libro. Quando Deus ostendit Jeremiæ *Virgam vigilantem*; deinde *ollam succensam. Jerem. 17. 1.* Quando jussus

est Je-

est Jeremias à Domino. *Facere sibi vincula, & catenas, & ponere eas in collo suo. Jer.* 28. 2. ad denotandam populi futuram captivitatem. Quando Ezechiel vidit quatuor illa mystica animalia. Datum est ei comedere volumen; ac dormire super latus sinistrum 390. diebus; super dextrum verò 40. atque vilem cibum, & fœde confectum sibi præparare; ad designandam calamitatem filiorum Israel, & afflictionem habitantium Jerosolymis. *Ezech. cap.* 1. *cap.* 3. *cap.* 4. ac plurima alia enigmatica tum in hoc propheta, tum in aliis; ac etiam in novo testamento; præcipuè quando Divo Petro esurienti, atque oranti ostensum est linteum magnum immissum de cœlo, *in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli, & facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Act.* 10. 11. innuendo eidem, ut se converteret ad prædicandum Evangelium Ethnicis, atque Paganis. Et quando Sancto Joanni in Apocalypsi tot, & tantæ visiones obscuræ revelatæ sunt, quarum intelligentia non habebitur completa usque ad adventum Antichristi, & ad finem mundi, ut Scripturistæ testantur.

Tandem circa *formalitatem revelationum*; hæ fiunt multis modis. *Primò* in forma sensibili, & 24
ad sensus externos, præcipuè per locutionem. Patet de locutionibus Dei ad Adamum, & Evam; ad serpentem, ad Cainum, ad Noe, & alios; ut diximus supra. Item de locutionibus externis, & sensibilibus Angelorum ad Loth, ad Balaam, ad Tobiam, ad tres pueros in fornace ignis ardentis, ad Abacuch, ad Zachariam Prophetam, ad Machabæos, ad patrem Joannis Baptistæ, ad Deiparam; ad Salvatorem in ejus agonia in horto, ad mulieres penes sepulchrum; ad Apostolos in Ascensione Domini, ad Petrum in carcere; ad Cornelium Centurionem; & ad alios multos, Secundo modo in somnis; exemplum de Jacob, qui in somnis vidit scalam, *Genes.* 28. 12. De Labano, cui in somnis dixit Dominus: *Cave ne quidquam asperè loquaris contra Jacob. Genes.* 31. 24. De Salomone, cui *apparuit Dominus per somnium nocte, dicens: postula à me, &c.* 1. *Reg.* 3. 3. De Sancto Jobo dicente: *Per somnium loquitur Deus, per somnium visione nocturna, quando irruit sopor super homines. Job.* 33. 14. De Sancto Joseph, cui Angelus Domini, apparuit in somnis dicens: *Noli timere, accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Matth.* 1. 20. Et iterùm, cum eum monuit fugere cum puero, & Matre ejus in Ægyptum; ac deinde reverti in terram Israel. Ac
denique de Sanctis Magis, qui *in somnis acceperunt* 25
responsum, ne redirent ad Herodem. Matth. 2. 12. Tertio modo per *Extasim*. Est autem *Extasis* nomen græcum significans stuporem, excessum, seu alienationem mentis à sensibus; & est passio, qua quis intentus vehementi considerationi alicujus rei alienatur à sensibus. Emin. Card. de Lauræa *d. tom.* 4. *in* 3. *Sent. disp.* 20. *de Miraculis art.* 23. *num.* 934. Et in Opusculo de Oratione Christiana *Opusc.* 5. *cap.* 6. Triplex autem est *Extasis*, Naturalis, Dæmoniaca, & Divina, Illa, quæ naturalis dicitur, vel est morbosa, proveniens vel à spasmo, vel ab ebrietate, vel à somnifero medicamento, vel à phrænesi, qua apprehensi manent penitus immoti; sive etiam ex obstinatione melancholici delirii, ut ex Rhoderico Lusitano *de Asiria cap.* 26. notat idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 20. *de*

Miraculis num. 936. subdens ibi, hac ultima correptum fuisse Nabuchodonosorem, qui delirans, mente captus, à regno pulsus, in campis cum bestiis per annos octo commoratus est, & fœnum ut bos comedit, deinde in sanam mentem restitutus. *Dan.* 4. 30. Alia *Extasis* naturalis non morbosa est, sed sana: & est illa, quæ ex vehementi consideratione alicujus rei summæ dilectæ; vel vehementi applicatione in contemplatione alicujus veritatis; vel ex magno, & inopinato eventu, ac stupore oritur; ex eo quia confluunt ad cerebrum omnes spiritus animales, destinati internis, ac externis sensibus, atque motivæ potentiæ; & ideo sic alienati non operantur; & videntur sibi multa conspicere, & loqui cum aliis, ut dixerit Zacchias *in Quæst. Medicolegal. libr.* 4. *quæst.* 6. Hinc cùm Isaac benedixisset Jacob pro Esau, *Expavit stupore vehementi; & ultra quàm credi potest. Genes.* 27. 33. Ipse autem Jacob audiens, quòd Joseph, quem per annos 23. tenebat mortuum laceratum à fera, vivebat pro Rex Ægypti: *Quasi de gravi somno evigilans, ait, &c. Genes.* 25. Et de Regina Saba vidente magnificentiam Salomonis, & experiente ejus sapientiam, dicitur, quòd *Non erat præ stupore ultra in ea spiritus.* 2. *Paralipom.* 9. 4. Dæmoniaca *Extasis* est alienatio mentis, inducta à Dæmone obstupefaciente sensus; & de hac gloriantur magi, & lamiæ potentes dementare, & obstupefacere homines, de quibus scribit S. Augustinus *in Epistol.* 56. *& lib.* 8. *de Civitate Dei cap.* 14. Dæmon enim, 26
sic Deo permittente, aliquando illudit Dei servos, inserendo in eorum phantasia aliquas species rerum, quæ in re non sunt; vel impediendo sensus externos, ne operentur, & ne concurrant spiritus vitales in illos, & sic causat excessum, & alienationem à sensibus; ut cum pluribus fecisse Simonem Magnum legitur *in Act. Apostol. cap.* 8. & demonstrat *pluribus exemplis, ac Auctoribus allegatis*, Gaspar Schottus *in Physica Curiosa libr.* 1. *capit.* 35. ubi casus Sagarum extasim habentium adducit. Et Martinus Delrius *libr.* 2. *Disquisit. Magic. quæst.* 25. Et de his tractat idem Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 20. *in* 3. *sent. tom.* 4. *art.* 23. *num.* 948. & 949. Divinæ autem *Extases* sunt alienationes sensuum, à Deo mentem à sensibus alienante, inductæ. Talis fuit extasis, quam habuit Adam, quando Deus misit soporem in eum; & ex ejus costa formavit Evam. *Genes.* 2. 21. Sic enim appellat eum soporem Tertullian. *in libr. de Anima cap.* 21. & 44. & 46. & S. Augustinus *libr.* 9. *Genes. ad Litter. cap.* 19. Pari modo dicuntur extases passi non solùm Moyses, & alii Prophetæ, dum in spiritu elevabantur ad visiones supernaturales; sed etiam Petrus, dum vidit linteum cum animalibus missum de cœlo, de quo supra; Paulus, quando raptus fuit usque ad tertium cœlum; & Joannes Evangelista, quando fuit in spiritu; eaque vidit, de quibus in sua Apocalypsi; & de his omnibus reflexiones Theologicas facit Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 20. *à num.* 950. & *seqq. Et in eodem Opusc.* 5 *de Oratione capit.* 6. Quarto tandem modo fiunt revelationes Prophetis, ac Sanctis viris per *Raptum*, seu *in raptu*. Est 27
autem *Raptus* alienatio mentis à sensibus adinstar extasis, sed cum aliqua violentia; ut ait S. Thom. 2. 2. *quæst.* 175. *art.* 1. & *art.* 2. Ideò etiam corpus aliquando abstrahitur, & rapitur; sursumque elevatur, ut docet Ferdin. à Diano *in Coruscatione Divin. Grat. Fulgore primo Rad.* 8. & Consalvus Durant.

rant. *de Visionib. & Revelat. cap.* 3. Et de hoc Raptu, seu elevatione mentis, & corpori concessa Sanctis viris plurima exempla congerit Bonifacius Bagatta *in Admirand. Orbis Christiani tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. §. 2. *& tom.* 2. *libr.* 2. *cap.* 3. §. 6. inter quæ illa
28 Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quæ quotidie ab Angelis efferebatur sublimis ad audiendos Paradisi concentus. Sancti Francisci, cujus anima ita aliquando ad cœlum evolabat, ut etiam corpus totum ita elevaret, ut vix videri posset; eoque modo multo tempore morabatur. Idem de S. Dominico, cujus mens cum in Cœlum se se attolleret, etiam corpus suæ molis, ac ponderis immemor in sublime ferebatur; & plurima alia, quæ ibi Lector poterit videre.

Porrò Visiones, quæ habentur à Prophetis, atque revelationes, quæ ipsis fiunt tum in somnis,
29 tum in extasi, tum in raptu dupliciter fiunt, vel per species sensibiles imaginarias in Phantasia: vel per species intelligibiles intellectu; concordes sunt enim omnes Sancti Patres, & Doctores, quòd tria dantur visionum genera, aliæ scilicet corporales, quæ per oculos, & sensus exteriores habentur; aliæ spirituales, quæ per sensum internum in imaginativa fiunt; & aliæ intellectuales; quæ solo intellectu percipiuntur. Ita Consalvus Durant. *in d. tract. de Visionibus, cap.* 2. *vers. Nunc pergimus.* ubi plurimos Sanctos Patres cumulat Emin. Cardin. de Lauræa *d. tom.* 4. *in* 3. *Sentent. disp.* 19. *num.* 218. *& disp.* 20. *n.* 649. *&* 649. Et in opusculis de Oratione *d. Opuscul.* 5. *cap.* 8. *vers. Adverte tertiò.* Et iterum ex professo *in tom.* 4. *in* 4. *sent. disp.* 25. *artic.* 4. §. 4. §. 5. *&* §. 6. ubi materiam hanc doctè pertractat; & revelationes, atque visiones tam per species imaginarias, quam per species intelligibiles explicat,
30 & exemplis illustrat. Sed utrum dentur Visiones, seu revelationes merè intellectuales, quibus scilicet intelligantur à Prophetis, Sanctisque viris intuitivè, & absque speciebus intelligibilibus? Respondet idem Emin. Card. de Lauræa *in* 3. *Sent. d. tom.* 4. *disp.* 19. *num.* 222. se ignorare; quamvis concedat, illas sic dari posse; nihilominus subdit, se existimare, quòd regulariter revelationes, & visiones fiant per species imaginarias, & sensibiles; quibus homo viator indiget, ut possit intelligere, & de auditis recordari, & ea per sensus aperire, ut repetit *num.* 227. & est doctrina Sancti Thomæ 1. *part. quæst.* 84. *artic.* 7. nec non Philosophorum, ut docet Collegium Complut. *lib.* 3. *de Anima quæst.* 6. quamvis contrarium teneant Albertus Magnus 3. *de Anima tract.* 2. *cap.* 19. Dionysius Carthusian. & alii ibi citati.

31 Quò ad Tertium, in quo quæritur; *Qui sint capaces Prophetiæ, & divinarum Revelationum?* Respondetur, quòd omnis creatura rationalis est capax Prophetiæ, atque Revelationis Divinæ. Idcircò: Primò Angelus habet hanc capacitatem; nam potest Deus revelare Angelis, quæ sibi placet, futura, præterita, ac præsentia; eisque committere, ut hominibus ea manifestent. Hoc probatur communi opinione Doctorum, docentium, quòd antiquis Patriarchis, & Prophetis Deus semper locutus sit per Angelos. Cornel. à Lapide *in Præfat. ad Genes. Can.* 6. Secundò, etiam Dæmones sunt capaces Prophetiæ, si velit Deus aliqua per eos manifestari; nulla enim est implicantia; & de facto pluries à Dæmonibus revelatum fuisse Christum habemus *in Evangel. Lucæ cap.* 8. *vers.* 28. *& in Act. cap.* 16. *vers.* 17. Tertiò, Homines esse prophetiæ capaces, non est opus probatione; cùm ab initio mundi usque nunc Deus concesserit hominibus hoc donum. Quartò, etiam Mulieres; multæ enim ex sexu muliebri fuerunt Prophetissæ, de quibus in Decisione sequenti. Quintò, Pueri quoque sunt capaces hoc eodem dono, juxta *Psal.* 8. *vers.* 3. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos,* Talesque fuerunt Pueri Hebræorum, qui portantes ramos Olivarum obviaverunt Christo Domino, clamantes, & dicentes: *Hosanna filio David; Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Quæ verba fuisse ore prophetico prolata, probat Lyranus ibidem. Sed & Samuel cùm esset puer, vocatus à Domino, cœpit habere revelationes, & esse Propheta: nec non Jeremias, ut probat *in ejus cap.* 1 S. Hieronymus, ac etiam Daniel in pueritia cœperunt prophetare.

His addere convenit nonnulla ex pluribus miraculosis revelationibus, ex ore infantium prodita, 32
ac recensita per Bonifac. Bagatta *cit. tom.* 2. *de Admirand. Orbis Christ. libr.* 1. *cap.* 3. §. 1. Plures enim infantes, & loquelæ nondum usum habentes ad repellendam calumniam, qua Sancti Homines inurebantur de re venerea cum eorum matribus habita; clara voce testati sunt eorumdem innocentiam. Ita de quodam Diacono Sanctorum Apostolorum Simonis, & Judæ; de Sancto Britio Episcopo Turonensi; de Sancto Brono Episcopo, discipulo Sancti Patritii; de Sancto Sergio Papa; de Daniele Abbate; de Sancto Joanne à Capistrano, & aliis. In castro Plebis Sacci, hujus Patavinæ Diœcesis Anno 1486. duo fratres contendebant, divisa hæreditate paterna, de quadam Imagine Deiparæ dividenda; cumque in furorem, & ad arma venissent, infans, qui papillas matris sugebat, disertè locutus, hortatus est eos arma deponere, & in proximam Ecclesiam Imaginem illam sacram deferre; prout fecerunt; & nunc est Ecclesia Minorum Conventualium. Ita Bzovius *in Annal. Eccles. anno prædicto* 1486. *num.* 17. Apud Cracoviensem urbem puerum vix semestrem prophetasse superventuros 33
Tartaros, & Polonorum capita præcisuros, refert Odoricus Raynald. in Annal. Eccles. Anno 1275. Florentinis furtim asportantibus de Tuderto Corpus Beati Philippi Benitii, Tudertinorum infantium clamores id indicarunt, ut *in Annal. Servor. Gent.* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. At non est silentio obvolvendum id, quod legitur in lectionibus in festo Trans- 34
lationis Sancti Antonii de Padua Protectoris nostri; videlicet ejus Templum per antonomasiam vocari Ecclesiam Sancti; *Eo nimirum vocabulo, quo Pueri, non sine Divino instinctu usi sunt; cum Sancti Viri ex hac vita discessum (quem Fratres, ne populi tumultus fieret, celabant) turmatim evulgarunt, dicentes: Mortuus est Sanctus Pater: mortuus est Sanctus Antonius.*

Sextò, etiam Ethnici, & Gentiles sunt prophetiæ capaces; siquidem horum aliqui, Deo inspiran- 35
te, prophetarunt, ut fecit Balaam *Numer.* 24. qui, loco maledictionis requisitæ à Rege Balaac super populum Israeliticum, prædixit eidem multas felicitates, deinde prophetizavit ortum Messiæ in illis verbis: *Orietur Stella ex Jacob; & consurget Virga ex Israel, & percutiet duces Moab, &c. Numer.* 24. 17. Undè canit Ecclesia in Officio Deiparæ *post Advent. Germinavit radix Jesse; orta est Stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem, &c.* Et de hoc disserit Emin. Card. de Lauræa *in d. lib.* 3. *sent. tom.* 4. *disp.* 19. *num.* 247. *& num.* 304. ubi inquirit de modo, quo ipsi Gentiles apti facti sint prophetare, & occulta, seu distantia cognoscere. Plures autem extitisse

Vates

Vates gentiles, tum apud Græcos, tum apud Romanos, qui Augures nuncupabantur, habemus in Historiis; è quibus non me piget unicum exemplum referre, attinens ad hoc Patavinum solum; scilicet Caii Cornelii Auguris Patavii commorantis, qui in spiritu vidit pugnam, & victoriam Cæsaris contra Pompeum pugnantis in Pharsalia, ut scribit Aulus Gellius *Noct. Atticar. lib.* 15. *cap.* 18. his verbis: *Quo C. Cæsar, & Gn. Pompejus die per civile bellum signis collatis in Thessalia conflixerunt, res accidit Patavii in Transpadana Italia memorari digna. Cornelius quidam Sacerdos, & loco Nobilis, & Sacerdotii religionibus venerandus, & castitate vitæ sanctus, repentè mota mente conspicere se procul dixit, pugnam acerrimam pugnari, ac deinde cedere alios, alios urgere, cædem, fugam, tela volantia, instaurationem pugnæ, impressionem, gemitus, vulnera, proindè, uti ipse in prælio versaretur, coram videre se se vociferatus est, ac postea subitò exclamavit, Cæsarem vicisse.* Idipsum narrat Plutarchus *in Vita Cæsaris de Prodigiis lib.* 7. *cap.* 27. in illis verbis: *Patavii Cujus Cornelius augurali scientia præditus.* Et Lucanus quoque de eodem *Pharsal. lib.* 7. sic cecinit:

Euganeo (Si vera fides memorantibus) Augur.
Colle sedens Aponus terris, ubi fumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur unde Timavi;
Venit summa dies, geritur res maxima, dixit:
Impia concurrunt Pompei, & Cæsaris arma.

Sed etiam Sibyllæ, etsi essent gentiles, habuerunt donum prophetiæ, ut in sequenti Decisione demonstrabimus.

36 Septimò, animalia etiam irrationabilia, Deo sic volente, Prophetarum officio functa sunt. Notum est de antedicto Balaamo proficiscente ad maledicendum populum Israeliticum, quod *aperuit Dominus os Asinæ, & locuta est. Numer.* 22. 28. Asina hæretici cujusdam, etsi triduo jejuna, adstante Divo Antonio Patavino cum Sacrosancta Eucharistia; pabulo posthabito Divinissimum Sacramentum agnovit, & adoravit. Surius *in Vita D. Anton.* 13. *Junii.* Consimile propheticum lumen habuisse, & exercuisse Asinam, adstante cum Eucharistia S. Fructu Eremita Hispano, refert Torellus *in Hist. Augustin. anno* 725. Et in Annalib. Minorum legitur de Sancto Francisco, quòd habebat agnicolam, quæ cùm elevaretur Sanctissimum Christi Corpus inter Missarum solemnia, flexis curvabatur poplitibus, illud adorans. Plura his exempla consimilia congerit antedict. Bagatta *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. §. 1. necnon §. 2. de iisdem irrationabilibus obsequium exhibentibus rebus Sacris. Et subinde *cap.* 4. alia prodigia patrantibus, & præsagia indicentibus; quibus mihi libet illud adnectere; quod legitur in Vita
37 Beatæ Margaritæ Cortonensis; videlicet: Crudeliter occiso Amasio, cui antequam converteretur, infeliciter adhærebat Margarita; canis, qui crudelissimæ adfuerat neci, custodito aliquot diebus cadavere; tandem domum reversus, Margaritæ ululatibus, mœstisque latratibus interfecti Domini mortem aperire nitebatur; illamque vestibus attrahens, ad locum jacentis occisi Heri ducere tentabat. Secuta est Domina canem; qui cadaver putridum mulieri ostendit; quo viso spectaculo ad meliorem frugem conversa est. Ita Bagatta *dict. tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 1. §. 16. *num.* 11. Si ad propheticum munus spectat revelare occulta; prophetæ officium Canis iste peregit, revelando B. Margaritæ ignotam Amasii sui internecionem.

Quò ad Quartum. *Utrùm Prophetia sit qualitas habitualis?* Dicendum venit, quòd gratia Prophetiæ in puris creaturis non est quid habituale; sed tantummodo actualis quædam qualitas; & dixi *in puris creaturis*; ut excipiam Christum Dominum, qui cum esset comprehensor, videbat in Verbo, & in proprio genere omnia futura; & poterat quovis tempore ea manifestare. Ratio autem, quare Prophetia non sit qualitas habitualis, est manifesta; quia quilibet Propheta caret facultate prædicendi ad libitum futura, vel abscondita; sed dependet à revelatione divina; quæ juxta beneplacitum Altissimi datur, & limitatur ad res, ad tempus, & ad personas. Hinc est, quòd Daniel nesciebat interpretari somnium Regis Nabuchodonosoris; nisi prævia oratione ejus intelligentiam à Deo obtinuisset. *Dan.* 2. 18. Elisæus consultus à Joram Rege Israel in periculo captivitatis posito, quid sibi esset agendum? nescivit ei respondere. 4. *Reg.* 3. 15. Samuel jussus ungere in Regem unum ex filiis Isai, nesciebat quis esset ungendus ex illis, donec Deus indicavit illi Davidem parvulum. 1. *Reg.* 16. 12. Imò S. Baptista, qui fuit plusquam Propheta non cognoverat Messiam Christum; nisi quando fuit illi à Deo specialiter ostensus; undè ait; *Qui misit me baptizare in aqua, illi mihi dixit; super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, ille est qui baptizat in Spiritu Sancto. Joan.* 1. 32. Quare scripsit Sanctus Gregorius Magnus *lib.* 2. *Dial. cap.* 21. *Prophetia Spiritus mentes Prophetarum non semper irradiat; quia sicut de Sancto Spiritu scriptum est, ubi vult spirat; ita sciendum est, quia & quando vult spirat.* 38

Mirabile circa hoc est exemplum Sancti Philippi Nerii, de quo ait Ecclesia in lectionibus Breviarii; 39 quòd *Prophetia dono fuit illustris, & in animorum sensibus penetrandis mirificè enituit.* Et nihilominus; cùm à Gregorio Papa XIII. ei consignata fuisset Ursula Benincasa Virgo Neapolitana, quæ mirabiles extases patiebatur, ut probaret, an essent à Deo, vel à Dæmone? ut retulimus in Decisionibus de Eucharistia *Decis.* 50. *num.* 36. nullo supernaturali lumine potuit S. Philippus se certum reddere, sed opus fuit, ut experiretur de ea per varias mortificationes, & humanas industrias, ut legitur in vita ejusdem Ursulæ *cap.* 16. *& seqq.* & ostendimus *d. num.* 36.

Quò ad Quintum; in quo requiritur: *Quomodo agnoscatur, an Prophetia sit à Deo, seu ab Angelo bono vel potiùs ab Angelo malo?* Respondetur, opus 40 esse lumine supernaturali, ut discernatur bona Revelatio à mala; nam *Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* 2. *Cor.* 11. 14. ut decipiat fideles; quos monuit S. Joannes dicens: *Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus si ex Deo sint.* 1. *Joan.* 4. 1. idcircò difficillimum est discernere, an Revelationes, & apparitiones sint à Deo, & Angelo bono, vel à Dæmone? ut ait Emin. Card. de Lauræa *in* 4. *Sent. tom.* 4. *disp.* 25. *art.* 4. *num.* 290. *& seqq. usque ad finem art.* ubi hæc sequentia signa præscribit. I. Revelatio erit à Deo, & ab Angelo bono, si nihil contrarium divinæ legi contineat: dæmoniaca autem si immediatè, vel mediatè illam solvat. II. Si Revelatio dirigat ad gloriam Dei, erit à Deo; secus si ad applausus mundanos, & gloriam vanam.

vanam. III. Si operetur secundùm charitatem; secus si discordias gignat. IV. Si is, cui fit apparitio, & revelatio in principio timeat; deinde confortetur, & consolatione profundatur, & illustretur; Revelatio erit bona; secus si è contra. V. Si humilitas magis, atque magis remanet in eo, qui revelationem habet; erit à Deo; secus si ille inflectur per inanem gloriam, & complacentiam. VI. Si ille, cui revelationis gratia facta est, eam sub silentio custodit, de ea non differens, nisi ex mandato, aut consilio superiorum. creditur quòd sit à Deo; secus si eam ubique decantes. VII. Si ea, quæ in revelatione tradita sunt, miraculo confirmentur, erit à Deo. VIII. Si revelatio est de futuro; & eventus succedat, & verificetur cum circumstantiis prænunciatis: bona reputanda est. IX. Si apparitio, seu revelatio non sit cum inordinatione naturæ, ut fit in furiosis, & arreptitiis; credenda est à Deo; secus si cum tali inordinatione. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 173. *art.* 3. *in corp.* X. Si revelatio aliquid contineat, vel doceat, quod offendat modestiam, castitatem, aut puritatem vitæ, erit dæmoniaca, non autem à Deo, [illegible]ngelo bono; quia ait S. Jacob *in Epistol. Can. cap.* 3. *vers.* 17. *Quæ autem desursum est Sapientia, primùm quidem pudica est, deindè pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiæ, & fructibus bonis.* Idcircò quæ carnalia docet, vel habenas conscientiæ relaxat, diaboli doctrina est, ut vidimus nostris temporibus in pseudomagistris spiritualibus ab Ecclesia juridicè correptis. XI. Signum dæmoniacæ revelationis est, si præcipiat mutilationem membrorum, aut mortem, aut aliud damnum vel in ipso, cui fit revelatio; vel in alia persona. XII. Si revelationes fiant pueris, vel mulieribus, suspectæ censendæ; ac multo examine virorum prudentum indigent; ut advertit *Carena de S. Officio part.* 2. *tit.* 17. §. 21. XIII. Si revelatio continens instructionem, seu directionem spiritualem vel illius, cui facta est, vel Superioris, aut populi; aliquid ordinaret contra præcepta Ecclesiæ, spernenda tanquam dæmoniaca: secus, si conformis sit regulis Ecclesiæ. XIV. Si illi, à quo propalatur revelatio, magnus applausus fiat à populo; dubitandum magnoperè est, an sit à Deo; nam Jeremias ait *cap.* 5. *vers.* 31. *Prophetæ prophetabant mendacium: & Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia.* XV. Si à Magnatibus, & Principibus honorentur; & ipsi, quibus revelationes dicuntur factæ; mensis, & Epulis eorum delectentur; non est signum bonum; nam Prophetæ Baal 150. in mensa Jezabel comedebant. 1. *Reg.* 18. 19. Elias verò in maximis periculis versabatur, & cum fame conflictabatur. XVI. Si his revelationibus dignati præmia, munera, pecunias, vel alia temporalia à divitibus, & à Magnatibus recipiant, malum est signum; dicente Isaia *cap.* 56. *vers.* 10. & 11. *Speculatores ejus cæci omnes. Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam.* XVII. Tandem si mores, dicta, & facta istorum, quibus revelationes fiunt sanctitate non fulgeant; pariter est signum malum, cùm nos Salvator monuerit his verbis: *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces; à fructibus eorum cognoscetis eos. Matth.* 7. 15. Et quamvis aliquando Deus permittat, etiam malis donum prophetiæ dari, quales fuerunt Saul, Balaam, Caiphas, Judas Iscariotes, & plures alii qui prophetarunt, & tamen damnati sunt, ut legitur *Matth. cap.* 7. *Vers.* 21. Nihilominus, ut plurimum Revelationes à Deo fiunt Servis suis, ac viris Sanctis, juxta illud *Sap.* 7. 27. *Sapientia Dei per nationes in animas Sanctas se transfert; & amicos Dei, & prophetas constituit.*

Hinc ad cognoscendum, an Revelationes sint à Deo, Angelove bono? an potiùs à Dæmone? tria esse examinanda, Res revelatas, circumstantias 41
revelationis; & qualis sit vita, quales mores, & quæ sanctitas illius, cui facta est revelatio, advertunt graviſſimi Doctores, quos cumulat Pignatellus *tom.* 1. *consult.* 246. *num.* 17. Salelles *tom.* 3. *lib.* 5. *Regul.* 403. Et Eminent. Card. de Lauræa *in* 3. *Sent. d. tom.* 4. *disp.* 19. *num.* 264. *& seqq.* nec non *in* 4. *Sent. tom. pariter quartò disp.* 25. *art.* 4. *toto* §. 7. *&* §. 8. ubi tamen piè, ac sapienter advertit cum Eminent. Cardin. Baronio *tom.* 8. *Anno* 604. non satis esse bonitatem vitæ habentis revelationem, ut ipsa credatur à Deo provenire; quia Diabolus multoties decepit viros Sanctos; idcircò in his materiis notat, servandum esse Decretum Concilii Lateranensis Quinti *sess.* 11. *const.* 1. sic loquentis, & præcipientis: *Et quoniam res magni momenti est, eò quod* 42
de facili non credendum sit omni spiritui; sed sint probandi spiritus ex Apostolo, an ex Deo proveniant? Volumus, ut lege ordinaria tales assertæ inspirationes antequam publicentur, aut populo prædicentur, ex nunc Apostolicæ Sedis examini reservatæ intelligantur. Addit insuper: *Quòd si sine moræ periculo id fieri non valeret, aut urgens necessitas aliud suaderet; tunc eodem ordine servato, Ordinario loci notificetur, ut ille adhibitis secum tribus, aut quatuor doctis, & gravibus viris, & hujusmodi negotio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbunt (super quo eorum conscientias oneramus) licentiam concedere possint.* Supradictum decretum Lateranensis Concilii legitur, & habetur etiam in Constitutione XXI. *Supernæ Majestatis &c.* Leonis Papæ Decimi, quæ præfuit prædicto generali concilio; & est in tom. 1. Bullarii Laertii Cherubini pag. 430. inter Constitutiones Leonis Decimi *la* 21. *in* §. 7. *Anno* 1516.

Nec ignorandum, quòd hujusmodi Lateranensis Constitutio confirmata fuit ab Urbano Papa Octa- 43
vo, qui in sua Bulla *incipien, Sanctissimus, diei* 13. *Martii* 1625. (quæ in Bullario Romano *est tom* 4. *la* 37.) §. 2. sic ordinavit: *Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis, sive Martyrii fama, vel opinione (ut præfertur) celebres è vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis, Theologos, alioſque pios, ac doctos Viros in consilium adhibeat: & ne deinceps fraus, aut error, aut aliquid novum, ac inordinatum in re tam gravi committatur; negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat; ejusque responsum expectet,*

Porrò cùm multi tam scripti fuissent libri continentes gratias, ac revelationes famulorum, ac famularum Dei; plùresque in diem scriberentur, emanavit alia declaratio ejusdem Summi Pontificis Urbani Octavi *diei* 5. *Junii* 1631. per quam *declaravit,* 44
non debere admitti elogia Sancti, aut Beati absolutè, ea quæ cadunt super personam: bene tamen posse admitti per Magistrum Sacris Palatii ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem; cum protestatione in principio,

tipio, quòd iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana; sed fides sit tantùm penes auctorem; ut refert Baldellus *in Theolog. Mor. tom. 2. libr. 3. disp. 13. num. 21.* & legitur in *Bibliotheca Scriptorum Societ. Jesu*; in admonitione appositâ *pag. 11. à Philippo Alegambe Auctore*; ubi ponit seriem examinis facti à Prælatis, per eumdem Summum Pontificem Urbanum Octavum deputatis anno 1640. occasione impressionis ejusdem Bibliothecæ; à quo tempore citra invaluit usus, ut in scribendis Vitis Servorum Dei, ponantur protestationes Auctorum in principio, seu in fine operis; quòd dictis circa revelationes, & miracula non sit præstanda alia fides, seu credulitas, quàm illa, quæ homini privato debetur.

Et ex his sequitur, quòd Revelationes, quæ habentur in his libris, & vitis Servorum Dei, scriptæ à privatis auctoribus, non sunt necessariò credendæ, etsi pium sit iisdem nihil detrahere, & expectare judicium, atque approbationem Sedis Apostolicæ; cui reservata est earum autenticatio. Baldellus *d. tom. 2. lib. 2. disp. 37. num. 3.* & ibi Suarez *de Fide disp. 3. sect. 10. n. 7.* Emin. Card. de Lauræa *in 4. Sent. d. tom. 4. disp. 25. num. 314.*

Quò ad ultimum, in quo recensendi veniunt: *Qui, & quot fuerint Prophetæ in Lege naturæ? qui in Lege Mosayca? Et qui in Lege Evangelica?* Breviter respondetur, quòd in Lege naturæ primus propheta fuit *Adam*, qui enigmaticè prophetavit, inquiens *Genes. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; & erunt duo in carne una*: tunc enim prædixit conjunctionem Christi cum Ecclesia, juxta verba Apostoli *ad Ephes. 5. 32. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Secundus Propheta fuit *Enoch*, qui prophetavit ita ex epist. Judæ. *Vers. 14. Prophetavit autem, & de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere judicium contra omnes; & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum.* Tertius fuit *Noë* qui faciens Arcam prædixit diluvium. Quartus fuit *Abraham*, de quo dixit Deus Abimelech Regi Geraræ: *Redde viro suo* (Abrahæ) *uxorem, quia Propheta est. Genes. 20. 7.* Quintus fuit *Isaac*, qui ejulante Esau ob deperditam benedictionem, *raptus est in extasim magnam vehementer*, ut legunt 60. Interpretes, & ei revelavit Dominus voluntatem suam, quòd in Jacob verificarentur promissiones factæ Abrahæ, & sibi: ut notat Cornel. à Lapide *in Genes. cap. 27. vers. 33.* Sextus fuit *Jacob*, qui multa prophetavit de filiis suis; & præcipuè Messiam futurum de Tribu Juda, & quòd erit expectatio gentium; Regnumque firmandum in eadem Tribu Juda, duraturum usque ad Messiæ adventum. *Genes. 48. & 49.* Septimus fuit *Joseph*, cui datum fuit interpretari Somnia; & prædicere Pharaoni ventura. Octavus fuit *Melchisedech*, qui à Deo edoctus offerre Sacrificium incruentum panis, & vini; prophetavit enigmaticè Sacrosanctum Missæ Sacrificium Legis Evangelicæ: in quo offertur Hostia incruenta Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini; juxta vaticinium. *Ps. 109. 4. Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, & epistolam Divi Pauli *ad Hebr. cap. 9.* Et Nonus fuit *Job*; qui de se ipso ait: *In horrore visionis nocturnæ stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, & vocem quasi auræ lenis audivi, Job. 4. 13.*

In lege Mosayca, plures fuerunt Prophetæ, pro quorum clariori cognitione hîc repetendum est, quod supra diximus, Decis. XXIV. *num. 18.* duo fuisse genera Prophetarum. Unum eorum, quibus Deus futura revelabat; & hi prædicabant populis, Reges arguebant, miracula perpetrabant; & tanquam oracula, & spirituales Patres ab omnibus communiter habebantur. Alterum erat illorum Prophetarum, qui non prædicebant futura, nec alia mirabilia faciebant; sed à Deo de divinis rebus illustrati arcanos Scripturarum sensus aperiebant, & divinis laudibus vacabant, psallentes hymnos, psalmos, & cantica spiritualia, etiam cum musicis instrumentis, & de quibus *1. Reg. cap. 10. 5. & cap. 19. 20. & 1. Paralipom. cap. 15, Vers. 22. & cap. 25. vers. 1. 2. & 3.* Et hi omnes dum psallebant, & cantabant, dicebantur prophetare, ut ostendit Torniellus *ad Annum Mundi 2545. num. 14.* & Salianus *ad annum 3021. num. 36.* verè tamen, ac propriè erant Cantores, quorum filii vocabantur filii Prophetarum; *ut 4. Reg. cap. 2. vers. 3.* Idem Salianus *Anno 2973. num. 36.*

Igitur si loquamur de primo genere Prophetarum in Lege scripta, præcipui fuerunt Moyses, & Aaron, nec non filii Zare, & filii Chore; Josue, & Samuel. Gad, Nathan, Ahias Silonites, Elias, Eliseus, David, & Salomon: quibus omnibus præclaræ visiones, ac revelationes factæ sunt à Deo de futuris eventibus in Regno, atque populo Israelitico; & singulari modo datum fuit Regi David prædicere in Psalmis vitam, passionem, mortem, Resurrectionem, ac Ascensionem Salvatoris; propterea de se dixit discipulis suis: *Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi & prophetis, & psalmis de me. Luc. ult. 44.* Præter autem prædictos fuerunt alii sexdecim Prophetæ, qui suas revelationes, visiones, ac prophetias scripserunt, & scriptas reliquerunt: quorum quatuor vocantur Prophetæ majores, quia prolixiora volumina conscripserunt; nempè *Isaias, Jeremias, Ezechiel, & Daniel.* Alii verò duodecim dicuntur Prophetæ minores, nimirùm quia breviores sermones reliquerunt: videlicet *Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zaccharias, & Malachias*; de quibus breviter aliqua delibabimus juxta ordinem, quo inserti sunt in Scriptura Sacra.

Isaias cœpit prophetare *anno Mundi 3253.* anno 25. Regis Oziæ. & antequam Roma fabricaretur. Habuit visiones magnas; inter quas illa, in qua ait: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum. Isa. 6. 1.* Ejus scripta non habentur omnia; nam ejus vaticinia fuerunt facta sub quatuor regibus Juda, Ozia, Joatham, Achaz, & Ezechia. Prænunciavit Virginem esse pariturâm; atque prædixit nativitatem, vitam, & passionem Redemptoris ita manifestè, ut potiùs videatur loqui de rebus præteritis, quàm de futuris; & non solum prophetæ, sed etiam Evangelistæ nomen mereatur. Anno 14. Regni Ezechiæ jussu Dei per tres dies, detractis sibi calceis, & sacco, quo erat indutus, nudus incessit, ad denotandam ignominiosam servitutem, quam Ægyptii, atque Æthiopes erant passuri sub Rege Assyriorum. *Isai cap. 20.* Tandem factus senex, assumpto ad Regnum Manasse filio Ezechiæ, cum arguisset eum de gravissimis tribus sceleribus, Idololatria, Magia, & Homicidiis,

fuit jussu ipsius Manasses crudelissimo supplicio necatus; scilicet secatus in duas partes serra lignea, ut tradunt S. Epiphanius *in Vita Isaiæ*, *S. Isidor. in libr. de Vita, & morte Sanctor, cap.* 39. & S. Hieronymus *super Isa. cap.* 57. & alii SS. Patres, quos cumulat Emin. Card. Baronius *in adnotat. ad Martyrol. Rom. pridie Nonas Julii*, ubi sic canit Ecclesia: *In Judæa Sancti Isaiæ Prophetæ, qui sub Manasse Rege sectus in duas partes occubuit.*

Jeremias prophetare cœpit *anno Mundi* 3407. de- 50
cimo tertio Regis Josiæ. In visione vidit ollam succensam, & virgam vigilantem; & prædixit excidium Templi, & Jerusalem in adventu Nabuchodonosoris Regis Babylonis, ubi Judæi erant captivi abducendi. Arguebat Regem, & populum de eorum peccatis. Ter mittitur in carcerem. Prophetavit de temporibus Messiæ. Multas passus est calamitates, & persecutiones. Adhibuit socium Baruch conscriptorem suarum revelationum, & lamentationum. Tandem quadriennio post desolationem Jerusalem, cùm sancto zelo accensus constantissimè perseveraret in increpandis peccatis populorum, in *Taphnis* (quæ erat Metropolis Ægypti) à populo suo lapidibus obrutus occubuit *Anno Mundi* 3448. Vir eximiæ Sanctitatis, sanctificatus in utero materno, & virginitatis flore illustris, ut ex S. 51
Epiphanio, ac S. Hieronymo demonstrat Torniellus *ad Annum* 3448. *num.* 4. *&* 5. Celebratur in Martyrologio Romano Calendis Maji his verbis: *In Ægypto S. Jeremiæ Prophetæ; qui à populo lapidibus obrutus, apud Taphnas occubuit, ibique sepultus est: ad cujus sepulchrum fideles* (ut refert S. Ephiphanius) *supplicare consueverunt, indeque sumpto pulvere, aspidum morsibus medentur.*

Ezechiel de Tribu Levitica, & Sacerdos natus 52
est *anno Mundi* 3411. & tempore Jeremiæ Prophetæ ductus fuit captivus cum aliis Judæis de Jerusalem in Babylonem anno 3436. ubi cœpit habere visiones, & revelationes; vidit enim currum Cherubim *cap.* 1. cum quatuor animalibus, quorum facies erant Hominis, Leonis, Bovis, & Aquilæ, typus Sanctorum quatuor Evangelistarum. Devorato libro cœlitus emisso *cap.* 3. jubetur domui suæ concludi quasi vinctus, & mutus, & in tabula depingere obsidionem Jerusalem; nec non cubavit diebus 390. super latus sinistrum; & diebus 40. super latus dextrum, *cap.* 4. *vers.* 4. 5. *&* 6. & hoc publicè Babylone in oculis Judæorum; & sic portendebat, & repræsentabat dies 390. obsidionis Jerusalem a Chaldæis faciendæ; & dies 40. devastationis ejusdem civitatis. In raptu vidit Idololatricas Judæorum abominationes in Templo Jerosolymitano, & omnes non notatos signo Thau occidendos, & Sedeciam Regem oculis privatum in Babylonem ducendum. Prophetavit contra Regem Ægypti, contra Tyrum, & Sidonem, & habuit longam visionem de Templo reædificando. Defunctam ejus uxorem prohibetur eam flere, in symbolum non deflendi destructionem Jerusalem, à Deo decretam ob nimios Regis Sedeciæ, & populi excessus. Demum fuit ab impiis, quos redarguebat, occisus; ut legitur in Martyrologio Romano 4. *Idus Aprilis* his verbis: *Ezechielis Prophetæ, qui à Judice populi Israel, quòd eum de cultu Idolorum argueret, apud Babyloniam interfectus, in sepulchro Sem, & Arphaxad, Abrahæ progenitorum sepultus est; ad quod orationis causa multi confluere consueverunt.*

Daniel Propheta natus est anno Mundi 3426. de Regia Tribu Judæ: & cùm adhuc puerulus esset ductus est captivus in Babylonem anno tertio 53
Regis Joachim, ubi ipse, cum aliis pueris hebræis litteris, ac disciplinis fuit imbutus. Abstinuit cum sociis à vino, & à cibis regiis; & inventi sunt pulchriores, & sapientiores. Anno 3453. explicavit Nabuchodonosori mysterium Statuæ visæ in somnis; nec non arboris magnæ, & socii ejus illæsi de fornace educuntur. Bel destruxit, & Draconem interfecit. Bis fuit missus in lacum Leonum. Ei quatuor Regna ostensa in visione. Explanavit Balthasari per manum portentosam scripta in pariete. Didicit tempus venturi Messiæ, post hebdomadas septuaginta; & ab Angelis de multis futuris eruditur. Mortuus est in captivitate, cùm esset annorum centum, & decem, vixitque in summa abstinentia, & continua castitate. De eo mentionem facit Martyrologium Romanum die 21. Julii dicens: *Babylone Sancti Danielis Prophetæ*: ubi Emin. Cardin. Baronius notat ex S. Epiphanio, quòd *Humatus est in angusta caverna honoribus magnis.* Deinde subdit, Reliquias S. Danielis, ac trium puerorum sociorum ejus translatas esse Alexandriam è Babylone, deinde Venetias: at Crus etiam S. Danielis Vercellis asservari: Illud etiam notatu dignum addit: *Antiquum mortem Christianorum fuisse, ut in suis se-* 54
pulchris inter alia Resurrectionis symbola, Danielem in lacu inter Leones liberum stantem sculpere; & hujus rei in veteris lapideis sepulchris complura exempla extare.

Osee primis fuit aliorum Prophetarum, & cœpit prophetare *Anno Mundi* 3226. sub initia regni 55
Oziæ, seu Azariæ Regis Juda, ante initium Olympiadum, quæ cœperunt anno quinto Oziæ. Fuit filius Beeri de Tribu Issacar, natus in Bethleem ex nobili progenie. Jussus est à Deo sumere sibi uxorem fornicationum; id est mulierem publicam meretricem, & ex ea filios procreare, ad denotandum fœdum statum Synagogæ, tum etiam gentilium ob Idololatriam; à quo omnes liberare, & tanquam sponsam Ecclesiam sibi copulare Christus Dominus passione sua volebat. Prædicavit Osee populo, & reprehendit illum de peccatis suis; præcipuè de Idololatria; prænuncians captivitatem, & punitionem totius populi. Vaticinatur Resurrectionem Christi tertia die futuram ab ejus morte, *cap.* 6. *vers.* 3. Mortuus est in senectute bona; & de eo memoriam facit Martyrologium Romanum *die* 4. *Julii.*

Joel fuit contemporaneus Osee. Hic prophetavit *cap.* 2. *vers.* 28. largam illam Sancti Spiritus effu- 56
sionem, quæ quidem decimo post Domini Ascensionem die, qui erat primus Pentecostes, cœlitus facta fuit, quemadmodum Sanctus Petrus contestatur. *Act.* 2. 7. Deinde ipse Joel, qui fuit de Tribu Ruben, multa prædixit de postremo Judicii die, de æterna damnatione impiorum; ac Sanctorum beatitudine. De eodem mentio habetur in Martyrologio Romano *die* 13. *Julii.*

Amos fuit eodem tempore, quo Osee, & Joel. 57
Pascebat oves, quas relinquere jussus est à Deo, & prænunciare mala superventura populo hebraico ob ejus enormes iniquitates. Prædixit Evangelicam futuram Christi prædicationem: vocationem gentium, & affluentiam bonorum spiritualium, quibus nunc fruitur Ecclesia Sancta Dei. Denunciavit extremum interitum Jerosolymæ à Romanis faciendum. Martyrio coronatus est: nam, ut

ait Martyrologium Romanum *die 31. Martii*: *Taue in Palæstina S. Amos Propheta, quem Amasias Sacerdos frequenter plagis afflixit; & filius ejus Ozias vecte per tempora transfixit: qui postea semivivus in patriam devectus, ibidem expiravit, sepultusque est cum Patribus suis.*

Abdias fuit Propheta; sed de tempore, & loco in quibus prophetavit, tres sunt opiniones differentes. Nam alii putant Abdiam fuisse dispensatorum domus Regis Achab; & cùm impia Jezabel 58 quæreret ad necem Prophetas Domini, ipse abscondit eos, & clam pavit in speluncis. 3. *Reg.* 18. 4. & 13. Alii tenent, Abdiam fuisse illum quinquagenarium Principem, quem Ochozias Rex Israel, filius Achabi defuncti, misit ad accersendum Eliam, 4. *Reg.* 1. 13. Alii opinati sunt, fuisse Abdiam maritum illius pauperculæ viduæ, quæ à creditoribus pressa recurrit ad Elisæum, à quo multiplicato oleo fuit adjuta. 4. *Reg.* 4. 1. *usque* 8. Quidquid sit fuit Abdias synchronos, & contemporaneus Osee, ut scribit Abulensis super 4. *Reg.* 15. *quæst.* 31. & prophetavit adversùs Idumæos, eò quòd adjuvissent hostes Judæorum; quorum deinde prædixit, transacta captivitate Babylonica, prosperitatem. De eo Martyrologium Romanum *die* 19. *Novembris* sic ait: *Samariæ Sancto Abdiæ Prophetæ.* Sepulchrum ejus in Samaria coruscum multis miraculis visitavit S. Paula ex auctoritate Sancti Hieronymi, ut notat Tirinus *in Proœm. ad Abdiam in fin.*

Jonas prophetavit ferè in initio regni Oziæ Regis 59 Juda, & continuavit usque ad posteriora tempora Jeroboami secundi Regis Israel. Fuit natione Gethæus; & gessit typum Christi tum quia missus fuit ad gentes prædicare pœnitentiam; tum ex reditu suo die tertia è ventre ceti. Recusavit ire in Ninivem, sed descendit in Joppen portum celebrem totius Judææ, nunc *Jaffa* dictum, hospitio Sancti Petri, & resuscitatione Thabitæ celebrem. *Act.* 9. 40. Indè navigans, orta tempestate à nautis projectus est in mare: & receptus in ventrem ceti magni; à quo fuit tertia die rejectus in littus, inde accessit ad Civitatem Ninive, & prædicavit excidium post 40. dies, nisi ageret pœnitentiam; ut in ejus prophetia. Vitæ sanctitate fuit illustris, & catalogo Sanctorum adscriptus ut in Martyrologio die 21. Septembris.

Michæas ortus est *Morasthi* viculo de Tribu Juda 60 juxta Eleutheropolim, ætate suppar præcedentibus Prophetis. Invehitur in Idololatriam, & in alia inde enata scelera, tam duarum, quàm decem Tribuum; unde utriusque excidium, & captivitatem, his per Assyrios, illis per Chaldæos prænunciat. Promisit tamen iisdem lætum reditum è Babylonia per Cyrum, & lætiorem ex servitute peccati, mortis, & diaboli per Christum, quem prædixit nasciturum in Bethleem. Occisus gladio Martyr occubuit: & de eo ita legitur in Martyrologio Romano die 15. Januarii: *In Judæa SS. Habacuch, & Micheæ Prophaturum, quorum corpora Theodosio seniore divina revelatione reperta sunt.*

Nahum Propheta, cujus nomen idem sonat ac *Noe*, 61 nempè consolator; natus in *Elkesi* viculo Galilææ trans Jordanem versus *Begabar*, in Tribu Simeon; vixit post Jonam annis nonaginta circiter, & renovavit minas Jonæ contra Niniven, quæ sub novis Regibus in priora, immò majora scelera redierat. Sed cùm parùm, aut nihil prædicando Nahum profecisset; patienter sustinuit Divina justitia annis 85. quibus transactis expugnata, & excisa fuit à Nabuchodonosore seniore Chældæo. Sanctè vixit, & obiit Nahum; & de eo Martyrologium Romanum die 1. *Dec.*

Habacuch Prophēta oriundus de Tribu Simeon prophetavit post Nahum, antè, vel unà cum Sopho- 62
nia, & Jeremia, & de eo quæstio est disputabilis, an alius fuerit, vel idem cum illo, qui per aërem ab Angelo è Judæa in Babyloniam traductus prandium tulit Danieli conjecto in lacum leonum? Prædixit excidium Jerosolymæ, & Judææ per Chaldæos, ac deinde Chaldæorum eversionem, & Judæorum liberationem per Cyrum, & Persas: & totius humani generis per Christum, cujus nativitatem, vitam, passionem, resurrectionem, & extremum judicium insigni carmine pangit, ac depingit. Vita sanctè peracta; Sanctorum Catalogo adscriptus legitur *die* 15. *Januarii*, & corpus ejus sub Theodosio seniore, ut dictum est, divina revelatione repertum fuit.

Sophonias è nobili prosapia, & Tribu Simeon 63
oriundus, tempore Josiæ Regis Juda, convixit Jeremiæ, & prophetavit ad Judæos, ut relicta Idololatria, aliisque sceleribus, ad pœnitentiam, & veri Dei cultum redirent, aliàs inevitabile eorum excidium, æquè ac aliarum nationum prædixit. Vita sanctè traducta obiit, & sepultus est in agro proprio, & adscriptus est Catalogo Sanctorum in Martyrologio Romano *die* 13. *Decembris.*

Aggæus secundo Darii Regis anno cœpit prophe- 64
tare, & cum Judæis sub Cyro è Babylonia, ubi natus erat, redux Jerosolymam primus ibidem cecinit *Alleluja* in Templo, quod ipsius maximè, & Zachariæ hortatu restauratum fuit. Principi Zorobabeli fabricam Templi reassumenti promisit Messiam ex ejus stirpe nasciturum; qui ipsum Templum sua præsentia, doctrina, & miraculis condecorabit; thronum quoq; regni sui supra omnium gentium regna, illis subactis extollet. Fuit eximiæ innocentiæ, ac puritatis, ac magno spiritu excelluit in fabrica Templi promovenda adversus Cambysis Regis Persarum, atque Samaritanorum contradictiones. Sanctis est adscriptus unà cum Osee Propheta *die* 4. *Julii.*

Zacharias oriundus de Tribu Levi Sacerdos, & 65
Doctor populi, synchronos, & coævus fuit, cum quo insudavit pro restauratione Templi. Monuit Judæos, ne Idola, & vitia majorum imitarentur, quorum viderent acerbam punitionem, excidium, & captivitatem. Per hieroglyphica, parabolas, & ænigmata prædixit varios eventus Judæis obventuros usque ad Christum; maximè quatuor Monarchiarum successiones, quæ desinerent in Regnum Christi, cujus vitam, ac passionem, penè instar Evangelistæ recensuit. Gravis virtutibus, & ætate obiit in Judæa, lapidatus à populo tumultuante inter Templum jam instauratum, & Altare; ut ait Christus *Matth.* 23. 35. De eo *Martyrolog. Rom. die* 6. *Novembris*, ubi, quòd ejus corpus, ipsomet revelante, detectum fuit sub Theodosio Imperatore juniore notat Eminent. Cardin. Baronius, *in Annalibus ad Ann.* 415.

Malachias è Tribu Zabulon post reditum populi è 66
Babylonia, natus in *Sopha*, instaurato per Zorobabel Templo, & florente iterum Synagoga prophetavit; & 1. arguit Judæos ingratitudinis in Deum tantorum bonorum auctorem. 2. Sacerdotes negligentiæ, & impietatis. 3. Prædixit abolendum Sacerdotium, & Sacrificium Aaronicum; eique substituendum aliud Eucharisticum. 4. Reprehendit Judæos ob repudiatas uxores. S. Promisit adventum Christi, ejusque Præcursorem Joannem Baptistam. 6. Sterilitatem agrorum nunciavit ob defraudatas Decimas. Ultimò denunciavit diem extremi

tremi Judicii, ejusque prodromum Eliam, qui reliquias Judæorum convertet ad Christum. Obiit adhuc juvenis, & Catalogo Sanctorum adscriptus est *in Rom. Martyrol. die* 14. *Januarii*. Hæc breviter de Sanctis Prophetis antiquis, de quibus latiùs Tirinus *in Chronic. Sacr. c.* 20. Ricciolius *in Chronol. Reform. tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 10. Torniell. & Salian. *in Annalib. ad eorum nomina* Cornel. à Lapid. *in Commentar. ad ipsos.* & Villiegas *in Flore Sanctor. part.* 2. *in Vitis prædictor. SS. Prophetarum.* Et Eminent. Card. de Lauræa *in cit. tom.* 4. *in* 3. *lib. Sent. disp.* 19. *num.* 166. Ubi præter recensitos Prophetas, alios plurimos asserit in Lege Mosayca fuisse his verbis: *In Lege scripta præter* 18. *qui libros scripserunt, alii* 16. *nominatim reperiuntur Prophetæ in textu Sacro, qui aliqua prædixerunt: præter alios innominatos; incipiendo à Moyse usque ad Joannem Baptistam; inter quos & septuaginta duo Seniores Moysi assistentes; quibus de Moysis spiritu dabatur, ut prædicerent.* Eosdem autem Prophetas inferiores cumulat Barradas *in Evangel. tom.* 1, *lib.* 5. *cap.* 23. ubi curiosus Lector eos seligere, & conspicere poterit,

In Lege tandem Evangelica innumerabiles exi- 67 stunt Sancti, dono Prophetiæ à Deo ditati. Primus omnium est Christus Dominus, qui cuncta præterita, præsentia, atque futura, necnon hominum cogitationes, etiam tanquam homo cognoscebat: ideoque appellatus est pluries propheta; nempe *Luc.* 7. 16. *Propheta magnus surrexit nobis.* Et à 68 Samaritana *Joan.* 4. 20. *Domine ut video, Propheta es tu.* Et ab ipsis discipulis Domini. *Luc.* 24. 19. *Fuit Vir Propheta.* Immò ipse Dominus de se ipso ait: *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua. Luc.* 4. 24. Quod quidem probat S. Thomas 3. *p. q.* 7. *art.* 8. Suarez ibid. *disp.* 21. *sect.* 1. Collegium Salmanticense *in Cursu Theolog. tom.* 9. qui est primus de Incarnatione *tract.* 21. *disp.* 14. *art.* 7. & cæteris magis piè, ac doctè Eminent. Card. de Lauræa *in* 3. *lib. Sent. tom.* 1. Qui est de Incarnatione Verbi, *disp.* 16. *art.* 8. §. 4. ac etiam *in eod. lib.* 3. *tom.* 4. *d. disp.* 19. *num.* 167. Secundus Propheta fuit S. Zacharias Pater Joannis Baptistæ. Tertius ipse S. Joannes Baptista. Quartus Simeon Senex. Quintus S. Joannes Evangelista ob tot, & tantas Visiones, de quibus in sua Apocalypsi. Præter hos autem in sacro textu Novi Testamenti pauci vocantur Prophetæ in particulari; sed multi in genere: si- 69 quidem *Act.* 11. 28. sic habetur: *In his autem diebus supervenerunt ab Jerosolymis Prophetæ Antiochiam; & surgens unus ex eis nomine Agabus significabat per spiritum famem magnam futuram in universo Orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio.* Et idem Agabus (qui fuerat unus ex 70. Discipulis Christi; & de quo meminit Martyrologium Romanum die 13. Februarii) cùm esset Cæsareæ, *habens Zonam Pauli, & alligans sibi pedes, & manus dixit; hæc dicit Spiritus Sanctus; Virum, cujus est Zona hæc, alligabunt in Jerusalem Judæi, & tradent in manus gentium. Act.* 21. 11. Et ibidem *cap.* 13. 1. dicitur: *Erant in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ Prophetæ.* Et Divus Paulus scribens ad Corinthios *Epist.* 1. *cap.* 12. *vers.* 18. ait: quòd Christus Dominus in sua Ecclesia *primùm posuit Apostolos, secundò Prophetas &c.* Et alibi sæpè de Prophetis, qui tunc erant in Ecclesia Christiana mentionem facit; & hoc donum Prophetiæ abundanter diffusum est à Spiritu Sancto inter fideles à primitiva Ecclesia usque ad hæc tempora, ut ex Vitis Sanctorum unicuique manifestè patet.

Corollarii loco posset quis interrogare, qua de causa dici soleat: *Quòd nemo Propheta acceptus est in Patria sua?* Respondetur ob quatuor causas. Prima est, quia si Prophetæ, quorum nomine veniunt Viri docti, & Sapientes, non sint de Prosapia nobili, in sua patria despiciuntur, non ita in aliena. Sic Nazarethani, quia credebant, Christum esse filium Joseph, qui fabrilem artem exercebat; eum spernebant. Secunda est, ob malam inclinationem insitam in hominibus, magnifaciendi res exteras, & peregrinas; parvipendendi res domesticas, & suæ civitatis. Hinc homines advenæ, etsi mediocris virtutis, æstimantur plurimi: nostrates summæ eruditionis pro nihilo habentur, Tertia est invidia, qua cives odio habent suos, à quibus se superari in sapientia vident, vel in bonitate. Ita Joseph odio habitus à fratribus, & Christus Dominus à Judæis. Quarta denique causa est aversio, quam homines habent veritati. Omnes Prophetæ arguebant homines de peccatis: idcircò quia veritas odium parit, eos populi odio prosequebantur; & tot, ac tanti Prophetæ martyres fuerunt. Sic de viris doctis, ac Deum timentibus, quos adhibent Prælati sancti in regimine Diœcesum. Hi corrigunt, arguunt, puniunt malè viventes: & ab iisdem implacabili aversione impetuntur. Experientia ejusdem ponderis cum Historia me monitum fecit de hac veritate, de qua abundanter disserunt Barradas *in Evangel. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 13. Tirin. *in Matth.* 13, 57. & Menochius *in Storeis part.* 3. *Centur.* 6. *cap.* 91. ubi hæc pulchra sententia Sancti Augustini *lib.* 11. *super Genes. ad Litteram cap.* 14. *Invidet par pari, quia ei coæquatur: invidet inferior majori, quia ei non coæquatur: invidet Superior inferiori, ne ei coæquetur.* Et hæc satis de Prophetis.

DECISIO XXVI.

ARGUMENTUM.

De Mulieribus Prophetissis, quæ fuerunt tum in Lege naturæ, scilicet Eva, & Rebecca; tum in Lege Mosayca, nempè Maria Sorore Moysis, Debbora, Rahab, Holda, & Anna Matre Samuelis; tum etiam in Lege Evangelica; videlicet DEIPARA, Elisabeth ejus cognata, Anna filia Phanuelis, Samaritana, Uxore Pilati, Maria Magdalena, ac aliis Sanctis Mulieribus, filiabusque quatuor Philippi Diaconi. Item de Sibyllis; hoc est Virginibus gentilibus, quæ à Deo dono Prophetiæ ditatæ, Vitam, Mortem, ac Resurrectionem Salvatoris Nostri, ejusque finale judicium vaticinatæ sunt.

SUMMARIUM.

1 *Prophetissæ aliæ fuerunt in lege naturæ, aliæ in lege Mosayca, aliæ in lege Evangelica.*
2 *Eva prima Prophetissa ob tres causas. Et quæ?*
3 *Rebecca fuit Prophetissa. Et cur?*
4 *Rebecca, & Jacob ejus filius ex Revelatione divina primogenituram paternam assecuti.*
5 *Maria soror Moysi Prophetissa.*
6 *Debbora Prophetissa fuit.*
7 *Rahab meretrix inter Prophetissas numerata.*

8 *Hol-*

8 *Holda mulier Prophetissa, regnante Josia Rege Juda.*
9 *Anna mater Samuelis fuit Prophetissa.*
10 *MARIA Virgo, Mater Dei Prophetissa fuit, & Prophetissarum Regina.*
11 *Deipara in hac vita an interdum elevata sit ad videndum clarè Divinam essentiam?*
12 *MARIA Virgo Mater Dei an in hac vita scripserit Epistolas?*
13 *Elisabeth Mater S. Joannis Baptistæ Prophetissa fuit.*
14 *Anna filia Phanuel fuit Prophetissa. Fuit Vidua ab anno 20. usque ad annum 84. Habitabat in cellulis apud Templum.*
15 *Samaritana mulier dono prophetiæ ditata.*
16 *Samaritana quomodo vocaretur? Coronata martyrio. Ejus caput Romæ in Basilica S. Pauli.*
17 *Claudia Procula Uxor Pilati inter Prophetissas ponenda.*
18 *Pilatus ubi obierit?*
19 *Maria Magdalene ac aliæ sanctæ mulieres Prophetissæ.*
20 Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati. Matth. 28. *sensus, & expositio.*
21 *Philippi Diaconi quatuor filiæ Prophetissæ. Earum cellulæ visitatæ à S. Paula Romana.*
22 *Prophetiæ dono innumeræ Sanctæ in lege Evangelica ditatæ.*
23 *Prophetiæ donum argumentum Sanctitatis.*
24 *Sibyllæ numerandæ inter Prophetissas.*
25 *Sibyllæ quæ, & quot fuerint?*
26 *Sibyllini libri diligenter Romæ custodiebantur.* Et num. 37.
27 *Delphica Sibylla quæ, & quando fuerit? Quæ prædixerit de CHRISTO?*
28 *Erithræa Sibylla nativitatem, passionem, mortem resurrectionemque Christi enunciavit, ac Judicium finale.*
29 *Cimmeria Sibylla, sive Cumæa, aut Italica quando fuerit, & quæ prophetizaverit?*
30 *Samia Sibylla ubi orta Prædixit triumphum Christi cum palmis Olivarum.*
31 *Cumana Sibylla ubi fuerit? Incarnationem Dominicam vaticinata.*
32 *Hellespontica Sibylla ubi nata: Nativitatem, & doctrinam Salvatoris prænunciavit.*
33 *Lybica Sibylla fuit annis 480. ante Christum. Ejus miracula edixit.*
34 *Persica Sibylla floruit sub Alexandro Magno. Prophetizavit baptismum, & prædicationem Præcursoris Christi.*
35 *Phrygia Sibylla mortem Salvatoris panxit.*
36 *Tiburtinæ Sibyllæ nomen; ejus carmina de Christi Resurrectione atque Ascensione in Cœlum.*
37 *Libri Sibyllini Romæ custodi.*
38 *Libri Sibyllini à Cæsare Augusto recogniti.*
39 *Europæa Sibylla prædixit Messiam de Virgine nasciturum.*
40 *Ægyptia Sibylla de Christo locuta*

RAtioni consentaneum est, ut etiam de mulieribus, quæ Prophetiæ dono fuerunt illustres, verba faciamus, antequam ad Sacrificia Mosaycæ Legis iter arripiatur, ut plenè de personis utriusque sexus, quæ in universum Divino cultui, ac ministeriis Sacris mancipatæ erant, summariam notitiam Studiosi nostri ex lectura præsentium Decisionum percipiant, Igitur de Prophetissis, ac de Sibyllis oportet verba facere.

Quod attinet ad mulieres Prophetissas, aliæ fuerunt in lege Naturæ; aliæ in lege Mosayca: & aliæ in lege Evangelica. 1

Inter Prophetissas legis Naturæ primarius locus debetur progenetrici nostræ Evæ, quæ hoc titulo triplici de causa meretur decorari. Primò ob ejus formationem; quæ revelatam in se habebat, (etsi sub ænigmate) tum divinitatem, tum humanitatem Redemptionis Mundi; siquidem Eva formata fuit ex costa Adam, & consistere cœpit ex costa ossea, & carne molli. In fortitudine costæ continebatur divinitas Christi: in carnis infirmitate ejusdem Christi humanitas prænunciabatur, juxta considerationem Mendezii *in Theologia Catechetica lib. 5. cap. 22. num. 2.* Secundò Eva prophetiam gerebat in nomine: si enim inverso ordine legatur, non *Eva*, sed *Ave* ejus nomen prædicit, illud scilicet *Ave*, quo salutanda erat Deipara Maria ab Archangelo Gabriele, enunciante Divini verbi Incarnationem; ut doctè idem Mendezius *lib. 9. cap. 3. num. 2.* Tertiò autem Eva facta est Prophetissa, quando de ea dixit Deus ad Serpentem: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum. Genes. 3. 15.* Revelatum tunc enim est Evæ, ipsaque nostra prima Mater cognovit, & intellexit, tum ab ea per pœnitentiam conterendum esse caput diaboli; tum à Deipara, ac Christo filio Dei, ex ejus semine nascituro: quam quidem revelationem ipsamet Eva filiis, ac Posteris suis tradebat, ut pœnitentiam diligerent, & in futuro Messia, ac Virgine ejus Genitrice sperarent: quod non obscurè docet Cornel. à Lapide *in commentar. ad Genes. d. cap. 3. Vers. 15.* his verbis: *Mulier est Eva, quæ diabolum contrivit, quando pœnitentiam egit vel potius mulier est Beata Maria Evæ filia; semen ejus est Jesus, & Christiani; serpens est diabolus semen ejus sunt infideles, omnesque impii. Ergo Beata Maria contrivit Serpentem; quia ipsa semper plena, & gloriosa fuit victrix diaboli, omnesque hæreses (quæ caput sunt serpentis) in universa mundo contrivit, ut canit Ecclesia.* Quòd autem ipsamet Eva dicerit ex divina revelatione, Divinum Verbum carnem induturum ex ejus semine, ut contereret caput serpentis, idest diaboli; resultat ex illis aliis verbis: *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Quæ quidem verba idem Cornelius à Lapide ibidem sic declarat: *Christi caput est Divinitas; calcaneus est humanitas: hanc dum offendit, & occidit dæmon, occisus est; tunc enim Christus contrivit caput illius, idest ejus superbiam dejecit; atque omnem ejus impetum prostravit.* Hæc primæ omnium matri Evæ cùm fuerint à Deo revelata; & per eam à se descendentibus manifestata; insolubile argumentum faciunt, Evam ipsam dono prophetiæ ditatam, meritò Prophetissam inter mulieres esse appellandam.

Altera Prophetissa in lege naturæ fuit Rebecca uxor Patriarchæ Isaac, cui Dominus revelavit, dum appropinquaret tempus pariendi gemellos dum filios Esau; & Jacob, quos portabat in utero; quòd inferior, nempè Jacob erit Dominus majoris, videlicet Esu? qui propterea subditus evasurus erat eidem Jacobo in eorum posteritatibus Idcircò sic de ipsa Rebecca legitur in *Genes. 25. 22. Sed collidebantur in utero ejus parvuli, quæ ait: si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Perrexitque ut consu-* 2 3

consuleret Dominum: Qui respondens, ait: (ecce Revelatio Divina (*Duæ gentes sunt in utero tuo; & duo populi ex ventre tuo dividentur; populusque populum superabit; & major serviet minori.* Quo loci sie disserit Cornelius à Lapide in suis Commentariis; Theodoretus, Diodorus, & Procopius censent, *Rebeccam animo consternatam ad vicinum, & domesticum Altare iviſſe, ibique Deum orasse; qui per Angelorum respondit id, quod sequitur*, Duæ gentes in utero tuo sunt, & major serviet minori. *Ex quo intellexit Rebecca, quòd Jacob præferretur Esau; eique Primogenituram, & benedictionem paternam præriperet: quod tamen maritum suum Isaacum celavit, ut mysterio Prophetico locus daretur, de quo Genes. 27. 23.* Igitur jure optimo Prophetissa vocanda est Rebecca, quæ à Deo per Angelum instructa fuit de futura majoritate filii sui Jacobi, ac ejus posteritatis super illam Esau; qua Prophetia per ipsam intellecta, non levitate, sed Dei spiritu, & dictamine mota fuit, ut hortaretur Jacobum accipere benedictionem Patris; atque illum adjuvit, coquendo hædum, & circumvestiendo
4 Jacobi manus, & collum pellibus; ut diximus supra *Decis. XIX. num.* 15. Et ex his resultat manifesta ratio; quæ excusat à mendacio in actione illa tum Jacobum, tum ipsam Rebeccam, uterque enim operabatur, & loquebatur juxta revelationem habitam à Deo; atque prophetico spiritu; scientes, Primogenituram, & majoratum esse à Deo translatum in Jacobum, & ejus posteros, quibus serviturі erant descedentes ab Esau.

In lege autem Mosayca fuerunt Prophetissæ sequentes mulieres. I. Maria Soror Aaronis, & Moysis,
5 quæ appellatur Prophetissa *Exod.* 15. 20. triplici de causa secundùm Cornelium à Lapide *in Comment. ibid.* Deus enim cum ea colloquebatur, & ei arcanà pandebat, ut patet *Num.* 12. 2. Erat quoque doctrix, & Magistra aliarum mulierum: & ulteriùs erat quoque præcentrix, & Virgo sapiens, & litteris erudita. Hinc in transitu maris rubri post exitum ex Ægypto ita de illa loquitur textus Sacer *Exod.* 15. 20. *Sumpsit ergo Maria Prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris; quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est; equum, & Ascensorem ejus dejecit in mare.* Tirinus autem commentans eundem textum, subdit, quòd licèt plures Scriptores sacri doceant, prædictam Mariam Prophetissam fuisse Virginem, & similem Sibyllis, nihilominus Sectario, ac aliis visum, quòd nupserit *Hur* avo *Beseelis*, cujus mentio fit *Exod.* 24. 14. tunc enim rarum erat studium virginitatis, & laudi non dabatur. II. Prophetissa fuit Debbora, de qua *in libro Judicum cap.* 4. narratur, quòd cùm Sisara Prin-
6 ceps exercitus Regis Jabin aggrederetur populum Israel; ipsa Debbora à Deo responsum habuit de ejusdem Sisaræ internecione; & ideo vocavit Barac militem Israeliticum, eique ordinavit, ut viros bellatores sumeret, & contra Sisaram iret, & pugnaret; Deus enim victoriam ei elargiretur, prout factum fuit, & dicit ibi Sacer textus.

Et quia hæc mulier ob donum Prophetiæ erat sapientissima, hac de causa in suis controversiis Hebræi confugiebant ad illã ut eas judicando dirimeret Hinc S. Hieronymus *in Epist.* 10. *ad Furiam* sic ait: *Nobis ad hoc Debbora nominabitur, quod Prophetissa fuerit, & in ordine Judicum supputetur, & quia dicere poterat: quàm dulcia gutturi meo eloquia tua: super mel, & favum ori meo. Apis nomen Accepit: Scripturarum floribus pasta, Spiritus Sancti odore perfusa; & dulces Ambrosiæ succos prophetali ore componens.* Plura de laudibus magnæ hujus mulieris, ac Prophetissæ Deboræ referunt Origen. *Hom.* 5. Salianus *ad Annum Mundi* 2723. Et Cornelius à Lapide *in Comment. Judic. d. cap.* 4. *Vers.* 4. *& seqq.* III. Prophetissa fuit 7
Rahab; quæ licèt meretrix esset in civitate Jericho, seu cauponaria, Hebræos exploratores hospitio apud se recipiens, habuit revelationem à Deo, de futuro excidio Urbis, quare pœnitens & sibi & cognatis suis vitam obtinuit: ut legitur *in Josue cap.* 2. *vers.* 1. ubi sic Cornelius à Lapide scribit *Excepit Rahab exploratores Hebræorum: illuminata, & impulsa à Deo, quasi divini consilii in Chananæa fideli populo subigendæ procuratores. Intellexit enim Deum in hac re velle uti sua opera; ac proindè velle, ut ipsa eos exciperet, absconderet; & dirigeret.* Et cùm ipsa Rahab dixisset exploratoribus *ibid. vers.* 9. *Novi, quòd Dominus tradiderit vobis terram.* Subdit idem Cornelius à Lapide: *Noverat hoc Rahab partim ex miraculis, & portentis, quæ Deus pro Hebræis pugnans operatus erat; partim ex Dei ipsius instinctu, & revelatione.* Fuit igitur dono revelationis propheticæ ditata Rahab, quæ deindè nupta *Salmoni* de stirpe Juda meruit generare *Booz* Atavum Regis David, & numerari inter mulieres, è quibus nasciturus erat Christus. IV. Prophetissa fuit Holda; quæ 8
Anno mundi 3407. regnante Josia Rege Juda non solùm prophetabat in Jerusalem; sed, ut ait Torniellus *ad d. Annum. num.* 3. *In tanta erat Sanctitatis opinione, ut ad ipsam consulendam Rex ipse miserit Helciam summum Pontificem, & proprium scribam, aliosque Optimates civitatis, ut patet in 4. Reg.* 22. 14. *& seqq.* De hac eadem egregia muliere ita scribit Tirinus *in 4. Reg.* 22. 14. *Ierunt ad Holdam Prophetidem uxorem Sellum, sed tum verosimiliter viduam, vel saltem thoro viri jam abstinentem: nam quæ thoro adhuc uterentur* (*una dempta Anna Samuelis Matre* 1. Reg. 2. 20.) *nullas legimus spiritu prophetico afflatas.* Et concordat Cornelius à Lapide in eodem textu sic subjungens: *Holda hæc & senio, & prudentia, & sanctitate, & oraculis apud omnes erat celebris, & venerabilis, æquè ac Debbora Jud. 4. & Anna mater Samuelis.* V. Tandem Prophetissa in lege Mosayca
9 fuit ipsa Anna Mater Samuelis prophetæ, quæ cùm peperisset, & obtulisset illum Domino, cecinit canticum illud, *Exultavit cor meum in Domino, &c.* 1. *Reg.* 2. in quo prophetavit nasciturum Christum juxta id, quod scribit S. Augustinus *lib.* 11 *de Civit. Dei cap.* 4. undè Theodoretus, & Procopius dixerunt; *quia Anna prophetam concepit, prophetiæ quoque gratiam participavit, sicut & Elisabeth, & Beata Virgo.* Cornelius autem à Lapide in fine dicti Cantici 1. *Reg.* 2. 10. ait: *Hoc est Annæ oraculum de Christo, post mille, & trecentos annos nasciturо; quo illi eminus quasi applaudit, & gratulatur; ubi adverte, Annam esse primam in Scriptura, quæ hic exprimat nomen Messiæ, sive Christi. Hucusque enim in Pentateucho, Josue, & Judicum nomen Christi non audivimus.* Hæ sunt Mulieres quæ præfulserunt Prophetiæ dono tempore legis Mosaycæ, de quibus etiam mentionem facit Eminent. Card. de Lauræa *in d. tom.* 4. *in lib.* 3. *Sentent. disp.* 19. *num.* 239. *& 240.*

In lege autem Evangelica plures habentur in Secro textu mulieres Sanctæ Divino Spiritu afflatæ, ac Prophetia insignes: innumeræ autem

in

in Historiis, Chronicis, & Vitis Sanctorum. Quòad illas, quæ nominantur in Scriptura Sacra principem locum tenet Regina Cœlorum, Serenissima
10 DEIPARA; tum quia, ut scribit Suarez *in 3. part. D. Thom. tom. 2. disp. 29. sect. 4.* Piè, ac probabiliter credi potest, beatam Virginem in hac vita interdum elevatam fuisse ad videndum clarè Divinam essentiam, ut ex Auctoritate S. Antonini, S. Bernardi, & aliorum Patrum ibi comprobat: tum et-
11 iam quia DEIPARAM verè, ac proprie fuisse Prophetissam, & habuisse gratiam Prophetiæ, Spirituque prophetico pronunciasse Canticum *Magnificat*; & aliorum sublimium Mysteriorum notionem, revelationem, & instructionem à Spiritu Sancto, & à dilecto Filio suo Deo, & Homine Christo habuisse, ex plurimis Sanctorum Patrum testimoniis comprobat idem Suarez *disp. 20. sect. 1. in eod. tom. 2.* ubi subdit: non constare, an Beata Virgo
12 aliquid scripserit; nam Epistola quædam ad Ignatium, quæ nomine ejus circumfertur, incertæ est auctoritatis. Si tamen Ecclesiæ constaret: illam, vel aliquam aliam fuisse à Beata Virgine scriptam, inter canonicas Scripturas esset annumeranda. Hinc in revelationibus Sanctæ Birgittæ *in Sermone Angelico cap. 17.* dicitur: *Et verè procul dubio est credendum quòd ex inspiratione Spiritus Sancti ipsa Deipara perfectius intellexit, quidquid Prophetarum eloquia figurabant, quàm ipsi Prophetæ, qui ex eodem Spiritu verba oretenus protulerunt. Et cap. 19. ibidem* hæc subnectuntur, *Tertia quippe die, de Christi Resurrectione discipulis hæsitantibus, & mulieribus, in sepulchro ejus corpus sollicitè inquirentibus, ipsisque Apostolis præ maxima cordis anxietate, & pavore se pariter includentibus, tunc Virgo Mater, quamvis Scriptura eo tempore ipsam aliquid locutam non commemorat; sine dubio tamen credendum est, quòd ipsa Dei Filium in carne ad æternam gloriam resurrexisse rectificata est, & quòd mors de cætero illi numquam posset amplius dominari.* Et paulò post subjunguntur sequentia: *Ipsa Virgo Maria erat Magistra Apostolorum; confortatrix Martyrum, Doctrix Confessorum, clarissimum speculum Virginum, consolatrix Viduarum; in conjugio viventium saluberrima monitrix, atque omnium in fide Catholica perfectissima roboratrix. Apostolis namque ad se venientibus omnia, quæ de suo Filio perfectè non noverant, revelabat, & rationabiliter declarabat.* Et hinc factum est, ut in Litaniis ab Ecclesia laudetur, & dicatur *Sedes Sapientiæ*, nec non *Regina Prophetarum.*

Sanctæ Elisabeth Matri Sancti Joannis Baptistæ secundus debetur locus inter Prophetissas legis Evangelicæ; fuit enim hoc munere insignita, cùm ad eam visitandam DEIPARA accessisset; tunc enim:
13 *Ut audivit Salutationem MARIÆ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus; & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, & exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo: & Beata quæ credidisti; quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Luc. 1. 41.* In quibus verbis notant Sancti Patres, & Doctores Ecclesiæ, quòd Elisabeth prophetavit de præsenti; nam à Spiritu Sancto illuminata Virginem, quam præsentem cernebat, Christum in utero gestare cognovit, & ipsa prima fuit, quæ nominavit Sanctissimam virginem Matrem Dei. Item prophetavit de præterito; dicens enim, *Beata, quæ credidisti*, apertè indicavit in Spiritu agnovisse verba, quæ Deiparæ fuerant dicta ab Angelo. Prophetavit etiam de futuro, quando subjunxit: *Perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino*: ut considerat Barradas *in Evangel. tom. 1. lib. 7. cap. 12. Vers. Unde hoc mihi*; ubi Sanctos Doctores allegat.

Annæ filiæ Phanuel de Tribu Aser tertius locus debetur inter Prophetissas; sic enim appellatur à *S. Luca cap. 2. Vers. 36.* ubi eam laudat dicens: *Hæc* 14
processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de Templo, jejuniis, & obsecrationibus serviens nocte, ac die. Et hæc ipsa hora superveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant Redemptionem Israel. Ubi de hac Prophetissa Anna tria sunt notanda; Unum quòd vixerat in viduitate annos sexaginta quatuor; cùm enim septem annis fuisset in matrimonio: illudque contraxerit à prima pubertate, quæ puellis est anno duodecimo, sequitur maritum obiisse, ea existente in anno vigesimo circiter ætatis suæ, & deinceps raro exemplo vidua perpetuò mansérit usque ad annum 84. Alterum notandum est, quòd non discedebat de Templo; qui habitabat in cellulis prope muros ejusdem Templi, ut notavimus supra *Decis. XII. num. 32.* & docet Tirinus *in Exod. cap. 38. Vers. 8.* Canisius *de Beata Virgine lib. 1. cap. 12.* & Serarius *in lib. 2. Machabæor. cap. 3.* Tertium est, quòd licèt in Evangelio non exprimantur ea, quæ prophetizaverit Anna de Christo; sed quòd *Confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant Redemptionem Israel*; est tamen probabile, quòd ipsa testata fuerit; puerum illum esse Messiam, & Salvatorem mundi in lege, & à prophetis promissum: quod bene notant idem Tirinus *in Luc. dict. cap. 2. Vers. 38.* & Menochius *in Histor. Sacra lib. 1. cap. 13. num. 10.*

Samaritanæ quartus sit locus inter Prophetissas; siquidem ex sermone habito cum Redemptore No- 15
stro, dum *fatigatus ex itinere sedebat supra fontem. Joan. 4. 6.* illuminata à Spiritu Sancto intellexit, & cognovit, Dominum JESUM esse Messiam, & Christum; ideò subdit Evangelista *d. cap. 4. n. 28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Numquid ipse est Christus?* Sic enim locuta est ex motivo modestiæ; nam certè noverat ipsum esse Christum, & Messiam; ut ait S. Joannes Chrysostomus his verbis: *Procul dubio enim intelligebat, modò fontem illum gustarent, eadem de eo, quæ & ipsa, sensuros.* Idem refert ipse Menochius *in Histor. Sacra lib. 3. cap. 5. num. 11.* subdens ibidem, nomen Samaritanæ 16
hujus mulieris ex Martyrologio Romano *die 20. Martii*, Photinæ fuisse; quæ martyrio ob Christi confessionem coronata fuit, & ejus caput Romæ apud S. Paulum à Monachis Cassinensibus asservari notat Eminent. Card. Baronius *ad Martyrol. prædictum.*

Claudiæ Proculæ Uxori Pilati quintus locus assignandus est inter Prophetissas; quæ dum Christus Dominus vinctus ad Pilatum ductus esset à Judæis, 17
Misit ad eum Uxor, dicens: Nihil tibi, & justo illi; multa enim hodie per visum passa sum propter illum. Matth. 27. 19. Est enim communior SS. Patrum opinio; quos cumulat Tirinus *in d. loco*; & Menochius *in Histor. Sacra lib. 7. cap. 15. num. 2.* quòd

quòd ipsa Claudia Proculа Uxor Pilati ab Angelo suo custode per visum didicerit innocentiam. Redemptoris; & minas, ac punitiones ob facinus Judæorum in ipsos, atque in eundem Pilatum venturas; & ideo miserit ad ipsum Pilatum; ut se innoxium servaret; sed ipse pluris æstimavit instantiam Principum Judæorum, quàm terriculamenta uxoris; undè innocentem Dominum condemnavit; & se reum tum Divinæ Justitiæ fecit, tum imperatori Romano, à quo postea jussus fuit exulare, Viennam Galliæ, ubi miserrimus obiit.

Mariæ Magdalene, aliisque Sanctis Mulieribus,
18 quæ ab Angelo revelatam resurrectionem Redemptoris nunciaverunt Apostolis, sextus locus inter Prophetissas legis Evangelicæ datur. De his notan-
19 da verba Sanctorum Evangelistarum. Sanctus Matthæus *cap.* 28. *vers.* 1. ita scribit: *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum.* Et descripto terræ motu, ac Angeli fulgido vestimento, subdit *vers.* 5. *Respondens autem Angelus dixit mulieribus; nolite timere vos, scio enim, quòd* JESUM, *qui crucifixus est, quæritis; non est hic, surrexit enim, sicut dixit. Et Vers.* 8. *Et exierunt citò de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes nunciare discipulis ejus. Et ecce* JESUS *Occurrit illis, dicens, Avete. Ille autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.*

S. Marcus narrat eandem revelationem his verbis *Cap.* 16. *vers.* 1. *Et cùm transisset Sabbatum Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salomone emerunt aromata, ut venientes ungerent* JESUM Et cùm accessissent ad monumentum, & Angelum de resurrectione loquentem audissent, *vers.* 9. subdit: *Apparuit* (JESUS) *primò Mariæ Magdalenæ.*

S. Lucas pariter describit accessum harum sanctarum Mulierum ad monumentum summo mane; inter quas, ait, *cap.* 24. *vers.* 10. *Erat Maria Magdalene, & Joanna, & Maria Jacobi & cæteræ, quæ cum eis erant.*

S. Joannes quoque *cap.* 20. *vers.* 1. ita idem factum narrat: *Una autem Sabbati, Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum.* Et post visum lapidem monumenti revolutum, apparuit JESUS eidem Mariæ Magdalenæ in forma hortulani: & eo cognito, ait: *Rabboni* (*quod dicitur Magister*) Et subindè *Venit Maria Magdalene annuncians discipulis, quia vidi Dominum; & hæc dixit mihi*

Igitur inter Prophetissas numerandæ sunt Maria Magdalene, & aliæ mulieres; quæ viderunt tum Angelos revelantes sibi resurrectionem Domini; tum ipsum Dominum, qui glorioſus à mortuis resurrexerat; & subinde ab ipsis mulieribus revelata fuit Dominica Resurrectio Sanctis Apostolis, & aliis discipulis.

Sed hic dicet aliquis, quomodo intelligenda sunt
20 verba illa Divi Matthæi, *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum*? Nonnè per illa verba Vespere autem Sabbati intelligenda est hora vespertina Sabbati, cùm Sol die Sabbati occumberet? Respondetur negativè. Siquidem verba illa innuunt, quòd Maria Magdalene, & aliæ mulieres die Dominico quæ erat prima dies Sabbati, ideſt dies Dominica, prima dies hebdomadæ; Sabbatum enim hebdomadam significat,) accesserunt summo mane ad monumentum. Ideircò secundùm aliquos auctores ly *Vespere* denotat Stellam Dianam vocatam mox *Vesperam*, mox *Luciferam*: quæ solet splendescere adveniente die. Secundum alios verò *Vespere autem Sabbati* idem sunt, ac transacto Sabbato; & aurora diei Dominicæ lucescente: nam in textu græco habetur ὀψὲ σαββατων *Opsè Sabbaton*; scilicet post Sabbatum; post totam hebdomatam; eo quia ὀψὲ *opsè* non tantùm significat *tardè*; sed etiam *post*. Sabbatum verò, ut dixi, indicat hebdomadam; ut doctè Tirinus *in Comment. Matth.* 28. 1. & Menochius *in Histor. Sacra, libr.* 8. *cap.* 1. *num.* 3. ac Barradas *tom.* 4. *Evangel. lib.* 8. *cap.* 9.

Filiabus quatuor Philippi Diaconi ultimus tandem locus figitur inter Prophetissas, de eis enim *in Act. Apo-* 21
stol. cap. 12. *Vers.* 8. & 9. sic legitur: *Et intrantes domum Philippi Evangelistæ* (quia scilicet prædicabat Evangelium & converterat Eunuchum Candacis Reginæ) *qui erat unus de Septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ Virgines prophetantes.* Una harum Virginum vocabantur Hermione, quæ ut habetur in Menologio 4. *Septembr.* gravissima passa est sub Trajano, & quievit in Domino. Tirinus *d. cap.* 21. *vers.* 9. De aliis autem, prout de Philippo earum patre sic scriptum est *in Martyrol. Rom. die* 6. *Junii. Cæsareæ in Palestina natalis B. Philippi, qui fuit unus de septem primis Diaconis, Hic signis, & prodigiis clarus, Samariam ad fidem Christi convertit; & Candacis Æthyopum Reginæ Eunuchum baptizavit; ac demum apud Cæsaream requievit; juxta quem tres Virgines ejus filiæ Prophetissæ tumulatæ jacent; nam quarta filia ejus plena Spiritu Sancto Epheli occubuit.* Earundem quatuor Virginum Prophetissarum cellulas visitasse S. Paulam Romanam testatur S. Hieronymus *in Epist.* 27. verbis istis: *Mirata est Stratonis turrim, ab Herode Rege Judææ in honorem Cæsaris Augusti Cæsaream nuncupata; in qua Cornelii domum, Christi videlicet Ecclesiam, & Philippi ædiculas, & cubicula quatuor Virginum Prophetarum, &c.* Et hæc de Prophetissis in textu Sacro nominatis.

De aliis Sanctis Mulieribus Christianis tum Vir- 22
ginibus, tum Viduis, ac conjugatis, quibus Spiritus Prophetiæ à Deo donatus fuit, superfluum est Catalogum texere; cùm tot, & tanta testimonia de his habeantur in Chronicis, ac Vitis Sanctorum; quæ numerari ob eorum multitudinem non valent. Satis sit dicere, quòd donum Prophetiæ, quod habuit Sancta Birgitta, Sancta Catharina Senensis, Sancta Franciſca, & aliæ Sanctæ; est signum, & argumentum validum Sanctitatis earum, ut firma-
vit Rota in relatione Beati Paschalis Baylonis *tit.* 23
de dono Prophetiæ, & docent Cantiloirus *de Canonizat. Sanctor. cap.* 14. *num.* 20. Emin. Card. Bona *de discret. Spirit. cap.* 10. Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 69 *num.* 4. & *tom* 5. *consult.* 30. *num.* 9. ubi alios cumulat.

Sibyllæ quoque merentur inter Prophetissas numerari; siquidem præclara ab eis scripta sunt præ-
cipuè de Incarnatione Filii Dei, de ejus Vita, Pas- 24
sione, Morte, Resurrectione, Ascensione, & ad universale Judicium adventu; voluit enim Deus, qui redempturus erat tum Israeliticum populum, tum etiam Ethnicos, & Gentiles, ut oracula de tanto opere essent non solùm apud Hebræos, sed etiam apud ipsos Gentiles; nam ut ait Apostolus: *Multifariam multisque modis locutus est Deus Patribus in Prophetis. Ad Hebr.* 1. Ad Gentiles autem voluit 25
loqui per Sibyllas, ut idem Apostolus Paulus dicebat, dum gentilibus evangelizabat Christum, teste Clemente Alexandrino *lib.* 6. *Stromatum*, his verbis: *Libros quoque græcos sumite, agnoscite Sybillam*

Sibyllam, quomodo unum Deum significet, & ea, quæ sunt futura. Hidaspem sumite, & legite; & invenietis Dei Filium multò clarius, & aperiùs esse scriptum. Et in oratione ad gentes idem Clemens Alexandrinus sic ait: *Prophetissa itaque Sibylla nobis prima canat canticum salutare.* Et carmina subnectit, quibus Deum in terras venturum prænunciat. His adstipulatus est Sanctus Hieronymus *libr. 1, adversus Jovinianum, dicens: Quid referam Sibyllas Erithræam, atque Cumanam, & octo reliquas; nam Varro decem fuisse autumat, quarum insigne Virginitas est, & Virginitatis præmium divinatio.* Et de iisdem Sibyllis plura diiserunt Sanctus Augustinus *lib. 18. de Civit. Dei cap. 23.* Lactantius *libr. 4. Institut. cap. 15. & seqq.* Arnobius *libr. 1. contra Gentes*, & Sanctus Clemens Papa *libr. 5. Constit. Apostol. cap. 8.* sic scribens: *Si Græci derident nos, non credentes nostris Scripturis, saltem fidem habeant Vati suæ Sibyllæ, quæ ad verbum ita inquit, &c.* ut refert Paulus Segnerius *nell' Incredulo senza scusa part. 2. cap. 17. num. 14.* & Salmeron. *tom. 2. tract. 19.* Multos alios Auctores, qui de Sibyllinis oraculis ex professo tractarunt, allegat Tholosanus *in Syntagmat. Juris Univ. part. 2. lib. 18. cap. 6. à num. 6. & seqq.* & Menochius *in Storeis part. 2. Centur 4. cap. 39. & cap. 40.* Et novissimè Emin. Card. de Lauræa *d. tom. 4. in 3. libr. Sentent. disp. 19. art. 9. §. 3. à num. 248. usque ad num 259.*

Porrò juxta commune placitum Scriptorum decem fuerunt Sibyllæ, videlicèt: *Delphica, Erithræa, Cimmeria, seu Cumæa, Samia, Cumana, Hellespontica, Lybica, Persica, Phrygia, & Tiburtina* Tarcagnota *in Historia Univ. tom. 1. lib. 8. pag. 249.* Sunt tamen aliqui addentes alias duas, nempè *Europæam & Ægyptiam.* Tria autem sunt observanda 26
circa has Sibyllas, & earum oracula. *Unum*, quòd ad instar Sanctorum Prophetarum multa erant obscura in eorum dictis, & difficillima intellectu, ideóque libros Sibyllinos emptos magno pretio per Tarquinium Superbum (de qua emptione meminit Tholosanus *d. lib. 18. cap. 6. num. 9.*) non solùm Romæ diligenter custodiebantur; sed attentè à decem clarissimis viris inspici, & eorum sensum penetrare solitum erat, præsertim in publicis Civitatis necessitatibus, ut notat Salianus *ad Annum Mundi 3539. num. 5 & ad Annum 3789. num 1.* Alterum est, quòd ipsæ Sibylla Spiritu prophetico multa enunciantes, quæ ab hominibus non intelligebantur, dicebantur furere, & delirare, sicut de Isaia, per tres dies nudo insedente. *Isa. cap. 20.* Et Ezechiele panem cum stercore manducante. *Ezech. 4.* autumabant Judæi; quod observavit Lactantius *d. lib. 14. cap. 15.* his verbis: *Non dubito quin Sibyllina carmina prioribus temporibus pro deliramentis habita sint cùm ea nemo tunc intelligeret.* Tertium est observandum, quòd Prohetæ scripserunt soluta oratione suas prophetias, Sibyllæ autem in Versibus hexametris; ut eò magis splendesceret Divina Sapientia, qua imbutæ ipsæ tenellæ Virgines mysteria sublimia canere, & carminibus promere sciverint; De his Patres Dominicani in Sequentia tertiæ Missæ Natalis Domini, sic recitabant:

Verbum Ens Altissimi, corporari passum est, carne sumpta.

Isaia cecinit, Synagoga meminit, nunquam tamen desinit esse cæca.

Si non suis Vatibus, credat vel gentilibus: Sibyllinis versibus hæc prædicta.

Quorum Versuum collectam fecit Panvinus *in tractatu de Oraculis Sibyllinis* impresso Parisiis *Annn 1607. cum annotationibus Joannes Obsopei*, & eorum plurima græco idiomate ponit Barradas *in Evangel. tom. 1. libr. 3. capit: 15.* Latina autem versione Proprinomium Historicum *Verb. Sibylla.* Et Eminent. Cardin. de Lauræa *d. tom. 3. disp. 19. à num. 249. & sequentib.* Quæ quidem carmina ad Lectorum commodum, & solatium hìc transcribam in relatione summaria cujusque Sibyllæ, & in his, quæ continent Propheticas narrationes de Redemptore Nostro JESU CHRISTO.

Delphica itaque Sibylla censetur prima, & cæteris antiquior, quippè vaticinata est ante Trojanum bellum annis 127. & vivebat ante natum Christum annis 1221. ut calculat Ricciolus *in Chronolog. Reform. tom. 2. Catalog. 24.* Significat autem hæc Vox *Sibylla Consilium Dei*, ex græco Idiotismo Æolico Σιὸν Deus, & βυλλὼ consilium, ut notat Menochius *d. centur. 4. cap. 39.* Filia fuit hæc Delphica Sibylla Tiresiæ vatis Thebani; & nominata fuit *Antemis.* Eam prophetizasse ferunt totam vitam, miracula, passionem, & Resurrectionem Christi. De eo hæc carmina ipsa scripsit. 27

Non tardè veniet; tacita sed mente tenendum.
Hoc opus; hoc memori semper qui corde reponet,
Hujus pertentant cor gaudia magna Prophetæ.
Eximii, qui Virgineo conceptus ab alvo.
Prodidit sine contactu maris, omnia vincit.
Hoc naturæ opera; at fecit qui cuncta gubernat.

Deinde de ejusdem Christi Passione subdit:

Impinget illi colaphos, & sputa scelestis.
Israel labiis; nèc non & fellis amari.
Apponet escam, potumque immitis aceti.

Erithræa est secunda Sibylla *Heriphile* nominata, quæ prædixit Græcis Ilium petentibus excidium Trojæ; sed quia prædixit Romanorum regnum ex 28
Trojanis futurum, Eusebius eam posuit tempore Romuli; sed absque valido fundamento, & sine auctoritate, cùm ipsa multò ante floruerit tum tempore Trojani excidii, tum paulò post, ut habet Solinus *capit. 7.* Hæc pariter Christi nativitatem, passionem, mortem, resurrectionem, & judicium finale enunciavit, & ejus sunt carmina sequentia:

Cerno Dei natum, qui dimisit ab alto.
Ultima felices referent cum tempore soles;
Hebræa quem Virgo feret de stirpe decora,
In terris multum teneris passurus ab annis.
Magnus erit tamen hic divino carmine Vates.
Virgine Matre satus prudenti pectore verax.

Et aliis carminibus omissis, subdit:

Judicii in signum, tellus sudore madescet;
Et Rex æternus summo descendet Olympo,
Scilicet ut carnem, mundumque vindicet omnem:
Unde Deum fidi, dissidentesque videbunt,
Summum cum Sanctis in sæcli fine sedentem.

Et hæc est Sibylla, de qua intelligit Ecclesia, dum in Sequentia Missæ Defunctorum canit:

Dies iræ, dies illa,
Solvet sæclum in favilla,
Teste David cum Sibylla.

Cimmeria, sive Cumæa est tertia Sibylla; dicta etiam Italica, quia in Italia vaticinata est; oriunda ex Cimmerio Campaniæ oppido vicino Cumis. 29
Floruit paulò post excidium Trojæ, videlicet circa 1170. annos ante Christum, & Æneæ tempore; siquidem fuit illa *Deiphobe*, quam Æneas

consuluit apud Virgilium *lib. 6. Æneid.* De ea S. Justinus Martyr *in admonitorio ad gentes* sic scribit: *Gentiles Viri assentimini vetustæ huic, & antiquissimæ Sibyllæ; quæ superne afflata oraculis, vos erudiet, quòd qui dicuntur Dii, non sunt. De Salvatoris autem nostri Jesu Christi adventu, & de his omnibus, quæ is facturus erat, manifestè pronunciat, quorum notitia vobis necessaria est.* Ipsa verò Cumæa Sibylla hæc inter cætera carmina de Christo edidit:

Inteneris annis, facie præsignis honore,
Militiæ æternæ Regem Sacra Virgo cibabit.
Lacte suo; per quem gaudebunt pectore summo.
Omnia; & Eoo lucebit Sydus ab orbe.
Mirificum, sua dona magi cum laude ferentes,
Objicient Puero Myrrham, Aurum Thura Sabæa.

Samia Sibylla quarta est, & nominata fuit *Pitho*; 30 ortum enim habuit in Insula Samos Maris Ægæi, & de ea meminit Ælianus *libr. 12. Var. Histor.* Plura prædixit de Redemptore, & præsertim ejus ingressum cum Palmis olivarum in Jerusalem his versibus:

Salve casta Syon, permultaque passa Puella,
Ipse Tibi insidens Rex en tuus intrat Asello.
Erga omnes mitis juga tibi quo juga demat.
Intoleranda tibi, quæ fers cervice subacta.

Cumana quinta Sibylla fuit, vocata *Amalthea*, ac etiam *Demophile*; nata est Cumæ, quæ est urbs 31 Asiæ minoris in Æolide, & in ora sinus Smyrnæi; quæ nunc dicitur *Fojanova* Hæc, libros oraculorum detulit ad Tarquinium superbum, petens pro illorum pretio trecentos Philippeos, ut scribit Solinus *cap. 7.* & Tholosanus *d. libr. 18. cap. 7. num. 9.* Sed Rex ille bis in ignem projecit tertiam partem illorum librorum; pro reliqua autem tertia parte, admiratus Sibyllæ constantiam in petendis trecentis aureis; illos exbursare fecit, ipsaque Sibyllina oracula mandavit fideliter custodiri. Hanc Sibyllam Cumanam prophetizasse Incarnationem Verbi Divini testantur hæc ejus Carmina:

Tunc ad mortales veniet à mortalibus ipsis,
In Terris similis natus Patris Omnipotentis,
Corpore vestitus, &c.

Et de eadē agit etiam Beda *in libr. 1. Comentar. in Luc.*

Hellespontica fuit sexta Sibylla, nata in vico Marmisso argi Trojani. Ejus nomen ignoratur; vi- 32 xisse tamen fertur temporibus Solonis Philosophi, ac Magni Regis Cyri. Hæc de nativitate, & doctrina Salvatoris ita cecinit:

Cùm meditor quondam vidi decorare Puellam.
Eximio castam quæ se servaret honore.
Munere digna suo & divino numine visa,
Quæ sobolem multo pareret splendore micantem.
Progenies Summi speciosa, & vera tonantis,
Pacifica mundum qui sub ditione gubernet.

Et post alia plura:

Ille Dei legem complebit, non violabit.
Persimilem formam referens, & cuncta docebit.

Libica Sibylla fuit septima, cujus nomen nescitur, de qua Euripides in Lamiæ prologo. Vixit 33 ante Olympiadem 80. ideſt ante Christum annis circiter 480, Ab ipsa prænunciata sunt miracula Christi versibus istis:

Ille quidem morbis pressos sanabit, & omnes.
Læsos, quotquot ei fidem, cæcique videbunt.
Incedent claudi. Surdis audire licebit:
Insolitas mutis dabitur formare loquelas.
Expellet furias. Oppressi morte resurgent.

Persica fuit octava; quæ etiam Babylo- 34 nica, & Chaldaica Sibylla nuncupata fuit, & ejus Pater Berosus. Floruit sub Alexandro Magno circa Olympiadem 120. ut ex Nicanore de gestis Alexandri magni colligitur. Et quia in libris 24. multa de Christo cecinit, sicut & Cumæa, ideò S. Justinus in Parenetico ad gentes putat venisse in Italiam, eandemque cum Cumæa fuisse. Hæc prædixit prædicationem, & baptismum Præcursoris Christi, de quo ait:

Tunc quoque vox quædam veniet & per deserta locorum,
Nuncia mortales misericors, quæ clamet ad omnes,
Ut rectos faciant calles, animosque repurgent.
A vitiis, & aquis perlustrent corpora mundis.

Phrygia nona Sibylla fuit, quæ prophetizavit An- 35 cyræ, quæ Civitas est in Asia minore. De ejus nomine, ac tempore memoria non extat. Mortem Salvatoris vaticinata est his carminibus:

Scindetur Templi velum, mediumque diei.
Nox tenebrosa tribus premet ad mirabilis horis.
Et tridui somno peraget mortalia fata.

Tiburtina decima Sibylla est, nata Tibure, di- 36 stante ab Urbe Roma miliaribus sexdecim. Tempus ipsius ignotum remanet; at ejus nomen fuit Albunea; & hæc in Spiritu vidit, & prænunciavit Christi Resurrectionem, & Ascensionem in cœlum his metris:

Sed postquam triduo lucem repetiverit, atque
Monstrarit somnum mortalibus; atque docendo
Cuncta illustrarit, cœlestia tecta subibit,
Nubibus invectus &c.

Hæ sunt decem Sibyllæ, de quibus tam antiqui, quàm moderni, tam Sacri, quàm profani Auctores memorantur; quos congerit Tholosanus *in d. Syntagm. Jur. Univ. libr. 18. cap. 6 num 9. & 10.* ubi 37 hæc habet: *Conservabantur autem Romæ summa cum veneratione libri Sibyllini, qui magnis in negotiis consulebantur; veluti quando contra Volscos bello moto, Romæ laboratum est victus inopia, & magnus metus fuit, ne in totum deficeret, terra fructus negante. Sub Claudiano quoque, quo tempore Marcomani cuncta vastabant. Sub Gallieno pro pestilentia sedanda. Et sæpissimè aliis quoque temporibus.*

Sed & illud notabile est, quod advertit Salianus *ad Ann. Mundi 4041. & ante Nativitatem Christi 12.* videlicet, Cæsarem Augustum libros Sibyllinos 38 magna diligentia recognitos, sub publica custodia servandos reposuisse, subdens idem Auctor; *Id factum ab Augusto non sine Divina Providentia, jam olim notatum est ab antiquis Patribus, ut Christiani ex libris Sibyllinis, ab ipso Augusto Cæsare repurgatis, & recognitis, fidem Christianam apud Ethnicos majori cum fide stabilire possent.* Cumque Sancti Episcopi, & alii prædicatores Evangelici uterentur iisdem Sibyllarum libris ad gentiles suadendos de veritate fidei Christianæ, prohibita fuit à Tyrannis eorundem librorum lectio sub pœna mortis; de qua re conqueritur S. Justinus Martyr in secunda Apologia pro Christianis ad Antoninum Imperatorem dicens: *Opera malorum geniorum mors constituta, & definita est in eos, qui Hystaspis, vel Sibyllæ, vel Prophetarum, vatumque libros legunt, ut metu homines, qui legunt, abducant ab eo, ne bonarum rerum cogitationem accipiant, sibi autem servos eos detineant, quod quidem tandem perficere minimè potuerunt. Non solum enim sine metu eos legimus, sed vobis quoque, ut videtis, considerandos offerimus.* Quod narrando prosequitur Menochius *in Storcis centuria prima cap. 49.* & Segnerius

nell

Bell *Incredulo senza scusa d. part. 2. cap. 17. num. 14.*

Tandem sunt qui addunt antedictis decem Sibyllis Undecimam, quam *Europæam* apellant, sic de 39 Messia locutam. *Veniet ille, & transibit montes, & colles, & latices Sylvarum Olympi. Regnabit in paupertate, & dominabitur in silentio, & egredietur de utero Virginis.* Ac etiam Duodecimam; quam nominant Ægyptiam, de cujus vaticinio hæc verba sunt: *Invisibile Verbum palpabitur, & germinabit ut radix & siccabitur ut* 40 *folium, & non apparebit venustas ejus, & circumdabitur alvus materna, & flebit Deus lætitia sempiterna, & ab hominibus conculcabitur, & nascetur ex matre ut Deus, & conversabitur ut peccator.* Ita Proprinominum Historicum *d. Verb. Sibylla.* Et hæc satis sint de Vaticiniis, Revelationibus, atque Prophetiis, quas Deus voluit tot ante sæcula prænunciari de venturo Messia, & Redemptore nostro JESU CHRISTO, etiam per mulieres: ut sicut nullum sexum, nullumque ordinem personarum constaret caruisse hac gratia gratis data, ita omnes gentes scirent, eas consequi posse gratiam justificantem per fidem in Christum & exercitium bonorum operum, ut disserit Barradas *in Evang. d. tom. 1. libr. 3. cap.* 15. ubi Sanctorum Patrum sententias de hoc argumento transcribit.

DECISIO XXVII.

ARGUMENTUM.

De Sacrificiis Hebræorum. De Victimis quadrupedibus, Volucribus, & rebus inanimatis, quæ ab eis litabantur. De Holocausto, Hostiis pacificis, & pro peccato, immolationibus, libaminibus, & jugeSacrificio, De Festis Hebraicis; & de Sacrificiis præscriptis in quocunque die festo, De Sacrificiis secundùm varietatem personarum, quarum intuitu offerebantur; & præcipuè pro consecratione Sacerdotum, & Nazaræorum; expiatione leprosorum, & laborantium legalibus immunditiis. De Mulieribus menstruatis, & de diversitate menstruorum. De Sacrificio Zelotypiæ, Vaccæ Rufæ, & Vitulæ pro homicidio occulto. De Ritibus, cæremoniis, atque causis totius Liturgiæ Legis Mosaycæ. Atque de Sacrificiis pro Defunctis.

SUMMARIUM.

1 *Sacrificia Hebræorum analogiam habebant cum convivijs hominum. Et cur?*
2 *Eucharistia in ultima cœna Christi fuit Epulum, & Sacrificium.*
3 *Gentiles sacrificabant inter convivia.*
4 *Altare Sacrificiorum cur vocetur Mensa Domini?*
5 *Fermentum, ac Mel semper vetitum in Sacrificiis Aaronicis.*
6 *Victimæ immolandæ carere debebant omni defectu.*
7 *Mel nocivum stomacho.*
8 *Mel à Gentilibus offerebatur Baccho.*
9 *Sacrificiorum Legis Mosaycæ genera quinque.*
10 *Victimæ apud Hebræos aliæ animatæ, & aliæ inanimes.*
11 *Victimarum animam habentium pro Sacrificiis Hebræorum species quinque.*
12 *Victimæ, quas Hebræi sacrificabant, figurabant virtutes Christi*
13 *Pisces cur Deus noluerit sibi sacrificari?*
14 *Monachus extra cellam est piscis extra aquam.*
15 *Passeris occisio in expiatione Leprosi non erat Sacrificium.*
16 *Victimæ inanimes quænam essent in Sacrificiis Hebræorum?*
17 *Finis quadruplex in Hebraicis Sacrificiis, & quisnam?*
18 *Differentia inter peccatum, & delictum.*
19 *Holocaustum quid esset?*
20 *Holocausti Victima debebat esse masculini sexus.*
21 *Tabernaculi, atque Templi tres erant partes.*
22 *Laici apud Hebræos utrum accessum haberent ad Altare Holocausto matum?*
23 *Pacifica Hostia quæ, & quotuplex?*
24 *Pacifica Hostia dividebatur in tres partes. Et quomodo?*
25 *Adipem animalium an Hebræi possent comedere? & num. 27.*
26 *Sanguinem animalium comedere cur prohibitum primitivis Christianis per Apostolos?*
28 *Turtures, & Columbæ non litabantur pro hostia pacifica. Et cur?*
29 *Hostia pro peccato, seu delicto quænam esset?*
30 *Hostiæ pro peccato quæ cederent in esum Sacerdotum, & quæ non?*
31 *Boves veteres quatuor, vel quinque annorum ab Hebræis non immolabantur.*
32 *Ritus jugulandi, & mactandi victimam apud Hebræos.*
33 *Victima non indivisa, sed facta in frusta comburebatur in Sacrificio Holocausti.*
34 *Odor an ingratus esset ex combustione Victimarum?*
35 *Aves ab Hebræis quomodo immolarentur?*
36 Minchà *adhibebatur semper in Sacrificio holocausti, & quid esset?*
37 *Simila, vel panis aliquando solus offerebatur in Sacrificium.*
38 *Ritus undecim, seu cæremoniæ in Litanda Hostia pacifica.*
39 *Cauda victimæ quare comburenda in Sacrificio?*
40 *Ritus, ac Cæremoniæ sex in Sacrificio pro peccato.*
41 *Ritus, & Cæremoniæ in adolendo Thymiamate apud Hebræos.*
42 *Thymiama adolebatur bis quotidie.*
43 *Juge Sacrificium quodnam esset? & num. 47.*
44 *Juge Sacrificium figurabat Sacrificium Missæ.*
45 *Festa Hebræorum alia ordinata erant à Deo, alia à Rabbinis.*
46 *Festa de Præcepto divino erant octo apud Hebræos. A Rabbinis alia sex instituta Et quæ?*
48 *Sabbati Sacrificium quodnam esset?*
49 *Sabbato Hebræi non accendebant ignem, ut se calefacerent, nec candelas domi, ut arderent.*
50 *Neomenia quid esset? & quale Sacrificium in hoc festo?*
51 *Menses ab Hebræis regulantur juxta cursum Lunæ.*
52 *Paschæ Azymorum festum erat die 15. Mensis Martii apud Hebræos; & Vespere antecedenti edebant Agnum Paschalem, cum Azymis.*
53 *Pascha Azymorum quodnam esset Sacrificium?*
54 *Manipulus spicarum quando, & quomodo offerebatur à Judæis?*

55 *Pa-*

55 *Pentecostes festum quando erat? Et quale in eo Sacrificium?*

56 *Panis fermentati quomodo offerebantur in die Pentecostes?*

57 *Tubarum festum, quando & qua de causa à Judæis celebratum? & quales Victimæ in eo litatæ?*

58 *Expiationis festum, dictum* Kippurim *quando fiebat? Et quale Sacrificium in eo? Cæremoniæ Pontificiæ hujus diei.*

59 *Hirci emissarii funiculus coccineus an converteretur in album?*

60 *Scenopegiæ festum, ideſt Tabernaculorum, cur institutum? qua die celebratum? Quibus Victimis sacrificatum?*

61 *Cœtus, seu Collectæ festum Judæorum celebratio, & Sacrificia.*

62 *Siloe aquam hauriebant Judæi in festo Cœtus, seu Collectæ, & quid esset Siloe?*

63 *Festa Hebræorum instituta à Rabbinis quænam essent? & quæ Sacrificia fierent in eis?*

64 *Sacerdotum Sacrificia dum ipsi consecrarentur.*

65 *Nazaræorum tria Sacrificia, & quæ?*

66 *Tonsura Ecclesiastica unde originem sumpserit?*

67 *Leprosorum Sacrificia in eorum expiatione, & cæremoniæ in litando pro eis.*

68 *Immundi immunditia legali quinam essent? Et quæ Sacrificia pro eorum expiatione;*

69 *Immunditia Hebræorum duplex; una peccaminosa; alia sine peccato.*

70 *Seminis fluus erat immundus. Duplex fluxus seminis.*

71 *Gonorrhæa duplex; & ea laborans an posset petere debitum.*

72 *Menstruata Mulier erat immunda Quid sint Menstrua?*

73 *Mulieres Hebrææ fiebant immundæ quadrupliciter - & quomodo?*

74 *Coitu exercito ab Hebræis tenebantur totum corpus lavare; & cur?*

75 *Hæmorrhoissa mulier quale Sacrificium offerre debebat?*

76 *S. Martha soror Lazari an fuerit hæmorrhoissa sanata à Redemptore? vel alia mulier?*

77 *Puerperæ immunditia, expiatio, ac Sacrificium.*

78 *Deipara nullam immunditiam legalem contraxit.*

79 *Puerperæ Christianæ quanto tempore abstinent ab ingressu Ecclesiæ?*

80 *Regulares an in suis Ecclesiis possint recipere puerperas ad Purificationem;*

81 *Menstruorum puerperii, & mensis differentia.*

82 *Menstruatæ mulieres an licitè sumant Sacram Eucharistiam?*

83 *Zelotypiæ Sacrificium Ritus, & Maledictiones in eo explendo.*

84 *Candentis ferri contrectatio ob purgationem à suspicione delicti olim adhibita: nunc prohibita.*

85 *Vaccæ Rufæ mactatio, & Aqua lustralis è cineribus ejus.*

86 *Aqua benedicta Christianorum delet venialia peccata,*

87 *Vitulæ mactatio in casu occulti homicidii*

88 *Sanguinis fluxus è vulneribus occisi, præsente homicida, an sit miraculosus? Et ex hoc an Judices possint procedere ad Torturam, & ad pœnam contra homicidam occultum?*

89 *Sacrificia Defunctis solita fieri apud Judæos.*

POst traditam notitiam Pontificum Sacerdotum, Levitarum, ac aliorum ministrorum Templi, cæterorumque Religiosorum Virorum, ac Mulierum, quomodo libet Divino cultui inservientium in Lege Mosayca, convenit, ut Judaica Sacrificia, quæ erant in usu, tempore ejusdem Mosaycæ Legis, explicemus; ut deinceps ad Sacrosancti Missæ Sacrificii, quod in eis figuratum, & adumbratum fuerat, explicationem progrediamur; & celebriores Quæstiones, spectantes ad Sacrificium Missæ, quas discutiendas proposuimus Clero Patavino Anno 1690. discussas, & decisas offeramus.

Pro dicendorum autem notitia, hic sunt duo præmittenda. *Unum* est, quòd Sacrificia habebant 1
quandam Analogiam cum conviviis, nam in eis quasi convivium apparabatur Deo, cujus vice ignis quasi à Deo immissus, (prout etiam pluries de cœlo immissum fuisse Sacra Scriptura sub Sacrificiis testatur) ipsum Sacrificium quasi convivium devorabat, Hinc veteres inter Epulas sacrificabant, ut patet de Judæis *Exod.* 12. ubi in ultima sua cœna, quam peregerunt in Ægypto, immolarunt, & comederunt Agnum Paschalem, & cùm ultimò cœnasset Redemptor cum Apostolis, pridiè scilicet, quàm pateretur, instituit Sacrosanctam Eucharistiam, 2
quæ fuit Epulum Sacrum, pariter, & Sacrificium, ut disserit Cornelius à Lapide *Comment. in Genes. cap.* 43. *vers.* 16. ubi ex Macrobio, Homero, & Virgilio addit, Gentiles quoque hanc habuisse consuetudinem sacrificandi inter convivia. Hac de causa 3
Altare Sacrificiorum non semel in textu sacro appellatur Mensa Domini; ut *Malach. cap.* 1. *vers.* 7. Et ad Sacrificia non adhibebantur, nisi quæ in mensas hominum inferri solerent, nempè panis, similæ vinum, sal, oleum, & carnes, cum rebus odoriferis, veluti thure, & thymiamate. Et è contra à victimis immolandis separabantur, quæ ab hominibus in mensis minimè ponuntur; & ab illis non manducantur, videlicet, pellis, plumæ, ilia, vesica fellis, & urinæ, nec non vesicula gutturis, quam Latini ingluviem vocant; ut docte observat Tirinus *Commentar. in Levitic. cap.* 1. 4

Alterum præmittendum est, quòd in Hebraicis 5
Sacrificiis semper vetitum fuit fermentum, ac mel, juxta illud Levitici *cap.* 2. *vers.* 11. *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet; nec quidquam fermenti, aut mellis adolebitur in Sacrificio.* Et ratio erat circa fermentum; quia cùm ex corruptione fiat, est Symbolum peccati; Deus autem non nisi sincera, integra, atque incorrupta sibi offerri volebat; & ideo Sacerdotes Aaronici solebant uti magna cautela in scrutandis victimarum corporibus, antequam immolarentur, num in 6
ipsis aliquod vel leve vitium deprehenderetur, teste Cornelio à Lapide *in Levitic. cap.* 1. *vers.* 2. *in fin.* & Torniello *Ad annum Mundi* 2545. *num.* 20. ad innuendum, quòd corda nostra, quæ Deo offeruntur, ut ei sint accepta, debent esse sine macula peccati, juxta illud Apo-

stoli

stoli 1. *Cor.* 5. 7. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi* Azymus enim panis est purior, & significat animæ puritatem, præterquam quòd erat rememorativum Hebræis liberationis suæ ab Ægypto, quando ob festinationem usi sunt azymis. *Exod.* 12. 34. Mel quoque erat proscriptum in Sacrificiis, nam mel coctum contrahit acorem; & panem cui miscetur, fermentat: est nocivum stomacho, quia flatuentum existit & auget bilem, præcipuè autem est symbolum voluptatum, & deliciarum, quas Deus abhorret, cui grata est pœnitentia; *Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus. Psalm.* 50. 19. & qui volunt mysteriorum Dei esse participes, debent se retrahere à blandimentis deliciarum; & à dulcedine voluptatum; ut advertit Cornelius à Lapide *in Levitic. dict. cap.* 2. *vers.* 11. ubi aliam reddit rationem, qua vetitum erat Judæis offerre mel in Sacrificio; videlicet, quia etiam Gentiles illud offerebant Baccho; de quo canit Ovidius. *lib.* 3. *Fastor.*

Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus ille
Gaudet; & à Baccho mella reperta fuerunt.

His ita præmissis pro clariori Sacrificiorum Legis Mosaycæ intelligentia; hæc ut apertè à Lectoribus habeatur; cùm plurima, eaque varia fuerint Aaronica Sacrificia; desumenda venit ab infrascriptis quinque divisionibus Sacrificiorum; quæ sunt: *Prima*, ob diversitatem Victimarum, quæ immolabantur. *Secunda*, ob differentiam finis, ob quem fiebat Sacrificium. *Tertia*, ob varietatem modi in fabricando. *Quarta*, ob varietatem dierum, in quibus litabatur. Et *Quinta*, ob conditionem personarum, quarum intuitu Sacrificium offerendum erat.

Prima differentia Sacrificiorum sumitur à diversitate Victimarum, quæ immolabantur. Sciendum est enim, ut diximus supra *Decis. VIII. num.* 7. & 10. quòd in Aaronicis Sacrificiis Victimæ aliæ erant *animatæ*, aliæ *inanimes* De animalibus habentibus animam, & viventibus quinque species tantùm sibi elegit Deus pro Sacrificiis; nempe duas de volatilibus, *Turtures, & Columbas*, & tres de quadrupedibus, *Boves, Oves, & Capras*, & harum specierum appellatione comprehenduntur tam masculi, quàm fœminæ ex eis provenientes, quales sunt *Taurus, Vacca, Vitulus, Vitula, Agni, Arietes, Hœdi, & Hirci.* Tornellus *ad d. Annum Mundi* 2545 *num.* 20. Tirinus, & Cornelius à Lapide *in suis Commentariis in Exod. cap.* 1. ubi reddunt rationem, cur Deus ita sanxit; tum quia prædicta animalia magis sunt in communi hominum usu, mansueta, & mundiora; tum etiam quia ipsa magis aptè significabant Christum, qui est unica Victima Legis novæ; ad quam significandam præcipuè erant instituta; ut ait Apostolus *ad Hebræos cap.* 10 *vers.* 1. Bos enim significabat Christi fortitudinem, & labores; Ovis innocentiam; Hœdus formam peccatoris, Turtur arctam cum Deo cunjunctionem: & Columba mansuetudinem. Cur autem noluerit Deus sibi pisces sacrificari? plures rationes reddunt Scripturistæ *in dict. cap.* 1. *Levitici* Sed illam evidentiorem cæteris, quòd pisces, patùm vivunt extra aquam; ideóque immolari non potuissent; quia omnis Victima Viva, & illæsa erat litanda; & ad piscium exemplum extra aquam positorum dicebat Sanctus Antonius; *Quod piscis est extra aquam, hoc Monachus est extra Cellam.*

Sed dicet aliquis: nonne etiam Passeres, qui sunt alia species inter volatiles à Turture, & Columba; offerebantur Deo in Sacrificium in expiatione Leprosi, ut legitur *in Levitic. cap.* 14 *vers.* 4. ubi sic: *Præcipiet* (Sacerdos) *ei, qui purificatur, ut offerat duos Passeres vivos pro se, quibus vesci licitum est, & lignum credrinum, vermiculumque & hyssopum, & unum ex Passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes?* Respondetur, quòd illud non erat Sacrificium propriè Deo oblatum, cùm fieret extra castra, longe ab Altari; sed tantum hæc occisio Passeris fiebat ad excipiendum ejus sanguinem, ut eo tingeretur Leprosus expiandus, & prædicta occisio non fiebat à Sacerdote, seu Sacerdotis jussu, ut considerat Cornelius à Lapide *ad dict. cap.* 14. *Levitic. vers.* 5. & dicemus infra *num.* 67.

Inanimes Victimæ, seu Hostiæ erant vel solidæ vel liquidæ. Inter primas solidas numerabantur *Simila*, seu *flos farinæ*; *Panis, Sal, Thus Manipulus spiccarum virentium, & triticum.* Dupliciter offerebatur Simila, *cruda, vel cocta.* Panes coquebantur tripliciter, *in Clibano, in Sartagine, & in Craticula:* semper tamen cum admixtione olei, thuris, & salis: ut legitur *in Levitic. cap.* 2. *vers.* 1. & *seqq. ac vers.* 13. Liquida offerenda erant *Sanguis, Vinum, & Oleum*; & hæc effusione litabantur; quemadmodum solida vel fractione, vel ustione, vel contritione, ut dicemus infra in tertia differentia; & notant Cornelius à Lapide *in Synopsi in capitulo primo Levitic.* & Tirinus *in Commentar ejusdem libri capitulo secundo.*

Secunda differentia Sacrificiorum Legis Mosaycæ sumitur à fine, ob quem fiebant; qui erat quadruplex. *Primus* ad honorandum Deum; & ad denotandum ejus supremum Dominium in res omnes, & hujusmodi Sacrificium dicebatur *Holocaustum*; quæ Vox græca est, & significat *totum combustum:* siquidem tota Victima cremabatur ut infra explicabimus. Et ob eandem significationem Hebraicè vocabatur כליל *Calil, totum consummatum*; ac etiam עולה *Nghola*, ideſt *Ascensio*, eò quòd in ipso tota Hostia per ignem, & fumum ascenderet ad Deum. *Secundus* finis in Sacrificio erat ad impetrandas gratias, seu beneficia Deo; & dicebatur Hebraicè זבח שלמים *Zebach scelamim*, ideſt *Hostia salutaris pacifica*; vel quia omnis gratia pacificat desideria cordis nostri; vel quia inter omnes gratias magis præcipua est Pax, quam obtinemus in hac vita, viventes absque dissidiis; sive etiam quia apud Hebræos nomine pacis intelligebatur salus, incolumnitas, & prosperitas, *Tertius* finis erat gratiarum actio pro beneficiis acceptis, & hoc Sacrificium Hebraicè nuncupabantur תודה *Toda*, nempè *Hostia laudis, Eucharistica, & Sacrificium laudationis*; veniebatque sub nomine Hostiæ pacificæ. *Quartus* finis in Sacrificando erat ad obtinendam remissionem alicujus peccati, vel delicti; & hoc Sacrificium vocabatur חטאת *Chatath*, nam חטא *Chet* significat *peccatum*: sive dicebatur אשם *Astiam*, tale enim nomen idem est ac *delictum.* Quæ autem esset differentia inter peccatum, & delictum? disputant Sacri Interpretes, ut videre est ad Tornellum *d. Anno Mundi* 2545. *num.* 22. & Tirinum *in Comment. in Levitic. cap.* 4. *in fine*, ubi concludit, per peccatum designari, quòd minus malum est ex aliqua circumstantia, vel ex genere suo; veluti ex ignorantia, ex inadvertentia, vel sola omissione, aliquid factum sit in offensam proximi. Delictum verò esse id, quod ex se, vel circumstantiis gravius

est malum; verbi gratia, quod contra Deum, vel res divinas, etsi ex ignorantia commissum est; sive quòd contra proximum est mera malitia, ut perjurium, rapina, fraudatio depositi; & similia.

Holocaustum igitur erat Sacrificium Deo oblatum ad solam laudem Dei, & honorem supremæ 19 Majestatis ejus; atque amorem summæ bonitatis ejusdem, etsi ab ea nullum interesse, aut præmium expectaremus; & hac de causa in Holocausto tota Victima, excepta pelle, cremabatur, ad innuendum supremum Dei dominium in res omnes, & ad protestandam subjectionem hominum ipsi Deo, quasi se transferant totos cum fumo illius hostiæ in cœlum, atque in ipsum Deum. Victima 20 autem Holocausti debebat esse mascula, & immaculata; scilicet, vel vitulus, si offerens dives erat; aut agnus, vel hœdus à minùs divitibus; prout à pauperibus pullus turturis, aut columbæ. Cornelius à Lapide *d. Commentar. in Levitic. cap.* 1. *vers.* 3. ubi ponit mysticas significationes earundem Victimarum, quæ cremabantur in Holocaustum; dicens, Vitulum significasse Christum Dominum, Agnum, aut hœdum, Sanctos Martyres, turturem, vel pullum Columbæ Sanctos contemplativos, qui corpus, & animum insumunt per continuam mortificationem in obsequium Dei; & hi omnes sunt masculi per fortitudinem, & immaculati per sanctitatem.

Immolatio autem harum victimarum fiebat in Altari holocautomatum; quod erat in atrio ante 21 ostium Tabernaculi seu Templi; quandoquidem, ut explicatum est à nobis supra *Decis.* 12. *num.* 14. *& num.* 32. tres erant partes Tabernaculi, atque Templi; prima intima, scilicet Sanctum Sanctorum; in quam solus Pontifex introibat. Secunda ei conjuncta, videlicet Sanctum; in quam ingrediebantur soli Sacerdotes, & hæ duæ partes propriè constituebant totam fabricam tum Tabernaculi, tum Templi. Tertia extima, nempe Atrium quoddam, undique cingens Tabernaculum, vel Templum, quod quidem Atrium erat bipartitum, ita ut pars vicina ostio Tabernaculi, & Templi esset Atrium Sacerdotum, & in hac parte Atrii erat Altare pro immolandis, & concremandis victimis; in quam partem secundùm aliquos Doctores modernos, ingredi Laici non poterant, posterior autem pars atrii, quæ sepio erat ab anteriore divisa, erat atrium Laicorum; & hi offerentes Victimam in Holocaustum, eam adducebant ad ostium Taber- 22 naculi, vel Templi, idest ad introitum atrii Sacerdotum ubi illi eam excipiebant; ducebantque ad Altare holocaustorum: & ibi eam immolabant. At etiam Laicos offerentes victimas habuisse accessum usque ad Altare dicam *infra num.* 32.

Hostia Pacifica erat alterum Sacrificium, quod of- 23 ferebatur tum ad impetrandam à Deo aliquam gratiã, vel beneficium, & dicebatur Hostia salutaris; tum post beneficium acceptum in actionem gratiarum, & vocabatur Hostia laudis, & Eucharistica. Tirinus *in Levitic. cap.* 7. *Vers.* 13. Hinc sequitur, quòd utraque Hostia pacifica non offerebatur ex præcepto; sed sponte, vel ex voto, unde ad libitum offerentis esse poterat masculus, vel fœmina; nisi quis vovisset pecus melius è grege suo; tunc enim 24 masculum offerre debebat. Hujus Hostiæ pacificæ fiebant tres partes; quarum prima, idest Sanguis, & adeps Deo adolebatur; nam ut legitur *in Levitic cap.* 3. *Vers.* 16. & 17. reservaverat sibi Dominus Sanguinem & adipem animalium; & prohibuerat Hebræis esum eorum his verbis: *Omnis adeps Domini erit jure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris. Nec sanguinem, nec adipem omninò comederis.*

Hic autem oritur dubium. An Hebræi debuissent abstinere ab esu cujuscumque adipis de omni ani- 25
mali; quemadmodum abstinebant ab esu Sanguinis? Respondetur; ab esu sanguinis cujuscumque animalis utique abstinebant Hebræi ob hanc prohibitionem, & aliam iisdem injunctam *in Deuteron. cap.* 12. *vers.* 16. ut eos averteret à crudelitate proximum, & ab homicidiis; qua de causa SS. Apostoli mandarunt etiam primitivis Christianis. *Actor. cap.* 15. *vers.* 39. ne ederent sanguinem, ut sic facilius Judæi cum Gentibus consuescerent, in unamque Ecclesiam coalescerent; quia Gentes Judæi aversabantur quasi barbaras, eò quòd sanguinem comederent. Quo verò ad esum Adipis, distinguere oportet adipem confertum, & condensatum in intestinis ab adipe carni immixto, & adhærente. Primùm comedere non poterant de Hostia immolata, & quæ poterat immolari, nempe de Bove, Vacca, Vitulo, Ove, Agno, Ariete, 27
Capra, Hædo, & Hirco; etsi hæc animalia domi mactata essent ad comedendum, reliquum verò adipem carni adhærentem, & immixtum, manducare poterant. In cæteris autem animalibus mundis, cæsis in esum, veluti Cervis, Bubalis, Tragelaphis, Pygargis, Orygibus, Camelopardis, (quæ erant animalia sylvestria, similia Cervis, ac Capris, sed munda, non tamen apta ad Sacrificia) poterant Hebræi totum adipem comedere, ut ait S. Augustinus *in Levit. quæst.* 2. quamvis, ut exactiùs legem servarent, de quocunque animali adipem intestinorum projiciebant; eoque utebantur vel ad candelas sebaceas formandas; vel ad alios profanos, honestos tamen usus, ut autumat Tirinus *in Levitic. d. cap.* 28
3. *vers.* 16. Et Cornelius à Lapide *ibid. vers.* 17. ubi advertunt, quòd Turtures, aut Columbæ deservire non poterant pro Hostia pacifica; quia cùm ex eis tres partes essent faciendæ, una cremanda Deo, altera cedenda Sacerdotibus, & tertia manducanda ab offerentibus, aves prædictæ, tamquam minores, in tres portiones commodè dividi non poterant; idcircò Hostiæ pacificæ esse debebant ex quadrupedibus; reservatis avibus pro holocausto, in quo totæ Deo cremabantur.

Hostia pro peccato, seu pro delicto erat aliud specialius Sacrificium; in quo ex Hostia oblata nihil ad offerentes redibat, sed, adipe cum reni- 29
bus, & sanguine litatis Deo, vel exustis, cætera omnia cedebant Sacerdoti (erant enim Deo Sacra) efferri non poterant è loco sacro, nec ab aliis, quàm à Sacerdotibus in atrio sancto manducari, qua de causa ipsi dicebantur comedere peccata populi. *Osee cap.* 14. *vers.* 4. Hæc autem comestio Sacerdotum 30
procedebat de Victimis litatis pro peccatis laicorum particularium, nam illæ, quæ offerebantur pro peccato pontificis, vel totius populi, totæ debebant extra castra comburi, præter sanguinem, & adipem, qui priùs in atrio sancto libabantur, & adolebantur Deo, ad majorem detestationem peccati Rursus Hostia pro peccato esse poterat Capella, vel Angella, at pro delicto requirebatur etiam in privatis Hostia major, nempè Aries, Vitulus, vel Bos. Cornel à Lapide, & Tirinus *loc. supra cit.* Tertia differentia Sacrificiorum Legis Mosaycæ sum-

sumebatur à varietate modi, seu ritus & Sacrificando. Varius autem erat ritus, & modus; siquidem in Holocausto Victima fœminina (ut diximus supra *num.* 20. non admittebatur, sed masculini sexus; quæ esset juvenis, & absque ulla macula;
31 ideò Boves veteres quatuor vel quinque annorum non immolabantur; sed vituli, juxta illud *Psal.* 50.21. *Tunc imponent super altare tuum vitulos.* Item Agni, Arietes, & Hœdi; quorum probatio fiebat per diligentem inspectionem à Sacerdotibus extra Atrium in una exedra ad hoc parata. Habita pro-
32 batione Victimæ, hæc introducebatur in atrium Sacerdotum penes Altare, eamque sequebantur, qui illam offerebant, ut ex auctoritate Lyrani, Abulensis, & Oleastri vult Barradas *In itiner. filior. Israel. lib. 6. cap. 2. num.* 4. Ex quo patet, quòd laici ingrediebantur atrium Sacerdotum; & accedebant usque ad Altare holocautomatum; & hoc etiam ratio comprobat; nam ipse offerens victimam imponebat manus suas super caput ejus; indicans & Hostiam, & seipsum se offerre Deo in Holocaustum. Deindè Sacerdos jugulabat ipsam Victimam expansam; videlicet divaricatis cruribus, expanso, & erecto corpore; collo autem demisso, ad faciliorem, & commodiorem sanguinis effusionem. Sanguis collectus in crateris à Sacerdotibus Deo offerebatur, deindè fundebatur per circuitum Altaris, & per subterraneos canales, aqua per eosdem decurrente, trajiciebatur in caveas, seu puteos ad hoc destinatos. Successivè Sacerdotes pellem Victimæ detrahebant; Victimam in frusta secabant, ejusdemque intestina, & pedes aqua lavabant; struem lignorum in Altari componebant, & super ligna animalis membra collocabant; subjectoque igne omnia incendebant; non enim animal
33 indivisum; sed in frusta sectum, comburebatur. Sacerdos adstabat, pellemque sibi retinebat: & interim Levitæ, & cantores hymnis, ac canticis Deum laudabant.

Quòd si quis petat, an ingratus evaderet odor ille carnium? Respondetur negativè, tum ob contí-
34 nuum usum, tum quia Altare sub dio erat, & ab aere, ac vento, fumus, & odor, præcipuè fabricato Templo in summitate Montis, hinc indè distrahebatur. Sed quid, dum pluebat, omittebantur Sacrificia? Nequaquam: creditur enim, opertum fuisse Altare tabulato aliquo eminenti, quo imbres propellerentur, possentque Sacerdotes munere suo fungi. Barradas *d. lib. 6. cap. 2. num. 8.* Hæc de Victimis quadrupedibus in holocaustum immolatis.

Aves verò si litandæ forent, pulli scilicet Turtu-
35 rum, aut Columbarum, pro pauperum personarum devotione, hi per Sacerdotem recepti, & capite avis in collum retorto, jugulabatur, sanguis effundebatur à summitate, & crepidine Altaris per ejus parietem, & detracta vesicula gutturis, & plumis, iisque in locum, in quo cineres effundebantur, ad partem orientalem prope Altare projectis; alias volucris Sacerdos confringebat; neque eam dissecabat in frusta, sicut quadrupedia, sed integram igne comburebat; hique erant præcipui holocausti ritus; quos fusiùs examinant, & declarant Tirinus, atque Cornelius à Lapide *Commentar. in Levit cap.* 1. & Barradas. *d. lib. 6. cap. 2.*

Cæterum ad plenam cognitionem Sacrificii Holocausti non est ignorandum; quòd quotiescunque illud offerebatur sive de quadrupedibus, sive de
36 volucribus, adhibendum etiam erat Sacrificium farreum, quod *Minchà* dicebatur: sub hoc ritu, videlicet; impositis carnibus victimæ cremandæ super Altare; Sacerdos pugillum simile oleo, & sale conditæ, atque commixtæ, eidem Victimæ imponebat, simulque super andem victimam vinum effundebat; thus eidem addendo; mox subjiciebat ignem, & cum hisce suis libaminibus Victimam Deo concremabat, & adolebat, 37
& ita observabatur in omni carneo Sacrificio. Quando autem simila, vel panis de per se offerebatur, quod erat Sacrificium quasi holocaustum; tunc pars simile, vel panis, Oleo, & Sale, Thure, ac Vino adhibitis, comburebatur; reliquum verò & solis Sacerdotibus, in eodem atrio Sancto, tanquàm quid Sacrosanctum comedendum erat; ut observant Tirinus, & Cornelius à Lapide *in Levitic. d. cap.* 2.

In Sacrificio Hostiæ Pacificæ tam pro beneficiis obtinendis, quàm pro gratiarum actione pro obtentis, ritus sequentes observabantur ad differentiam
38 holocausti. I. Victimæ esse poterant vel masculæ, vel femellæ. II. Hæ dividebantur in tres partes, una quarum Deo, altera Sacerdoti, tertia offerentibus in epulum cedebat. III. Ideò volucres offerri non poterant quia, ob parvitatem dividere eas in tres partes facilè non erat. IV. Ad partem Orientalem Atrii offerebantur. V. Adeps, & pectusculum Victimæ debebat imponi manibus illius, qui venerat oblaturus Hostiam pacificam; quam sic Deo offerebat, videlicet imponebatur manibus ejus mediante aliquo vasculo argenteo. Dein Sacerdos supponens manus suas manibus offerentis sic onustis illas elevabat sursum, mox deorsum: rursumque ducebat eas ab Oriente ad Occidentem; & à Meridie ad Septentrionem; exprimens figuram trinæ Crucis, ut bene observat Tirinus *in d. cap.* 7. *Levitic. Vers.* 30. VI. Postea ex ipsius manibus Sacerdos carnem desumebat, quod cùm penes Altare fieri conveniret: ideò plures DD. arbitrati sunt, ut supra innuimus, etiam Laicos potuisse atrium Sacerdotum ingredi, & accedere ad Altare: quamvis ex modernis plures id negent. VII. Si Victima erat ovis, agnus, aut aries, etiam cauda erat Domino adolenda: secus si bos, aut capra; ea mystica 39
ratione; quòd cauda significat finem vitæ, & perseverantia in bonis operibus, & de hac magis solliciti esse debent homines delicati; quàm fortes in laboribus, ut SS. Patrum dictis firmat Cornel. à Lapide *in Levitic. capit* 3. *Vers.* 9. & 10. VIII. Portio carnis, quæ dabatur ex Hostia pacifica, ut comederetur à Laico offerente, erat elixanda in ipso atrio Tabernaculi, seu Templi; in quo erant culinæ ad carnes prædictas coquendas, & hinc erat, quod sub Summo Sacerdote Heli, *Veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem; vel in cadariam, aut in ollam, sive in cacabum; & omne quod levabat fuscinula tollebat Sacerdos sibi.* 1. *Reg.* 2. 13. At cùm essent coctæ, & elixæ prædictæ carnes, poterant deferri domum tam à Sacerdotibus, quàm à Laicis offerentibus Tirinus *in. Levitic. cap.* 7 *vers.* 13. quod tamen negat Cornelius à Lapide *in Levitic. eod. cap.* 7. *vers.* 30. affirmans quòd erant comedendæ in ipso atrio Sancto. X. Eædem carnes Victimæ pacificæ, si oblatio fuerat pro gratiarum actione, eadem die oblationis comedendæ erant: si verò ad gratiam impetrandam, si quid remanebat, comedi poterat sequenti die; quòd si in tertium diem supereset aliquod, igne erat comburendum. XI. Tandem hi offerentes, ut carnes prædictas manducare possent, mundi esse debebant à copula carnali, & à quacunque alia legali immunditia sub pœna mortis, Barrada *d. libr. 6. cap. 6. num. 3.*

Ritus verò Sacrificii pro peccatis erant. Si litabantur pro peccatis privatorum hominum, vel Prin-
40 cipum Laicorum, nulla pars Victimæ dabatur comedenda offerenti: siquidem adipe cum renibus, & sanguine litatis Deo, ac exustis, cætera omnia cedebant Sacerdotibus, à quibus poterant communicari aliis Levitis masculis, non autem fœminis, ut ait Cornelius à Lapide *in Levitic. cap. 7. vers. 7* II. At ipsi Sacerdotes debebant eadem die totam Victimam absumere. III. In hoc Sacrificio non adhibebatur oleum, neque thus; sunt enim symbolum deliciarum, quæ abesse debent, ubi fit pœnitentia pro peccatis. IV. Quòd si Sacrificium erat pro peccato, ad ejus expiationem satis erat quæcunque Victima etiam fœminea; at si fuerat pro delicto, requirebatur nobilior Hostia, nempè Aries masculus. V. In peccatis autem Pontificis, seu totius populi, oblato, & excusso Sanguine, ac adipe Victimæ in atrio Sancto ad altare, carnes ejus totæ debebant comburi extra castra ad majorem peccati horrorem, & detestationem; & sic nihil ex eis comedebant Sacerdotes. VI. Sanguine Victimæ in hoc Sacrificio pro peccato pontificis, seu totius populi, non solùm tingebantur cornua Altaris Holocausti; sed etiam Altaris incensi. Tirinus, & Cornelius à Lapide *in Levitic. d. cap. 7.*

Ritus quoque adolendi Thymiamatis est observandus. Altare Thymiamatis ut dictum est *in*
41 *Decis. XII. num. 16.* erat in Sancto, in medio candelabri, & mensæ, obversum Propitiatorio, sive Oraculo quod erat in Sancto Sanctorum, & super hoc Altare quotidie, manè & Vespere per Sacerdotem adolebatur Thymiama, cujus odor, & suffitus pretiosus penetrabat in Sancta Sanctorum per aperturam, quæ erat supernè dividens ipsum Sancta Sanctorum à Sancto. Ritus autem adolendi Thymiamatis erat iste. 1. Sacerdos capiebat unum ex Thuribulis pendentibus in cornibus Altaris holocaustorum, & in eo prunas ignis ex eodem Altari sumptas imponebat. 2. Intrabat Sanctum, ibique accipiebat thymiama ex Thuribulis, quæ erant supra mensam panum propositionis: illudque imponebat suo Thuribulo, & igni. 3. Hoc suum Thurybulum cum igne, & thymiamate ponebat. Altare thymiamatis; atque ibidem adolebatur, & comburebatur thymiama. 4. Eo consumpto egrediebatur Sacerdos cum Thuribulo suo, cujus cineres in loco mundo effundebat, & denuo ad cornua Altaris holocausti Thuribulum ipsum applicabat. Ad hujus incensi, ac thymiamatis oblationem ingressus erat Sanctus Zacharias Pater Sancti Joannis Baptistæ Sanctum, sive partem Sanctam Templi, quando apparuit ei Angelus, nuncians Præcursoris nativitatem, undè Pater ipse mutus exivit. De Ritu supradicto agit Cornelius à Lapide
42 *in Exod. cap. 30. vers. 8.* & Tirinus *eod. loco*, ubi notat, quòd Thymiama adolebatur quotidie bis, scilicet oriente, & occidente sole, ante Matutinum & post Vespertinum juge Sacrificium.

Erat autem juge Sarificium illud, quod quo-
43 tidie offerebatur & nunquam intermittebatur; fiebatque oblatione duorum Agnorum, quorum unus manè sub ortum Solis, alter vespere sub occasum, & uterque in holocaustum per dies singulos litabatur; addita decima pars *ephi*, seu *gomor* similæ oleo consperæ, & quarta parte *hin* seu tres sextarii vini ad libandum, & hoc Sacrificium significabat nostrum Legis Evangelicæ Eucha-
44 risticum; in quo Christus Agnus immaculatus quotidiè immolatur in Missa sub speciebus panis, & vini, & continet in se cætera alia Sacrificia; *Holocaustum*, quia offertur in honorem totius Sanctissimæ Trinitatis, *Hostiam Salutarem* ad impetrationem bonorum omnium tam spiritualium, quàm temporalium: *Hostiam Eucharisticam*, & *pacificam* pro gratiarum actione ob indefinentia Dei beneficia, Atque *Hostiam pro peccato*, cùm hujus Sacrificii oblatio impetret auxilia ad culpas evadendas, & ad pœnas condonandas tam pro vivis, quàm pro Defunctis, ut ostendimus supra *Decis. XIV.* Et de mystica significatione omnium supradictorum Sacrificiorum videndus Sanctus Thomas 1 2. *q. 102. art. 3.* Emin. Card. Bellarminus *lib. 5. de Eucharistia: & prim. de Sacrif. Missæ. Cap. 4. & seqq.* Cornelius à Lapide, & Tirinus *Comment. in Levitic. cap. 1. 2. 3. & seqq.* Barradas *in Itinerario filior Israel lib. 6. à cap. 1. usque ad cap. 10.* Novissimè Illustrissimus, ac Reverendissimus Marcus Baptaglinus Episcopus Nuceriæ in sua eruditissima *Institutione ad Parochos Domin. infra Octavam Corporis Christi capit. 2.* impressa Venetiis *Anno* 1696.

Quarta differentia Sacrificiorum Mosaycæ Legis depromitur à variatione dierum; in quibus apud
45 Hebræos Victimæ litabantur. Quapropter sciendum est, injunctum fuisse præceptum Hebræis litandi quotidiè Agnos duos in holocaustum, ac ulterius alia majora Sacrificia immolandi festivis diebus. Festa autem apud Hebræos alia erant ordinata à Deo, & alia instituta à suis majoribus. Ex Divino præcepto festa octo annuatim habebant Hebræi; vi-
46 delicet 1. Omnem diem Sabbatum. 2. Omnem diem primam cujuslibet Mensis, & dicebatur Neomenia. 3. Pascha azymorum. 4. Pentecosten. 5. Festum Tubarum. 6. Festum expiationis. 7. Scenopegiam, idest festum Tabernaculorum. Et 8. Festum cœtus, sive collectæ. Præter hæc festa ex præcepto Divino alia sex erant instituta à Rabbinis; nempè. 1. Festum ob Victoriam Judith contra Holofernum. 2. Festum Phurim, seu sortium, ob liberationem Mardochæi, & populi obtentam ab Esther. 3. Festum Encæniorum, tum dedicationis, tum purgationis Templi. 4. Festum ignis sacri à cœlo recepti. 5. Festum ob eædem Nicanoris. Et 6. Festum ob recuperatam Jerusalem à Simone Machabæo. Lectorem studiosum ne tædeat celeris descriptionis harum festivitatum & Sacrificiorum, quæ fiebant in eis, ut satis claram notitiam reportet Judaicæ Liturgiæ.

Igitur præter juge Sacrificium, scilicet quoti-
47 dianum, duorum Agnorum, cum simila, & libamine, præscriptum *in Exod. capit. 29. Vers. 38.* de quo diximus supra *numer. 43.* ac thymiamatis combusti, sequentia Sacrificia fiebant in suis festivitatibus.

Primò itaque omni Sabbato litabantur alii duo
48 Agni anniculi in holocaustum Domino, præter illos jugis Sacrificii, cum simila, oleo, & vino, ut legitur *Numer. cap. 28. Vers. 9.* Et ibi Cornelius à Lapide; ubi advertit, quòd manè Sabbati trium Agnorum: immolatio fiebat, & quotiescunque in una die reincidebat plura ex infrascriptis festis, multiplicabantur Sacrificia Victimarum, quæ sunt eis assignata. Omitto brevitatis causa quòd Hebræi die Sabbati abstinebant ab omni opere; & non coquebant cibos, neque pro cibariis ignem

ignem accendebant; at pro se calefaciendis in hyeme, & pro lumine accendendo succendebant ignem.
49 Tirinus. *Comment. in Exod. cap.* 35. *Vers.* 3. ubi plura circa aliquorum superstitiosam observationem Sabbati.

50 Secundò: Calendis cujuscunque mensis ideò in prima die, quæ dicebatur Neomenia, sive Novilunium; offerebantur in holocaustum Vituli duo, Aries unus, Agni septem cum suis libamentis; item Hircus unus pro peccato; *ut in d. cap.* 28. *Numer. vers.* 11. *& seqq.* Hæc prima dies Mensis non erat propriè festum ex præcepto; quia non abstinebant Hebræi ab opere servili; sed ex devotione, ob injuncta antedicta Sacrificia, ut ait Cornel. à Lapide *d. cap.* 28. Quamvis contrarium ibidem advertat Tirinus, & ideò dicebat Psalmista: *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ. Psal.* 18. 4. Incidebat autem semper Neomenia, seu prima dies Mensis in novilunio; quia Hebræi
51 suos menses computant secundum cursum Lunæ, non autem Solis; & quia Luna decurrit totum Cœlum diebus 29. cum dimidio, hinc est, quòd apud Hebræos primus mensis habet dies 29. Secundus habet dies 30. & sic alternatim per totum annum; unus Mensis. 29. diebus, alter, 30. completur. Indictum erat Judæis hoc festum ad hoc, ut sicut in Sabbato venerabantur beneficium Creationis, ita in Novilunio recordarentur illud Conservationis; quod per cursum Lunæ, quæ corporibus sublunaribus valdè dominatur, intelligitur. Inter nos Christianos sicut dies Dominica correspondet Sabbato Judæorum; sic prima Dominica Mensis habet relationem ad Neomeniam, in ipsa enim pii fideles Sacramenta suscipere, & beneficia divina recolere solent.

Tertiò. Festivitas Paschæ succedebat in primo
52 mense Anni, vocato *Nisan*; à nobis autem *Martio*: in quo Hebræi die decimaquarta, præter Sacrificium quotidianum, immolabant ad Vesperam, comedebantque Agnum Paschalem cum Azymis, & lactucis agrestibus, de quibus *Exod. cap.* 12. & tunc incipiebat Pascha Azymorum, duraturum per septem sequentes dies in memoriam exitus ab Ægypto, & liberationis à servitute Pharaonis. Idcircò die decimaquinta, quæ erat prima Azymorum, præter eorum esum, & cessationem ab operibus servilibus, offerebant eadem Victimas, nempè duos Vitu-
53 los, unum Arietem, Agnos septem, cum libaminibus atque Hircum; ut præcipitur *eod. cap.* 28. *Numer vers.* 19. *& seqq.* & ita faciebant quotidiè usque ad septimum diem Paschalem, & ultimum; qui erat dies hujus mensis vigesimus primus. Porrò secunda die Azymorum, quæ erat hujus Mensis decima sexta, præter Sacrificia omnia antedicta offerebant manipulum spicarum, seu primi-
54 tiarum messis hordeaceæ, tres enim primitis frugum sibi Deus reservaverat: hanc spicarum in secundo die Paschatis, quæ erat prima: secundam panum ex messe triticea in Pentecoste: & tertiam omnium frugum in festo Tabernaculorum: ut notat Cornelius à Lapide *in Levitic. cap.* 2. *vers.* 14. & Tirinus *in Levitic. cap.* 22. *vers.* 2. ubi ita scribit. *Porrò manipulus ille non offerebatur ad Altare unà cum spicis, & paleis: sed, ut ait Josephus, siccabatur primùm: dein pilo tundebatur: mox furfurum excretione repurgatus, sola similа, seu flore relicto mensura assaronis, seu gomor unius, ut est in Hebræo, Deo offerebatur.* Erat enim hæc Manipuli spicarum oblatio verum Sacrificium, quod *Minchà* Hebræi nuncupabant.

Quartò: A die oblati hujus Manipuli cùm septem hebdomadæ fluxissent, adveniebat festivitas 55
Pentecostes, ob memoriam Legis datæ à Deo Israelitis in monte Sinai, cùm essent in deserto, die sexta Mensis tertii, *Sivan* dicti. Victimæ, & Hostiæ quæ in hac festivitate offerebantur, describuntur *Levitic. cap.* 23. *Vers.* 17. his verbis: *Offeretis Sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duobus Decimis similæ fermentatæ: quos coquetis in primitias Domini. Offeretisque cum panibus septem Agnos immaculatos anniculos: & Vitulum de armento unum: & Arietes duos: & erunt in holocaustum cum libamentis suis in odorem suavissimum Domino. Facietis & hircum pro peccato: duosque Agnos anniculos hostias pacificorum.* Verùm in libro *Numeror capit.* 28. *vers.* 27. denunciantur Victimæ pro hoc eodem die festivo Pentecostes his etiam verbis: *Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino: Vitulos de armento duos: Arietem unum: & Agnos anniculos immaculatos septem: atque in Sacrificiis eorum similæ oleo conspersæ, &c. Hircum quoque unum, qui mactatur pro expiatione.* Quorum verborum occasione Sacri Interpretes disputant, utrùm Victimæ ultimæ sint eædem cum primis, vel aliæ à primis? Siquidem inter primas sunt duo Arietes, & Vitulus unus: at inter secundas sunt duo Vituli, & unus Aries? Et quamvis plures DD. opinati sint, fuisse unicam ordinationem, in qua vel duos Vitulos cum uno Ariete; vel duos Arietes cum Vitulo uno satis esset offerre: nihilominus Cornelius à Lapide *d. lib. Levitic. cap.* 23. *vers.* 18. fretus auctoritate Josephi Historici tenent, utramque ordinationem, & utrasque Victimas in hoc festivo die Pentecostes fuisse in præcepto, ituat hac die essent offerendi Vituli tres, Arietes tres, Agni quatuordecim, & Hirci duo cum suis libaminibus; videlicet similа, oleo vino, & thure; præter oblationem panum duorum similæ fermentatæ, collectorum ex quacunque domo, & familia Israelitarum.

Sed oritur dubium. Supra dictum est *num.* 5. prohibitum fuisse fermentum in Sacrificiis. Quomodo 56
ergo hic offerebantur duo Panes ex similа fermentati? Respondetur, hos panes fuisse oblatos non in Sacrificium, sed tanquam primitias messis triticeæ in esum, & usum Sacerdotum, & ideò eum iisdem panibus non dabantur libamenta. Ita Cornelius à Lapide *d. lib. Levitic. cap.* 23. *vers.* 16. *&* 17. ubi observat hanc fuisse differentiam inter Manipulum spicarum, & hos panes duos; quod scilicet ille unicus erat, oblatus à Communitate, nomine totius populi: isti autem mittebantur ab omni privata familia; & ideò erant innumeri. Nos Christiani sicut celebramus Pascha ob memoriam Resurrectionis Christi, qua liberati sumus à servitute diaboli; ita colimus Pentecosten ob legem amoris scriptam in cordibus fidelium à Spiritu, Sancto qui hac die missus est super Apostolos. Sanctus Thomas 1. 2. *d. q.* 102. *art.* 4.

Quintò: Post prædictam festivitatem Pentecostes Hebræi nullam aliam habebant mensibus quarto, quinto, & sexto præter Neomenias, & Sabbata; porrò in mense septimo, quem *Tisri* appella- 57
bant; plures habebant dies festos. Nam prima die, ultra Neomeniam, emergebat festum Tubarum seu clangoris; in quo Tubis corneis clangebant, ab operibusque servilibus vocabant, in memoriam liberationis Isaac de manu Patris sui Abrahami, illum hac die immolare volentis. Sacrificia hujus diei, præter illud quotidianum, & illud Neome-

nium erant unius Vituli, & unius Arietis: Agnorum septem, cum solitis libaminibus Similæ, Olei, Vini, Salis, & Thuris: ac unius Hirci pro peccato: ut notatur *in libr. Numeror, cap, 29. à vers. 1. usque. ad 7.* ubi Cornelius à Lapide: & in *Levitic. 13 vers.* 24. ubi tradit, hanc festivitatem fuisse Symbolum Prædicationis Apostolorum, à quibus tanquam Tubis clangentibus fides Christiana divulgata est per totum Orbem terrarum.

Sexto: In eodem mense septimo, die decima habebatur sexta Festivitas, dicta כִּפֻּרִים *Kipurim*: 58
ideſt Expiationis, sive Propitiationis, in qua fiebat expiatio peccatorum totius populi, toto anno commissorum; per jejunium, & Sacrificia; in memoriam expiationis peccati, quod commiserant Hebræi in Deserto in adoratione Vituli aurei. Cæremoniæ Sacræ in hac solemnitate erant decem sequentes. I. Hac die decima veniebat de mane Summus Pontifex ad Templum adducens suum Vitulum pro peccato, & Arietem in holocaustum. II. Lotis manibus, ac pedibus induebat Vestes minorum Sacerdotum, ac præsentabat Vitulum, & Arietem Domino ad ostium Tabernaculi, seu Templi III. Aliqui è Senioribus populi, nomine totius populi, offerebant duos Hircos pro peccato, & unum Arietem in holocaustum. IV. Pontifex mittebat sortem super hircos, uter offerretur? & uter esse emissarius? V. Sorte facta Pontifex jugulabat vitulum pro peccato oblatum, & hircum populi, in quem ceciderat sors, ut esset victima pro peccato. VI. Accipiebat sanguinem hujus vituli, & hirci commixtum, & ingrediens cum Thuribulo Thurificando Sanctum Sanctorum, aspergebat sanguinem septies contra Propitiatorium, orabatque pro peccatis tam suis, quàm populi: interim carnes, & pelles, ac fimus tam Vituli, quàm Hirci ab alio quopiam elata extra castra, ibidem comburebantur. VII. Pontifex regrediebatur ex Sancto Sanctorum in Sanctum, illudque expiebat, tingendo eodem sanguine cornua Altaris Thymiamatis, & orando pro se, & pro populo. VIII. Ex Sancto rediens ad atrium, sive ad ostium Tabernaculi, vel Templi, Caprum emissarium offerebat Domino, confiendo, & capiti Capri imprecando omnia peccata Israelitarum: mox Caprum per certum hominem in desertum emittebat. IX. Deponebat Vestes, lavabat corpus, induebat Vestes Pontificales, & immolabat Arietem suum, & Arietem populi in holocaustum Domino. X. Offerebantur aliæ Victimæ, in holocausta, de quibus *Num.* 29. 8. videlicet alius Vitulus, & Aries; septem Agni, cum libaminibus consuetis, & alius Hircus pro peccato, & de præ- 59
missis fusè agit Cornelius à Lapide *in Levitic. cap.* 16. *ubi vers.* 10. narrat fabellam relatam ab Oleastro, & decantatam à Rabbinis; quòd ad cornua prædicti Hirci emissarii alligabatur funiculus rubeus qui vertebatur in album, si Deus peccata populi condonasset, juxta illud *Isa.* 1. 18. *Si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Plura de hoc eodem festo expiationis notat Tirinus *in eod. Levitic. cap.* 16. ubi allegoricè notat, illos duos Hircos figurasse Christum, & Barabbam; vel secundum Apostolum *ad Hebræos cap.* 9. *vers.* 2. *& cap. ult. vers.* 13. *&* 14. Eundem Christum in Hostiam cruentam, & incruentam peccatis nostris onustam à Patre.

Septimò. In hoc eodem mense *Tisri*, seu Septem- 60
bri, die decima quinta habebant Hebræi septimam festivitatem nominatam *Scenopegiam*, vulgò *Tabernaculorum*, & à verbo græco σκηνάω, ideſt *Comestio*, & κενὴ, nempè *communis*, quia Judæi comedebant in loco publico, seu communi, ut vult Abulensis; vel potùs à πηγνυμι, ideſt *fictio*, & *compactio*, & à σκηνὴ ideſt *Tabernaculum*, in hoc enim festo Hebræi figebant Tabernacula extra domos, sub dio, vel in hortis; vel in domorum atriis, vel in tectis domorum, & sub ipsis manducabant per dies septem continuos, in memoriam quadraginta annorum, quibus per desertum in ejusmodi Tabernaculis egerunt; ut explicant Tirinus *in Levitic d. cap.* 23. & Cornelius à Lapide *ibidem. vers.* 34. ubi subdit, quòd hoc festo omnes Masculi debebant Templum adire, & sua dona offerre, & quia hæc festivitas durabat septem dies, Hebræi die septimo circuibant Altare septies portantes ramos, in memoriam Urbis Jericho expugnatæ à Josue, septeno ejus circuitu. Sacrificia autem quæ fiebant in hac eadem solemnitate, & Victimæ, quæ mactabantur, describuntur *in libro Numer. capit.* 29. *vers.* 12. *& seqq.* & erant prima die Vituli tredecim, Arietes duo, Agni quatuordecim cum suis libamentis similæ, olei, vini, thuris, & salis; atque hircus pro peccato, & prædicta omnia animalia comburebantur in holocaustum; & idem observabatur sex diebus sequentibus, excepto quod de die in diem diminuebatur numerus Vitulorum; ita ut septimo die offerentur tantummodò Vituli septem, Arietes duo, Agni quatuordecim, ac libamina, & Hircus. Innuebat hoc festum memoriam, quam Sancti habent in hac vita peregrinationis suæ per desertum hujus mundi; festinantes ingredi beatam patriam Paradisi, ut monet Apostolus *ad Hebr. cap.* 11. *vers.* 9. & 10. Vel etiam significabat Nativitatem Christi, qui in stabulo natus est, ut hic nobiscum quasi in Tabernaculo versaretur, ut fusiùs disserit Cornelius à Lapide *d. cap.* 23. *Levitic in fine.*

Octavò tandem habebatur octava & ultima solemnitas à Deo ordinata, vigesima secunda die hujus pariter Mensis septimi, quæ vocabatur *Cœtus*, 61
& Collectæ; non tantùm quia colligebantur in ea pecuniæ pro eleemosyna Tabernaculi, & Templi, sed etiam quia colligebatur infinitus quasi numerus hominum; qui simul Deo gratias agerent orationibus, & Sacrificiis pro beneficiis universalibus, & particularibus, & ideò hic dies vocabatur magnus festivitatis, ut scribit S. Joannes in suo Evangelio *cap.* 17. *Vers.* 37. his verbis: *In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, & clamabat, dicens: si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Sic autem exclamabat Christus 62
Dominus, quia in hoc festo Judæi hauriebant aquam ex fonte Siloe, quam Sacerdotibus afferebant; ut cum vino libaminis super Altare effunderetur; decantantes interim illud Isaiæ *cap* 12. *vers.* 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, ut interpretatur Tirinus *in Joan. d. cap.* 7. *Vers.* 37. qui *ibid. cap.* 9. *vers.* 7. declarat; quòd *Siloe* erat fons è radice montis Sion, incertis horis, diebusque magno impetu ebulliens, & inde cum magno strepitu per saxa in natatoriam, ideſt lavacrum, seu piscinam, vel stagnum declinans; unde ulterius in vicinos hortos variis tubis, & canalibus derivabat.

Porrò Sacrificia præscripta pro hoc festo Cœtus, seu collectæ, consistebant in oblatione unius Vituli, unius Arietis, & septem Agnorum cum suis libaminibus.

libaminibus ; nec non Hirci unius pro peccato : ut legitur *eod. cap.* 29. *Num. Vers.* 36. de quibus doctè scribit Julius Maurocenus *in suo libro contra Judæos part.* 2. *cap.* 45. Et hæc de diebus festis à Deo ordinatis.

Præter ipsos autem erant alii dies solemnes, recensiti supra *num.* 46. à Rabbinis, & Sacerdotibus instituti, qui celebrabantur infrascriptis diebus; 63
videlicet, die 23. mensis septimi Encænia Dedicationis Templi Salomonis, de quibus nulla ordinatio in Scriptura Sacra. Die 25. Mensis noni, dicti *Casleu* tria festa agebantur; nempè dies Victoriæ Judith, dies dati Ignis, & dies Encænicorum purgationis Templi sub Juda Machabæo. Et tandem in Mense duodecimo, *Adar* nuncupato? die 13. celebrabatur festum ob cædem Nicanoris ; die 14. festum Mardochæi, quod dicebatur Sortium minus. Die verò 15. festum sortium majus, hebraicè autem *Phurim*, de quo Tirinus *Commentar in Ester. cap.* 3. *Vers.* 7. *& cap.* 9. *vers.* 27. nec non ibidem Cornelius à Lapide, atque Torniellus *ad Annum Mundi* 2545. in Calendario Hebræorum ad prædictos dies; ubi notat : quòd à nullo Auctore memorantur victimæ, quæ litabantur in hisce festivitatibus; etsi extra dubium sit, quòd eas Hebræi solemnizaverint jejunio, precibus, & statis Sacrificiis. Et hæc omnia dicta sint de quarta differentia, seu divisione Sacrificiorum, sumpta à varietate dierum ; in quibus immolabantur.

Quinta tandem differentia Hostiarum sumitur à conditione personarum ; quarum intuitu Sacrificium offerendum erat ; quæ quidem personæ erant in octuplici differentia.

Primò erant Sacerdotes in eorum consecratione; 64
tunc enim tria Sacrificia offerebantur eodem die ; scilicet Vitulus unus mactabatur tamquam hostia pro peccato. Aries unus in holocaustum Domino. Alter Aries pro Hostia pacifica cum libaminibus consuetis ex simila, oleo, vino, thure, & sale ; ut describitur *in libro Exodi cap.* 29. *à Vers.* 3. 90. *& seqq.* ubi Cornelius à Lapide cæremonias declarat; & allegorias adducit.

Secundò erant Nazaræi, qui cùm ad tempus segregarent se ad serviendum Domino, abstinentes à vino, & aliis, ut diximus *Decis. XXIV. num.* 65
50. 51. completo tempore Nazaræatus tria sacrificia pro eis offerebantur, scilicet Agnus in holocaustum, Aries in hostiam pacificam, & Ovis propeccato, cum libaminibus, & panibus azymis ; præscriptis *in libr. Numeror cap.* 6. *Vers.* 11. *& seqq.* & ibi Cornelius à Lapide ; observans, quòd dum litabantur prædictæ Victimæ radebatur caput Nazaræi, & ejus capilli comburebantur super Altare, & hinc
66 habuisse originem Tonsuram Ecclesiasticam clericorum ait Isidorus *de Divin. Offic.* quamvis eam ordinasse SS. Apostolos in memoriam spineæ Coronæ JESU CHRISTI doceat Beda *lib.* 5. *de Gest. Anglor. cap.* 22. cujus memoriæ ferè nullam extare memoriam videmus nostris temporibus ; neque in Episcopis, ad quos spectat eam illibatam in suo Clero custodire ; neque in Ecclesiasticis inferioribus, quibus sub pœna excommunicationis prohibitum est comam portare. *cap. Si quis ex clericis* 4. *cum seqq. De Vita, & Honestate Clericor.* De qua obligatione nos plenè disseruimus in decisionibus Cleri hujus Patavini anno 1683. in Mense Januario. Prædicta Sacrificia fiebant completo Nazaræatu ; quòd si ante complementum pollutus fuisset, obviando alicui cadaveri, vel ingrediendo, ubi aliquis mortuus fuisset; ad se expiandum, duo Sacrificia erant pro eo facienda ; nempè unius Turturis, seu unius pulli columbæ in hostiam pro peccato, & alterius Turturis, seu pulli columbini in holocaustum ; Item unius agni pro peccato, rasa interim cæsarie, & de novo incipiebat tempus Nazaræatus.

Tertiò erant Leprosi, qui cùm sanati essent à Lepra, ut tales declararentur à Sacerdotibus, & 67
possent restitui tum Templo, tum convictui aliorum hominum, hi ritus, atque sacrificia fiebant pro eorum Leprosorum expiatione, præscripta *in libro Levitic. cap.* 14. Ritus erat iste. 1. Sacerdos aspergebat expiandum sanguinem unius Passeris per alium Passerem alligatum baculo cedrino, cum cocco, & hyssopo ; mox Passerem vivum avolare sinebat. 2. Expiandus lavabat vestes suas, radebat pilos corporis sui, ac lavabat seipsum. 3. Die octavo offerebat Agnum unum pro delicto, & alterum Agnum pro peccato ; & Ovem anniculam in holocaustum cum tribus decimis similæ, & sextario olei. Quòd si erat pauper, offerebat Agnum quidem prò delicto, & duos Turtures, vel duos pullos columbæ ; unum pro peccato, & alterum in holocaustum cum dicta simila, & oleo. 4. Sacerdos sanguine Agni tingebat aurem dextram mundandi, & pollices dexteræ manus, & pedis 5. Ex oleo aspergebat septies coram Tabernaculo, reliquum olei fundebat super extremum auriculæ dexteræ, & super pollices manus, ac pedis dexteri, & super caput expiandi. Sensum allegoricum, & Tropologicum si quis desiderat horum Rituum, & sacrificiorum, legat Cornelium à Lapide *in d. cap.* 14. *Levitic.*

Quartò erant illi, qui dicebantur immundi, immunditia legali ; pro quorum expiatione sacrificia 68
erant facienda, mactabantur enim duo turtures ; vel duo pulli columbarum ; Unus tamquam hostia pro peccato ; & alter in holocaustum, ut præscribitur *in libro Levitic. cap.* 15. quare hic est notandum, duplicem fuisse immunditiem Hebræorum ; Una erat peccatum, quia præcepto Dei vetita, & talis erat, comedere carnes immundas, & sangui- 69
nem, adipem morticinum, vel laniatum à bestiis; nec non tangere morticinam immundorum ; & reptilia. Cornelius à Lapide *d. cap.* 15. *Levitic. Vers.* 22. Altera immunditia non erat vetita, sed solùm indicata, & hæc non erat peccatum ; sed inducebat tantùm quamdam irregularitatem legalem; qua quis prohibebatur ingredi Sanctuarium ante expiationem, & talis erat, tangere leprosum, mortuum, seminifluum, nec non pati lepram, fluxum seminis, & menstrua in fœminis.

Itaque Vir patiens fluxum seminis erat immundus, & si sanitatem consecutus fuisset, ad legalem 70
sui expiationem debebat lavare se, & vestes ; & die octavo offerre duos turtures, vel duos pullos columbæ ; unus quorum immolabatur hostia pro peccato ; alter in holocaustum : *ut in citat. cap.* 15. *Levitic. Vers.* 15. *&* 16. & ibi Cornelius à Lapide, qui *Vers.* 2. bene advertit, quòd fluxus seminis est duplex, vel continuus, vel accidentarius, primus vocatur morbus Gonorrhææ, & oritur vel ex debilitate naturæ, & potentiæ retentivæ, ut docet Galenus *de locis affectis lib.* 6. vel ex morbo Gallico, ut astruit Zacchias *in QQ. Medicolegal. tom.* 1. *lib.* 7. *tit.* 3. *q.* 6. *num.* 4. Alter fluxus accidentarius obvenit vel ob imaginationem turpem, vel ob seminis abundantiam, vel ob cibos calidæ qualitatis, præcipuè cùm aromatibus comestos ; à quibus, ut plurimum causantur pollutiones; quæ

quando

quando sint peccatum mortale optimè explicat
71 Lessius *de Just. & Jure lib.* 4. *cap.* 4. Cæterum Gonorrhæa est duplex; una simplex, alia virulenta, & contagiosa, & conjux, qui hac laborat, non potest petere, neque reddere debitum absque gravi culpa, ad tradita per eundem Zacchiam *in d. QQ. Medicoleg. lib.* 7. *tit.* 2. *q.* 5. *num* 5. ubi, Sanchez *de Matrimon. disp.* 24 *num.* 19. contrarium docentem, ait, intelligendum esse de Gonorrhæa simplici.

Quintò inter immundos reputabatur etiam Mulier menstruata, quæ ad se expiandum egebat Sacrificio. Menstrua autem mulierum sunt profluvium,
72 & purgatio frigidi, & indigesti humoris, quem natura quasi noxium expellit, & dicta sunt menstrua, quòd quolibet mense soleant accidere mulieribus, quæ ejus ætatis sunt, ut possint concipere. Non est autem ignorandum, quòd mulieres Hebrææ fiebant
73 immundæ quadrupliciter. 1. Ob copulam carnalem cum viro. 2. Ob menstrua ordinaria singulis mensibus. 3. Ob fluxum sanguinis ob hæmorrhoides, & 4. Ob purgamenta Puerperii. In Primo, & secundo casu expurgabantur ab illa immunditia, lavando corpus suum, quod etiam tenebatur facere Vir,
74 qui cum muliere coierat; ut legitur *in d cap.* 15. *Levitic. Vers.* 17. ibi: *Vir, de quo egredietur semen coitus, lavabit aqua omne corpus suum, & immundus erit usque ad vesperum: Et vers.* 19. ibi: *Mulier, cum qua coierit, lavabitur aqua, & immunda erit usque ad vesperum*: ubi Tirinus observat, ordinatas fuisse has corporis fluviali aqua purificationes, ut tædium, seu difficultas lavandi corpora, cohiberet frequentiam actus matrimonialis, & ad decentem continentiam petulantiores reduceret,
75 In tertio casu si mulier facta esset hæmorrhoissa patiens continuum fluxum sanguinis; qualis illa, de qua S. Marcus *in Evang. cap.* 5. *vers.* 26. quandocunque stetisset sanguis, & fluere cessasset, post dies octo debebat offerre, pro sui expiatione Sacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum, qui unum litabat pro peccato, alterum, in holocaustum, ut *in d. cap.* 15. *Levit. vers.* 31. & hoc erat sacrificium pro muliere hæmorrhoissa.

Quòd si quis quærat, an illa sanata ab hoc fluxu sanguinis per contactum fimbriæ Vestimenti Re-
76 demptoris, ut *in d. cap.* 5. *Marc. vers.* 6. fuerit S. Martha soror Lazari? Respondet Tirinus *in Comment. ibidem*, negativè, sed fuisse Mulierem ex Cæsarea Philippi oriundam, quæ in eadem Urbe statuam postea Christo erexit hujus beneficii indicem, sub qua nascentes herbæ, simul ac statuæ fimbriam attigissent, morbis quibuslibet medebantur. Qua statua dejecta Julianus Apostata suam substituit, quæ mox fulmine icta est, teste Sozomeno, & Theophylacto.

In casu verò purgamentorum puerperii, si mulier peperisset masculum, erat immunda septem diebus, si fœmellam quatuordecim; & in partu ma-
77 sculino die 40. in fœminino verò die 80. tenebatur accedere ad Templum ad se purificandam prævio Sacrificio, ad quem effectum offerebat Agnum in holocaustum, & columbæ pullum, vel turturem pro peccato: quod si pauper fuisset, offerebat turturem unum vel pullum columbæ in holocaustum, & alterum pro peccato, ut statuitur *in Levitic. cap.* 12.

Tria autem scitu dignissima hic veniunt notanda:
78 Unum, quòd DEIPARA, quia sine susceptosemine peperit, non comprehendebatur dicta lege purificationis, numquam enim fuit immunda, &
in partu suo sacratissimo nulla passa est menstrua, vel purgamenta; nullas habuit secundinas, nullave sordes, quæ partum vulgarem consequi solent; ut ex pluribus SS. Patribus probat Canisius relatus à Tirino *d. cap.* 12. *Levitic.* 2. Alterum est, quòd licet inter Christianos dicta Lex non vigeat, quia cum aliis cæremonialibus antiqui testamenti est abolita & possunt Christianæ mulieres sine peccato statim à partu gratias acturæ ingredi Templum; *ut cap. unic. de Purificat post partum*: tamen ob veneration em Sacrorum & ad imitationem purissimæ Virginis solent 79
40. diebus ab ingressu Ecclesiæ abstinere, ut scribit ibidem Tirinus. Dum verò accedunt ad Ecclesiam ad Purificationem obtinendam, eam non à Regularibus esse præstandam; sed à proprio Parocho pluribus juribus, & rationibus tuetur Pignatellus *tom.* 5. *consult.* 76. ubi sic decisum esse testatur à Sacra Congregatione Consilii *in Antuer-* 80
pien si die 18. *Novembris* 1662. cessante legitima præscriptione contraria. Tertium est, magnam esse differentiam inter purgamenta puerperii, & illa mensis ordinaria; in his enim sanguis purus, nisi mala valetudo mulieris obstet, expurgatur. At in puerperio cum sanguine ipso ante, vel 81
etiam deinceps aqua effluit, & copiosa est ipsius Sanguinis fluxio cum multis impuritatibus, & durat in partu masculi 30. dies; in fœminino ultra 40. ut ex Hipocrate *lib.* 1. *de Natur. puer num.* 11. & Arist. 7. *de Histor. Animal. cap.* 3. demonstrat Zacchias *in dd. QQ. Medicoleg. lib.* 1. *tit.* 3. *quæst.* 4. *num.* 56. *& liber.* 10. *conf.* 69. *numer.* 2.

Sed utrum mulieres tempore menstruorum possint licitè Sacram Eucharistiam suscipere? Dissert idem Pignatellus *tom.* 9. *consult.* 94. *n* 55. *&* 56. 82
ubi antiquitus iisdem menstruatis mulieribus non licuisse probat ex Epistola B. Dionysii Alexandrini ad Basilidem, & ex novella Leonis sapientis Imperatoris. Nihilominus asserit esse Judaicam superstitionem, quia sola copula *num.* 57. carnalis peccaminosa impedit S. Eucharistiæ sumptionem.

Sextò inter Hebræos erat Sacrificium Zelotypiæ, de quo *in libro Numeror. cap.* 5. Marito enim suspicante de pudicitia Uxoris, deficientibus te- 83
stibus, ducebatur Uxor ad Sacerdotem in atrio Sancto, ubi instituebatur Sacrificium farinæ hordeaceæ sine oleo, & sine thure, & descriptis maledictionibus per Sacerdotem in membrana; eaque injecta in aquam; cogabatur mulier ipsam aquam bibere; ex cujus potu, si innocens esset, nullum detrimentum, si verò rea, statim intumescebat ejus venter, & femur putrescebat; ut ibi textus Sacer insinuat, testanturque Interpretes Cornelius à Lapide, Tirinus, Bonfrerius, & alii Doctores *in d. capit.* 5. Deum se obligasse ad hanc miraculosam punitionem; ne mariti Zelotypi occiderent uxores. In Ecclesia Catholica olim introducta erat purgatio ab hac suspicione Zelotypiæ per contrectationem ferri candentis, quam facere non recusavit S. Chunegundis calumniata apud S. Henricum 84
Imperatorem maritum suum, etsi Virgo & omnium virtutum gloria eluceret. Porrò hanc probationem tanquam juri canonico contrariam Summi Pontifices proscripserunt; ut *tot. tit. Decretal. De purgatione Canonica.* Factum S. Chunegundis narrat Emin. Cardin. Baronius *in Annalib. Eccles. ad Annum* 1024. *num.* 9.

Septimò inter Sacrificia reponendum venit illud Vaccæ Rufæ, quæ immolabatur à Sacerdote extra castra tempore Tabernaculi, & extra Urbem Jerusa-

Jerusalem tempore ædificati Templi ; ad hoc ut ejusdem Vaccæ cineres impositi in aquam, eam lustralem facerent, & virtutem darent expiandi Hebræos ab aliquibus immunditiis legalibus, ut præscribitur *in libr. Numeror. cap.*19. ubi Abulensis, Lyranus, Cornelius à Lapide, Tirinus, Bonfrerius, & alii Scripturistæ; qui plura dubia examinant; deducentes ex hac cæremoniali expiatione, processisse in Ecclesia Catholica usum Aquæ lustralis, seu
86 benedictæ, habentis vim remittendi peccata venialia ; ut nos disseruimus in Decisionibus *Anni 1687. ad Casum primum Mensis Decembris.*

Ultimò notanda venit immolatio, seu mactatio Vitulæ in eventum alicujus homicidii occulti ad
87 expiationem habitantium, in quorum districtu sanguis humanus fuisset effusus; ut ordinatum erat *in libro Deuternom. cap.*21. ubi Cornelius à Lapide, Tirinus, & alii Expositores; qui ceremonias præscriptas examinant in mactatione illius Vitulæ, & illationem faciunt ad eam quæstionem; An sit mi-
88 raculosus fluxus sanguinis è vulneribus hominis occisi, si homicida in ejus præsentia compareat? Et an Judex ex hoc indicio possit procedere contra reum ad torturam, & ad condemnationem ? Has quæstiones ego examinavi in meis Discursibus *de Prima Mundi ætate*, impressis per *D. Andream Polettum Bibliopolam Venetiis anno* 1697. ut videre poterit curiosus Lector, *in Disc. XII. ad internecionem Abelis*, multa enim ibidem exempla congessi, & opinionem Farinacii celeberrimi Criminalistæ in *quæst.*52.*n.*154. nec non Antonini Thesauri *in Decis. CLXIII.* atque Careæ *part.*2. *tit.* 12. §. 22. pro Judicum instructione adduxi. Quæ dicta sint pro explanatione omnium Sacrificiorum Legis Mosaycæ, ex quorum multitudine, atque Rituum, & cæremoniarum varietate, & difficultate, manifestè apparet, quàm suave sit jugum Evangelicæ Legis, in qua Sacerdotes non tenentur, nisi ad horas Canonicas, & ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium devotè celebrandum, ad cujus explanationem in sequentibus calamus se convertet.

Corollarii loco non est silentio obvolvendum, quòd Hebræi Sarificia pro defunctis consuebant li-
89 tare, juxta illud clarissimum Scripturæ Sacræ testimonium. 2. *Machab.* 12. 43. *Pir fortissimus Judas collatione facta duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.* De quo disserit Emin. Cardin. Bellarminus *lib.* 1. *de purgator. cap.* 2. & Tirinus *in d. cap.*12. *libr.*2. *Machab.* ubi ad refellendos hæreticos id negantes, allegat plures Auctores tum antiquos, tum modernos, qui ex Ritualibus Judaicis, & aliis argumentis insolubilibus hanc veritatem confirmant.

DECISIO XXVIII.

ARGUMENTUM.

Quodnam sit verum, & proprium Sacrificium in Lege gratiæ? Eucharistia non solum est Sacramentum, sed etiam Sacrificium. CHRISTUS obtulit Corpus, & Sanguinem suum in cœna sub speciebus Panis, & Vini. Utrùm etiam seipsum communicaverit ? Vocis Missæ multiplex significatio. Oblatio Corporis, & Sanguinis CHRISTI sub speciebus Panis, & Vini in Missa est Sacrificium verum, & proprium in Lege gratiæ. Hæc veritas per annos 1500. à nemine fuit impugnata, nisi à Luthero, Calvino, & aliis hæreticis. Rationes, & fundamenta veritatis Sacrificii Missæ. Apostoli, & ejus Successores semper Missam celebrarunt. Hæreticorum objectiones, & solutiones earum. Sacrificium Crucis est sufficientissimum pro salute omnium ; si tamen applicetur per media à Christo instituta ; inter quæ unum est Sacrificium Missæ.

SUMMARIUM.

1 *Christus Dominus vita sua durante duo obtulit Sacrificia, Incruentum unum in Cœna. Cruentum alterum in Cruce.*

2 *Eucharistia non solum fuit à Christo instituta ut Sacramentum, sed etiam ut Sacrificium.*

3 *Christum litasse Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini est de fide.*

4 *Apostoli præceptum habuerunt de Sacrificio Eucharistico faciendo.*

5 *Christus post consecrationem, & oblationem Eucharistiæ in cœna utrum seipsum communicaverit cum ipsa ?*

6 *Missa quare sic nominetur Sacrificium Eucharisticum? Significationes hujus nominis* Missa.

7 *Sacrificium verum, & proprium in Lege gratiæ est oblatio Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus consecratis panis, & vini.*

8 *Lutherus, Calvinus, & alii hæretici impugnarunt Eucharistici Sacrificii veritatem, quam totus Orbis Christianus per annos* 1500. *semper professus est.*

9 *Christus in Cœna quibus verbis præceperit Sacrificium Eucharisticum ?*

10 *Sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech propagatur in Sacerdotibus ejus ministris offerentibus Eucharistiam.*

11 *Respublica qualibet habet tria, Legem, Sacrificium, & Sacerdotes.*

12 *Oblatio Eucharistica obtinet omnia requisita veri Sacrificii*

13 *S. Petrus Apostolus primus omnium Missam celebravit.*

14 *S. Andræas Apostolus, S. Jacobus, & alii Missam celebrant.*

15 *Ministrare Domino idem est, ac Sacrificare.*

16 *Planeta, qua Missam celebrabat Sanctus Petrus Apostolus, servatur Parisis.*

17 *Penula Sancti Pauli Apostoli quid esset.*

18 *Missa ab Apostolorum tempore semper est*

celebrata , tanquam verum Sacrificium.

19 *SS. Patres ab initio Ecclesiæ, & successivè semper professi sunt, Missam esse verum , & proprium Sacrificium, in quo offertur Deo corpus, & Sanguis* JESU CHRISTI *Filii ejus.*

20 *Canon Missæ expresè continet eam esse verum Sacrificium.*

21 *Canon Missæ à quibus sit compositus ?*

22 *Figuræ, quibus in veteri testamento denotabatur Sacrificium Missæ.*

23 *Sacrificium Agni Paschalis cur non offerebatur à Sacerdotibus ; sed à capitibus domorum? & 24.*

25 *Hæreticorum objectiones contra Sacrificium Missæ.*

26 *Sacerdotes in Lege gratiæ non sunt successores, sed Ministri Christi.*

27 *Adorare aliquando in Scriptura idem est ac sacrificare.*

28 *Missa quomodo sit Sacrificium in spiritu, & veritate ?*

29 *Sacrificium Missæ an deroget Sacrificio Crucis ?*

30 *Sacrificium Crucis habet vim infinitam ad salvandum.*

31 *Missa est repetitio Sacrificii oblati in Cruce.*

32 *Merita Passionis Christi sunt nobis applicanda per media ab ipso instituta.*

33 *Peccati humani generis gradus duo, & qui ?*

34 *Passio Christi sufficiens est pro salvandis omnibus hominibus , sed opus est, ut ipsa nobis applicetur per fidem, Sacramenta, & Sacrificium Missæ.*

35 *Sacrificium Crucis dat nobis dominium meritorum Christi , Sacrificium Missæ dat possessionem , & usum.*

36 *Titulus non sufficit ad usum rei, sed requiritur etiam possessio.*

37 *Missa est clavis ærarii meritorum Christi.*

38 *Oblatio alia quomodo non requiratur pro peccato?*

39 *Verba Christi in Cruce* Consummatum est, *ad quid referantur ?*

40 *Cultus supremus præstatur Deo per Sacrificium Missæ.*

HUcusque actum est de Sacrificiis tum in lege naturæ, tum in Lege Mosayca fieri consuetis, & eorum occasione de Tabernaculo , ac Templo, nec non de Personis , ac Ritibus quomodolibet ad eadem Sacrificia spectantibus , atque de Victimis, quas Aaronici Sacerdotes litabant: nunc oportet, ut descendamus ad Sacrosanctum Sacrificium, quo in Lege gratiæ, & in Ecclesia Catholica, ad Divinum cultum exercendum, utuntur Christiani , & quod fuerat figuratum in antiquis illis Sacrificiis; ideòque in præsenti Decisione breviter venit demonstrandum. Quodnam extet hisce nostris temporibus verum, & proprium Sacrificium ?

Pro inteligentia dicendorum duo sunt præmittenda &, prænotanda. Unum est, quòd tetigimus supra *Decis.* 4. *n.* 25. Redemptorem nostrum Christum JESUM, tanquam Summum Sacerdotem, ac
1 Pontificem duo , sua vita durante , celebrasse Sacrificia , incruentum primum ; alterum cruentum. Hoc fuit illud , quod feria sexta Parasceves obtulit de se ipso in Golgotha, ideſt Calvariæ loco , super ara Crucis pro expiatione iniquitatum hominum ; de quo cruento Sacrificio locuti sumus *Decis. XI. n.* 8. *& Decis. XIII. n.* 38. in hoc eodem tractatu , & de eodem Apostolus scribens ad *Ephesios cap.* 15. *vers.* 2. ait : *Christus dilexit nos , & tradidit semetipsum pro nobis Oblationem , & Hostiam in odorem suavitatis*, & de hoc Sacrificio nulla est controversia apud fideles, ut demonstrat Eminent. Cardin. de Lauræa *De Incarnatione disp.* 22. *art.* 5. *à num.* 81. *& seqq.* ubi Sanctorum Patrum cumulat testimonia.

Aliud Sacrificium , quod Christus fecit , & à Sacerdotibus in Ecclesia faciendum instituit, fuit incruentum per consecrationem Panis , & Vini, & oblationem sui Corporis , & Sanguinis , sub speciebus Panis , & Vini post consecrationem contentorum. Siquidem ipse Redemptor in ultima cœna cum Discipulis suis, vespere diei decimæ quartæ primi Mensis , ut probavimus in Decisionibus de Eucharistia , *Decisio XI. n.* 15. non solus instituit divinum hoc Sacramentum ; sed simul illud obtulit in Sacrificium æterno Patri , adimplens id, 2
quo de se tanto tempore antè prædictum fuerat ab eodem æterno Patre per os David: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum , tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Psalm.* 109. *vers.* 4. Cùm enim fuisset Melchisedech Rex Salem Sacerdos Altissimi solitus offerre Sacrificium Panis, & Vini; ut latè diximus *supra Decis. XVIII.* Et præfiguraſſet Christum venturum pluribus signis, ibidem *sub n.* 12. per nos collectis ; ut figuræ responderet Veritas; in hac ultima cœna ipse Dei Filius non solùm consecravit , sed etiam litavit Corpus , & Sanguinem suum sub speciebus Panis, & Vini; ut pluribus Sanctorum Patrum testimoniis comprobat Eminentiss. Cardinalis de Lauræa *d. tract. de Incarnatione disp.* 22. *art.* 5. *à num.* 89. *& seqq.* & de fide 3
firmat Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 1. his verbis: *Is igitur Deus, & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara Crucis, morte intercedente , Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic Redemptionem operaretur ; quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat : in cœna novissima, &c. Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum, sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit.* Igitur Christus Dominus in eadem cœna non solùm Eucharistiam instituit; sed Ipsam etiam litavit æterno Patri; deindè Apostolis eandem consecrandi potestatem tribuit; ac Sacrificandi jussionem fecit; atque eorum successoribus Sacerdotibus dicens: *hoc facite in meam commemorationem*, ut prosequitur Concil. Trid. *d. sess.* 22. 4
cap. 1. & docent Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. D. Thomæ disp.* 73. *sect.* 2. Collegium Salmanticen. *tom.* 10. *De Incarnatione tract.* 2. *disp.* 31. *dub.* 2. *num.* 31. *Et tom.* 11. *De Sacramentis in genere tract.* 5. *cap.* 1. *n.* 8. Et Gonet. *tom.* 5. *De Sacrificio Missæ disp.* 11. *à num.* 14. *& seqq.*

Utrum autem Salvator post consecrationem Eucharistiæ ; & ejusdem oblationem , ac Sacrificium, 5
seipsum communicaverit ; sumendo species Sacramentales Panis, & Vini ; prout illas etiam Apostolis sumendas tradidit ? Communis est opinio affirmativa, quam tenent S. Thomas *in* 3. *part. quæst.* 81. *art.* 1. S. Bonaventura *in* 4. *Sent. art.* 1. *quæst.* 4. *in corp.* Alensis 4. *part. q.* 11. *Membr.* 2. *&* 3. Et alii plures relati à Scortia *libr.* 1. *de Sacrificio Missæ cap.* 5. & habetur *in cap. Nec Moyses* 87. *de Consecrat. dist.* 2. Ubi ex S. Hieronymo dicitur, quòd *Ipse Dominus* JESUS *fuit conviva, & convivium:* Atque Glossa subdit hæc carmina:

Rex

Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena;
Se tenet in manibus: Se cibat ipse cibus.

Et de hoc Quæsito plenè, ac eruditè agit Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Incarnat. d. disp. 22. num.* 100. atque per nos dictum fuit in Decisionibus *de Eucharistia Decis. XXXIII. num.* 4. ubi alios DD. allegavimus.

Secundum præmissum, & prænotandum est; quòd Eucharisticum Sacrificium, de quo in præsenti, & in sequentibus Decisionibus acturi sumus, 6 communi vocabulo vocatur *Missa*; quare duo sunt observanda; *Unum* quòd hoc vocabulum *Missa* apud Sanctos Patres plura solet significare, videlicet dimissionem religiosorum à Choro, vel populi ab Ecclesia; sive Lectiones, & preces, quæ præcipuè Sacrificium præcedunt; vel concomitantur; aut in psallendo à Monachis, & aliis Clericis interponuntur; nam & totum Divinum Officium in Agathensi Concilio *cap.* 30. Missa nominatur. Aliquando etiam Missæ nomine festivitates Sanctorum denotabantur; ut pluribus citatis Scriptoribus disputat. Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. libr.* 1. *cap.* 1. & 2. ubi firmat; hoc nomen *Missa* ex principali significatione Sacrificium indigitare. Porrò, cujus rei causa Sacrificium incruentum, & Eucharisticum sortitum sit hanc Missæ nomenclaturam; non est facile determinare: nam I. alii volunt, eam venire à verbo Hebraico *Missah*, quod oblationem significat, ut habetur *in Deuteron. cap.* 16. *vers.* 10. & ita docet Joannes Reuchlinus *libr.* 2. *Hebraicar. Erudit.* Claudius de Sainctes *in Præfat. ad Liturg. Patrum.* Eminentiss. Cardin. Baronius *Ann.* 24. *num.* 59. Et alii, quos citat, sed non sequitur Eminentiss. Cardin. Bona *d. libr.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. II. Alii putant vocem *Missæ* venire à Verbo græco *Myeo*, ex quo *Myesis*, quod est doceo, instituo, & spiritualiter initio; & indè Missam, in qua fideles docentur altissima Mysteria, & rem divinam. III. Alii, inter quos Gabriel Albaspineus *libro* 2. *De Sacram. Euchar. cap.* 3. autumant, Missam dici à nomine *Mess*; quod apud gentes septentrionales significat festum, sive congregationem; ad Sacrificium autem populi congregantur, & sic vocatur *Missa*. IV. Alii ita nuncupari volunt à missione Panis, & Vini, quam antiquitus faciebant fideles ad Altare, pro consecratione; de qua oblatione, & missione disseruimus supra in hoc tractatu *Decis. III. num.* 14. V. Alii putant, Missam dici, quasi transmissam, ea ratione quia in Sacrificio per manus Sacerdotum preces adstantium ad cœlum transmittuntur. VI. Alii asserunt, ita denominari à missione populi, quæ fit completo Sacrificio; quando dicitur: *Ite Missa est.* Vel quæ fiebat ante Offertorium de Catechumenis, quibus non permittebatur, ulterius morari in Ecclesia. Et hanc quintam, & sextam Etymologiam hujus vocabuli veriorem esse testantur moderni Scriptores. Magr. *in Hierolexic. in Verb. Missa.* Vossius *in Etymologic. Linguæ Latinæ eod. Verb. Missa* Gonet. *d. tom.* 5. *De Sacrificio Missæ disp.* 11. *Artic.* 1. §. 1 Spérellus *in Paræneti Teleturgica cap.* 2. Eminentiss. Cardin. Bona *d. libr.* 1. *cap.* 1. Et dictum fuit in Decisionibus De Eucharistia *Decis.* 2. *sub num.* 2. ubi divini hujus Sacrificii alia nomina cumulavimus.

His prænotatis dicendum, & affirmandum venit, in Lege Evangelica, in qua vivimus, & hoc tempore gratiæ, verum, proprium, & unicum Sacrifi- 7
cium esse oblationem Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus consecratis Panis, & Vini, quam faciunt Sacerdotes in persona ejusdem Christi, juxta ipsius institutionem in novissima cœna; quod quidem Sacrificium communi vocabulo vocatur Missa. Hanc veritatem, quam totus Orbis Christianus annis mille, & quingentis circiter, semper professus est, atque servavit, exceptis paucis novatoribus, de quibus supra *in Decis. VII. num.* 20. & *Decis. VIII. num.* 15. ausi sunt impugnare Lutherus, Calvinus, 8
Melancthon, & alii Hæretici, qui in præterito sæculo fuerunt; contra quorum insaniam Catholici Doctores insurrexerunt: quam subinde Sacrosanctum Concilium Tridentinum damnavit; dum in antedicta *sess.* 22. *cap.* 1. & 2. indubitatum esse articulum fidei firmavit, quod in Missa offertur Deo verum Sacrificium Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI Filii ejus sub speciebus panis, & vini Sacramentalibus; & in primo Canone ejusdem sessionis ita statuit: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium; aut quod offertur, non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari: anathema sit.*

Porrò, quamvis præsentes Decisiones ad Clerum pium, & eruditum directæ, non admittant rationes, & fundamenta omnia, quibus Patres, & Concilia utuntur ad convincendos hæreticos, nonnulla tamen non me piget hîc transcribere ad ornatum materiæ, & consolationem spiritualem fidelium. Probatur itaque veritas Eucharistici Sacrificii, quo utitur Ecclesia Catholica ex sequentibus.

Primò ex Verbis ipsius Redemptoris, quibus cùm ipse primum obtulisset in cœna hoc Divinum Sacrificium sui Corporis, & Sanguinis sub speciebus Panis, & Vini, ut probavimus in primo præmisso, 9
præcepit Apostolis, ut idem facerent in sui commemorationem; ut scribit S. Lucas *capit.* 22. *vers.* 19. ibi: *Hoc facite in meam commemorationem.* Advertendum est enim; quòd *ly facite* in hoc loco eundem sensum habet, ac *Sacrificate*; idque concludenter habetur, tum in *Levitic. cap.* 15. *vers.* 15. ubi jubetur, deferri duos turtures, aut duos pullos columbæ ad Sacerdotem: *qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum.* Facere verò expressè ibi denotat immolare, ac Sacrificare; ut observat Cornelius à Lapide *in eodem loco*, & alii Scripturistæ. Tum *ex cap.* 2. *vers.* 27. *Luca*, ubi dicitur: *Et cum inducerent puerum JESUM parentes ejus, ut facerent consuetudinem Legis pro eo.* Videlicet, ut offerrent in Sacrificium par turturum, aut duos pullos columbarum; ad quem effectum, completis diebus purgationis Deiparæ, ipsum JESUM portaverant ad Templum. Præcepit itaque Christus Dominus Apostolis, & Sacerdotibus eorum successoribus, ut idem facerent, quod ipse tunc fecerat; videlicet consecrarent, & in Sacrificium offerrent Corpus suum, ac sanguinem sub speciebus Panis, & Vini; ut latiùs scribunt Suarez. *d. tom.* 3. *in* 3. *part. D. Thomæ disp.* 74. *sect.* 2. §. *Secundum argumentum.* Et Mastrius *in* 4. *sentent. disput.* 4. *num.* 69.

Secundò probatur ex convenientia Sacerdotii ipsius Christi secundum ordinem Melchisedech consistentis, in oblatione panis, & vini, ut supra dictum 10
est; quod quidem Sacerdotium propagatur in omnibus Sacerdotibus novæ Legis, qui Ministri sunt ipsius Christi in offerendo Sacrificio. Sicut igitur Chri-

stus Dominus prima vice Sacrificium obtulit in cœna sui Corporis, & Sanguinis sub speciebus Panis, & Vini ad complementum figuræ in Sacrificiis Melchisedech existentis; sic opus erat, ut idem Sacrificium antea figuratum continuaret usque ad finem mundi per manus Sacerdotum repræsentantium personam Christi, & in ejus persona consecrantium panem, & vinum; ut doctè differit Suarez *d. sect. 2. argum. primo*, & novissimè Invenin *in Commentar. Histor. & Dogmat. de Sacramentis Dissert. V. quæst. 1. capit. 2. §. 1.*

Tertiò probatur ex ratione novæ Legis; in omni namque Lege, & Republica bene instituta hæc tria semper fuerunt conjuncta: Lex, Sacrificium, & Sacerdotium, & tam in Lege naturæ, quàm in Lege Mosayca fuerunt Sacrificia, quibus homines Deum colerent. Idcircò opus erat, ut etiam in Lege gratiæ, quæ cæteris est præstantior, determinatum esset Sacrificium, quo Deus speciali cultu coleretur; hoc autem est Eucharistiæ mysterium; in quo concurrunt omnes partes essentiales Sacrificii; nam Panis, & Vinum conversa in Corpus, & Sanguinem Christi offeruntur Deo in signum ipsius supremi dominii, & nostræ subjectionis. Fit hæc oblatio per legitimum Ministrum, nempè Sacerdotem ad hoc specialiter deputatum auctoritate Christi, qui est caput, Legislator, & Ecclesiæ fundator. Consumitur autem res oblata, tum quia Christus desinit esse visibilis, & sensibilis, quatenus est sub speciebus Panis, & Vini; tum etiam quia ipsæ species desinunt esse per manducationem, & potationem; ut considerat Suarez *in 3. part. d. disp. 74. sect. 1. col. 6. vers. Ultimo loco.* Mastrius *in cit. disp. 5. sub num. 70.* Brognolus *in Speculo Cleric. tract. 10. cap. 2. resol. 6. & 7.* Et Eminent. Cardin de Lugo *de Sacram. Euchar. d. disp. 19. n. 21.*

Quartò confirmatur exemplo Apostolorum, qui ab ipso Christo edocti, Missam jugiter celebrarunt, & hoc Eucharisticum Sacrificium obtulerunt. Nam in die Pentecostes recepto ab Apostolis Spiritu Sancto in Cœnaculo, ibidem primus omnium Apostolus Petrus Missam celebravit, ut ex Ecclesiasticis scriptoribus ostendit Eminentiss. Cardin. Bona *Rer. Liturgic. dict. lib. 1. cap. 5. num. 1.* Sanctus Apostolus Ægeæ Proconsuli suadenti sibi, ut Diis immolaret, respondit: *Ego Omnipotenti Deo immolo quotidiè, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem; sed immaculatum Agnum in Altari.* De Sancto Jacobo Apostolo testantur omnes Auctores antiqui, quòd Liturgiam composuerit; & Ecclesiis orientalibus tradiderit servandam, Ritus scilicet sacros pro Sacrificio Missæ, & habetur *in cap. Jacobus. De cons. dist. 1.* & idem fecisse Sanctos Evangelistas Matth. & Marcum in Æthyopia, & Alexandriæ memorat idem Eminent. Card. Bona *d. lib. 1. cap. 8. num. 2. & 3.* De Apostolis ac Discipulis Domini habetur in *Actis Apostol. c. 13. Vers. 2.* quod *Ministrantibus illis Domino; & jejunantibus dixit Spiritus Sanctus, &c.* Verbum autem *Ministrantibus Domino* idem est, ac *Sacrificium offerentibus*, ut observat Suarez *disp. 74. sect. 1. col. 5.* Et confirmatur ex illis verbis Apostoli Pauli *ad Hebr. cap. 10. vers. 11. Et omnis quidem Sacerdos præstò est quotidiè ministrans, & easdem sæpè offerens Hostias.* Planetæ Sancti Petri, qua utebatur celebrando Missam, ab Antiochia Parisios delatæ; & in Templo S. Genovefæ collocatæ meminit in vita Sancti Hugonis Cluniacensis alter Hugo ejusdem Monasterii Monachus apud Surium *die 29. Aprilis.* Sacram itidem Vestem, quam Sanctus Joannes Evangelista Missam facturus induebat, Sancto Gregorio Magno transmissam refert Joannes Diaconus in ejus vita *libr. 3. cap. 59.* De Penula, quam nominat D. Paulus *in Epist. 2. ad Timoth. c. 4. vers. 13.* dicens: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum.* Etsi diversæ sint Scriptorum sententiæ, nihilominùs verior est opinio, quòd fuerit Casula, quam nos dicimus Planetam, indumentum scilicet Sacerdotis, qui Deo Sacra facit, & litat; ut advertit Eminentiss. Cardin. Baronius *Anno Christi 58. n. 67.* noster Octavius Ferrarius *de Re Vestiaria lib. 1. cap. 37. in fin.*; & *in Analectis cap. 7.* Menochius *in Storeis Centur. 2. cap. 60.* & Magrius *in Hierolexic. verb. Penula*; ubi addit Tertullianum *lib. d. Orat. cap. 12.* existimantem Planetam fuisse; qua Missa celebratur; cum quo Græcus textus concordat, qui φελόνιον habet, & Græci Planetam prædictam Sacerdotalem sic appellare solent. Ex his igitur omnibus validum deducitur argumentum, quòd Sancti Apostoli à Christo Domino edocti noverint Sacrosanctum hoc Eucharisticum Sacrificium fuisse ab eo institutum; illudque in Dei laudem, & fidelium opem exercuisse.

Quintò roboratur ex perpetua traditione Ecclesiæ universalis, quæ ab Apostolorum tempore semper Missam hoc ritu celebravit; protestando, quòd in ipsa offeratur Sacrificium Deo, ut constat ex omnibus Liturgiis Græcis, Hebraicis, Syris, Chaldæis, & Latinis; in quibus de Oblatione, & Sacrificii immolatione fit mentio; cum quibus concordant Concilia Oecumenica, statim post initium Ecclesiæ, & successivis temporibus celebrata; in quibus frequenter fit mentio de Sacrificio Missæ, & præcipuè in Concilio Niceno primo *cap. 14. tom. 1. Concilior. pag. mihi. 487.* ubi prohibentur Diaconi porrigere Sacramenta Presbyteris, quia, ait: *Neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi Sacrificii non habent potestatem, his, qui offerunt, Corpus Christi porrigant.* Et idem sermo de Sacrificio Missæ est in Concilio Toletan. *in can. 5.* Antisiodoren. *cap. 8.* Senonen. *cap. 11.* Bracaren. *cap 22.* Lateranen. *c. 1.* & sexcentis aliis allegatis per Eminent. Card. de Lauræa *in Epitome Canonum verb. Missa*: quare vel dicendum est, Ecclesiam totam in hoc puncto turpissimè erravisse ab initio, vel concedendum, verum, & proprium Sacrificium Deo offerri, dum Missa celebratur, ut bene considerat Emin. Card. de Lugo *d. disp. 19. num. 22.* Invenin. *d. Dissert. 5. cap. 2. artic. 2.* & Mastrius *in 4. sent. d. quæst. 4. num. 69.*

Sextò: His accedunt testimonia omnium Sancto- rum Patrum, & Doctorum, qui primo, secundo, tertio, quarto, & sequentibus sæculis ab initio Ecclesiæ expressè scripserunt, Missam esse verum, & proprium Sacrificium, in quo offertur Deo Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI filii ejus per manus Sacerdotum solemni ritu, in Templis & Altaribus ad hoc deputatis, sub speciebus Sacramentalibus Panis, & Vini; inter quos S. Clemens Papa *libr. 5. Constit. cap. 18.* S. Dionysius Areopagita *cap. 3. De Eccles. Hierarch.* S. Irenæus, qui floruit secundo post Christum sæculo *libr. 4. c. 32.* Sanctus Justinus Mart. qui vixit eodem sæculo secundo *in Dialog. cum Tryphone*; subinde S. Ambrosius. S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Cyprianus, S. Jo. Chrysostomus, & alii innumeri, quos cumulant Suarez *d. disp. 74. sect. 2. col. 7.* Invenin. *d. dissert. 5. cap. 2. art. 2. n. 2. & 3.* & Arsdekin in Theolog. Tripartita *tract. 2. c. 5. n. 4.* ubi sic concludit: *Vel errarunt omni loco cum Sanctis Patribus Christiani primitivæ Ecclesiæ; vel aberrant hu-*

jus

hujus temporis sectarii, Sacrosancto Missæ Sacrificio contrarii.

20 Septimò tandem concurrit ad confirmandam veritatem, de qua loquimur, in Missa scilicet offerri Deo verum & proprium Sacrificium, ejusdem Missæ Canon, in quo expressè Deum Ecclesia rogat, ut accepta habeat *Hæc Sancta Sacrificia illibata*, quæ offeruntur *in Sacrificium laudis* pro spe salutis, & incolumitatis omnium circumstantium: & post consecrationem, ait: *Offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis, ac datis, Hostiam puram, Hostiam Sanctam, Hostiam immaculatam*; quam orat, acceptam habere, *sicuti accepta habere ignatus es munera pueri justi Abel, & Sacrificium Patriarchæ Abrahæ, & quod obtulit Summus Sacerdos tuus Melchisedech, Sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam.* Constat itaque manifestissimè actionem Missæ esse immolationem,
21 ac Sacrificium, ut loquitur Canon ipse. Porrò idem Canon habuisse originem à Sanctis Apostolis, ex quorum traditione, juxta ipsius Domini verba, Ecclesia Catholica illum accepit, testatur Vigilius Papa *in Epist. ad Eucherium*, ut disserit Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 11. num. 2.* Suarez *d. disp. 74. sect. 2. vers. Tertium argumentum*; Magrius *in Hierolex. V. Canon. Missæ.* Et Mastrius. *d. disp. 4. n. 69.* & tradit Concilium Trid. *d. sess. 22. cap. 4.* affirmans ipsum Canonem Missæ constare *ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum institutionibus.*

22 Ultimò, veritas Eucharistici Sacrificii fulcitur figuris, quæ de eo erant in veteri testamento, & nunc sunt adimpletæ. Siquidem, I. ut supra dictum est, vocatus fuerat Messias venturus *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Psal. 109. vers. 4.* debebat itaque in Ecclesia sua relinquere Sacrificium sub speciebus Panis, & Vini, in quibus Melchisedech litabat; & hoc duraturum erat usque ad finem Mundi; prout durat, & durabit Missa, quæ per manus Sacerdotum, qui sunt ministri, & Vicarii ipsius Christi, quotidie offertur. II. Quia hoc Sacrificium institutum fuit vespere illo, quo come-
23 debatur Agnus Paschalis, & post ejus esum juxta præceptum *Exodi cap. 12. num. 9.* quia ille Agnus fuit figura Sacrificii nostri. Agnus enim Paschalis immolabatur in memoria liberationis populi Israelitici ab Ægypto; & Missa celebratur in memoria nostræ liberationis de potestate diaboli, per mortem Redemptoris in Cruce. Agnus ille erat Sacrificium, & cibus peregrinorum. Missa utrumque continet. Agnus non poterat comedi, nisi a circumcisis, mundis, & in Jerusalem. De Eucharistico autem Sacri-
24 ficio non comedunt, nisi baptizati, mundi, & in Ecclesia. Et Agnus ille non immolabatur à Sacerdotibus Leviticis, quia illud Sacrificium fuerat institutum ante designationem Leviticorum Sacerdotum, & eorum vice munus illud Sacerdotale exercebatur à capitibus familiarum; ut observat Lessius *in 3. part. D. Thom. quæst. 83. artic. 1. dub. 5. numer. 14.* Missa autem celebratur à Sacerdotibus novi testamenti, qui sunt capita familiæ Christi ex omni tribu assumpta. III. Quia Sanguis testamenti figurabat: Sacrificium nostrum: nam eo aspersi sunt Hebræi, ut purificarentur, post Sacrificium jussu Moysis immolatum, de quo *Exodi cap. 24. vers. 8. & ad Hebræos cap. 9. vers. 7.* Et nos Christi Domini in Cruce immolati Sanguine pretiosissimo, qui in Missa offertur, emundamur, juxta illud: *Qui lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo. Apocal. 1. 5.* Et si Moyses dixerat ad populum: *Hic est Sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Dominus*: Sic Redemptor ait: *Hic est Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. Marc. 14. vers. 24.* IV. Quia sicut in Lege veteri erat juge Sacrificium, Agni scilicet, qui quotidie immolabatur manè, & vespere; ut innuimus præcedenti *Decis. XXVII. n. 14.* ita quotidie in Missa Sacrificatur mysticus Agnus Christus, Daniele autem dicente, quòd tempore Antichristi auferetur *juge Sacrificium. Dan. 11. 11.* De Sacrificio Missæ intelligunt Sancti Patres: Hieronymus, Irenæus, & alii, quos ibidem allegat Tirinus, & alii Scripturistæ. V. Quia præclara illa Prophetia Malachiæ *cap. 1. vers. 11. Ab ortu Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco Sacrificatur, & offertur nomini meo Oblatio munda.* Est irrefragabile testimonium Eucharistici Sacrificii nostri: ut ex pluribus auctoritatibus, & rationibus ostendit Lessius *ind. 3. part. D. Thomæ quæst. 83. art. 1. dub. 5. num. 17.* ubi IV. addit, illam prædictionem, de qua in *Proverb. cap. 7. vers. 1. Sapientia ædificavit sibi domum, immolavit Victimas suas, miscuit vinum, & posuit mensam*, innuere Missæ Sacrificium, ut interpretantur S. Cyprianus *Epistol. 63.* & Sanctus Augustinus *lib. 17. de Civitate Dei cap. 20.*

Quamvis autem hæ Decisiones non dirigantur, ut diximus, ad Missoliturgos; nonnullæ novatorum objectiones sunt referendæ, & resolvendæ.

Prima est: in Lege gratiæ Christus est unicus Sacerdos, teste Apostolo *ad Hebræos cap. 7. vers. 23.* 25
ubi ait; quòd in Lege veteri, *plures facti sunt Sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere, sed CHRISTUS, eò quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium; unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Ergo superflui sunt alii Sacerdotes, & per consequens Missæ 26
Sacrificium.

Respondent Catholici; quòd Sacerdotes in Lege gratiæ non sunt successores Christi, sed ejus ministri, Vicarii, & coadjutores in Sacrificii oblatione. Sicut enim ipse Christus est solus Magister, ut ipse dicit *in Matth. c. 23. vers. 8.* & quia ipse nunc humano more non docet, habet alios ministros, & coadjutores in docendo populo, ut ait Apostolus *in Epistol. 1. ad Timoth. cap. 2. & in 2. ad Timoth. cap. 1. ac in 1. ad Cor. cap. 3. & in 2. ad Cor. cap. 5.* Ita quia Christus nunc per se visibiliter, & humano more non Sacrificat in terris; non repugnat unitati, & æternitati Sacerdotii ejus, ut habeat in terris Sacerdotes ministros, & vicarios, per quos id faciat. Verba autem Apostoli ad Hebræos intelligenda sunt de Sacerdotibus ejusdem dignitatis, & potestatis, quales erant Pontifices Aaronici, uno quorum moriente alter succederet in eadem dignitate; quod non est in Sacerdotibus Evangelicæ Legis; hi enim non sunt principales; prout est Christus; sed sunt ejus ministri, & Vicarii; & ejus nomine, imò in ejus personæ consecrant, & offerunt Eucharistiam. Ita Emin. Card. Bellarminus *de Missa lib. 1. cap. 25.* Suarez *in d. 3. part. D. Thom. tom. 3. disp. 74. sect. 2. in fin.* Lessius *eod. 3. part. quæst. 83. art. 1. dub. 5. n. 21.* Gonet. *tom. 5. de Sacrificio Missæ disp. 11. sub n. 22.* & Pasqualigus *De Sacrificio novæ Legis quæst. 20. per totam.*

Secunda objectio est ex Verbis CHRISTI ad Samaritanam; cui interroganti, an esset Sacrificandum tantummodo in Jerusalem, ut asserebant Judæi; vel etiam in Monte Garizim, ut pu-

tabant Samaritani, de quibus supra *Decis. XI. num.* 13. *& num.* 40. Ipse Salvator respondit: *Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem; quia veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in Spiritu,*
27 *& veritate oportet adorare. Joan. cap.* 4. *vers.* 23. Adorare autem idem est, ac Sacrificare, & inter Judæos, & Samaritanos quæstio erat de Sacrificio, & de eo intelligebant per verbum Adorationis juxta illud *Genes.* 22. *vers.* 5. *Postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Et illud *Actor. cap.* 8. *vers.* 28. *Venerat adorare in Jerusalem.* Idcircò heterodoxi deducunt, non est amplius Sacrificandum Deo visibiliter, sed tantùm in spiritu, & in intimo cordis per fidem, & affectum.

Respondetur, falsam esse hanc deductionem; Christus enim ad Samaritanam loquebatur de cessatione Sacrificiorum carnalium, quæ de vitulis, pecudibus, & aliis bestiis offerebant Judæi; non autem de Sacrificio Eucharistico; quod omninò spirituale est, cùm in eo contineatur ipse Christus modo invisibili, & Sacramentali; quamvis species Sacramentales, atque aliæ cæremoniæ sint visibiles; & nos Christiani, qui hoc Sacrificio Deum colimus, illum in Spiritu, & veritate adoramus. Ita Gonet. *dict. disput.* 11. *num.* 22. *& numer.* 23. Et Suarez *dict. disput.* 74. *sect.* 1. *col.* 5. ubi doctè demonstrat ex testimonio Christi Sacrificium Eucharisticum in Ecclesia sua fuisse futurum; quia non solùm fit *in Spiritu*, & non carnali modo, ut supra
28 dictum est; sed etiam fit *in Veritate*, quia jam Caro, & Sanguis Christi non in umbræ figura, sed verè, ac realiter in Missa offertur; propterea consona sunt alia Christi verba *in Joan. cap.* 6. *vers.* 62. ubi, cùm locutus esset de manducatione sui Corporis, & Sanguinis sub speciebus Panis & Vini, subdit: *Verba, quæ ego locutus sum vobis, Spiritus, & vita sunt*, ea referendo ad veritatem promissi Mysterii Eucharistici.

Tertia hæreticorum objectio, quæ major cæteris videtur, est ista. Vel Sacrificium Missæ in Ecclesia Christi est necessarium, vel non? Si non est
29 necessarium; Ergo superfluè, & sine causa fuit institutum. Si verò dicitur necessarium; summa injuria fit Sacrificio Crucis Christi, nam sequitur, illud fuisse imperfectum, & insufficiens, quod est contra veritatem, & contra verba Apostoli *ad Hebræos cap.* 10. *vers.* 10. sic scribentis: *In qua voluntate* (Patris æterni) *Sanctificati sumus per oblationem Corporis JESU CHRISTI semel. Et omnis quidem Sacerdos præstò est quotidiè ministrans, & easdem sæpè offerens Hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens Hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Una enim oblatione consummavit in sempiternum Sanctificatos.* Et paulo post *vers.* 28. *Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato.* Igitur non est opus alio Sacrificio, attenta sufficientia illius cruenti oblati in Cruce, per quod Christus complevit omnia, quæ ad nostram salutem necessaria erant: ideò dixit: *Consummatum est, & inclinato capite emisit spiritum. Joan.* 19.

Ad hanc objectionem tria dantur responsa. Pri-
30 mum est, quod fatentur quidem omnes Catholici, Sacrificium Crucis habere vim infinitam, & sempiternam ad sanctificandum, & salvandum; subindèq; concedunt, non esse opus, ut alius Christus moriatur pro nobis, aut ut idem Christus sæpiùs moriatur. Sed negant, fieri injuriam Sacrificio Crucis Christi per Sacrificia, quæ in celebratione Missæ quotidie à nostris Sacerdotibus offeruntur; ea ratione quia nihil aliud sunt, nisi commemoratio continua, ejusdem Sacrificii cruenti oblati in Cruce; Imò veneratio, & repetitio ejusdem, etsi diverso modo, non cru- 31
entè, sed incruentè sub speciebus consecratis Panis, & Vini. Cui Regi revertenti de bello cum victoria fieret injuria ab ejus subditis, si in scena repræsentarent eamdem victoriam, sic eo præcipiente; imò in eadem repræsentatione ipsomet Rege sub peregrinis vestibus interveniente? Ita Alphonsus Mendesius *in Luce fidei libr.* 11. *cap.* 1. *num.* 7. quod latiùs docent Emin. Cardin. Bellarminus *d. lib.* 1. *de Missa cap.* 25. *in resp. ad secundum Calvini argumentum.* Suarez *d. tom.* 3. *disp.* 74. *sect.* 1. *col.* 7. Et Gaspar. Invenin. *in d. Commentar. Historic. & Dogmatic. de Sacramentis Dissert.* 5. *quæst.* 1. *cap.* 3.

Secundum responsum est, non esse injuriosum incruentum Sacrificium Missæ Sacrificio cruento Crucis, habenti vim infinitam, & semper manentem ad Sanctificandum, & salvandum; quia vis, & meritum ejusdem Sacrificii cruenti Crucis tale est quò 32
ad sufficientiam; secùs autem quò ad applicationem: idcirco ut nobis applicentur merita Christi, & virtus passionis, ac mortis ejus in Cruce; egemus aliis mediis ab ipso institutis, inter quæ Sacrificium Missæ præcipuum locum obtinet. Ita Suarez. *dict. disput.* 74. *sect.* 1. *vers. Quod verò ad tertium caput.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Sacram. Eucharist. disput.* 19. *num.* 27. Gonet. *dict. tom.* 5. *disput.* 11. *de Sacrificio Missæ num.* 23. *vers. ad tertiam probationem.* Lessius *in* 3. *part. Div. Thom. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 5. *n.* 22. Invenin. *d. cap.* 3. *ad primam objectionem.* Et Pasqualigus *de Sacrificio novæ legis quæst.* 19. *num.* 4.

Pro intelligentia hujus secundi responsi, quod satis obscurum censetur; observanda est doctrina Gregorii de Valentia *tom.* 4. *disp.* 1. *quæst.* 22. *punct.* 1. *De Christo Redemptore, & disput.* 6. *quæst.* 11. *de Ritu, & oblatione Eucharistiæ punct.* 1. §. 22. ubi advertit, quòd offensa, atque indignatio Dei, quam humanum genus justissimè incurrit ob peccatum, duobus quasi gradibus continebatur. Unus erat privatio benevolentiæ, & gratiæ suæ, cum decreto æternæ no- 33
stræ damnationis; alter erat, quod nunquam reconciliaretur nobis per quæcunque opera nostra, quæ ad compensandam injuriam illi illatam faceremus. Venit igitur Christus in hunc mundum, ut per suam passionem, & mortem suo æterno Patri genus humanum reconciliaret, quæ quidem reconciliatio duobus pariter gradibus constituta fuit; uno, ut Deus, quantum in ipso est, velit hominibus reconciliari, ipsisque suppeditare præsidia, quibus indigent, ac in ipsius gratiam redeant, & pœnam pro peccatis debitam evadant; altero, ut tandem homines in gratiam recipiat, reatuque pœnæ solvat. Utriusque remis- 34
sionis gradu Christus Redempor noster, merito mortis suæ, & per Sacrificium cruentum Crucis humano generi obtinuit; de quo locutus est Apostolus *ad Colossenses cap.* 2. *vers.* 14. dicens: *Delens quod adversus non erat, chirographum decreti, affigens illud Cruci.* Sed magnum est discrimen inter utrumque gradum remissionis, & reconciliationis. Primum enim, ut Pater æternus, quantum in eo est, velit reconciliari omnibus hominibus, & illis opem ferre, ut in ejus gratiam redire, & à reatu pœnæ liberari possent; Christus assecutus est ita, & taliter, ut non sit opus alio medio, sed sufficiat ejus passio, & mors in Cru-

ce,

te. Alterum verò gradum, actualis scilicet receptionis in gratiam, & evasionis à pœna, ita Christus per suum cruentum Sacrificium in Cruce obtinuit, ut non nisi certis mediis ab ipso institutis, & præordinatis homines consequerentur; hæc autem media omnibus fidelibus omninò necessaria sunt Fides, Pœnitentia, Sacramenta, atque Sacrificium Missæ; ut latiùs demonstrat Valentia *ubi supra*; cujus doctrinæ concors est Eminentiss. Card. de Lauræa *in tomo de Incarnatione Verbi disp.20. num.* 186. ita scribens: *Redemptio importat hæc præ aliis, ut facta per Christum satisfactione pro omnibus, & stabilitis Sacramentis, hæc applicentur hominibus; ut actu liberentur à servitute diaboli. Christus enim per sua merita, ac mortem, tunc redemit in actu primo, & habitualiter, cum hoc scilicet, ut liberaremur, si applicentur Sacramenta.* Itaque non est injuriosum Sacrificium incruentum Missæ cruento Sacrificio Crucis; quia in isto sufficienter Christus placavit Patrem, & eum deflectere fecit à severitate Decreti de non suscipiendis in gratiam hominibus; sed ut realiter, & in effectu homines gratiam Dei consequantur, opus est adhibere media ab eodem Redemptore ordinata; quorum unum est incruentum Missæ Sacrificium.

Hinc non minus piè, quam eruditè P. Paulus Segnerius Societatis JESU in suo libello, quem inscripsit *Arborem Vitæ*, seu *de valore, & fructu Sacrificii Missæ Consider. VII.* §.2. scriptum reliquit, quòd Passio Christi fuit causa universalis omnium nostrorum bonorum: Sacrificium autem Missæ est applicatio eorundem bonorum. Sacrificium cruentum Crucis facit nos capaces Redemptionis; Sacrificium verò incruentum Missæ dat nobis possessionem
35 Redemptionis ejusdem. Illud tribuit nobis dominium meritorum Christi; istud concedit eorumdem meritorum usum; eruditè inquam, quandoquidem
36 in jure ad usum rei acquisitæ non est satis habere titulum, & dominium; nisi etiam dominus adeptus sit possessionem ejusdem rei. *l. Si ager.* 51. *ff. de Rei Vindicat.* ubi J. C. ait: *Si ager ex emptionis causa ad aliquem pertineat, non rectè hac actione agi poterit, antequam traditus sit ager.* Et idem definitum est *in l. Si ex stipulatione.* 5. *ff. de Acquirenda Possessione*; ubi habetur quòd. *Si ex stipulatione tibi Stichum debeam, & non tradidero eum: tu autem nactus fueris possessionem, prædo es.* Æquè si vendidero rem tibi, nec tradidero, & sine voluntate mea nactus sis possessionem, non pro emptore possides, sed prædo es. Christus Dominus acquisivit nobis gratiam Dei, & spem futuræ beatitudinis, *non corruptibilibus auro, vel argento*, ut ait Princeps Apostolorum 1. *Epist.*1 18. *Sed pretioso Sanguine quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati*: porrò ad habendum actualem usum ejusdem gratiæ, quam consequitur æterna beatitudo; nobis est necessarium Sacrificium incruentum Missæ, quo mediante ponimur in possessione illius eximiæ acquisitionis; dum per ipsum applicantur nobis merita Redemptoris, & fructus Passionis ejus: quo in sensu idem Segnerius in libro, *Il Christiano Instruito nella sua Legge part.*1. *Discur. XII. n.*
37 9. subdit; quòd Passio Christi congregavit thesaurum; Sacrificium Missæ illud effundit. Passio Christi est ærarium, Sacrificium Missæ est clavis, nam, per traditionem hujus clavis, homines acquirunt possessionem, & usum ejusdem ærarii meritorum Redemptoris; siquidem apud Juristas *in l. Qua ratione.*9. §. *Item si quis, ff. de Acquirendo rerum dominio*, decisum legitur, quòd *Si quis merces in horreo repositas, vendiderit; simul atque claves horrei emptori tradiderit, transfert proprietatem mercium ad emptorem.* Stat igitur, quòd Sacrificium cruentum Crucis Christi Redemptoris fuit infiniti valoris, & plenæ sufficientiæ: at non est inutile, neque injuriosum Sacrificium incruentum Missæ, quia per ipsum applicatur hominibus prædictus valor, & sufficientia; tanquam unum mediorum ab eodem Redemptore institutorum pro suis meritis applicandis; quod expressè docet Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.*2. & bene declarat Valentia *d. disp.*6. *qu.*11. *punct.*3. explicando Canonem Missæ ad illa verba: *Qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis pro Redemptione animarum suarum*, ubi subjungit: *Hoc intelligi debet quò ad efficaciam, & applicationem Christi passionis, qua demum cum effectu redimimur; non autem quoad solutionem sufficientis etiam pretii pro salute nostra, quomodo per Sacrificium Crucis jam ante Christus omnes redemit.* Et idem dicit Lessius *d. qu.* 83. *art.* 1. *dub.* 5. *num.* 22. concludens, quòd *Virtus Sacrificii Crucis est veluti causa universalis, quæ nobis ex divina institutione applicari debet per Sacramenta, per Sacrificium Eucharistiæ, & per bona opera.*

Ad verba autem epistolæ Divi Pauli ad Hebræos *cap.* 10. *vers.* 10. respondetur, per oblationem Crucis factam esse remissionem omnium peccatorum totius mundi; nempè in præparatione divinæ voluntatis; quia sufficiens pretium oblatum est, ob quod Deus paratus est, omnia mundi peccata con- 38
donare; si illud hominibus debitè applicetur: & ita non requiritur alia oblatio pro peccato, qua nimirum, novum pretium acquiratur. Requiritur tamen alia oblatio, qua pretium applicetur, sicut supra demonstratum est; ut doctè respondit Eminent. Cardin. Bellarminus *d. lib.*1, *de Missa. c.*25. *vers. Illa quoque Verba*, ubi inter cætera, ita concludit: *Deo requiruntur ad remissionem peccatorum. Unum, ut inveniatur pretium liberationis, seu satisfactio justa, & debita divinæ justitiæ. Alterum, ut pretium in particulari applicetur hominibus. Quod attinet ad primum, Sacrificium Crucis remisit omnia peccata, præterita, præsentia, & futura, siquidem pretium acquisivit sufficientissimum pro peccatis totius mundi; & ideo illo Sacrificio peracto, & peccatis remissis, non restat ulla similis oblatio pro peccato, idest pro acquirendo pretio ad remissionem peccatorum. Et hoc solum est, quod Apostolus eo loco scribit. Quantum ad secundum, nondum, facta est remissio peccatorum omnium; nam adhuc sunt, & erunt usque ad mundi consummationem, quibus applicandum sit pretium liberationis, & remittenda peccata, & ideò remanet Hostia pro peccato, nimirùm Sacrificium Missæ.*

Denique illud *Consummatum est*, quod clementiss. 39
simus Salvator pronunciavit moriens in Cruce, significabat, consummatas fuisse pœnas, & afflictiones, quas in carne passurus erat juxta oracula Prophetarum, ut exponunt SS. Patres, quos allegat Emin. Cardin. Bellarminus *eodem loco*, & fusiùs Suarez *d. q.*74. *sect.*1. *col.* 8. *vers. Atque ex eadem distinctione*, & Gonet. *d. tom.*5. *disp.*11. §.3. *num.*23. *in fine*

Tertiùm tandem responsum ad supradictam ter- 40
tiam objectionem Novatorum est; quòd, ultra prædictam necessitatem Sacrificii Eucharistici, ipsum dici non potest superfluum, quia est necessarium ad exhibendum debitum cultum Deo; qui quidem cultus supremus præstatur in Sacrificio, ut demonstravimus supra in hoc tractatu *Decis. VI. & VII.* & magnum fuisset inconveniens, si Catholica Ecclesia, in præsenti Lege gratiæ diffusa per totum Orbem terrarum, caruisset vero, & proprio

prio Sacrificio; quo fideles Deum venerari per supremum Religionis actum impediti remanerent; ut considerat Suarez *d. disp 74. sect. 1. col. 7. vers. Secundo, quia in Sacrificio visibili.* Et Pasqualigus *de Sacrific. novæ legis tract. 1. quæst. 19. num. 2.* Et de hoc argumento piè, ac copiosè multa congerit ipse Paulus Segnerius *in Christiano Instructo d. part. 1. Discur. XII. à num. 3. & seqq.* quem attentè legisse Parochos, ac alios studiosos juvabit.

DECISIO XXIX.

ARGUMENTUM.

Veritas Sacrificii Missæ comprobatur ex facto Apostolorum, nec non Pontificum, & Sacerdotum primi, secundi, tertii, & sequentium sæculorum, qui omnes semper Missam celebrarunt; & in ea Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI sub speciebus Panis, & Vini obtulerunt. Apostoli quando cœperint celebrare? Et quis eorum primus Missam dixerit? Adhibebant in Missa lumina, & Vestes Sacras. S. Paulus Apostolus, & S. Barnabas ubi, & quando consecrati sint Sacerdotes, & Episcopi? Liturgia quid sit? Et de Liturgiis Apostolorum ac in specie de Liturgia S. Petri Apostoli, S. Matthæi. S. Marci, S. Jacobi, S. Barnabæ, S. Clementis, ac Sancti Dionysii Areopagitæ. De Planeta pro Missa donata à Deipara S. Hildefonso Toletano Archiepiscopo, quæ servatur Ovieti.

SUMMARIUM.

1 *Apostoli quo tempore cœperint sacrificare, & celebrare Missam?*
2 *Apostolorum quis primus Missam celebraverit?*
3 *S. Jacobus Apostolus cur appellatus frater Domini?*
4 *S. Petrus Apostolus celebravit primam Missam.*
5 *S. Petrus Apostolus Antiochiæ solemnem Missam peregit.*
6 *Antiochena Ecclesia fundata à S. Petro Anno Christi 39.*
7 *Apostoli cum Lumine, & Vestibus Sacris Missam celebrabant.*
8 *Frangere panem in Scriptura significat celebrationem Missæ, & num. 15.*
9 *Ministrare Domino in Scriptura est idem, ac Sacrificium offerre.*
10 *S. Barnabas ubi, & quando ordinatus Sacerdos, & Episcopus?*
11 *Mediolanensis Ecclesia fundata fuit à S. Barnaba Apostolo.*
12. *S. Paulus Apostolus quando, & à quo initiatus sit sacris ordinibus, & consecratus Episcopus?*
13 *Episcoporum consecratio de Dominico sit ex traditione Apostolica.*
14 *Troas erat Urbs Asiæ minoris in Phrygia.*
16 *Panis pro Missa in primitiva Ecclesia quomodo formabatur?*
17 *Calicem Domini bibere erat communicare in Missa.*
18 *Altare in Scriptura significat Sacrificium.*
19 *Metonymia est figura ponens continentem pro contento.*
20 *Apostoli Ecclesiis Liturgias tradiderunt.*
21 *Liturgia quid significet.*
22 *Liturgia S. Petri Apostoli.*
23 *Liturgiæ S. Matthæi, ac S. Marci Evangelistarum.*
24 *Liturgia S. Jacobi Apostoli.*
25 *Liturgia S. Barnabæ, & S. Clementis Papæ.*
26 *Liturgia S. Dionysii Areopagita.*
27 *Missæ Sacrificium peractum fuisse primo, secundo, tertio, & sequentibus sæculis plura testimonia Pontificum, & Doctorum.*
28 *Vestes Sacra semper adhibitæ in Sacrificio Missæ.*
29 *S. Hildefonsus donatus Planeta à Deipara.*
30 *Ovietum Urbs Hispaniæ Tarraconensis.*

QUoniam in antecedenti Decisione numer. 31. & sequentibus diximus, inter alias probationes, quod Missa sit verum, & proprium Sacrificium in Lege gratiæ, illam esse præcipuam, quæ resultat ab exemplo Sanctorum Apostolorum qui à Christo Domino ordinati Sacerdotes, Missam celebrare cœperunt, litantes Corpus, & Sanguinem Redemptoris sub speciebus sacris Panis, & Vini: & hoc idem ab eis edocti fecerunt eorum successores Episcopi, & Presbyteri; non me piget in præsenti referre testimonia tum Sacrarum Scripturarum, tum Sanctorum Patrum super celebratione Missæ eorumdem Apostolorum, ac Successorum: ut eò magis eluceat veritas hujus Sacrosancti Sacrificii.

Duo tamen sunt præmittenda. Unum circa tempus, quo Apostoli Sacerdotio initiati cœperunt uti potestate sibi tradita consecrandi, & Sacrificium Eucharisticum offerendi. Alii enim putant, A- 1
postolos abstinuisse à celebratione toto triduo Passionis Dominicæ, ob mœstitiam, qua detinebantur de nece Redemptoris; sed depulsa mœstitia pergradum resurrectionis ejus, statim cœpisse Sacrum peragere, & Missam celebrare in gratiarum actionem pro gloriosa Resurrectione Magistri a mortuis; in memoriam acerbissimæ Passionis illius; pro sua, aliorumque fidelium consolatione; & ut fervido eorum zelo, atque amori ardentissimo erga ipsum Redemptorem satisfacerent; simulque Divinæ Majestati hunc supremum cultum redderent, ultra alias congruentias, quas affert Raynaudus *lib. de prima Missa sect. 1. cap. 2.* relatus ab Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 5. num. 1.* Alii tamen magis probabiliter opinantur, Sanctos Apostolos non esse aggressos ministerium tam sublime, nisi in Sacro die Pentecostes, in quo divinæ gratiæ plenitudinem per adventum Spiritus Sancti receperunt; & ratio hujus opinionis est, quia lex antiqua perduravit usque ad Pentecosten, cùm Lex nova nondum esset promulgata; & ideò non decebat, novum offerri Sacrificium, Sacerdotio nondum translato. Ita docuit Hesychius Episcopus Hierosolymitanus, qui vivebat tempore S. Gregorii Papæ, *in cap. 9. Levitici*; ubi scribit, Christi Sacrificium innotescere cœpisse, *ex quo Spiritus Sanctus adveniens Parthos, & Medos, & Elamitas, & omnium gentium primitias ad Apostolorum cœnaculi superiora collegit.* Quod confirmat Paschasius Rupertus Abbas Corbejensis, qui floruit tempore Paschalis Papæ primi *in lib. de Corpore, & Sanguine Domini*

mini cap. 21. & approbat d. Emin. Card. Bona *d. lib. 1. cap. 1. num. 1.*

Alterum præmittendum est; quis ex Apostolis
2 primus fuerit in litando Eucharistico Sacrificio, & in Missa celebranda? Et quidem Genebrardus *in libr. de Apostol. Liturgia* existimat, primum Christianæ Ecclesiæ Sacrificium peractum fuisse Hierosolymis in ipsomet Cœnaculo, in quo Apostoli
3 Spiritum Sanctum acceperant, à Sancto Jacobo fratre Domini, sic appellato, quia erat filius Mariæ Uxoris Cleophæ; qui Cleophas erat frater S. Joseph Sponsi Immaculatæ Deiparæ; apud Hebræos autem uxores fratrum dicebantur sorores, & earum filii vocabantur fratres. Cardin. Bellarminus *de Scriptoribus Ecclesiasticis Anno* 34. *de S. Jacobo Apostolo*, & huic opinioni favere potest, quòd S. Jacobus frater Domini fuit ab Apostolis designatus primus Hierosolymorum Episcopus; ut notat Cornelius à Lapide *in Chronotaxi Actuum Apostolor. Anno* 34. *& Actor. cap. 6. vers.* 1. Hac ta-
4 men opinione rejecta communior est Doctorum sententia, quòd prima Missa celebrata sit à S. Petro Principe Apostolorum, ipsa die Pentecostes, post receptum Spiritum Sanctum in cœnaculo: ubi cùm convenisset multitudo Hebræorum ex omni natione, audito sonitu tanquam advenientis Spiritus vehementis, S. Petrus prædicavit ad illos, ut habetur *in Actor. Apostol. cap.* 2. & convertit tria millia circiter hominum; quare prædicatione completa, Sacrum fecisse, & primam Missam celebrasse ostendit Demochetes *tom.* 2. *de Missa cap.* 5. quem laudat Eminent. Cardin. Bona *d. libr.* 1. *cap.* 5. *num.* 1. & ibi Asterius Amasenus, qui *in Homil. in Principem Apostol.* ait: *Sicut Petrus primus omnium Gentibus, ac Israelitis tanquam Episcopus, & Pastor omnium prædicavit, ita credendum, eum primum Sacrificium obtulisse.*

Neque obstat id, quod scriptum reliquerunt Albinus Alcuinus, qui fuit discipulus Venerabilis Bedæ anno 780. *de Divinis Offic. cap. de celebrat. Missæ*; & Hugo à Sancto Victore, contemporaneus Sancti Bernardi anno 1130. *de Sacramentis Christianæ Fidei lib.* 1. *part.* 8. *cap.* 14. videlicet, quòd *Sanctus Petrus Apostolus primus omnium Antiochiæ dicitur*
5 *celebrasse*: quandoquidem id accipiendum est de ea Missa, quæ apparatissima pompa, & solemni ritu celebrata fuit ibidem ab eodem Apostolorum Principe, post illius Ecclesiæ fundationem; & in ea Cathedræ suæ constitutionem; ut advertit Casalius *de Veterib. Sacr. Christian. Ritib. part.* 2. *cap.* 9. *vers. & Sanctum Petrum.* Cùm enim fundatio
6 Antiochenæ Ecclesiæ; & positio in ea Cathedræ Sancti Petri facta sit anno Christi XXXIX. ut demonstrat Eminent. Cardin. Baronius in Annalibus *ad dictum annum num.* 9. *& seqq.* & in notis ad Martyrologium Romanum *die* 22. *Februarii*, ubi ita dicit: *Sedere cœpit Petrus Antiochiæ ultimo Tiberii Imperatoris anno, & à Christo nato trigesimo nono, prout exactè Eusebius scribit in Chronico.* Non est credendum, quòd idem Princeps Apostolorum tardaverit per quatuor; aut quinque annos Sacrum peragere; & suam primam Missam celebrare. Igitur ipse primus omnium in die Pentecostes litavit, ut volunt Patres allegati ab Eminentiss. Cardin. Bona *dict. libr.* 1. *cap.* 5. *num.* 1. & 2. ubi subdit, quòd quamvis sit incertum, qualis fuerit primi hujus Sacrificii apparatus; affirmare oportet, omnia decentissimè fuisse composita, & ornata, lumina succensa, & vestes sacras præparatas, à profanis distinctas, qua in re Apostolorum pietas, & reverentia erga tantum Mysterium manca non fuerit, attento præcipuè exemplo, quod præ oculis habebant, Legalium Sacerdotum, imò & gentilium, quibus in Sacrificiis vestis erat peculiaris, & usus luminum.
7

His constitutis, & prænotatis referamus testimonia ex Sacra Scriptura decerpta, & ex Historiis priorum temporum post Sanctos Apostolos, quæ confirmant inceſſantem celebrationem Sacrificii Missæ.

Primum est in Actibus Apostolorum *cap.* 2. *vers.* 42. ubi Sanctus Lucas narrat, quòd fideles in illo Ecclesiæ initio, recepto ab Apostolis baptismo: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & com-* 8
municatione fractionis Panis. Per hæc verba *Fractionis Panis* omnes Expositores attestantur, intelligendum esse de Pane Eucharistico, juxta verba Divi Pauli Apostoli *in Epistol.* 1. *ad Corinth. cap.* 10. *vers.* 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Quo loci ita subdit Tirinus: *Panis, quem in Altari frangimus, id est offerimus Deo, & oblatum distribuimus populo; nonne participatio Corporis Domini est? Id est, nonne sumentes participes facit veri Corporis. Hinc clarissimum testimonium habes, Apostolos consecrasse, & consecratum Corpus Christi fidelibus communicasse; id est Missam fecisse.* Missam enim Sancti Apostoli quotidie celebrabant; & omnes fideles adstantes communicabant.

Secundum testimonium desumitur ex iisdem Actibus Apostolorum *cap.* 13. *vers.* 2. In illis verbis: *Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus* 9
dixit Spiritus Sanctus: segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Ministerium enim illud Domino exhibitum, nihil aliud erat, nisi Sacrificium Missæ; idcircò textus Græcum ibi habet λειτουργέντων, id est *Sacrificantibus illis*, ut advertit Tirinus *in Commentar. ad dict. loc.* subdens, quòd licèt λειτουργειν significet in genere *ministrare*; tamen antonomasticè usurpari solet *pro Sacrificare.* Idem testatur eodem loco Cornelius à Lapide; addens; quòd ita vertit etiam Erasmus, qui apud Novatores est magnæ æstimationis. Tigurina autem versio habet *cùm operarentur Domino*: Sacris enim, vel Deo operari est *Sacrificare*; quia Sacrificium est opus soli Deo debitum, & proprium. Hinc observat Eminent. Cardin. Bellarminus *lib.* 2. *de Missa cap.* 13. quòd in Scriptura Sacra qui sacrificat dicitur minister, seu ministrare; & quotiescunque locutio est de sacrificio, & Victimarum oblatione, hæc exponitur per verbum Ministerii; ut legitur in Epistola Divi Pauli ad Hebræos *cap.* 8. *in princ. Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis: Sanctorum MINISTER, & Tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur,* Et in *cap.* 9. *vers.* 21. pariter dicitur: *Et tam Tabernaculum, & omnia vasa MINISTERII sanguine similiter aspersit. Et in cap.* 10. *vers.* 11. *Omnis quidem Sacerdos præsto est, quotidiè ministrans, & easdem sæpe offerens hostias.* Idcircò, quando Spiritus Sanctus jussit *segregari Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpserat eos*; ipsi ministrabant Domino; id est Missæ Sacrificium celebrabant, & sub speciebus Sacris panis, & vini, Corpus, & Sanguinem Domini in Ecclesia Antiochiæ; ubi tunc morabantur, offerebant.

Sed dicet aliquis. Si Saulus, & Barnabas Sacrificium Missæ Antiochiæ celebrabant, ubi, quando, 10

& à quo fuerunt ordinati Sacerdotes? Respondetur: Sanctum Barnabam fuisse unum è septuaginta duobus discipulis Domini, & per consequens ab initio prædicationis Evangelii fuisse ordinatum Sacerdotem ab Apostolis, tanquam Sacris Litteris instructum à Gamaliele unà cùm Sancto Stephano, & Saulo, ut deducit Em. Card. Baronius *Anno Christi* 34. *num.* 22. & subindè ab iisdem Apostolis missus fuisse ad prædicandum Evangelium, & ad docendas turbas; prout de eo testatur S. Lucas *Act.* 11. *vers.* 22. & subinde ab iisdem Apostolis missum fuisse ad prædicandum Evangelium, & ad docendas turbas; prout de eo testatur Sanctus Lucas *Act. cap.* 1. *vers.* 23. his verbis: *Miserunt* (Apostoli) *Barnabam usque ad Antiochiam: qui cùm pervenisset, & vidisset gratiam Dei, gavisus est; & hortabatur omnes in proposito cordis permanere; quia erat vir bonus, & plenus Spiritu Sancto, & fide.* Postea profectus est Tarsum, & reperto Saulo, eum perduxit Antiochiam: *Et annum totum*, ait textus Sacer *vers.* 26. *conversati sunt ibi in Ecclesia, & docuerunt turbam multam.* Porrò docere turbam proprium est Presbyterorum, ut rectè advertit Turrianus *lib.* 1. *de Hierarch. ordin. cap.* 20. Et Cornelius à Lapide *in Act. Apostol. cap.* 13. *vers.* 3. addens; S. Barnabam fuisse postea ordinatum Episcopum una cum Apostolo Paulo, quam jussu Spiritus Sancti dimissi sunt Antiochia, prout narratur *in eod. cap.* 13. quapropter multis peragratis Provinciis pro dilatatione Evangelii, pervenit Sanctus Barnabas in Liguriam, & fundavit Ecclesiam Mediolanensem, juxta Em. 21 Card. Baronii Annales, qui *ad Annum LI. num.* 54. ita loquitur: *Verùm Barnabam in Italiam venisse, & in Liguria prædicasse Evangelium nobilissimamque Mediolanensium Ecclesiam erexisse; longè, latèque Christi fidem feliciter propagasse, firma traditiones, ejusdemque Ecclesiæ monumenta, complurium Scriptorum testimoniis confirmata, fidem certam, atque indubitatam faciunt.* Plurimos autem Auctores de Sacerdotio, & Episcopi ordine Sancti Barnabæ referuntur ab Henriquez *in summa lib.* 10. *de Ordinis Sacramento cap.* 3.

Saulum verò ordinatum fuisse Sacerdotem suadet eadem ratio muneris, quod exercebat docendi turbas unà cum S. Barnaba. Quod si quærimus quando, & à quo initiatus fuerit hoc Sacro Presby- 22 teratus ordine? Respondet Bartholomæus Gavantus *in Appendice ad tom.* 2. Thesaur. *Sacr. Rit. de Vita, & rebus gestis Sancti Pauli Apostoli, anno ætatis ejus XXXVII.* consecratum fuisse Sacerdotem, & Episcopum à S. Petro in Jerusalem post tres annos à conversione ejusdem Apostoli Pauli, cùm esset annorum 37. & anno Christi 38. Siquidem transactis tribus annis post ejus conversionem, cùm tentarent Judæi, qui erant Damasci, illum occidere, ut legitur *Act. c.* 9. *n.* 25. *Accipientes eum discipuli ejus nocte, per murum dimiserunt eum submittentes in sporta*; & ipse venit Jerusalem; at quia omnes timebant illum, Barnabas duxit eum ad Apostolos; & *narravit illis, quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei? & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine JESU. Et erat cum illis intrans, & exiens in Jerusalem, & fiducialiter agens in nomine Domini.* Igitur hoc tempore à Sancto Petro initiatum fuisse Sacerdotio, & Episcopali ordine Divum Paulum autumat Gavantus; idque deducit etiam ex ejusdem Apostoli Epistola ad Galatas *c.* 1. *vers.* 17. *& seqq.* ubi narrata sua conversione subdit: *Continuò non acquievi carni, & sanguini, neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam, & iterum reversus sum Damascum. Deindè post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum; & mansi apud eum diebus quindecim.*

Porrò Cornelius à Lapidè *dict. Commentar. in Act. Apostol. cap.* 13. *vers.* 3. putat, verius esse, quod plurimi alii Auctores affirmant, videlicet, Barnabam, & Saulum discessuros Antiochia jussu Spiritus Sancti fuisse consecratos Episcopos, antea verò extitisse Sacerdotes tantùm, hoc autem probat pluribus rationibus; & ea præcipuè, quòd in hac manuum impositione intercessit tum Liturgia, tum jejunium, ut observat Sanct. Chrysostom. *eodem loco*; & S. Leo Papa *Epist.* 71. *alias* 79. *ad* Dioscorum Alexandr. Episcop. relata *in cap. Quod die Dominico, dist.* 75. ubi præcipitur ordinationes, ideft consecrationes Episcoporum ex Apostolica traditione die 13 Dominico esse faciendas; & adducitur exemplum Pauli, & Barnabæ tali die consecrati; undè Glossa ibi deducit, illum Canonem non posse intelligi nisi de consecratione Episcoporum; quæ solis Dominicis diebus fieri debet, aut Natalitiis Apostolorum *cap fin. ubi Glossa in verb. Dominica, dist.* 61. *cap. Ordinationes, & d. cap. Quod die, dist.* 75. & prosequitur Pax Jordanus *tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 33. & 34 Et hæc obiter de ordinibus S. Pauli, & Barnabæ.

Tertium testimonium veritatis Sacrificii Eucharistici, quod ab Apostolis ipsis offerebatur; præ- 14 stant nobis ipsi Actus Apostolorum *cap.* 20. *vers.* 7. ubi, cùm Divus Paulus, ac ejus discipuli navigassent à Philippis, & in diebus quinque venissent Troadem, (quæ erat Urbs Asiæ minoris, in Phrygia, ab Alexandro Magno extructa, ut pluribus narrat Quintus Curtius, in ora litterali Maris Ægæi, paucis tantùm milliaribus in austrum à Trojæ ruderibus distans; quæ nunc, & ipsa in ruinis jacet, ut notat Ferrarius *in Lexic. Geographic. Verb. Troas.*) dicit textus Sacer de eodem Apostolo, & discipulis: *Una autem Sabbati, cùm convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat, &c.* Quæ verba sic 15 exponuntur à Sanctis Patribus Chrysostomo, Beda, & Augustino relatis per Cornelium à Lapide *dict. vers.* 7. videlicet: *Prima die hebdomadæ, qua à prævia die vocatur Sabbatum; vel prima die post Sabbatum, puta Dominica, undè in ea Paulus celebravit Eucharistiam, ad quam fideles de more convenerant.* Ergo Divus Paulus Missam celebrabat; & Sacram Eucharistiam conficiebat; fidelibusque administrabat; & idem notat Tirinus, aliis auctoribus citatis, dicens *ad frangendum panem, non profanum, sed Eucharisticum.* Vocabatur autem Eucharisticum Sacrificium fractio Panis, quia Panis ipse ab- 16 que fermento formabatur in modum placentæ, tenuis, & latæ formæ, cum signis hinc inde supra impressis; itaut absque cultro frangi, & dividi poterat; ad tradita per Menochium *in Historia Sacra ad Actus Apostolorum lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 1.

Quartum testimonium sumitur ex Epistola prima ad Corinthios *cap.* 10. *vers.* 21. in illis verbis Apostoli Pauli: *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum; non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Quid appellatione Calicis Domini, & Mensæ Domini intelligit Apostolus? Respondent S. Cyprianus *serm. de Lapsis*; & S. Augustinus *lib.* 1. *contra adversar. legis cap.* 19. *tom.* 6. quod intelligebat de Sacrificio Missæ, in 17 quo adstantes sumebant Corpus, & Sanguinem Domini de Mensa; & eos arguebat, ne deinde de Idolothytis manducarent. Et Cornelius à Lapide *ad. d. vers.*

vers. 21. subdit, Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 1. ex hoc loco docere, Eucharistiam esse Sacrificium; de ea enim Apostolorum agere, non de Sacrificio Crucis patet, quia Crucis victima transiit, & jam diu desiit: hic autem agit Apostolus de Sacrificio, cujus Corinthii in dies erant participes. Hoc idem fulcitur per

Quintum testimonium ex illis verbis Apostoli
18 *ad Hebræos cap.* 13. *vers.* 10. *Habemus Altare, de quo edere non habent potestatem; qui Tabernaculo deserviunt:* Quæ verba ibidem sic Tirinus commentatur *Altare* θυσιαστηριον, *idest Sacrificatorium; non solum Crucis, ut volunt Hæretici, sed & Eucharistiæ, & Missæ; hoc enim adhuc habemus, & ex hoc edimus. De Crucis autem Sacrificio, jam à mille, & ferè sexcentis annis peracto, quomodo edemus?* Ita S. Chrysostomus; Theodorus, Theophylactus, Anselmus, Sedulius, Primasius, Haymo, & passim Doctores. Cornelius autem à Lapide pariter & ipse sic explicat: *Habemus Altare, scilicet in quo offerimus Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi.* Et
19 paucis interjectis addit: *Nota metonymiam, qua continens ponitur pro contento, scilicet Altare pro cibo, & Sacrificio Altari contento & oblato. Hinc patet Eucharistiam, & Missam esse Sacrificium: habet enim Eucharistia suum Altare; ubi autem est Altare, ibi necesse est ut sit Sacerdos pariter & Sacrificium; hæc enim tria sunt correlativa.* Est igitur manifestum, quòd Sancti Apostoli profitebantur Sacrosanctam Eucharistiam esse Sacrificium, quod ipsi frequentabant, offerentes Deo Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI sub speciebus Panis, & Vini consecratis juxta ipsius Redemptoris mandatum.

Sextum testimonium veritatis Eucharistici Sacri-
20 ficii desumitur ex Liturgiis, quas ipsi SS. Apostoli suis Ecclesiis tradiderunt; & traditas Ecclesiæ custodierunt, & illas præcipue, quæ dicuntur Liturgiæ S. Petri; S. Matthæi; S. Marci; S. Jacobi; S. Barnabæ; S. Clementis; & S. Dionysii Areopagitæ; de quibus breviter hic aliqua attingemus; remittentes Lectorem ad Auctores tum antiquos, tum modernos, qui de Liturgiis ex professo tractant; de quibus in Bibliotheca Patrum novissima, pluribus in locis, ut in ejus Indice generali *Verb. Liturgia.* Emi-
21 nent. Card. Bellarminus *lib.* 1. *de Missa cap.* 18. Emin. Card. Baronius *in Annal. ad Annum* 63. *num.* 17. Et Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. lib.* 1. *cap.* 8. Illud advertentes, quòd Liturgia est vox græca λειτουργια, quæ significat propriè, & strictè publicum munus; & aliquando usurpatur pro divinis Officiis, hymnis, & precibus, ut observat Magr. *in Hierolexic. verb. Liturgia*; adeò ut quando Patres Græci usi sunt hac voce, ad significandum Sacrificium Missæ, soliti fuerint addere *mysticam Liturgiam*; vel *sacram Liturgiam*; prout exemplis demonstrat prædictus Magrius. Cæterum apud Latinos Patres per *Liturgiam* Missæ Sacrificium absolutè intelligitur; ut quilibet videre potest apud S. Ambrosium *Epist.* 33. *ad Marcellam.* S. Augustinum *Serm.* 251. *de Temp.* S. Alexandrum *Epist.* 1. *cap.* 4. S. Damasum *in Pontificali.* S. Leonem Papam I. *Epist.* 81. *cap.* 2. Ennodium *de Synod.* atque Concil. Milevitanum *cap.* 12. Agathense *cap.* 21. & Romanum *sub Symmacho in fine.*

Primaitaque Liturgia vocatur S. Petri Apostolo-
22 lorum Principis, quam circa finem superioris sæculi Græcè, & Latinè edidit ex Codice manuscripto Cardinalis Sirleti, & notis illustravit doctissimus Vir Guilielmus Lindanus Episcopus Gandavensis; quæ nuper impressa est in novissima Bibliotheca Patrum *tom.* 2. *pag.* 14. Huic Liturgiæ ipsemet Lindanus addidit pro ea Apologeticon multa eruditione refectum; & quamvis eam non indubitatæ fidei esse scribat Philippus Labbè *tom.* 2. *Dissertat. in Bellarminum*; atque prædictæ Liturgiæ multa fuisse à posterioribus inserta, & adtexta; idemque censeat Emin. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 8. nihilominùs, ut iste purpuratus Auctor fatetur, negari non potest, quòd S. Petrus aut voce, aut scripto primum Ecclesiæ Antiochenæ, deinde Ecclesiæ Romanæ Liturgiam aliquam tradiderit, & præscripserit ritus servandos in Sacrificio Missæ, ac preces recitandas; esto, quòd major pars earum, quæ in prædicta Liturgia leguntur, vel immutatæ, vel additæ à successoribus fuerint; & per consequens, quòd ipse Princeps Apostolorum solitus fuerit Sacrum agere, & Eucharisticum Sacrificium offerre. Hinc est; quòd Joannes Mabyllon *in Liturgia Gallicana lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 2. ex Scriptoribus Hispanicis antiquis hanc conclusionem deduxit: *Ordo Missæ, vel Orationum, quibus oblata Deo Sacrificia consecrantur, primò à Sancto Petro est institutus.*

S. Matthæi Liturgia Æthiopis relicta; (quia ipse in Æthiopia fidem prædicavit, ut testatur Marty- 23
rologium Romanum) & altera S. Marci, Alexandrinæ Ecclesiæ (cujus fuit primus Antistes) tradita, eandem veritatem confirmant; etsi plures scriptores velint; non omnia, quæ in ipsis Liturgiis leguntur, fuisse ab iisdem Sanctis Evangelistis composita. Fatentur tamen omnes, ab iisdem Sanctis Liturgias ipsas prodiisse; & formam substantialem celebrationis Missæ eas continere circa materiam Corporis, & Sanguinis Christi; circa verba consecrationis, oblationis, & plurium aliarum orationum, & precum; ut legitur in eadem Liturgia Sancti Marci, impressa nunc in novissima Bibliotheca Patrum *tom.* 2. *pag.* 9.

At Divi Jacobi fratris Domini, Jerosolymorum
Episcopi celeberrima omnium est Liturgia; & ce- 24
lebrandæ Missæ ordinatio; de qua satis sit transscribere sensum duorum Cardinalium Baronii, & Bonæ; & eorum verba referre. Itaque Emin. Card. Baronius *in Annalibus ad Christi annum* 63. *num.* 17. hæc habet: *Exstat ab eodem Jacobo suæ Ecclesiæ tradita Sacrificii forma, nempè Missa; idque non ex apocryphis testatum reperimus, sed majorum auctoritate: certè si quis cum iis conferat, quæ Cyrillus ejusdem Ecclesiæ Jerosolymorum Episcopus in suis Mystagogicis orationibus habet, planè cognoscet, ea ab ipsa Jacobi Missa esse accepta; ut illud, quod Sacerdos alta voce diceret,* Surlum corda: *& quæ de immensa gloria Dei præfari soleat ante Sacra mysteria; vel quod idem diceret:* Orate pro Vivis, & Defunctis: *deque eo, quod inclamaret Diaconus ante sumptionem divinorum Mysteriorum:* Osculamini invicem in Osculo Sancto: *atque ea accepturis intonaret:* Sancta Sanctis. *Et de populo respondet:* Unus est Sanctus, &c. *Ac rursum quod cantores inter sumptionem Sacræ Eucharistiæ illud Psalmi* 33. *continerent:* Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus. *Et alia hujusmodi; quæ omnia idem Cyrillus non aliundè, quàm ex Jacobi Liturgia cognoscitur accepisse.*

Emin. autem Cardinalis Bona refert plures Auctores de eadem Liturgia Divi Jacobi pro ejus veritate scribentes; & *in d. lib.* 1. *Rer. Liturgic. cap* 8. *n.* 3. ita prosequitur: *Scripsit de illa eruditissimam Epistolam ad Bertoldum Nibusum Leo Allatius in ejus*

Symmictis editam pag. 176. qua eam ab Hæreticorum oppositionibus vindicat; & prolatis Antiquorum testimoniis genuinum Jacobi fœtum esse demonstrat. Magni autem ponderis, ad ejus veritatem stabiliendam, in primis est perpetua Ecclesiæ Græcæ traditio, quæ illam semper ut legitimam agnovit. Consentiunt Græcis Syri, qui teste Abrahamo Ecchelensi in notis ad Hebedieſu de Scriptoribus Chaldaicis pag. 135. asserunt, Sanctum Jacobum primum omnium Liturgiam scripsisse; & ad ejus normam cæteras institutas fuisse; idque confirmat Abraham, Joannis Maronis, qui intra sextum, & septimum vivebat seculum; aliorumque antiquiorum testimonio; qui in ejus Liturgiæ commentariis affirmant, hanc traditionem ad ipsos per manus deductam à tempore Apostolorum. Accedunt traditioni ejusdem exemplaria in vetustissimis Codicibus exarata; & ex ea veterum Patrum excerpta apud Allatium auctoritates ad Catholicæ fidei dogmata comprobanda. Synodus Trullana. can. 32. ejus testimonio utitur, ut refellat eorum errorem, qui solam aquam in Sacrificio offerebant. Manuel Malaxus in Homocanone cap. 220. *Eam in usu fuisse ait, usque ad tempora Basilii Magni, ejusque meminit* Proclus in Tractatu, De Traditione Divinæ Liturgiæ; & Cyrillus Jerosolymitanus *multa ex ea transtulit in quintam Catechesim Mystagogicam.* Hucusque Card. Bona; qui subinde resolvit objectiones, quas sectarii conantur facere contra eamdem Divi Jacobi Liturgiam; ex qua animis catholicorum evidenter patet, ipsum Sanctum Apostolum, sicuti & alios, solemni ritu incruentum, & tremendum Sacrificium Missæ celebrasse, atque aliis celebrandum tradidisse.

25 S. Barnabæ pariter Apostoli Liturgia hîc etiam venit recolenda; de qua memoriam facit Alexander Monachus in ejus vita apud Metaphrastem. Sed quia non reperitur impressa unà cum aliis, creditur periisse, ut ait Emin. Bona *lib. 1. c. 8. n. 4.*

S. Clementis verò, qui fuit discipulus Principis Apostolorum, celebris est Liturgia; de qua ita sentit Emin. Card. Bellarminus *de Scriptorib. Ecclesiastic. Anno 92. de S. Clemente Romano*; videlicet: *De Liturgia S. Clementis idem ferè dicendum occurrit, quod de Liturgia S. Jacobi, eam verè Clementis esse; sed à posterioribus auctam. Credibile autem est, Clementem non ex proprio judicio, sed ex ritu, quem observari viderat à S. Petro, Liturgiam composuisse.* Idem affirmat Eminent. Cardin. Baronius *Anno 102. num. 23.* Et Cardinalis Bona *d. lib. 1. cap. 8. num. 4.* apud quos Auctores antiqui de eadem Liturgia Clementis differentes allegantur.

26 S. Dionysii Areopagitæ denique Liturgiam supradictis esse annectendam plerique existimant, quam ipse magnifico stylo describit *cap. 3. Eccleſiaſt. Hierarchia.* Cùm enim Sanctus iste fuerit Divi Pauli Apostoli discipulus, & Athenarum Episcopus, rationi consentaneum videtur, quod ab eodem Apostolo Missæ Sacrificii ritum, & cæremonias acceperit, à quo fide fuerat imbutus, illasque adhibuerit in Sacrificando; & suis successoribus reliquerit adhibendas. Non me latet, diversos scriptores in dubium vertere, an omnia opera S. Dionysii ab ejus calamo prodierint, ut notat Em. Card. Bona *d. lib. 1. c. 8. n. 5.* Sed erudita est Apologia P. Halloix Societatis Jesu; qua vindicat ab objectis opera ejusdem S. Dionysii Areopagitæ; quæ legitur impressa in principio ipsorum operum in *Bibliotheca Patrum novissima tom. 2. p. 115.* Fortissimum itaque est fundamentum incruenti Sacrificii Missæ prædicta Liturgia S. Dionysii; qua certificamur, ipsum Sanctum summa pietate, & devotione Sacrosanctum Corpus, & Sanguinem Christi Litare consuevisse.

Septimum, & ultimum testimonium depromamus ex decretis, & gestibus Sanctorum Pontificum, 27
ac Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum, qui secundo, tertio, & quarto sæculo de incruento Sacræ Eucharistiæ Sacrificio absque ulla hæsitatione vel sanxerunt, vel locuti sunt. De Sancto Anacleto Papa, electo anno Christi 103. habetur in Breviario Romano *die 13. Julii*, quòd decrevit, *Ut in Missa, peracta consecratione; omnes communicarent.* De S. Thelesphoro, qui fuit creatus Papa *anno Christi 142.* notum est omnibus, quòd ipse ordinaverit tres Missas celebrari in festo Natalis Domini; & quòd in Sacrificio Missæ diceretur *Gloria in excelsis Deo*, ut scribit Em. Card. Baronius *ad Annum 154. n. 2.* De S. Pio Papa primo, qui creatus fuit *Anno Christi 158.* narrat Breviarium Romanum *die 11. Julii*, quòd *Pœnam statuit in Sacerdotem, cujus negligentia de Sanguine Domini aliquid stillaverit*, scilicet in Sacrificio Missæ. Idem Sanctus scribens ad Justum Episcopum Viennensem, Sacrificium Missam vocat dicens: *Soror nostra Euprepia, sicut bene recordaris, titulum domus suæ pauperibus assignavit; ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes Missas agimus.* Ita Em. Card. Baronius *Anno 34. n. 60.* S. Anicetus electus Romanus Pontifex *Anno Christi 167.* invitavit S. Polycarpum Smyrnæ Episcopum, qui Romam venerat, ut Sacrificium Sacræ Eucharistiæ offerret, teste Eusebio *in Hist. lib. 5. c. 24.* relato per Card. Baronium *Anno 46. n. 13.* S Cornelius Papa *Anno Christi 254.* scripsit ad Lupicinum Viennensem Episcopum his verbis: *Publicè neque cryptis notioribus Missas agere Christianis licet.* ut notat idem Card. Baronius *d. anno 34. n. 60.* Et Tertullianus, qui florebat *Anno Christi 230.* in libro *de Velandis Virginib. c. 11. in fine* affirmat, quòd suo tempore in celebratione Matrimoniorum celebrabatur etiam Sacrificium Missæ, ut refert Card. Baronius *Anno 57. n. 49.* His addendi sunt S. Hippolitus Martyr, S. Ambrosius, S. Gregorius Nissenus, S. Augustinus, S. Joannes Chrysostomus, & alii præclari Ecclesiæ Doctores, qui suis scriptis eam illustrarunt tertio, & quarto, ac quinto sæculo; & expressè testificarunt, Missam esse verum, & proprium Sacrificium, in quo offertur Deo Caro, & Sanguis JESU CHRISTI sub speciebus consecratis Panis, & Vini; quorum Doctorum verba recitat Em. Card. Bellarminus *d. lib. 1. de Missa cap. 15.* adeout, absque magna impudentia, Christianus homo de hac veritate non possit dubitare.

Tandem pro hac eadem infallibili, & de fide ve- 28
ritate faciunt etiam dicta Sanctorum Patrum, & decreta Summorum Pontificum primi, secundi, & tertii sæculi circa Vestes Sacras, quibus utebantur Apostoli, & Antistites, ac Sacerdotes eorum successores in Sacrificio Missæ, ad exemplum Sacerdotum tum Legis Mosaycæ, tum Legis naturæ, quibus Vestes distinctæ à profanis erant præscriptæ in Sacrificiis, ut pluribus cumulatis Auctoribus demonstrat Em. Card. Bona *d. lib. 1. Rer. Liturgic. c. 24. n. 1.* & Magr. *in Hierolexic. Verb. Casula.* Quibus adde- 29
re liceat donum illud cœleste, quod Deipara dedit Sancto Hildefonso Archiepiscopo Toletano Anno 662. ob defensam ejus Virginitatem contra hæreticorum calumnias; Planeta scilicet, seu Casula Sacra, qua uteretur in solemni Missæ Sacrificio; de quo munere testantur Mariana de *Rebus Hispanis lib. 6.*

lib. 6. cap. 10. Em. Card. Baronius in Annalibus *ad Annum Christi* 657. *n.* 46. & in notis Martyrologii Romani *die* 23. *Januarii.* Bagatta *de Admirandis lib.* 1. *cap.* 1. *Append.* 1. *n.* 7. & Ribadeneira in Vita ejusdem Sancti Hildefonsi *d. die* 23. *Januarii.* Quæ quidem cœlestis Casula nunc servatur Ovieti, vulgò *Oviedo*, quæ est Urbs Hispaniæ Tarraconensis, in finibus Asturum, ab Alphonso V. Rege condita; & metropolis effecta, quo tempore Arabes Hispaniam occuparant. Bagatta *d. Appendic.* 1. *num.* 8.

DECISIO XXX.

ARGUMENTUM.

De Victima, & Hostia, quæ immolatur in Missa. CHRISTUS propriè, & principaliter offertur in Sacrificio Missæ. Utrùm etiam suppositum Divinum cum Humanitate ejusdem CHRISTI? Panis, & Vini substantia an habeat rationem Victimæ in Missa? Et nùm etiam species Sacramentales? Referuntur Theologorum dicta; & solvuntur objecta.

SUMMARIUM.

1 *Victima, seu Hostia oblata in Missa ad tria referri potest; quæ sint? & quomodo?*
2 *Christus proprie, & principaliter offertur tanquam Victima in Sacrificio Missæ.*
3 *Divinum Suppositum in Christo an offeratur in Missa?*
4 *Christus in sumptione Sacrificii destruitur quò ad esse Sacramentale.*
5 *Panis & Vini substantia an sit materia Sacrificii Missæ?*
6 *Species Sacramentales sunt pars Victimæ, & Hostiæ, quæ immolatur in Missa; quomodo?*
7 *Christus in Missa est tota, & integra Victima.*
8 *Victima in Missa oblata non est Christus undè sumptus, sed ut unum compositum Sacramentale cum ipsis speciebus.*
9 *Sacrificium Missæ idem est cum illo, quod fuit immolatum in Cruce, quò ad substantiale individuum.*
10 *Substantia non variatur, licèt varientur accidentia.*

OStendimus supra in Decisione VIII. hujus tractatus ad Sacrificii essentiam esse necessariam Victimam, seu Hostiam, quæ mactetur; pluraque diximus circa nomina Victimarum, & earum diversitatem tam in Lege naturæ, & Moysis, quàm apud Gentiles; & innuimus in Lege gratiæ, Victimam incruenti Sacrificii Missæ esse Corpus, & Sanguinem Domini nostri JESU CHRISTI sub speciebus Panis, & Vini. In præsenti, post firmatam veritatem, quæ de fide est, Sacrificii ejusdem Sacrosancti, quod offertur Deo in Missa, specialiùs agendum est de ipsa Hostia, & Victima, quæ in ipso Sacrificio immolatur.

1 Circa quam observare oportet (ut etiam notavimus *in Decis. X. à num.* 8. *& seqq.*) quòd in Sacro Mysterio Missæ tria reperiuntur omninò distinguenda; quæ Symbolum habent Victimæ, atque Hostiæ; ob eorum destructionem, quæ fit in Missa; nam aliàs diximus, de essentia Hostiæ, seu Victimæ esse, ut destruatur in signum supremi dominii Majestatis Divinæ, & nostræ, rerumque nostrarum subjectionis ad illud; ut latiùs *in Decis. III.* per totam. Hæc autem tria sunt, primò Panis, & Vinum, quorum substantia per consecrationem destruitur; secundò ipse Christus, qui per Verba consecrationis fit Sacramentaliter præsens sub speciebus consecratis; & tertiò ipsæ Species Sacramentales, quæ permanent cum substantia Christi; & priùs erant cum substantia panis, & vini.

Disputant igitur Theologi ex his tribus rebus, quænam sit, quæ propriè offertur, & Sacrificeatur in 2
Missa; ut verè, & propriè dici possit Sacrificium? Et equidem absque ulla hæsitatione dicendum est, quòd ipse Christus est res, quæ propriè, ac principaliter offertur, & immolatur in Sacrificio Missæ. Hoc autem probatur auctoritate, & ratione. Auctoritas desumitur è Concilio Tridentino *sess.* 22. *cap.* 1. ubi de Christo loquens, inquit, quòd *In Eucharistia novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum.* Et idem Concilium *d. sess.* 22. *cap.* 2. pariter dicit: *In divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit.* Hoc eodem modo loquendi utuntur Sancti Patres, quos refert Suarez *in* 3. *part.* D. Thomæ *tom.* 3. *disp.* 75. *sect.* 1. dum dicunt, ipsum Christum, Corpus, & Sanguinem Christi sacrificari, offerri, & immolari in Missa. Quòd si quis petat, an simul cum Hu- 3
manitate in hoc Sacrificio offeratur etiam Suppositum Divinum? Respondet Mastrius *in* 4. *sentent. disp.* 4. *q.* 4. *num.* 72. dicendum esse affirmativè; sed eo modo, quo fuit oblatum in Cruce; nempè per solam idiomatum communicationem; non per formalem actionis sacrificativæ subjectionem; implicat enim Suppositum Divinum esse capax mutationis, quæ ad Sacrificium requiritur, & significationis cultus Divini; nam hæc supponit inferioritatem ad Deum; quod Divino Supposito convenire nequit.

Ratione etiam probatur, quòd ipse Christus est Victima, & Hostia, quæ in Missa offertur, & immolatur; siquidem cùm Victima in Sacrificio sit destruenda, ut supra tetigimus, Christus in sumptione Sacramenti immutatur modo sufficienti ad Sa- 4
crificium; quia licèt non destruatur quoad esse simpliciter, sicut in antiquis Sacrificiis Victima mactabatur, & cremabatur; tamen destruitur quoad esse Sacramentale, & licèt non desinat quoad substantiam, bene tamen quoad præsentiam Sacramentalem; & hoc omninò sufficit, ut propriè dici possit in Eucharistia Sacrificari, quia sic Deus instituit hoc Sacrificium; nempè hoc modo extraordinario, & singulari, aliis Victimis, & Sacrificiis non communi.

Quò verò ad substantiam Panis, & Vini, concedunt Theologi, quòd aliquo modo sit materia Sa- 5
crificii Missæ; quamvis non sit res, quæ propriè, & principaliter immolatur, & sacrificatur. Hoc autem probat auctoritate pariter, & ratione. Auctoritas consistit in illis orationibus ad Offertorium Missæ, quas recitat Ecclesia, nempe *Suscipe Sancte Pater, Omnipotens, æterne Deus hanc immaculatam*

culatam Hostiam, &c. Nec non *Offerimus Tibi Domine Calicem salutaris, &c.* Et nihilominus illud, quod tunc Sacerdos tenet in manibus est substantia Panis, & Vini; undè, licèt illa oblatio non sit formaliter immolatio, saltem indicat, illud, quod tunc offertur, esse materiam Sacrificii, quatenus constat ex Pane, & Vino, tanquam materia transeunte; & ex termino, à quo; non tamen est res, quæ propriè, ac principaliter ex intento offertur; seu Victima, quæ immolatur, & sacrificatur. Ratio illa est; quoniam substantia Panis, & Vini in Sacrificio Missæ destruitur in protestationem divinæ potentiæ; ergo habet naturam, & qualitatem Victimæ; quia tamen ejus destructio non est primariò, ac per se intenta; sed secundariò ad verificanda verba consecrationis, & ad introductionem Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus, quæ in hoc Sacramento sunt per se, & primariò intenta; ideo substantia Panis, & Vini nequit esse Victima propria hujus Sacrificii; sed solùm spectat ad illud, ut terminus, à quo; & ut materia transiens, quæ ad præsentia rei principaliter intentæ corrumpi debet. Ita Suarez *d. disp. 75. sect. 2, Vers. Dico ultimò.* Et Mastrius *d. disput. 4. quæst. 4. sub num. 71.*

Tandem quò ad species Sacramentales, etiam 6
de ipsis plures insignes Theologi concedunt, affirmari posse, eas habere qualitatem Victimæ in Sacrificio Missæ non principalis, & primariò intentæ; sed ut quid minùs principale, atque secundarium. Id probant auctoritate, & ratione. Deducunt auctoritatem *ex cap. Hoc est. De Consecrat. dist. 2.* ubi dicitur, *Hoc Sacrificium duobus constare, visibili elementorum specie; & invisibili Domini Nostri IESU CHRISTI Carne, & Sanguine.* Ergo Species Sacramentales habent aliquid spectans ad Victimæ qualitatem. Ratio verò est duplex; Una, quia Victima in Sacrificio debet esse sensibilis; idcircò ut Victima in Sacrificio Missæ sit sensibilis, & humano usui accommodata, ipsæ Species dicuntur pertinere ad rationem hujus Victimæ; nam ipsæ faciunt, quòd vera, & propria Victima, Corpus scilicet, & Sanguis Christi reddatur sensibilis, juxta finem, & intentionem ejusdem Christi; qui, ut ait Concilium Tridentinum *dict. sess. 22. cap. 21.* Ut *dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium,* Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus Panis, & Vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum Symbolis, Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerent, præcepit. Altera ratio est, quia Species ipsæ valdè immutantur; nam in consecratione à subjecto abstrahuntur; & in sumptione consumuntur; quod est proprium Victimæ, & Hostiæ in Sacrificio immolatæ. Suarez *d. disput. 75. sect. 1. Vers. Dico quartò.* Et Mastrius *in cit. disp. 4. q. 4. num. 73.*

Sed tria obstare videntur. Primum est: Si spe- 7
cies Panis, & Vini rationem Victimæ haberent, & Hostiam oblatam integrarent, Christus non esset tota Victima & tota Hostia, sed pars Victimæ, & Hostiæ. Hoc autem est contra dicta Patrum, qui affirmant, Christum esse integram Hostiam in Sacrificio Missæ. Secundum est: Victima in hoc Sacrificio est dignitatis infinitæ; sed tales non sunt ipsæ Species Sacramentales. Ergo non convenit, ut in hoc Sacrificio offerantur tanquam pars Victimæ infinitè dignæ. Tertium est; si Species Panis, & Vini pertinerent essentialiter ad Corpus, & Sanguinem Christi, qui est Victima oblata, sequeretur, quòd non esset idem Sacrificium, quod offertur in Missa, & illud quod oblatum fuit in Cruce; quod est contra Trident. *dict. sess. 22. cap. 2.* affirmans unam, eandemque esse Hostiam, sola offerendi ratione diversa. Ita Vasquez *disp. 223. num. 43.* Coninch. *q. 83. art. 1. dub. 4.* & Gavatius *de Sacrificio Missæ disput. 1. quæst. 6.*

His tamen non obstantibus alii graviſſimi Theologi sustinent, Species Sacramentales Panis, & Vini intrinsecè pertinere ad Victimam in Sacrificio Missæ oblatam, in quantum ipsa Victima oblata 8
non est Christus nudè sumptus, sed ut unum compositum Sacramentale, constitutum simul cum ipsis Speciebus. Ad argumenta verò contraria respondent; & primò ad primum; quòd Species Sacramentales non considerantur tanquam substantia Victimæ oblatæ, quæ est Christus, sed tanquam accidentia, sub quibus continetur Christus; & à quibus ipse Christus redditur Victima, & Hostia sensibilis in Missæ Sacrificio. Igitur ipsa Victima, & Hostia est solus Christus; & ipse solus complet totam Hostiam, & totam Victimam Sacrificii, in quo principaliter attenditur substantia rei oblatæ; secundariò autem accidentia, quæ non duplicant ipsam substantiam. Ad secundum respondent, & concedunt, Species non esse dignas, ut offerantur in hoc Sacrificio tanquam pars æque principalis; secùs ut minùs principalis, & quasi extrinsecum Victimæ indumentum. Ad Tertium negatur se- 9
quela, quia ut sit idem Sacrificium hîc, quod fuit oblatum in Cruce, sufficit, ut sit idem substantiale individuum, estò sit accidentaliter diversum, quia individuatio non desumitur ab accidentibus, sed à substantia; ergo variatis accidentibus, modò non 10
varietur substantia, semper manet idem individuum; & sic eadem est Hostia, atque Victima, quoad ejus substantiam, quæ fuit immolata in Cruce, & quæ offertur in Missa; etsi discrimen existat circa accidentia, quæ sunt Species Sacramentales; ut doctè differit Suarez *d. disp. 75. sect. 1. Vers. Dico quartò.* Et Mastrius *d. disp. 4. qu. 4 num. 74.* nec non in sua Theologia Morali *disp. 19. num. 41.*

DECISIO XXXI.

ARGUMENTUM.

Essentia Sacrificii Missæ in qua actione consistat? An in oblatione ante, vel post Consecrationem? vel in ipsa Consecratione, aut fractione, sivè sumptione Hostiæ? Tres Sententiæ Theologorum referuntur, quorum aliqui essentiam Sacrificii ponunt in Consecratione; alii in sumptione, alii in utraque simul. Fundamenta, & rationes harum opinionum, & præcipuè pro tertia, quæ eligitur. Quid sit Missa sicca? An licita? An audienda de præcepto? Sacerdotes consecrantes in Missa alta voce, an mortaliter peccent?

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Missæ actiones quinque, de quibus disputatur, an sint de essentia Sacrificii?*
2 *Oblatio Panis, & Vini in Offertorio Missæ an sit de essentia Sacrificii?*
3 *Essentia Sacrificii Missæ an stet in consecratione? & num. 13.*
4 *Oblatio post consecrationem an sit de essentia?*
5 *Fractio Hostiæ in Missa an sit de essentia Sacrificii.*
6 *Sumptio Sacramenti in Missa an sit de essentia Sacrificii? & num. 18.*
7 *Oblatio in Offertorio antiquitùs non fiebat.*
8 *Consecratio an sit destructiva Victimæ in Missa?*
9 *Oblatio simplex non est Sacrificium.*
10 *Hostia si cadat in Calicem, quid agendum?*
11 *Communio fidelium sit etiam extra Sacrificium.*
12 *Sententiæ tres Theologorum circa essentiam Sacrificii.*
13 *Consecratio in Missa est actio essentialis Sacrificii.*
14 *Consecrationis verba ponunt Corpus, & Sanguinem Christi separatim.*
15 *Victimæ destructio physica an sit necessaria in Sacrificio?*
16 *Missa est Sacrificium commemorativum Sacrificii Crucis.*
17 *Productio rei non existentis an satis sit ad essentiam Sacrificii?*
18 *Sacrificium cruentum in Cruce completum fuit in morte Christi.*
19 *Communio in Missa repræsentat mortem Christi.*
20 *Communio in Missa est destructio Victimæ immolatæ.*
21 *Parasceves die an Missa sit Sacrificium?*
22 *Participare de Altari an sit participare de Sacrificio?*
23 *Sacrificium an sit, si Sacerdos in Missa non se communicet?*
24 *Sacerdote moriente ad Altare post consecrationem, quid agendum?*
25 *Sacrificii Missæ essentia consistit in consecratione, & sumptione simul.*
26 *Oblatio Victimæ immolandæ, & ejusdem destructio sunt de essentia Sacrificii.*
27 *Consecrare, & offerre Hostiam est unum, & idem.*
28 *Elevatio Hostiæ, & Calicis in Missa fit in omnibus Liturgiis.*
29 *Formæ ordinationis Sacerdotum quæ?*
30 *Offerre Hostiam est eam ponere immolandam in Altari?*
31 *Oblationes verbales Hostiæ, quæ fiunt in Missa, sunt cæremoniales.*
32 *Abraham sacrificabat filium nullis præmissis oblationis verbis.*
33 *Sacrificii essentia prævalet præcepto de jejunio servando in Communione.*
34 *Consecratio, & sumptio in Missa non sunt duo, sed unum Sacrificium.*
35 *Consecratio in Missa est pars essentialis magis principalis.*
36 *Missa sicca quid sit? Et an de præcepto audienda? Et an licita?*
37 *S. Ludovicus Rex Galliarum captivus apud Saracenos, audiebat quotidiè Missam siccam.*
38 *Melitenses in triremibus audiunt Missam siccam.*
39 *Pueri an peccent recitando Missas siccas.*
40 *Bubulcus ausus celebrare Missam igne cœlitus consumptus.*
41 *Celebrans quando graviter peccet, proferendo alta voce verba consecrationis?*

QUia plures actiones exercentur in Missa, quibus hoc Sacrificium perficitur, disputant Theologi, quænam ipsarum verè, & propriè spectet ad essentiam Sacrificii? & in qua essentialiter consistat Sacrificium? In qua quidem disputatione Scholastici satis obscurè, & valdè prolixè se gerunt; nos autem obscuritatem, & prolixitatem evitantes, ea quæ scitu necessaria sunt pro nostri Cleri sufficienti instructione referemus; difficiliora qui videre voluerint, adibunt Suarez *in 3. part.* Divi Thomæ *disput. 75. sect. 2. 3. 4. & 5.* Eminent. Card. de Lugo *de Sacramento Eucharist. disp. 19. sect. 1. & seqq.* Emin. Card. Bellarminum *lib. 1. de Miss. c. 27.* Lessium *in 3. p. ejusd.* Divi Thomæ *quæst. 83. art. 1. dub. 6.* Gonetum *tom. 5. de Sacrificio Missæ disp. 10. art. 2.* Abellyum *tom. 2. part. 2. tract. 1. cap. 4. §. 2.* Volpium *in Resol. Moral. Verbo Missa, resol. 126.* Pasqualigum *de Sacrificio novæ Legis quæst. 30. & seqq.* & Mastrium, qui alios Scotistas allegat, tum *in 4. sent. d. disp. 4. de Sacramento Ordinis qu. 4. art. 2. & seqq.* tum in Theologia Morali *disp. 19. num. 33. & 35.*

Conveniunt omnes supradicti Doctores, esse quinque actiones in Missa, de quibus disputari 1
potest, an in aliqua earum consistat essentia Sacrificii? sunt autem istæ. 1. Oblatio Panis, & Vini in Offertorio. 2. Consecratio Corporis, & Sanguinis Domini. 3. Oblatio, quæ fit post consecrationem in illa Oratione: *Undè & memores Domine, &c.* in illis verbis: *Offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis, ac datis Hostiam puram, &c.* 4. Fractio Hostiæ, & Mixtio particulæ ejus in Sanguine, 5. Sumptio Sacramenti à Sacerdote offerente. Hæ omnes partes habent argumenta favorabilia, & argumenta contraria, Videlicet:

Pro prima actione. Sacrificium est oblatio facta Deo de re, quæ consumitur, vel immutatur. Sed 2
Sacerdos in Offertorio offert Deo Panem, & Vinum, cujus substantia consumitur, & immutatur. Ergo in ea oblatione stat essentia Sacrificii.

Pro secunda actione. Sacrificium Missæ est repræsentativum Sacrificii Crucis, in quo Sanguis 3
Christi fuit à Corpore sejunctus. Sed in consecratione ex vi verborum Sanguis sejungitur, & separatur à Corpore. Ergo in consecratione stat essentia Sacrificii.

Pro tertia actione. Illud est Sacrificium, in quo offertur Victima, quæ in eodem immolatur. Sed 4
illis verbis: *Offerimus Majestati tuæ de tuis donis, ac datis Hostiam puram, Hostiam sanctam, &c.* verè fit oblatio propriæ Victimæ, Corporis scilicet, & Sanguinis Christi tunc in Altari existentis. Ergo illa actio est essentialis Sacrificii.

Pro quarta actione. Id est de essentia Sacrificii 5
incruenti, & Eucharistici, quod servatum fuit à Christo Domino in ejus institutione. Sed Christus Dominus consecratum panem fregit, deditque discipulis suis, quibus dixit, *Hoc facite, &c.* Ergo in fractione Hostiæ consecratæ stat essentia Sacrificii.

Pro quinta actione. Illud est de essentia Sacrificii, quod in eo omitti non potest. Sed si Sacerdos celebrans Missam moriatur ante communionem, debet alius Sacerdos etsi non jejunus sumere Sacramen-

6 mentum. *cap. Nihil. cap. Illud. 7. q. 1.* & idem præcipitur in Rubrica Missalis. Ergo sumptio Sacramenti, & communio celebrantis est de essentia Sacrificii Missæ.

Argumenta contra omnes actiones prædictas sunt sequentia:

Contra Primam actionem. Id non est de essen-
7 tia Sacrificii Missæ, quod multo tempore fuit omissum ab Ecclesia. Sed illa oblatio panis, & vini in offertorio aliquando fuit omissa, quia non reperitur in Liturgiis antiquis. Ergo ipsa non est de essentia Sacrificii Missæ.

Contra Secundam actionem. Actio Sacrificii,
8 ut sit de ejus essentia, debet esse destructiva Victimæ, quæ immolatur. Sed consecratio non est destructiva Christi in Missa immolati; imò dat ei novum esse Sacramentale. Ergo non est de essentia Sacrificii.

Contra Tertiam actionem. Simplex oblatio abs-
9 que immutatione rei oblatæ non est sacrificium, ut probavimus supra *Decis. IV.* sed in Oblatione *Unde & memores Domine, &c.* post consecrationem res oblata non immutatur, Ergo non est de essentia Sacrificii.

Contra Quartam actionem. Id, quod præter-
10 mitti potest in Missa, non est essentiale Sacrificii Missæ. Sed fractio Hostiæ prætermittitur, si propter frigus, vel negligentiam dilabatur in Calicem, ut ait Rubrica Missalis *de defectib. in celebr. Missæ cap. ult. num.* 10. Ergo fractio Hostiæ non est de essentia Sacrificii.

Contra Quintam actionem. Non spectat ad es-
11 sentiam Sacrificii, quod fieri potest extra ipsum Sacrificium. Sed Communio, seu sumptio specierum consecratarum fit ab omnibus fidelibus etiam extra Sacrificium. Ergo Communio, seu sumptio Sacramenti in Missa non est de essentia Sacrificii Missæ.

His tamen minimè obstantibus, ut Studiosus veram doctrinam præsentis Decisionis habeat, advertere debet, in hac quæstione, tres esse celebriores
12 Theologorum sententias, quarum singulæ sunt probabiles; sed tertia, quam hic amplectemur, est probabilissima. Prima sententia est, quòd essentia Sacrificii Missæ consistat in sola consecratione, itaut communio, seu sumptio Sacramenti non sit pars essentialis, sed integralis, quæ extrinsecè tantùm ad illud pertineat. Et hæc est Alani, Suarezii, Vasquezii, Coninchii, Meratii, & aliorum, quos citat Mastrius in Theologia Morali *d. disp. 19. De Sacramento Ordinis num. 32.* Secunda sententia tenet, quòd sola sumptio Sacramenti in Missa sit propriè, & formaliter Sacrificium; idcircò consecrationem se habere antecedenter, veluti actionem præviam, & præparatoriam ipsius Sacrificii; & ita docent Angles, Ledesma, & alii apud Vasquez *disp.* 222. *cap.* 3. Tertia sententia affirmat, nec solùm consecrationem, nec solam Sacramenti sumptionem integrare essentiam Sacrificii Eucharistici, sed utramque simul; & sic sustinent Eminentiss. Cardinales Bellarminus, & de Lugo, Scortia, Aversa, Abellius, Poncius, Gavatius, & alii, quos citat, & sequitur Mastrius *in 4. sentent. d. disput.* 4. *q.* 4 *art.* 3. *&* 4. & in Theologia Morali *d. disput.* 19. *num.* 33.

Videamus breviter fundamenta præcipua omnium harum opinionum: & in primis illa, quæ constituunt essentiam Sacrificii Missæ in sola consecratione.

Primum fundamentum. Ibi est essentia Sacrificii, ubi fit immutatio, & destructio rei oblatæ. Sed in consecratione immutatur, & destruitur sub- 13
stantia panis, & vini in Missa oblati. Ergo in consecratione stat essentia Sacrificii. Hoc fundamentum communiter rejicitur, quia sequeretur, Victimam oblatam esse panem, & vinum; non autem Corpus, & Sanguinem Domini; ac ulterius Sacrificium Missæ non esset idem cum Sacrificio Crucis, in quo ipse Christus fuit immolatus.

Secundum fundamentum. Essentia Sacrificii consistit in occisione Hostiæ, & mactatione Victimæ, quæ immolatur. Sed hæc occisio, & mactatio habetur mysticè in consecratione, in quantum 14
per eam, vi verborum, Corpus à Sanguine separatur. Licet enim utrumque sub utraque specie per concomitantiam reperiatur; hoc tamen per accidens est; verba enim Consecrationis, quantum est de se, separant Corpus à Sanguine, & compositum illud dissolvunt, atque ita Sacramentaliter illud mactant; & ipsum ponunt in Altari ut Victimam occisam, & mactatam. Ita Lessius *libr. 12. de Perfectionibus Divinis num.* 95.

Tertium fundamentum. Ad essentiam Sacrificii non semper requiritur destructio physica, & substantialis Hostiæ oblatæ; sed sufficit, quòd ipsa Hostia immutetur à suo priori statu in aliquem alium statum decliviorem, & diversum à primo. Hinc 15
Sacrificia Mosayca non solùm fiebant per animalium occisionem, sed etiam per coctionem panis, effusionem vini; & si quæ sunt similia. Sic ergo Christus in Missæ Sacrificio quamvis non destruatur substantialiter, tamen destruitur modo humano; quia accipit statum decliviorem à suo statu naturali, & glorioso, & transfertur in statum longè diversum ab illo; dum per consecrationem transfertur in usum cibi, & potus. Igitur in consecratione consistit essentia Sacrificii, & per ipsam ponitur in alio statu diverso, & decliviori à suo esse naturali. Ita Eminent. Card. de Lugo *de Eucharist. disp. 19. sect. 5. num. 65.* Sed hoc non placet, immò rejicitur ab Aversa *de Sacrific. Missæ quæst. 11. sect. 1.* ea ratione, quia per hanc immutationem in statum diversum, & decliviorem, Victima, quæ est Christus, nihil perdit de suo primo statu naturali. Panis autem coctus, & Vinum effusum in Sacrificiis Mosaycis amittebat priorem statum naturalem.

Quartum fundamentum. Quamvis in Sacrificio absoluto actualis destructio Victimæ sit de essentia Sacrificii; attamen in Sacrificio commemo- 16
rativo sufficit repræsentatio destructionis Victimæ, factæ in absoluto. Sed Sacrificium Missæ est commemorativum illius absoluti, quod factum fuit in Cruce. Ergo in Missa satis est repræsentare destructionem Victimæ; prout facit consecratio ambarum specierum, quæ repræsentat mortem Christi. Ita Vasquez *disput. 22. cap. 7. & 8.* Et Meratius *disput. 36. sect. 4. & alii.* Porrò neque hoc fundamentum placet, quia per solam repræsentationem Sacrificii cruenti facti in Cruce, si nulla realis immutatio Hostiæ interveniret in Sacrificio incruento Missæ, hoc non esset verum, & proprium Sacrificium; sed analogè tantùm, & non univocè; quemadmodum imago hominis analogè tantùm, & æquivocè dicitur homo.

Quintum fundamentum. Essentia Sacrificii non solùm consistere potest in immutatione, & destructione rei existentis; sed etiam in productione rei

17 rei non existentis, si sic legitimè Sacrificium, & ad hoc sit institutum. Sed Sacrificium Missæ tali modo institutum fuit, scilicet, ut per consecrationem Christus haberet novum modum essendi sacramentaliter sub speciebus consecratis. Ergo in consecratione consistit essentia Sacrificii Missæ, per quam colitur, & honoratur Deus, ejusque supremum Dominium attestatur per novam productionem rei, non minùs, quàm per ei destructionem. Ita Suarez *disp. 75. lect. 1.* Coninch. *quæst. 11. art. 1, dub. 5.* & alii recentiores. Cæterùm neque hoc fundamentum admittitur à Cardin. de Lugo *d. disp. 19. sect. 4. num. 52.* quia sequeretur, quòd generare filios, vel fabricare Templum in honorem Dei esset Sacrificare.

Pro secunda opinione, quæ constituit Sacrificium Missæ in communione, & sumptione Sacramenti, quam facit Sacerdos celebrans, sequentia fundamenta habentur.

Primum fundamentum. In illa actione reposita est essentia Sacrificii Missæ, in qua repræsentatur mors ipsius Christi; 18 sicut enim in morte Christi completum fuit Sacrificium cruentum in Cruce; ita per actionem repræsentativam mortis ejus in Missa completur Sacrificium incruentum Missæ. Sed hæc repræsentatio mortis Christi sit in communione, & sumptione Sacramenti, ut patet ex verbis Apostoli. *1. Cor. 11. 26. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini* 19 *annunciabitis.* Ergo in sumptione Corporis, & Sanguinis Domini stat essentia Sacrificii Missæ. Sed hoc fundamentum patitur difficultatem, quia aliàs sequeretur, quòd omnes communiones, quas faciunt fideles accedentes ad Eucharistiam, essent Sacrificia.

Secundum fundamentum. Ibi est essentia Sacrificii, ubi Victimæ immolatæ fit immutatio, & destructio. Sed in Missa hæc immutatio, & destruc- 20 tio immolatæ Hostiæ fit in ejus sumptione; ergo sumptioni inest essentia Sacrificii. Hoc non caret difficultate; quia non sola immutatio, & destructio Victimæ facit Sacrificium, necessaria est enim præcedens ejusdem Victimæ oblatio juxta doctrinam S. Thomæ *in 3. p. q. 86. art. 1.* de qua infra *num. 26.*

Tertium fundamentum. In die Paraseves non consecratur Hostia, sed tantùm à Sacerdote sumitur. Et nihilominus in Missa recitat Sacerdos illa 21 Verba: *Et sit fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus.* Ergo sola sumptio constituit Sacrificium; quod in Ecclesia Græca servatur etiam per plures dies Quadragesimæ. Porrò hoc non subsistit; quia in die Paraseves non est propriè Sacrificium, quoniam Hostia non consecratur in Missa; per verba autem illa Sacerdotis non significatur actio sacrificandi, sed quòd Corpus Christi pridiè fuit in Sacrificium oblatum.

Quartum fundamentum. Illa est actio sacrificativa, per quam participamus de Sacrificio. Sed per 22 sumptionem Specierum consecratarum fideles fiunt participes Sacrificii oblati in Altare juxta alia verba ejusdem Apostoli, *1. Cor. 10. 18. Nonne qui edunt Hostias, participes sunt Altaris*, idest Sacrificii oblati in eodem Altari. Ergo sumptio prædicta est actio Sacrificativa. At negatur minor; quia participare de Altari, non est participare de Sacrificio; laici enim sumunt de Altari Sacramentum Eucharistiæ, non Sacrificium.

Quintum fundamantum ex Concilio Toletano cap. 11. Quod habetur *in Can. Relatum. De Consecrat. dist. 2.* ubi dicitur: *Quale Sacrificium erit, cui* 23 *nec ipse Sacrificans particeps esse dignoscitur?* Si ergo absque sumptione non est Sacificium, ipsa sumptio est de essentia Sacrificii.

Ultimum fundamentum; quod positum fuit in prima argumentatione. Illud est de essentia Sacrificii, quod omitti non potest. Sed si celebrans moriatur ad Altare antequam sumat Sacrificium; de- 24 bet sumi ab alio Sacerdote etiam non jejuno. *cap. Nihil, cap. Illud, 7. q. 1.* & mandatur in Rubrica Missalis *de defectib. in celebrat. Missar. cap. 10. num. 3.* Ergo sumptio est de essentia Sacrificii.

Tertia tandem sententia, quæ probabilissima est, & quam nos amplectimur, docet, rationem Sacrificii Missæ essentialiter consistere in utraque actione simul; consecratione scilicet, & sumptio- 25 ne specierum Sacramentalium; itaut neutra sine alia sufficiat; neque sola consecratio, neque sola Sacramenti sumptio integrare valeat essentiam Sacrificii Eucharistici; sed utraque sit necessaria ad ipsam essentiam integrandam; & in hoc sensu accipienda sunt fundamenta posita supra tam pro consecratione, quàm pro sumptione; prout illa accipiunt Auctores hujus tertiæ opinionis, inter quos Eminentiss. Cardin. Bellarminus, & de Lugo, Scortia, Aversa, Amicus, Hiqueus, Poncius, Gavatius, & alii relati per Mastrium, qui pariter ita sentit *d. disp. 4. q. 4. num. 77. in 4. sent.* & in Theologia Morali *d. disp. 19. num. 34.*

Rationes autem demonstrantes, Consecrationem, & Sumptionem spectare ad essentiam Sacrificii in Missa, præter supradicta fundamenta, sunt sequentes. Prima; quia de essentia Sacrificii est 26 oblatio Victimæ immolandæ, & ejusdem Victimæ oblatæ destructio; prout de oblatione ostendimus supra *Decis. IV.* & de Victimæ destructione *Decis. X.* Modò consecratio, quam Sacerdos gerens personam Christi facit in Altari, habet rationem oblationis externæ, & sensibilis requisitæ ad Sacrificii proprietatem. Id probatur ex Concilio Tridentino *sess. 22. cap. 1. & can. 2.* ubi docet, Christum dedisse Apostolis, eorumque successoribus potestatem offerendi Sacrificium Missæ illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo ex Patribus Concilii, & ex ipso Concilio consecrare, & offerre est unum, & idem. Verba Concilii in *d. cap. 1.* 27 sunt hæc: *Eisdem* (Apostolis) *eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit, per hæc Verba: Hoc facite, &c.* Et idem Concilium *in Can. 2.* sic loquitur: *Si quis dixerit illis verbis, hoc facite, &c. non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem suum; Anathema sit.* Igitur dum Sacerdos celebrans consecrat Hostiam, & calicem; simul, & eodem tempore facit Æterno Patri oblationem Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI Filii ejus; quæ quidem oblatio expressè designatur in elevatione Hostiæ, & Calicis, quam 28 in omnibus Liturgiis, etiam Ecclesiarum Orientalium, fieri demonstrat Eminentiss. Cardin. Bona *Rerum Liturgic. lib. 2. cap. 13. num. 2.* & habet relationem tum ad oblationem in Sacrificio cruento Crucis, quam de se fecit Summus Sacerdos Christus, quando in ea elevatus, *Tradidit semetipsum pro nobis Oblationem, & Hostiam Deo in odorem suavitatis. Ephes. 5. 2.* tum ad oblationes victimarum, quas faciebant Sacerdotes Aaronici elevantes eas

coram Domino, ut legitur *in Exod. cap.* 19. *vers.* 24. *& 26. In Levitic. cap.* 23. *vers.* 11. *&* 20. *& in Numer. cap.* 5. *vers.* 25. *cap.* 6. *vers.* 10 *& cap.* 8. *vers.* 21. quæ quidem figurabant Sacrosanctum Missæ Sacrificium.

Secunda ratio deducitur ex forma ordinationis Sacerdotum, in qua ordinando dicitur: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, &c.* 29 In illa autem forma Sacerdos accipit potestatem consecrandi. Ergo consecrare, & offerre; consecratio, & oblatio sunt unum, & idem in Sacrificio Missæ; & per consequens Sacerdos consecrando offert, & dum facit consecrationem, facit etiam oblationem.

Tertia ratio addi potest, quia tunc Victima dicitur Deo offerri, dum supra Altare collocatur in protestationem Divinæ excellentiæ, & nostræ sub- 30 jectionis; & ut ex hebraico colligitur, offerre significat Hostiam ad immolationem adducere; & rem immolandam ponere in conspectu Domini; ut de Sacrificiis Abelis, & Caini legitur in *Genesi cap.* 4. *vers.* 3. *&* 4. & de Sacrificio Gedeonis in *libr. Judic. cap.* 6. *vers.* 19. Igitur cùm ex vi verborum consecrationis Corpus, & Sanguis Christi ponantur super Altare sub speciebus; rectè infertur, consecrationem habere vim oblationis; & per consequens ipsam consecrationem attingere essentiam Sacrificii, positam in rei immolandæ oblatione.

Neque obstat, si quis dicat, fieri à Sacerdote oblationes verbales tum in Offertorio, tum post 31 elevationem Calicis. Quia respondetur, oblationes illas verbales spectare ad cæremonias, non autem ad essentiam Sacrificii; quæ attingitur ab ipsa oblatione reali per adductionem Victimæ in Altare, mediante consecratione; non enim requiritur, ut in Sacrificio fiat oblatio, Victimæ expressis verbis; sed sufficit, si fiat tantùm re; cùm non in verbis, sed in rebus Sacrificii essentia consistat; & Sacrificium non in verbis, sed in actione compleatur. Exemplum sit de Abrahamo sacrificaturo filium suum; à quo nulla verba scimus fuisse 32 prolata; sed alligatum fuisse Isaac; & ad ejus immolationem in Dei honorem processisse, extensa manu, & arrepto gladio; ita ut illius Sacrificii oblatio consisteret non in verbis, sed in actione. Igitur firmum remanet, Consecrationem esse partem essentialem Sacrificii Missæ tum ex fundamentis relatis in prima sententia; tum præcipuè quia continet in se oblationem, quam Sacerdos, consecrans Species, facit in persona Christi, de iisdem Speciebus consecratis, in quibus continetur Victima, quæ immolatur, nempè ipse Christus.

Altera pars essentialis ejusdem Sacrificii Missæ est consummatio specierum, & sumptio Sacramenti ex fundamentis congestis pro secunda sententia; inter quæ illa duo præcipua, quòd de essentia Sa- 33 crificii est mactatio, & immutatio Hostiæ, & hæc fit in Missa per sumptionem Sacramenti, & quòd Ecclesia præcipit, casu quo moriatur celebrans post consecrationem, & ante Communionem; quòd alius Sacerdos, etiam non jejunus debeat supplere, sumere, & communicare; quia magis importat essentia Sacrificii, quam observatio præcepti de jejunio in Communione.

Neque officii, si quis inculcet, & dicat; si consecratio, & sumptio Sacramenti sunt de essentia Sacrificii, ergo in Missa non unum, sed duo fiunt Sacrificia; primum in consecratione; alterum in sumptione. Respondetur, negando assumptum, & dicendo; Sacrificium Missæ institutum esse à Deo in sui honorem, & cultum in his duabus partibus essentialibus, consecratione, & sumptione; 34 quæ propterea non constituunt duo Sacrificia, sed unum; quemadmodum in Lege veteri Holocaustum consistebat in mactatione Victimæ, & in ejus combustione; ac proinde mactatio, & combustio non erant duo; sed unum sacrificium; ut doctè differit Mastrius *in* 4. *Sentent. d. disp.* 4. *quæst.* 4. *num.* 93. ubi contra Cardinalem de Lugo sustinet: sumptionem Specierum consecratarum in Missa esse partem essentialem Sacrificii, quia per ipsam immutatur, & destruitur Victima immolata, quod est de essentia Sacrificii.

Ex hucusque dictis duo corollaria sunt notanda. Unum est, quòd licèt utraque actio, nempe consecratio, & sumptio essentialiter constituant Sacrificium Eucharisticum; nihilominùs consecratio se habet magis principaliter, tum quia provenit immediatè à potestate Sacerdotali, quæ principaliter confertur ad sacrificandum, ut constat ex forma 35 Sacerdotii tradita à Concilio Florentino his verbis: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia, &c.* Sacrificium autem cadit super consecrationem Corporis, & Sanguinis Christi: & hæc est prima & principalis actio Sacerdotis; tum etiam quia actio conficiendi Sacramentum est magis digna, quàm actio sumendi; hæc enim etiam à Laicis fit, & fieri potest; non etiam illa, nisi à solis Sacerdotibus, qui ulterius non consecrant in persona propria, sed in persona Christi; cujus Passio præcipuè repræsentatur in consecratione.

Aliud corollarium est, quòd ubi deficit consecratio, ibi non est Missa; & quamvis à Sacerdote recitetur Missa sicca in die festo, non est obligatio illam audiendi. Dicitur Missa sicca, quan- 36 do deficiente opportunitate verè sacrificandi, ob devotionem vel exercitus, vel navigantium, vel alicujus infirmi, Sacerdos indutus sacris vestibus recitat totam Missam, omissis verbis consecrationis, ut refert Durandus *de Divin. Offic. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 23. Henriquez *in Summa lib.* 9. *cap.* 27. *num.* 3. Sed utrum sit licitum celebrare Missam siccam? disputant Moralistæ, quos allegat Diana Coordinatus *tom.* 2. *tract.* 1. *resolut.* 144. Lezana *in Summa tom.* 4. *Verb. Missa num.* 56. Cotonius *in suis Controvers. lib.* 2. *Controvers.* 5. *cap.* 3. *num.* 61. Bissus *in Hierurgia tom.* 2. *Verb. Missa sicca*, & Gobat *in Theolog. Experiment. tract.* 3. *num.* 20. ubi alii negant; & alii affirmant; nam ex una parte videtur quædam irrisio rei Sacræ recitare Missam institutam ad consecrandum, & non consecrare; at ex alia satisfaciendum censetur pietati fidelium illam cupientium audire, cùm vero Sacrificio interesse non possint. Hinc Sanctum Ludovicum Galliarum 37 Regem, jam in captivitate penes Saracenos detentum, solitum fuisse, hanc Missam siccam audire quotidie, refert Guilielmus Carnotensis in ejus vita his verbis: *Totum officium Missæ absque Sacramenti consecratione assiduè cum uno Presbytero prædicatore, me adjuncto, sibi tunc temporis clerico suo, jugiter exolvebat devoto corde.* Idem affirmat Gaufridus in vita ejusdem Sancti; quam Missam sine Canone appellat. Idcircò Doctores dicunt, non esse prohibitum Missam siccam celebrare, in defectu veri Sacrificii, ubi concurrat vehemens devotio adstantium;

vel

vel ubi talis vigeat consuetudo; quam adhuc extare, præsertim in triremibus Melitensibus testatur Magrius *in Hierolexic. Verb. Missa sicca col. 2.* contra Quartum *in Rubric. Missalis part. 1. titul. 14. dub. 4. §. Dico 3.*

38

Sed nec illud omittendum, quod notat Gobat *d. tract. 3. numer. 71.* videlicet, non peccare pueros, qui domi Altariola excitant, atque in iis sacra sicca faciunt ex mera pietate; sine prolatione verborum consecrationis, & usu vasorum, seu Vestium Sacratum, ut de Sancto Francisco Borgia puerulo refert Sacchinus *in Histor. Societ. part. 3. libr. 8. num. 40.* Ego tamen graviter increpavi, dum Vicarii Generalis munere fungerer hîc Patavii, quemdam juvenem plebejum, satis ingeniosum, sed inimicum laboris, qui ad carpendas eleemosynas, non solùm auditas à Prædicatoribus conciones, more prædicatorio in viis recitabat; sed etiam domi, structo Altari, quasdam vestes laceras induebat, & Missam siccam celebrabat; non ex devotione, sed ex quadam otiositate, & vanitate; concurrentibus mulierculis ad idem opus. Ideo ei minatus fui carcerem, & verbera; & jure quidem; nam quemdam Cyrillum Pastorem similia agentem, & ausu temerario super panem sacrosancta verba proferentem ignis è cœlo missus è vestigio, uni cum sociis adstantibus, consumpsit, ut ex Clichtoveo, & ex Dauroultio *cap. 5. titul. 1.* refert ipsemet Gobat *in citat. tract. 3. num. 66. & 67.* subdens *ibidem numero 68.* peccare mortaliter Sacerdotem celebrantem, si tam alta voce verba consecrationis proferat, ut distantes ab Altari 40. passus illa intelligant, ex Gavanto *part. 1. titul. 16. num. 1.* ubi DD.

39

40

41

DECISIO XXXII.

ARGUMENTUM.

Utrùm in Sacrificio Missæ, de ejus essentia sit consecrare utramque speciem, Panem scilicet, ac Vinum? Argumenta septem pro negativa, & totidem pro affirmativa. Hujus ratio præcipua quæ sit? Missa nunquam celebrata cum una sola specie. Fabulosum, quod Innocentius VIII. concesserit Norvegiis celebrare sine Vino. Quis fuerit Cleophas vadens in Emmaus, & an ibi Christus consecraverit Eucharistiam? Celebrare cum una sola specie nunquam licitum, neque ex dispensatione Papæ: Rubrica Missalis declarata circa plures defectus specierum.

SUMMARIUM.

1 *Sacrificium Missæ an de essentia exigat consecrationem utriusque speciei?*

2 *Definitio ubi adaptatur, ibi est essentia rei definitæ.*

3 *Definitio Sacrificii verificatur in consecratione unius speciei tantum in Missa.*

4 *Consecratio unius speciei stare potest sine altera.*

5 *Repræsentatio mortis Christi habetur in una sola specie consecrata.*

6 *Efficacia repræsentativa Sacrificii cruenti Crucis videtur esse in consecratione tam unius speciei, quàm ambarum.*

7 *Mors Christi repræsentatur in Hostia, qua communicantur Laici.*

8 *Corpus Christi in ultima cœna consecratum non erat exangue.*

9 *Christus in Emmaus solam panis speciem consecravit.*

10 *Sacrificium Missæ ad hoc est institutum à Christo, ut expresè repræsentet ejus mortem in Cruce, & num. 19.*

11 *Repræsentatio mortis Christi in Cruce expressa haberi non potest in Missa, nisi in consecratione ambarum specierum*

12 *Celebrare cum una sola specie esset contra institutum Missæ.*

13 *Melchisedech obtulit panem, & vinum.*

14 *Remissio peccatorum non fit sine sanguinis effusione.*

15 *Missa nunquam facta fuit cum una sola specie Sacramentali.*

16 *Innocentium VIII. dispensasse cum Norvegiis, ut missarent sine Vino, est falsum.*

17 *Missa est unum Sacrificium, non duo.*

18 *Rubrica Missalis cur velit iterum consecrari speciem jam sumptam, etsi valide consecratam?*

19 *Missa debet expresè repræsentare Sacrificium Crucis.*

20 *An nulla sit consecratio unius speciei, quando non intenditur consecrare alteram? & num 21.*

22 *Sacramentum cur subsistat in una sola specie, non autem subsistat Sacrificium?*

23 *Ratio Missæ pendet à voluntate Christi instituentis.*

24 *Christus totus est sacramentaliter tam in una quàm in alia specie consecrata.*

25 *Hostia, qua communicantur Laici, est pars victimæ immolatæ.*

26 *Missa est ad formam Sacrificii Eucharistici oblati à Christo in cœna, etsi ibi repræsentata sit mors ejus futura, in Missa repræsentetur mors præterita.*

27 *Cleophas unus è duobus discipulis euntibus in Emmaus, quisnam fuerit.*

28 *Eucharistiam consecratam esse à Christo in Emmaus. Contrarium num. 29.*

30 *Sacrilegium grave esset, velle celebrare consecrando unam tantùm speciem.*

31 *Celebrare Missam cum una specie tantùm nunquam est licitum.*

32 *Pontifex an possit dispensare, ut Missa dicatur cum una specie sola?*

33 *Inadvertentia inculpabilis excusat consecrantem unam solam speciem.*

34 *Consecratio noviter facienda in Missa, si prima fuerit invalida.*

35 *Sumpta Hostia consecrata, cur alia sit consecranda, unà cum alio vino, si reperiatur defectus in vino?*

36 *Scandalum, ut evitetur, sufficit consecrare solam speciem pro illa, quæ reperta est inepta post sumptionem alterius.*

37 *Sacerdos si moriatur ad Altare post consecrationem, quid agendum?*

38 *Sacrificium imperfectum hujus diei an supplendum sequenti die?*

39 *Hostia sumpta si decumbat celebrans, an alius debeat sumere sanguinem, & perficere Missam? opiniones quatuor.*

40 *Celebrans si decumbat, & vires sumat sumpto vino Cretico, an Missam perficiat, si adsit alius Sacerdos jejunus?*

INsignis est, & alia quæstio agitata à Theologis, Utrum essentia Sacrificii Missæ necessariò exigat consecrationem utriusque speciei; panis scilicet, & vini; vel sufficiat consecratio unius speciei
1 tantùm? In qua Scholastici, & Moralistæ dividuntur in duas classes; alii enim opinantur prædictam essentiam posse salvari in consecratione unius tantum speciei; & ita sentiunt Casalius *libr. 2. de Sacrific. Missæ cap. 25.* Bonacina *disp. 4. de Sacrament. quæst. ult. punct. 2. num. 7.* Et plures alii quos citat Pasqualigus *de Sacrificio novæ Legis quæst. 44. num. 3.* & Mastrius *in 4. sent. disp. 4. quæst. 4. num. 94.* Econtra alii defendunt, Consecrationem utriusque speciei esse de essentia Sacrificii Missæ; inter quos Suarez *in 3, part. tom. 3. disp. 75. sect. 6. Vers. Dico secundò.* Eminentiss. Card. Bellarminus *libr. 4, de Eucharistia cap. 22. Proposit. 2.* Et Eminentiss. Card. de Lugo *de Eucharistia disp. 19. num. 105.* præter alios, quos citant, & sequuntur iidem Pasqualigus *d. quæst. 44. num. 5.* & Mastrius *d. disp. 4, quæst. 4. num. 94.* Argumenta pro utraque parte, omissis superfluitatibus, sunt sequentia.

Pro prima opinione, quòd satis sit consecratio unius speciei ad essentiam Sacrificii Missæ, ita arguunt.

Primò: ubi adaptatur definitio Sacrificii, ibi habetur ejus essentia. Sed in consecratione unius
2 speciei tantùm, sive sit panis, sive sit vini, adaptatur definitio Sacrificii. Ergo in una sola specie consecrata existit essentia Sacrificii Missæ. Minor propositio probatur. Definitio Sacrificii, ut ostendimus supra *Decis. IV. num. 1.* est ista: *Sacrificium est oblatio externa, soli Deo facta, quæ in testificationem ejus supremi Dominii, à legitimo Ministro res aliqua sensibilis, & permanens ritu mystico consecratur, & transmutatur, in loco, & super Altari solemniter ad hoc deputato, pro remissione peccatorum, nec non præsenti, æternaque felicitate populi obtinenda.*
3 At omnes partes hujus definitionis verificantur tam in consecratione Hostiæ, quam in consecratione Calicis; sive in consecratione solius Panis, vel solius Vini. Ergo essentia Sacrificii Missæ salvatur etiam in una sola specie consecrata.

Secundò: consecratio Corporis non dependet à
4 consecratione Sanguinis; nec è contra. Igitur potest una absque alia validè fieri; & sicut ratio Sacramenti in una specie consecrata subsistit; ita & ratio Sacrificii in unius speciei consecratione potest stare.

Tertiò: Ratio Sacrificii incruenti Missæ consistit essentialiter in consecratione, qua mysticè, & Sacramentaliter repræsentatur Sacrificium cruentum mortis Christi, quæ essentialiter sita est in sepa-
5 ratione animæ à corpore. Sed in sola consecratione unius speciei sufficienter fit talis repræsentatio, quia vi verborum consecrationis super pane ponitur solum Corpus sine anima, & sine Sanguine; & vi verborum super vino ponitur solus Sanguis sine Corpore, & sine Anima, etsi in utraque consecratione per concomitantiam ponatur Corpus, Sanguis, & Anima Christi. Ergo in una sola specie consecrata habetur vera ratio, & essentia Sacrificii Missæ.

Quartò: Eadem efficacia repræsentativa Sacrificii cruenti Crucis est in unius speciei consecratione, ac in consecratione ambarum; siquidem, licèt ex vi verborum vel solum Corpus, vel solus Sanguis ponatur in specie; attamen in utraque per concomitantiam, ut diximus, est totus Christus. Igitur sicut consecratio utriusque speciei repræsentat 6
Sacrificium Crucis; ita consecratio unius solius speciei; quia idem totus Christus essentialiter est tam in una sola specie, quàm in ambabus.

Quintò confirmatur: nam Eucharistia, ut Sacramentum; in una sola specie repræsentat mortem Christi, juxta verba Ecclesiæ, quæ dicuntur ad communionem Laicorum: *O Sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus.* 7
Ergo sicut in Sacramento una species repræsentat mortem Christi, sic una sola species in Sacrificio.

Sextò: Sacrificium Missæ debet esse ad formam Sacrificii Eucharistici incruenti facti à Christo in Cœna. Sed in illo Corpus Christi non erat exangue; neque ejus sanguis effusus de corpore. Ergo non est 8
de essentia Sacrificii Missæ repræsentare Corpus Christi exangue, vel Sanguinem separatum à Corpore per duplicem consecrationem.

Septimò: Christus dum consecravit in Emmaus ubi fuerat invitatus post Resurrectionem à duobus 9
Discipulis, speciem panis tantùm consecravit, ut legitur in *Luc. cap. 24. Vers. 30.* Ergo in una sola specie datur essentia Sacrificii Missæ.

His tamen non obstantibus contraria sententia communiter defenditur à recentioribus ob sequentia fundamenta.

Primò: Sacrificium Missæ ad hoc specificè est à Christo Domino institutum; ut in ipso expressè re- 10
præsentetur Sacrificium cruentum Crucis, in quo ipse Christus per realem occisionem, & separationem Corporis, & Sanguinis immolatus fuit. Sed hæc mystica immolatio, & separatio Corporis, & Sanguinis, vi verborum consecrationis, non ha- 11
betur nisi in consecratione utriusque speciei; quia per consecrationem Panis, ex vi verborum, ponitur Corpus ejus mysticè à Sanguine separatum; & per consecrationem Vini ponitur Sanguis eodem modo separatus à corpore. Ergo essentia Sacrificii Missæ consistit non in consecratione unius solius speciei; sed in utriusque.

Secundò: Si Missæ Sacrificium fieri posset cum consecratione Panis tantùm, vel solius Vini; id esset contra ejus institutionem; in qua Christus illud 12
instituit consecrando utramque speciem; & præcipiendo Discipulis, ut sub utraque specie consecrarent, ut habetur in Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1.* Sed hoc esse non debet. Ergo.

Tertiò: Præterea in Sacrificio Missæ debet esse reipsa, quod fuit in typo in Sacrificio Melchisedech; cùm Christus sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. *Psal. 109. Vers. 5.* Sed Melchisedech 13
non obtulit Panem tantùm, nec tantùm Vinum; sed Panem, & Vinum simul. *Genes. 14. Vers. 18.* Ergo essentia Sacrificii Eucharistici haberi non potest nisi in oblatione, & consecratione utriusque speciei.

Quartò: Sacrificium Missæ ordinatum est in remissione peccatorum: ideóque appellatur Propitiatorium, ut diximus supra *Decis. XIV. num. 7.* Sed si- 14
ne Sanguinis effusione non fit remissio, *Hebr. 9. vers. 22.* Ergo in Sacrificio Missæ non solius Panis

consecra

consecratio; sed etiam vini intervenire debet, ut expressa habeatur effusionis Sanguinis repræsentatio.

Quintò: Accedit universalis Ecclesiæ consuetudo, quæ nunquam passa est in ullo casu Sacrificium
15 Missæ offerri sine utraque specie; ut probat Emin. Cardin. Bellarminus *d. lib. 4. de Eucharist. cap. 22. Vers. Idem colligitur.* Emin. Cardin. de Lugo *de Sacramento Eucharistiæ disp. 19. n. 119.* & Mastrius *d. quæst. 4. disp. 4. num. 100.* ubi refellunt assertam dispensationem Innocentii VIII. cum Norvegiis, ut ob defectum vini in una tantùm specie Panis consecrarent, de qua Volaterranus *lib. 7. Geographiæ cap. 4.* Onuphrius Panvinus *in Chronic. Anno*
16 1490. Et Claudius Sainctes *repetit. 10. de Eucharist. cap. 3.* ubi non Innocentium VIII. sed Innocentium IV. nominat; & de utroque commentitia, & fabulosa est asserta dispensatio; quæ neque facta fuit, neque fieri potuisset contra id, ad quod significandum est institutum à Christo.

Sextò: Adjungitur aliud inconveniens, quòd sequeretur, si essentia Sacrificii subsisteret in consecratione unius speciei tantum; videlicet quòd non esset unum, sed duo Sacrificia, quæ in eadem actione fierent, unum sub specie Panis, & aliud sub specie Vini. Hoc autem dari, aut dici non debet;
17 quia Christus instituit unicum tantùm Sacrificium, sub utraque specie immolandum, ut ait Concil. Tridentinum *d. sess. 22. cap. 1.* Et Missa est unum Sacrificium; non autem duo.

Septimò. Facit Rubrica, de qua infra *num. 35.*
18 mandans, si post sumptionem unius speciei consecratæ reperiatur altera inepta; denuò consecrari utramque speciem. Cur ita? Si una fuit validè consecrata, quare reiteratur consecratio? Utique ut ex consortio utriusque speciei resultet expressa repræsentatio mortis Christi, in qua consistit essentia Sacrificii Eucharistici.

Hac retenta opinione; quæ, ut dixi, communior, & probabilior est; & quam amplectitur etiam Diana *part. 10. tract. 16. Miscell. 6. resol. 63.* Quæ in coordinato posita est *tom. 2. tract. 1. resol. 229.* Et pariter in coordinato *tom. 3. tract. 1. resol. 47.* desumpta ex Diana antiquo *in part. 8. tract. 1. resol. 23.* breviter est respondendum argumentis contrariis. Nam.

Ad primum ita respondet Mastrius *d. disp. 4. q. 4. num. 103.* videlicet: *Si Sacrificium sumatur solùm pro reali oblatione, & immutatione rei in honorem Dei, sic in singulis speciebus Eucharistiæ, & in qualibet per se ratio Sacrificii invenitur. At ulteriùs si consideretur, quod*
19 *est speciale in Sacrificio Eucharistiæ ex vi suæ institutionis, quòd nimirùm sit expressa, & completa repræsentatio Sacrificii cruenti in Cruce peracti; sive mystica quædam mactatio, & corporis à Sanguine separatio; planè in hoc sensu negatur assumptum; non enim ita clarè, & completè passio Christi repræsentatur in consecratione unius dumtaxat speciei, sicut in utraque.* Et in hac ratione pedem figunt omnes Theologi hanc opinionem sequuti; advertentes, non satis esse considerare essentiam Sacrificii in genere; sed essentiam Sacrificii Eucharistici ita instituti, ut repræsentet expressè separationem Sangninis à corpore Christi, & consequenter etiam ejus animæ, realiter factam in Cruce; & hanc expressam repræsentationem non habemus in consecratione unius speciei tantùm; sed in consortio utriusque.

Ad secundum argumentum contrarium respondetur; nonnullos DD. probabilem opinionem dixisse illam, quæ tenet, Sacerdotem, qui non intendit sacrificare, nec consecrare utrasque species, invalidè consecrare unam speciem tantùm, ea ratione quia Christus ita instituit Sacramentum Eucharistiæ, ut simul illud instituerit in ratione Sacrificii; nec voluerit fieri Sacramentum sine Sacrificio, nec Sacrificium sine Sacramento; prout ipse eodem tempore, & eadem actione in novissima cœna consecravit, & sacrificavit, & sic fieri per Apostolos, & Sacerdotes præcepit, quibus non dedit duas potestates separatas ad consecrandum tantùm, & ad sacrificandum tantùm; sed unicam ad simul consecrandum, & sacrificandum, ut disserit Suarez *in 3. p. D. Thom. tom. 3. disp. 43. §. Dico primò.* Emin. Card. de Lugo *De Eucharistia disp. 19. n. 103.* Et Diana *part. 10. tract. 16. resol. 62.* Quæ in Coordinato est *d. tom. 2. tract. 1. resol. 228.* Sed postposita hac opinione speculativa; quia in 21
praxi servatur contrarium; nam consecrata Hostia ostenditur adoranda à populo antequam sit consecratus Calix; respondetur ad argumentum; subsistere Sacramentum in consecratione unius speciei
tantùm; sed non subsistere Sacrificium; quia Eu- 22
charistia ut Sacramentum instituta est à Christo per modum cibi; & una sola species consecrata constituit Corpus Christi, aptum ut manducetur per modum cibi spiritualis: at Eucharistia ut Sacrificium instituta est per modum Victimæ immolatæ; & talis modus non habetur, nisi per consecrationem ambarum specierum; ita ut vi verborum ponatur Corpus separatum à Sanguine, & Sanguis separatus à Corpore; & hoc modo fiat expressa repræsentatio Sacrificii cruenti completi à Christo in Cruce per effusionem Sanguinis, & illius separationem à Corpore. Et igitur discrimen in ratione Sacramenti, & in ratione Sacrificii; & ideo argumentum non concludit.

Ad tertium respondetur; Quòd licèt aliquo modo per consecrationem unius speciei tantùm repræsentetur mors Christi, quia vi verborum ponitur Corpus, non posito ibi Sanguine; vel ponitur Sanguis, non posito ibi Corpore, nihilominus multò clarius, & expressius declaratur, & exprimitur realis separatio, quæ facta est in Cruce, Corporis Christi à Sanguine ipsius; & ejusdem Sanguinis à Corpore. Cùm igitur tota ratio Sacrificii Missæ 23
pendeat ex voluntate Christi instituentis, qui voluit, quòd illa realis separatio Sanguinis à Corpore clariùs, & expressiùs repræsentaretur per consecrationem utriusque speciei; hac de causa essentia Sacrificii stare non potest in una sola specie consecrata.

Ad quartum respondetur; negando paritatem efficaciæ repræsentativæ Sacrificii cruenti in una specie sola, sicut in ambabus; quia licèt tam in una specie consecrata, quàm in alia existat Sacramentaliter totus Christus habens non corpus exangue, 24
sed corpus vivum cum suo sanguine; nihilominùs, ut dictum est, consecratio ambarum specierum magis clare, & expresse repræsentat mortem Christi, quam pertulit in Cruce; quia per utramque consecrationem ponitur separatum Corpus à Sanguine; & sanguis à corpore vi verborum, & per illam separationem resultat prædicta clara, atque expressa manifestatio.

25 Ad quintum respondet Pasqualigus *de Sacrificio novæ legis d. q. 44. n. 13.* Quòd *Eucharistia non repræsentat mortem Christi, nisi quatenus est victima, quæ superfluit Sacrificio, atque adeò dependenter ab ipso Sacrificio, seu actione Sacrificandi: undè licèt in una specie sit totum Sacramentum, non tamen est tota repræsentatio: sed tantùm inadæquatè, quia se habet ut pars victimæ occisæ; & repræsentat mortem Domini cum ordine ad aliam partem; & quatenus supponit victimam occisam mysticè in consecratione utriusque Speciei.*

Ad sextum respondetur; quòd Sacrificium incruentum, & Eucharisticum oblatum à Christo in cœna fuit expresè significativum ejus mortis futuræ; & ideò consecravit, & immolavit sub utraque specie; ut igitur Sacrificium Missæ sit ad formam illius Sacrificii oblati à Christo in cœna, debet fieri cum consecratione utriusque speciei. Nec
26 implicat, quòd in illo Sacrificio repræsentatio esset de morte futura; in Sacrificio autem Missæ sit repræsentatio de morte præterita; quia hæc est differentia tantum accidentalis, quæ non variat essentialiter Sacrificium Missæ; quod quidem est idem specie cum Sacrificio cœnæ; nam in utroque Sacrificio est eadem res oblata; & idem offerendi modus per mysticam, & Sacramentalem immolationem. Satis ergo nobis est, quòd Sacrificium Missæ ex sui institutione significet, ac repræsentet passionem, & mortem Christi sive præteritam, sive futuram; ut doctè explicat Mastrius *in 4. d. disp. 4. quæst. 5. num. 109.*

Ad septimum respondetur, quòd equidem gravissimi Ecclesiæ Patres; quos refert Bonacina *de Sacram. Euchar. disp. 4. qu. 2. punct. 3. num. 5.* opinati sunt, Christum Dominum consecrasse Eucharistiam, dum in castello recumberet cum duobus
27 illis Discipulis, unus quorum vocabatur Cleophas, & creditur fuisse frater S. Joseph sponsi Deiparæ Virginis, & pater Apostolorum Jacobi minoris, & Judæ Thadæi, ut notat Menochius *in Histor. Sacr. lib. 8. cap. 4. num. 1.* Quòd autem ibi consecrata fuerit Eucharistia, habentur tres rationes; una, quòd
28 Evangelista Lucas utitur illis verbis; *cognoverunt eum in fractione panis. Luc. 24. Vers. 35*, per quæ verba denotatur Eucharisticum Sacramentum. *Act. 2. 4. & 1. ad Cor. 10. 16.* Altera, quia Christus non benedixit Panem antequam federent ad mensam; sed cùm sedissent: *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Luc. 24. Vers. 30.* Ideò illa non fuit benedictio Mensæ, sed consecratio Eucharistiæ. Tertia, quia ait textus *ibid. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum*: quod est proprium Venerabilis Sacramenti illuminare corda fidelium ad cognoscendum, & amandum Deum, ut consideranti Cornelius à Lapide, Barradas, & Tirinus super *d. cap. 24. Luc. Vers. 30.* Et Menochius *d. lib. 8. cap. 4. num. 2.* Nihilominùs alii Ecclesiæ Doc-
29 tores autumant, benedictionem illam, ac fractionem Panis non fuisse consecrationem Sacramentalem Eucharistiæ; ad quam sumendam prædicti discipuli non videbantur præparati; sed fuisse simplicem Mensæ benedictionem, ut cibum corporalem sumerent, ut ex Cornelio Jansenio, & Guilielmo Estio notat Menochius *d. num. 2.* Quare Pasqualigus *d. q. 44. n. 15.* ita respondet: *Non est certum, quòd tunc Christus consecraverit; & si consecravit, non est certum, an consecraverit in una tantum specie. Quidquid tamen sit, dato quòd consecraverit, id fuit ex suprema auctoritate, quam habebat, ut institutor Sacrificii: & non est usus Sacrificio instituto pro Ecclesia in ultima cœna; sed alio speciali Sacrificio, tunc sibi bene viso.* Eandem responsionem dat Bonacina *in cit. disp. 4. q. 2. punct. 3. n. 7.*

Stante igitur hac communi, & magis probabili opinione quòd ambæ species Panis, & Vini, necessariæ sint ad essentiam Sacrificii Missæ; adeò ut una sine altera absque gravi Sacrilegio consecrari non possit, ut habetur *in cap. Comperimus. De Consecr. dist. 2.* relatum etiam à Reginaldo *in Praxi fori Pœnitent. lib. 29. num. 13.* ex eodem notanda sunt sequentia documenta ad majorem Sacerdotum instructionem.

Documentum primum. Illicitum esse de se, formaliter, seu directè intendere Sacrificii mutilationem, idest consecrare sub una tantùm specie, 30
quia præceptum divinum est negativum; videlicet, ut nunquam fiat Sacrificium cum una sola specie, ut ait Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 43. sect. 4.* & Reginald. *d. lib. 29. num. 15.* & qui sic consecraret grave Sacrilegium committeret.

Documentum secundum. Nulla de causa, non 31
tam privata, sed neque publica, licitum est Sacerdoti directè unam solam speciem consecrare; puta si vinum haberi non posset, celebrare cum sola Hostia pro communicando infirmo; vel ut populus Missam audiat. Reginald. *d. lib. 29. num. 15.* Bonacina *d. disp. 4. qu. 2. punct. 3. num. 9.*

Documentum tertium; etsi aliqui Doctores antiqui scripserint, Summum Pontificem posse dispensare, ut fiat Sacrificium cum consecratione unius speciei tantùm, quos citat Bonacina *dict. punct. 3. num. 13.* & Pasqualigus *dict. quæst. 46. num. 1. & 2.* 32
Contrarium tamen est tenendum juxta probabiliorem opinionem Theologorum, & Canonistarum, quos cumulat idem Pasqualigus *ibid. num. 3.* ob plurimas rationes per eundem relatas, quarum præcipua est, quòd consecratio utriusque speciei est de præcepto Divino; & de intrinseca ratione Sacrificii Eucharistici. Emin. Cardin. de Lugo *de Sacram. Eucharist. d. disp. 19. sect. 8.* per totam idem affirmans.

Documentum quartum. A peccato transgres- 33
sionis prædicti præcepti Divini excusat inadvertentia inculpabilis, qualis censetur illa, si quis bona fide putans, se ponere vinum in Calice, poneret aquam; & sic consecraret solum Panem, & postquam deprehendit, esse in Calice aquam, non posset absolutè reperiri Vinum consecrandum; vel non sine magno scandalo, aut periculo. Reginaldus *dict. lib. 29. num. 14.*

Documentum quintum. Si celebrans, ante con- 34
secrationem, cognoscat defectum essentialem in substantia Panis, vel Vini, projiciat; & Panem, seu Vinum absque defectu substituat, & consecret. Si verò id cognoscat post consecrationem, debet iterum consecrare, vel Hostiam solam, si illa sola habeat defectum, vel Vinum solum, si in ipso tantùm defectus sit; vel utrumque, si utraque sit materia inepta, Rubrica Missalis *de defect. in celebrat. Miss. occurrent. cap. 3. num. 4. & cap. 4. num. 3.*

Documentum sextum. Si Sacerdos deprehendat 35
defectum in speciebus post consecrationem, ante sumptionem, iterum consecret vel unam, vel ambas species, removendo ab Altari illam, vel illas, in quibus erat defectus. d. Rubrica Missalis *cap. 3. num. 5. & cap. 4. num. 4.* At si defectus deprehendatur post sumptionem specierum consecratarum; tunc

debet

debet iterum consecrare novam Hostiam, & novum vinum, & utrumque iterum sumere; & hoc quamvis defectus fuisset non solùm in utraque specie consecrata, sed etiam si in una tantùm, sive in specie Panis, sive in specie Vini, dicta Rubrica Missalis *cap. 3. num. 6. & cap. 4. num. 5.* Sanctus Thomas *3. part. qu. 83. art. 6. ad Quartum.* Ratio est, nam licèt una ex speciebus fuerit validè consecrata, quia altera defecit, non potuit expressè repræsentare Sacrificium cruentum Crucis, ad quam expressam repræsentationem, ut dictum est supra *num. 11. & 12.* requiritur utraque species validè consecrata in eadem actione, & Sacrificio Missæ. Excipit Rubrica Missalis *d. cap. 4. num. 5.* nisi timor sit scandali; tunc enim ad scandalum evitandum satis est consecrare noviter aliam speciem ab illa,
36 quæ reperta fuerit inepta, & eam consecratam statim sumere. Bissus *in Hierurgia tom. 2. Verbum Vinum, §. 7.*

37 Documentum septimum, & ultimum. Si Sacerdos celebrans ita graviter infirmetur post consecrationem unius, vel ambarum specierum, ut prosequi Sacrificium non valeat; Missa expleri debet per alium Sacerdotem ab eo loco, ubi ille desiit; & in casu necessitatis etiam per non jejunum. Rubrica Missalis *d. tit. cap. 10. numer. 3.* Diana *par. 10. tract. 11. resol. 4.* Quæ in Coordinato obtinuit sedem *in tom. 2. tract. 1. resolut. 239.* ubi movet dubium; quid agendum, si alius Sacerdos haberi non possit, nisi die sequenti; an sit complendum
38 Sacrificium relictum imperfectum antecedenti die ob mortem celebrantis? Et respondet, affirmare Henriquez *lib. 9. cap. 40. n. 1.* & Tamburinum *in Opuscul. de Sacrific. Missæ lib. 2. cap. 8. §. 1. num. 6.* & ibi Sa non expunctus *verb. Missa num. 38.* Sed negare Aversam *de Sacram. Eucharistiæ quæst. 11. sect. 2.* cui ipse Diana adhæret, ea ratione, quia per dilationem unius diei non esset una moralis actio per continuationem moralem; undè in tali casu, satis esset, ut in alia Missa sumerentur Species consecratæ, quæ in Altari remanserunt ob decubitum celebrantis antedicti. Quòd si idem celebrans decumberet post Communionem Hostiæ, an alius Sacerdos debeat supplere sumendo Sanguinem? &
39 Missam perficiendo usque in finem? Diana *part. 10. tract. 12. resol. 15.* Coordinatus autem *d. tom. 2. tract. 1. resol. 240.* ponit quatuor opiniones. *Primam*, quòd non sit opus alia perfectione Sacrificii. *Secundam*, quod sit perficiendum Sacrificium ab alio Sacerdote, qui speciem Sanguinis sumat, & Missam compleat. *Tertiam*, quòd alius Sacerdos in tali casu debet Panem novum, & novum Vinum consecrare, & sumere unà cum Sanguine, qui non fuit sumptus à celebrante defuncto. *Quartam*, quòd alius Sacerdos debet tantùm consecrare novam Hostiam, & illam sumere cum speciebus Vini jam consecrati à primo Sacerdote; & omnis opinio habet suos Doctores; ipse tamen Diana amplectitur opinionem secundam; quæ quidem fundatur in Rubrica Missalis *d. cap. 10. num. 3.* ibi: *Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, & in casu necessitatis etiam per non jejunum.*

40 Tandem Lector notet curiosum Casum. Celebrans cadit in deliquium post consecrationem. Juvatur ab assistentibus exhibitione vini cretici, quo sumpto reassumit vires: adstat alius Sacerdos jejunus; quis horum debet perficere Missam? Respondet Gobat *in Theol. exper. tract. 3. num. 806.* quòd ipse celebrans, etsi non amplius jejunus, debet suum Sacrum continuare, postposito alio Sacerdote jejuno, quia præceptum divinum de Sacrificio perficiendo ab eo, qui cœpit, prævalet præcepto jejunii naturalis, quòd omninò videtur desinere in tali casu.

DECISIO XXXIII.

ARGUMENTUM.

Celebris Theologorum Controversia, *An fructus, seu valor Sacrificii Missæ sit infinitus, vel finitus?* breviter, sed clarè examinatur, & resolvitur. Fructus Missæ triplex, generalissimus pro tota Ecclesia Catholica; Medius pro dantibus stipem; & Specialissimus pro celebrante. Utrùm una Missa tantum prosit applicata uni, quantum si pluribus applicetur? Omnes cooperantes Sacrificio Missæ magnam fructus partem reportare auctoritatibus, & exemplis comprobatur. Stipendia plura pro una Missa an licitè recipiantur?

SUMMARIUM.

1 *Missæ valor, seu fructus an sit finitus, vel infinitus?*
2 *Missæ fructus triplex Meritorius, Impetratorius, & Satisfactorius.*
3 *Fructus satisfactivus in Missa habetur semper infallibiliter.*
4 *Offerentes Missam sunt sex.*
5 *Christus est primus, & principalis offerens in Missa.*
6 *Sacerdos celebrans est secundus offerens in Missa.*
7 *Ecclesia Universalis dicitur offerre Sacrificium Missæ.*
8 *Missæ Sacrificio actualiter cooperantes dicuntur offerentes.*
9 *Interessentes Sacrificio Missæ inter offerentes numerantur, & reportant fructum specialissimum.* Et num. 53.
10 *Missam audire impensè cupientes, dicuntur spiritualiter offerre.*
11 *Fructus Missæ alius ex opere operato; alius ex opere operantis. Et uterque in quibus consistat?*
12 *Celebrantium absque devotione parvus, aut nullus est fructus ex opere operantis.*
13 *Missæ fructus ex opere operantis est finitus, & limitatus.*
14 *Missæ valor ex opere operato an sit finitus, vel infinitus magna est altercatio inter Theologos.*
15 *Argumenta pro infinitate valoris Missæ ex opere operato.*
16 *Missa est idem Sacrificium cum Sacrificio cœnæ & Crucis.*
17 *Christus est dignitatis infinitæ.*
18 *Baptismus ex opere operato remittit totam pœnam.*
19 *Merita Christi sunt infinita.*
20 *Commemoratio multorum fit in Missa.*
21 *Missæ fructus crescit, crescente devotione offerentium.*

22. *Missæ*

22 *Missæ valor non decrescit ob multitudinem adstantium.*
23 *Lux candelæ, & Vox hominis sine diminutione communicatur multis.*
24 *Missa una an tantum valeat pro uno, quantum pro pluribus?*
25 *Argumenta, quòd valor Missæ sit limitatus, & finitus.*
26 *Ecclesia multiplicat Missas pro eadem necessitate.*
27. *Iniquum est applicare uni tantùm, quod prodesse potest multis.*
28 *Morituri ordinant pro se plures Missas.*
29 *Stipendia plura pro una Missa prohibitum est accipere.*
30 *Actio Sacerdotis celebrantis est valoris finiti.*
31 *Legata perpetua Missarum non debent esse superflua.*
32 *Orationum diversitas in Missa non inutilis.*
33 *Charitatis Lege omnibus prodesse debemus.*
34 *Applicatio Sacrificii Crucis in Missa sit limitato modo.*
35 *Missæ Sacrificium in se, & in actu primo est valoris infiniti: in applicatione, & in actu secundo est finiti valoris.*
36 *Christus cur voluerit, sua merita infinita applicari nobis in Missa modo finito, & limitato?*
37 *Sacrificium Missæ incruentum reiterabile: cruentum Crucis non.*
38 *Christus nunc non meretur, neque satisfacit.*
39 *Baptizans plures eodem tempore facit plura Sacramenta.*
40 *Fructus Missæ ex opere operato est totus illius, qui facit celebrare Missam.*
41 *Fructus Missæ triplex, generalissimus, medius, & specialissimus.*
42 *Numerus major, vel minor assistentium Missæ non præjudicat.*
43 *Candela æquè illuminat stantes in eadem sphæra.*
44 *Cap. Non mediocriter 24. de Consecrat. dist. 5. multipliciter declaratur.*
45 *Sacrificia Missæ in toto orbe celebrata prosunt omnibus fidelibus, exceptis excommunicatis, & existentibus in peccato mortali.*
46 Ego volo celebrare Missam, &c. *est oratio habens Indulgentiam quadraginta annorum toties, quoties recitatur ante Missam.*
47 *Sacrificio Missæ inservientes, & cooperantes participant de fructu medio ejusdem Sacrificii.*
48 *S. Thomas Aquinas inserviebat Missæ. Idem fecit Dux Venetiarum.*
49 *S. Wenceslaus Dux Bohemiæ ferebat triticum, & vinum exprimebat pro Missæ.*
50 *S. Theresia erat sollicita in rebus spectantibus ad Sacrificium Missæ.*
51 *Anima donatoris domus pro fabricanda Ecclesia liberatur à Purgatorio, in primæ Missæ celebratione.*
52 *S. Severus de Montefalco inventum thesaurum expendit in constructione Ecclesiarum.*
53 *Fructus Missæ pro celebrante est æqualis, ac major fructu illius, qui dat stipendium pro celebratione.*
54 *Sacerdotes nunquam celebrantes peccant mortaliter.*
55 *Episcopi debent vel quotidiè audire Missam, vel eam celebrare.*
56 *Stipendium pro Missa quare sit licitum?*
57 *Missa una satisfieri non potest pluribus stipendiis.*
58 *Decretum Urbani VIII. de unico stipendio pro qualibet Missa.*
59 *Propositiones damnatæ ab Alexandro VII. circa stipendia Missarum.*
60 *Stipendia plura pro una Missa an aliquando licitè accipiantur.*

SEquitur, ut explicemus, An fructus, seu valor Sacrificii Missæ sit finitus vel infinitus? nam ex hac 1
quæstione pendet resolutio diversorum dubiorum; & præcipuè, An una Missa tantùm prosit celebrata pro uno solo, quantum si celebretur pro pluribus? Et an liceat Sacerdoti recipere plura stipendia à diversis petentibus Missam, & celebratione unius Missæ possit omnibus satisfacere? In qua quæstione, (quam Mastrius *in 4. sent. quæst. 6. num. 115.* & ibi Coninch. *qu. 83. art. 1. dub. 10.* vocant obscurissimam, & implicatissimam, eò quia Auctores in ea, etsi prolixè, confusè nimis loquuntur) nos pro tenuitate nostri ingenii brevitati; & claritati studentes, quid tenendum sit, & dicendum, juxta praxim Ecclesiæ Catholicæ hîc demonstrabimus. Sunt autem præmittenda tria.

Primum est, quòd fructus, seu valor Sacrificii 2
Missæ est triplex, Meritorius, Impetratorius, & Satisfactorius. Eminent. Cardin. de Lugo *de Sacram. Eucharist. disp. 19. num. 122.* Tamburin. *de Sacrific. Missæ libr. 2. cap. 2. §. 1. num. 2.* Meritum resultat ex Sacrificio Missæ, quia cùm sit opus sanctum, & Deo gratissimum, aptum est ex condigno causare meritum in illis, qui in statu gratiæ illud operantur, prout fit in cæteris piis operibus, ut notat idem Cardin de Lugo *d. num. 122.* Impetratio est concessio bonorum tum Spiritualium, tum temporalium, quæ datur à Deo virtute hujus Sacrificii, ut ostendimus supra *Decis. XIV. à num. 23. & seqq.* & habetur in Concilio Tridentino *sess. 22. cap. 2. & can. 3.* quæ etiam bona à Missæ Sacrificio proveniantia tam justis, quàm peccatoribus referuntur à Collegio Salmanticen. *tom. 11. de Sacramentis in genere tract. 5. cap. 4. num. 15.* Satisfactio est remissio pœnarum, quas solvere justi debent vel in hac vita, vel in Purgatorio ob peccata jam confessa, & deleta; quæ quidem vis satisfactiva est propriissima hujus incruenti Sacrificii; nam sicut in Sacrificio cruento Crucis facta fuit pro omnibus ad sufficientiam, sic in isto per applicationem fit ad efficaciam. d. Colleg. Salmanticens. *d. cap. 4. num. 11.* & Mastrius *d. disput. 6. num. 113.* dicens, quòd hic fructus satisfactivus ex communi Theologorum sententia habetur semper infallibiliter. 3

Secundum Præmissum. Offerentes Sacrificium 4
Missæ Senarii sunt, videlicet sex in ordine. Primus est Christus Dominus, tamquam principalis Sacrificans, tum quia in Cruce omnia, & singula Sacrificia futura Patri æterno pro nobis obtulit; tum quia Sacerdos celebrans ejus nomine celebrat, & in ejus persona consecrat; & ipse Christus per suam Humanitatem, tanquam instrumentum divinitati conjunctum, concurrit ad transubstantiationem, in qua consistit formalis ratio hujus Sacrificii; tum etiam quia idem Redemptor non solùm ratum habet Sacrificium suo nomine à Sacerdotibus Deo Patri oblatum; sed etiam quia credibile est, eum tanquam Summum Sacerdotem in cœlis, singula Sacrificia, quæ fiunt in terris Patri suo, offerre actu elicito ob majorem in Patrem reverentiam, 5

tiam, & in nos homines amorem, & charitatem.
6 Suarez *in 3. p.* D. Thom. *disp. 77. sect. 1.* Colleg. Salmant. *d. tract. 5. cap. 2. num. 3. & sequentibus.* Et Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp. 19. sect. 7.* Secundus offerens est homo Christianus Sacerdotali charactere insignitus, qui ab ipso Christo habet potestatem consecrandi, & sacrificandi, ut ostendimus *Decis. VII. n. 19.* & docet S. Thomas *3. p. q. 82. art. 7. & 8.* atque definitum est à Concilio Tridentino *sess. 22. cap. 1. & 2. & can. 2.* Tertius offerens est Universa Ecclesia, à qua Sacerdotes
7 creantur, & aluntur tanquam Legati ad Deum pro ipsa; sicut enim Respublica dicitur petere à suo Rege id, quod petit per Legatum suum; sic tota Ecclesia in Sacrificiis Sacerdotum petit à Deo omnia, quæ sunt sibi necessaria; ut docet Apostolus ad *Hebr. cap. 5. Vers. 1.* & differit Gobat. *d. tract. 3. numer. 106.* Quartus offerens est ille, qui cooperatur Sacrificio, adjuvans Sacerdotem, vel ei stipendium exhibendo, vel actualiter inserviendo,
8 vel paramenta subministrando. Gobat. *ibid. num. 107.* Quintum locum offerentium occupant illi, qui piè, ac devotè intersunt corporaliter Sacrificio Missæ, illam audientes; quod testantur illa Verba
9 Canonis: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium Laudis* Collegium Salmanticen. *d. tract. 5. cap. 2. num. 7.*
10 Tamburin. *d. lib. 2. cap. 2. §. 1. num. 1.* Quartus *in Appendic. de Sacrificio q. 2. punct. 17.* & Mastrius *in 4. Sentent. disp. 4. num. 112.* & ideò reportant à Missa suum fructum specialissimum, ut infra *numer. 53.* Sextum tandem locum illi tenent, qui cùm nequeant ob impedimenta corporaliter interesse Sacrificio, spiritualiter interveniunt, vota Sacerdotis suis affectibus prosequentes. S. Thomas *d. 3. p. q. 81. art. 6. & 7.* Suarez *d. disput. 77. sect. 2. & 3.* & Gobat. *d. tract. 3. num. 109. & 110.*

Tertium Præmissum. Fructus, seu valor Sacrificii incruenti duplex est. Unus ex opere ope-
11 rato; alter ex opere operantis. Hi termini quomodo sint intelligendi, explicuimus in Decisionibus de Eucharistia *Decis. LVII. num. 4.* ubi ex Theologis Scholasticis ibi allegatis diximus, fructum, & effectum ex opere operato esse illum, qui immediatè provenit ab opere instituto à Deo ad ipsum fructum, & effectum producendum; præscindendo à merito Ministri, & suscipientis. At ex opere operantis fructum illum esse, qui conceditur intuitu bonitatis, devotionis, & meriti Ministri, & suscipientis. Igitur in Sacrificio Missæ, si virtute ipsius Sacrificii, nulla concurrente devotione celebrantis, remittantur ei, pro quo offertur, triginta anni pœnarum Purgatorii, talis remissio dicitur ex opere operato. Porro si ob summam devotionem, & pietatem, aliasque virtutes Sacerdotis Hostiam incruentam litantis, remittantur anni quadraginta pœnarum; illa decem, supra triginta, censentur fructus ex opere operantis. Gobat. *d. tract. 3. à num. 146. & seqq.* ubi duo notatu digna ponit, quæ alibi non inveni. *Unum*, quòd valor ex opere operato ita dicitur in sensu passivo, & in tempore præterito, quia Christus in sua Passione, dumque in hoc Mundo esset, instituit, opera, à quibus immediatè in nos provenirent sua merita, & satisfactiones; videlicet Sacramenta, & Missæ Sacrificium; quæ idcircò sunt opera jam à Christo operata. Alia ex opere operantis ita vocitantur: quia respiciunt de præsenti qualitatem ministrorum; qui hîc, & nunc eadem Sacra operantur. *Alterum* notabile est, quòd in Sacrificio Missæ, fructus, seu valor ex opere operato consistit in consecratione, & sumptione specierum consecratarum. Valor, seu fructus ex opere operantis est ille, qui emanat ex devotione celebrantis in accessu ad Altare, in recitatione Introitus, Hymni Angelici, Orationum, Epistolæ, Evangelii, Symboli, & universis omnibus verbis, genuflexionibus, & actionibus ipsis Sacrificantis. Ita d. Gobat *tract 3. num. 152.* ex quo licet desumere, quàm exiguus sit fructus Missæ ex opere operantis illorum Mystarum, qui præcipiti gestu, & celeri voce Missam recitant absque ulla prorsus devotione; & subindè plus valere Sacrum bo- 12
ni, ac devoti Sacerdotis, quàm indevoti; prout respondit Alex. Papa *in cap. Ipsi 1. q. 1.* & docent Sanctus Thomas *3. part, quæst. 83. art. 3.* Sotus *in 4. sent. dist. 13. quæst. 1. artic. 6.* Pellizarius *in Manuali Regular. tract. 5. cap. 9. n. 65.* & alii, quos allegat, & sequitur idem Gobat *eodem tract at. 3. n. 111. & seqq.* & Pax Jordanus *tom. 1, lib. 4. tit. 1. n. 35.*

His sic prænotatis, ac præmissis, deveniendo ad resolutionem quæstionis, Utrum fructus, seu valor Sacrificii Missæ sit finitus, vel infinitus? oportet statim distinguere valorem, & fructum ex opere operantis ab illo ex opere operato: quandoquidem omnes Theologi conveniunt, & concedunt, fructum Missæ ex opere operantis (illum videlicet, qui provenit à dignitate, & bonitate Sacerdotis celebrantis, nec non Universæ Ecclesiæ, ministrantium, adstantium, & aliorum offerentium) esse finitum, ac limitatum; ea ratione quia finita, & limitata est sanctitas omnium mortalium, e- 13
tiam Ecclesiæ universæ in hac vita. Mastrius *in d. quæst. 6. de Sacramento Ordinis num. 122.* Collegium Salmanticen. *dict. tom. 11. tract. 5. cap. 3. num. 1.* Et Eminentiss. Cardin. Bellarminus *libr. 2. de Missa cap. 4.* Cæterùm ex opere operato, quatenus valor Sacrificii provenit à Christo principaliter offerente, sunt discordes Scholastici inter se; alii enim affirmant, valorem Missæ esse extensivè infinitum; itaut una Missa possit applicari pluribus absque eo, 14
quod ejus fructus minuatur ad singulos, atque tantundem unicuique prosit, ac si nulli alteri applicata fuisset. Ita tenent Cajetanus, Sylvester, Canus, Corduba, Vasquez, Nugnus, Poncius, & alii, quos citat Mastrius *dicta quæst. 6. num. 114.* E contra alii asserunt, Sacrificium Missæ etiam ex opere operato habere virtutem ita limitatam, & finitam, etiam extensivè, ut si una Missa dicatur pro pluribus, minus prosit singulis, quàm si dicta esset pro uno tantùm, quia fructus, quem habuisset iste unus, dividitur inter plures, & ita singuli minorem partem habent. Ita Divus Bonavertura, Scotus, Riccardus, Durandus, Navarrus, Bonacina, Toletus, & alii apud eundem Mastrium *eodem n. 114.*

Primæ sententiæ argumenta principaliora sunt 15
sequentia.

Primò. Sacrificium Missæ quò ad victimam, quæ in eo immolatur, est idem cum Sacrificio Cœnæ, & 16
cum Sacrificio Crucis. Sed illa fuerunt infiniti valoris. Ergo etiam istud.

Secundò. In Missa principalis offerens est ipse Christus, ut dictum est in secundo præmisso. Sed Christus est infinitæ dignitatis. Ergo etiam Missa debet esse infiniti valoris.

Tertiò, Fructus Missæ non debet esse inferior, 17
quàm

18 quàm fructus baptismi. Sed qui baptizat plures eodem tempore, singulis dat plenam gratiam, & remissionem omnium pœnarum ex opere operato. Ergo idem dicendum in celebratione Missæ.

19 Quartò. Valor, & fructus Missæ nobis applicatur ex meritis Christi. Sed Christi merita sunt infinita. Ergo & fructus Missæ debet esse infinitus.

20 Quintò. Si fructus Missæ esset finitus, & limitatus, non posset Sacerdos facere commemorationem in Missa nisi de illo, qui illa ordinavit. Sed sic est, quòd in Memento facit commemorationem de pluribus. Ergo valor non est finitus, neque limitatus.

Sextò. Si esset finitus, vel limitatus non posset crescere ob majorem devotionem offerentis, vel e-
21 jus, pro quo offertur. Sed horum devotione crescente, crescit fructus Missæ, ut diximus in tertio præmisso. Ergo non est finitus.

Septimò. Si fructus non esset infiniti valoris, se-
22 queretur, quòd quò plures eandem Missam audiunt, eò minorem fructum reciperent; talis enim fructus divideretur inter singulos; & proindè consultiùs esset interesse Sacro, cui pauciores assisterent. Sed hoc est falsum, quia multiplicatis assistentibus Missæ non minus prodest singulis, quàm si singuli soli adessent. Ergo fructus Missæ est infiniti valoris.

Octavò. Bonum spirituale non potest esse minus in sui communicatione, quàm sit bonum corpora-
23 le. Sed in corporalibus lux è candela, & vox ex homine sine diminutione, & æqualiter communicatur tam paucis, quàm multis. Marchinus *de Ordine tractat. 3. part. 2. cap. 7.* Tamburin. *de Sacrific. Missæ libr. 3. cap. 1. §. 2. num. 10.* Ergo multò magis fructus Missæ.

Nonò. Facit textus *in cap. Non mediocriter 24. De Consecrat. dist. 5.* ubi S. Hieronymus ait: *Cùm*
24 *igitur pro cunctis animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihilominùs, quàm si pro unoquolibet ipsorum diceretur, accipitur.* Ergo fructus Missæ est valoris infiniti.

Pro contraria sententia, quòd fructus Sacrificii
25 incruenti Missæ sit valoris limitati, & finiti hæc sunt potiora argumenta.

Primò: Quia si valor esset infinitus, Ecclesia pro
26 aliqua necessitate plures Missas non multiplicaret; unius enim Missæ valor satis esset. Sed sic est, quòd plures, atque plures Missas multiplicat. Ergo non est infiniti valoris.

27 Secundò: si valor esset infinitus, iniquum esset, applicare uni tantùm, cùm posset pluribus æquè proficere. Ergo.

28 Tertio: Morituri frustra ordinarent plures Missas pro se dici; cùm satis esset, unam celebrare.

Quartò, Sacerdotes possent pro una Missa plura
29 stipendia recipere, & semel celebrando, pluribus satisfacere, quod est prohibitum per Decreta Urbani VIII. de quibus infra *num. 58.*

30 Quintò: Quia valor Sacrificii non tam sumitur ex re oblata, quàm ex oblatione ipsa. Sed oblatio, utpotè Sacerdotis, & Ministri non potest esse infiniti valoris. Ergo neque Sacrificium.

31 Sextò; Quia si valor Missæ esset infiniti valoris, assent superflua legata annua Missarum, & Capellaniæ perpetuæ; nam unicum Sacrum evacuaret totum Purgatorium. Ergo.

Septimò: Item frustra essent ordinatæ ab Ecclesia
32 speciales orationes tum pro vivis, tum pro defunctis, & ad nihilum deserviret diversitas earum, cùm in Missa non plus valerent illis, pro quibus recitantur, quàm generaliter cuicunque in Ecclesia.

Octavò: Si valor esset infinitus, facerent contra charitatem illi Sacerdotes, qui ex devotione 33
celebrarent pro una anima in particulari, quæ esset in Purgatorio; cùm ex lege charitatis deberent, eam celebrare pro omnibus animabus ibi existentibus, illas æqualiter liberando.

Nonò: Tota efficacia Sacrificii Missæ consistit in 34
applicatione valoris Sacrificii Crucis; ut ait Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. & 2.* Sed hæc applicatio fit finito modo, & per partem; non autem absolutè, & indefinitè. Pasqualigus *de Sacrific. Missæ quæst. 119. num. 3. & 4.* ubi plurimos DD. cumulat, & Mastrius *in 4. d disp. 4. quæst. 6. num. 117.* Ergo non est infiniti, sed limitati, & finiti valoris.

In hac controversia distinguere oportet: aut dis- 35
putamus, an Sacrificium Missæ in se, & in actu primo habeat valorem infinitum? Et respondendum est affirmativè ob rationes, & argumenta pro prima opinione relata: aut quærimus, an dictus valor sit infinitus in applicatione, & in actu secundo? Et adhærendum est opinioni negativæ; ratio autem est, 36
quia talis fuit dispositio Divinæ Sapientiæ, & mera voluntas Christi Domini, cujus intentio in tanti Sacrificii institutione cùm fuerit, ut illud frequentaretur, & sæpius offerretur; idcircò ob hoc motivum, & ob hanc causam voluit, ut sua merita, & satisfactiones infinitæ huic Sacrificio incruento annexæ non applicarentur hominibus, nisi modo finito, & limitato; & cum virtute finita, ut ex mente Divi Bonaventuræ, & ex doctrina Scoti deducit Mastrius *d. q 6. num. 115. & num. 117* Atque in Theologia Morali *disp. 19. à num. 55. & seqq.* & Pasqualigus *d. quæst. 119. num. 4. & 5.* ubi reddit rationem, & convenientiam, ob quam Christus Dominus noluerit, quòd suæ Sanctissimæ Passionis, & Sacrificii Crucis merita essent applicabilia omnia simul, & infinito modo; sed tantùm per partes, & modo limitato, ac finito. Idipsum docet S. Thomas *in 4. dist. 45. q. 2. art. 4. quæstiunc. 2. Et. 3. p. q. 79. art. 5.* Eminentiss. Cardin. Toletus *lib. 2. cap. 6. & 8.* Cardin. Bellarminus *d. lib. 2. de Missa cap. 4. Propos. 4.* Reginaldus *lib. 29. num. 152.* Gavantus *part. 2, tit. 8. num. 3. sub litt. P.* & alii, quos citat Layman. *lib. 5. tract. 5. cap. 1. num. 9.* ubi ita scribit: *Licet Sacrificium Missæ ex natura sua, sivè secundùm primam, & remotam potentiam spectatum, habeat infinitam dignitatem, & valorem impetrandi, & fructum satisfactionis applicandi, tum ratione rei oblatæ, tum ratione primarii offerentis, qui est Christus Dominus, propter hypostaticam unionem infinitè dignus; attamen spectatum hoc Sacrificium secundùm proximam potentiam, quam habet ex Christi institutione, & voluntate, non habet efficaciam producendi effectum infinitum, sed semper finitum, ac limitatum tam intensivè, quam extensivè.*

Hac distinctione stante, virtualiter tolluntur argumenta contraria; verùm quia particularis responsio, (ut ajunt Legulei nostri) juris magis arridet, *§. Alio autem modo. Inst. Quibus mod. test. infirm.* sic responderi potest argumentis primæ opinionis.

Ad primum, concedendo Sacrificio Missæ esse 37
idem cum Sacrificio Cœnæ, & cum Sacrificio Crucis, & habere in se eandem infinitam dignitatem, & valorem; sed non esse applicabilem nobis, nisi limitato modo; sic Christo volente ob hanc unicam differentiam inter Sacrificium incruentum, & illud cruentum; quòd scilicet cruentum non sit reiterabile; incruentum verò potest, & debet jugiter reiterari.

Ad

Ad secundum respondetur, concedendo pariter eundem esse offerentem utriusque Sacrificii Christum
38 Dominum; sed cum hoc discrimine, quòd in Sacrificio Missæ offert per manus Sacerdotum suorum ministrorum, at nunc actu non meretur, neque satisfacit, sicut fecit in cruce; siquidem merita, & satisfactiones suas præteritas infiniti valoris annexa esse voluit huic Sacrificio, sed dari nobis per modum finitum, & limitatum; ad hoc ut in populo fideli sæpiùs fieret hæc oblatio, & frequentaretur hoc Sacrificium, Mastrius *d. disp. 4. quæst. 6. numer.* 113. *numer.* 117. *& numer* 123.

Ad tertium respondetur plures baptizatos eodem
39 tempore, ideò recipere plenariam remissionem & culpæ, & pœnarum, quia quot sunt baptizati tot sunt baptismata: at in casu nostro Sacrificium Missæ remanet semper unum, etsi pro pluribus applicetur, & ideò iisdem non impertitur valor infinitus.

Ad quartum respondetur, utique merita Christi esse infinita, & infiniti valoris; sed ipse voluit, nobis applicari non infinito modo, sed limitato.

Ad quintum respondetur; quòd Sacerdos obli-
40 gatus ob stipendium offerre Sacrificium pro uno, potest orare etiam pro aliis; quia his applicat fructum ex opere operantis; non autem illum ex opere operato; qui semper totus esse debet illius, à quo datum est stipendium pro Missa. Mastrius. *d. quæst. 6. num.* 124. *Vers. Ad ultimum respondetur.*

Ad sextum respondetur ex communi Theologorum sententia, triplicem esse fructum Missæ, generalissimum, medium, & specialissimum. Primus ex institutione Christi in omni Missa datur toti
41 Ecclesiæ, id est omnibus fidelibus; secundus conceditur illis, qui aliquo modo concurrunt ad celebrationem illius particularis Sacrificii; tertius est proprius ipsius Sacerdotis celebrantis. Nicolius *in Flosculis Verb. Missa num.* 2. Tamburinus *de Sacrific. Missæ lib.* 3. *cap.* 1. §. 1. *num.* 2. & Gobat. *d. tract.* 3. *à num.* 129. nec non illorum, qui Missam audiunt, & suo modo concelebrant cum Sacerdote, & habent ex eadem Missa suum fructum specialissimum. Quartus *in Appendice d. q.* 2. *punct.* 17. *vers. Dico tertio.* Modò prædicti fructus crescunt vel decrescunt quò ad eorum intensionem juxta majorem, vel minorem devotionem fidelium, quibus conferuntur; sed non dantur nisi limitato, & finito modo, ut dictum est, quamvis exhauriantur ex fonte perenni, nempè ex meritis, & satisfactionibus Christi infinitis. Mastrius *d. q.* 6. *num.* 125. Et ex hoc patet responsio.

Ad septimum, quòd nil deroget fidelibus quò ad fructum, si plures assistant ad eandem Missam, vel
42 pauciores, quia cùm meritorum, & satisfactionum Christi valor sit infinitus, & perennis, de eo quilibet participat juxta suam dispositionem sine præjudicio aliorum, qui eodem tempore interfunt eidem Missæ. Mastrius *ibidem num.* 127.

Ad Octavum. Mastrius *d. disp. 4. De Sacramento Ordinis q* 6. *num.* 126. respondet dupliciter. Pri-
43 mò, quòd lux æqualiter illuminat plures, & vox replet aures multorum, si sint in eadem sphæra, & capacitate; & ex hoc deducitur, quòd quamvis multi in magno numero sint præsentes eidem Sacrificio Missæ, si habeant eandem devotionem, & capacitatem, recipiunt æqualem fructum generalissimum, communem omnibus, ut dictum est supra. Secundò, potuisse quidem Deum facere, quòd etiam fructus mediùs, qui soli ei datur, pro quo Missa offertur, posset cum eadem Missa prodesse pluribus, sicut prodest illi soli; sed noluisse; & ita, & taliter ordinasse applicationem suorum meritorum in Missa, ut adinstar eleemosynæ, si pluribus dispensaretur, minor pars singulis contingeret. Idcircò opinio Marchini reprobatur à Tamburino *d.* §. 3. *num.* 11.

Ad nonum multæ sunt responsiones, quæ dantur *ad d. cap. Non mediocriter* 24. *de Consecrat. dist.* 5. Prima quòd ea verba sunt intelligenda de fructu
44 specialissimo, spectante ad ipsum celebrantem; qui tantum habet pro se, si offerat Sacrificium pro uno solo, quàm si pro pluribus. Ita Glossa *ibid. in Verb. Dum igitur.* Secunda; loqui textum illum de fructu ex operè operantis, qui fructus est, in una Missa celebrata cum devotione, & hilaritate mentis, æquivalens fructui centum Missarum celebratarum cum anxietate, & sine devotione. Ita eadem Glossa *ibi.* & Mastrius *in* 4. *sent. d. disp.* 4. *q.* 6. *num.* 123. Tertia, quòd etiam ex opere operato idem est fructus Missæ celebratæ pro una persona tantùm; ac celebratæ pro pluribus personis: sed non sequitur, tantam portionem dari singulis, si pro pluribus celebretur, quantum unus solus habet, si pro eo solo celebratio fiat. Ita Covaruvias *in cap. Alma Mater part.* 1. §. 5. *num.* 9. *infine.* Quarta est Pasqualigi *de Sacrific. Missæ quæst.* 123. *num.* 10. ubi ait, illa verba non esse Divi Hieronymi, sed addita à Gratiano, & desumpta à verbis Lupi de Oliveto in Regula Monachorum; collecta ex scriptis D. Hieronymi *cap. de Contemplat. Orat. & Lect.* & dicta verba sunt intelligenda de valore provenjente ex devotione, vel indevotione celebrantis, & sic ex opere operantis, idque manifestum est, quia loquitur ibi textus tam de Missa, quàm de recitatione Psalmorum; certum est autem, quòd Psalmi non dant fructum ex opere operato, sed provenit fructus ex devotione recitantis, qui fructus unius Psalmi recitati cum hilaritate mentis potest coæquare fructum centum Psalmorum recitatorum cum pigritia, & idem censendum est de Missa circa fructum ex opere operantis.

Ex hucusque deductis colligendæ veniunt sequentes conclusiones, valdè utiles tum ipsis Sacerdotibus, tum Parochis pro excitando populo ad devotionem erga Sacrosanctum Missæ Sacrificium.

Conclusio prima. Fructus generalissimus in unaquaque Missa destinatus est à Christo toti Ecclesiæ tam militanti, quam purganti, ut dictum est
45 supra *num.* 41. Hinc fit, quòd singula Sacrificia, quæ in toto mundo celebrantur, prosunt omnibus Christianis (excipe excommunicatos, & existentes in peccato mortali) vivis, atque defunctis, tum ad remissionem pœnarum pro peccatis jam condonatis debitarum; tum ad impetrationem bonorum, spiritualium, & temporalium, ut docet Suarez *in* 3. *part. D. Thom. tom.* 3. *disp.* 79. *sect.* 8. Vasquez, & Tannerus apud Gobatum *d. tract.* 3. *num.* 129. Hujus conclusionis clarum testimonium est oratio illa,
46 quam omnes Sacerdotes recitant celebraturi, *Ego volo celebrare Missam, & conficere corpus, &c.* quæ decorata est Indulgentia annorum quadraginta, toties quoties à Litaturis recitatur, per Gregorium XIII. ut ostendi in meis Decisionibus de Eucharistia *Decis. XLII. num.* 2. *&* 3. in ea enim profitetur Sacerdos, se oblaturum Sacrificium, *ad utilitatem suam, totiusque Curiæ militantis, & pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus suis ingenere, & in specie, & pro felici statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*; videlicet pro toto populo Catholico

Christiano ; & idem denotant formulæ pro utroque Memento.

Conclusio secunda ; De fructu Missæ non solùm generalissimo, sed etiam medio (saltem nisi iste tus ob stipendium debeatur uni soli) participant 47 omnes illi, qui aliquo modo coadjuvant celebrationem Sacrificii. Hos inter sunt æditui, ministri in Missa, & qui dederunt necessaria ad eam celebrandam, puta Calicem, paramenta, Hostias, Vinum, seu candelas. Gobat. *d. tract. 3. num.* 107. Hinc plures gratias receptas à custodibus Ecclesiarum, & ab his, qui Altaria ornata tenent, referunt Historiæ ; prout de illis, qui devote ministrant, & respondent Sacerdoti celebranti, quorum exempla plura narrat Sperellus *in Paræsi Teleturg. cap.* 22. 48 *per totum*, ubi *num.* 4. specialiter notat, quòd S. Thomas Aquinas quotidie Sacro inserviebat, & pluries in anno idem in Basilica Divi Marci facit Serenissimus, ac Pissimus Dux Venetiarum. De S. Wenceslao Duce Bohemiæ legimus in Breviario Romano *die* 28. *Septembr. lect.* 5. quòd ipse *Summa* 49 *religione Sacerdotes veneratus, suis manibus triticum ferebat, & vinum exprimebat, quibus in Missæ Sacrificio uterentur.* In vita S. Tresiæ scripta ab Illustrissimo, & Reverendissimo Didaco de Yepes Episcopo Tarraconensi, qui fuit Philippi secundi Regis Hispaniarum, nec non ejusdem Sanctæ Teresiæ Confessarius, de eadem Sancta *lib.* 3. *cap.* 20. refert, fuisse sollicitudinis eximiæ circa res omnes 50 spectantes ad divinum Eucharistiæ Sacrificium his verbis : *Haveva grandissima premura, che tutto quello, che apparteneva al culto, & alla veneratione di questo Santissimo Sacramento, fosse molto perfetto*, (Notent Parochi) *e molto netto ; non solo gl' Altari. Palliotti, Ornamenti, Corporali, e Calici ; ma le altre cose minori ancora ; e che più da lungi sono ordinate al suo culto, e riverenza.* Et paulò post narrat, cùm sibi celebraturo Sancta Teresia misisset mauntergium summè odoriferum, ipse eam reprehendit ; at ille respondit, ubi agitur de cultu incruenti Sacrificii, vellem, ut tota Ecclesia angelica aqua lustraretur ; quare ibi prædictus Auctor concludit : *Da questo sono venuti i suoi Frati, e le Monache ad essere tanto diligenti nel culto Divino, che non si trova simile pulitezza d' Altari in parte del mondo, che io conosca.* Repetendum hìc etiam est 51 exemplum illud, à nobis relatum supra *Decis. XIV. num.* 21. de nobili adolescente Vallisoletano, qui donaverat domum S. Teresiæ ad fabricandam Ecclesiam ; mortuus enim non multò post, meruit liberari à pœnis Purgatorii virtute primi Sacrificii, & primæ Missæ celebratæ in prædicta domo in Ecclesiam conversa, ut scribit ipsamet Sancta Teresia *tomo secundo suorum operum cap.* 15. Et quòd magnoperè proficiat ad auxilia gratiæ, & alia divina beneficia obtinenda, ædificare Ecclesias, in quibus Sacrosanctum Missæ Sacrificium Deo possit offerri, disserit etiam Hieronymus à Basilica Petri *in Ephemerid. Sacris tom.* 2. *calendis Februar. in Vita S.* 52 *Severi de Montefalco*, qui cùm reperisset thesaurum, data Imperatori medietate, aliud dimidium in constructione Ecclesiarum consumpsit ; & in Sanctorum numerum meruit collocari. Ex quibus, & consimilibus exemplis poterunt Parochi pietatem fidelium excitare, præcipuè divitum, & nobilium hominum ; ut se liberales reddant erga Ecclesias, & in necessariis pro incruento Missæ Sacrificio, ex cujus jugi celebratione, etiam post eorum obitum, magnam fructus portionem reportabunt, Gobat. *d. tract. 3. n.* 107. & 108.

Tertia Conclusio : Ipsi Mystæ, & Sacerdotes devotè celebrantes habent in omni sacrificio, quòd litant, suum specialissimum fructum ; qui quidem non solùm est æqualis fructui medio competenti 53 stipem danti pro Missa ; sed etiam major ; tum ex ministerio proximioti, tum ex majori devotione, & fide, quæ inter celebrandum multipliciter excitantur ; ut scribit Gavantus *in Rubric. Missal. d. part.* 2. *tit.* 8. *num.* 3. *litt.* P. & admittit Gobat. *d. tract.* 3. *num.* 139. Ex quo comprehendere licet, quanta laude digni sunt tum Sacerdotes, qui quotidiè devotè celebrant, tum fideles, qui frequenter Missam piè audiunt ; omnes enim reportant à Missa fructum specialissimum, etiam ex opere operato, ut probat Suarez *in* 3. *p. disp.* 79. *sect.* 8. *vers. Quartò de cæteris.* At è contra quàm reprehensibilis sint illi, qui charactere Sacerdotali insigniti abstinent à Sacrificio ; hi enim (ut ajebat Ven. Beda, relatus à Gabriele Biel *in Canone Missæ lect.* 87.) quantum in eis est, privant SS. *Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, pectatores venia, justos subsidio, & gratia ; in Purgatorio existentes auxilio, Ecclesiam speciali Christi beneficio, & seipsos medicina, ac remedio.* Præterquam quod probabilior est opinio Doctorum scribentium, Sacerdotem aliquoties in anno ad Altare non litantem pec- 54 care mortaliter, per textum in *in cap. Dolentes* 6. *De Celebratione Missar.* ubi Berbosa DD. allegat *n.* 12. & Fagnanus *in eod. cap. Dolentes à num.* 3. *& seqq.* subdens, quòd multò magis Episcopi debent saltem semel in hebdomada celebrare : quinimò non decet, eos transire absque causa rationabili ullam diem, qua Missam, vel dicant, vel audiant, ut est expressum *in cap. fin. de Privileg. in* 6. Et de obligatione Sacerdotum Prælatorum, & Antistitum frequenter Missam celebrandi, videnda est elegans, 55 sed fortissima concio Joannis Pauli Olivæ Generalis Societ. JESU ex his, quæ habuit in Palatio Apostolico, & est *in secunda parte Concio XIII. alias LI.* digna quidem, ut à Mystis omnibus legatur.

Quarta tandem conclusio : Licitum est Sacerdotibus accipere stipendium pro celebratione Missa- 56 rum, nec argui possunt de Simonia, quando celebrant principaliter ob Divinum cultum, & salutem animarum, & secundariò propter stipendium, ad eorum sustentationem ; ex doctrina S. Thomæ *in Quodlibet.* 8. *art.* 11. relata per Cardenam *in Crisi Theologica Posthuma Dissert.* 27. *n.* 102. Quod etiam ostendit Mastrius in Theolog. Moral. *d. disp.* 19. *n.* 75. Sed est omninò illicitum accipere plura stipendia pro pluribus Missis, & iisdem satisfacere unius tantùm Missæ celebratione, tum quia id 57 prohibitum est in Decretis Urbani VIII. de celebratione Missarum anno 1625. (quæ leguntur penes pacem Jordanum *tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 515. Tamburinum *de Sacrific. Missæ lib.* 3. *cap.* 1. §. 1. *n.* 7. *& seqq.* & Gobatum *d. tract.* 3, *num.* 518.) tum etiam quia id damnatum est ab Alexandro VII. in propositionibus scandalosis, anathematizatis *Anno* 1665. quas per extensum ponit idem Cardenas *in Crisi Theologica part.* 1. *tract.* 1. *disp.* 19. *n.* 322. nec non novissima Summa Diana *in fine voluminis.* & Busembaum impressus Venetiis Anno 1686. pariter *in fine libri.*

Verba Decreti Urbani sunt ista : *Deindè ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis, plu-*

plura stipendia quantumcunque incongrua, & exigua.
58 *sic ab una, sive à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, &c. Sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint* (utique à dante eleemosynam, ut eadem Sacra Congregatio declaravit super dubio secundo) *itaut alioquin ii, ad quos pertinent, suæ obligationi non satisfaciant; quin imò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.*

Propositiones verò damnatæ ab Alexandro VII. sunt sequentes. Octava. *Duplex stipendium potest*
59 *Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere; applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani VIII.* Decima. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Quòd si quærat Lector, an detur casus, in quo pro una Missa recipi possint plura stipendia? Affirmant Tamburinus *de Sacrificio Missæ d. lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 66.* si stipendia justo minora forent; & Sacerdos ille è necessitate adactus sic illa recipere. Idem concedit Cardenas *in Crisi part. 1. tract.*
60 *2. disp. 20. num. 120.* Si Mysta sit in gravi necessitate, & qui dat stipendium pro Missis sit dives; nam, ait, recipit Sacerdos stipendia non pro Missis, sed pro debito, quòd ille dives habet de jure naturæ, eleemosynam sibi tradendi. Prædictis tamen suæ Societatis Patribus non consentit Gobat. *d. tract. 3. num. 568.* quia numquam licita est fraus, à qua excusari non potest talis Sacerdos, qui suæ indigentiæ consulere debet modis licitis, vel apertè manifestando suam necessitatem; præterquam quòd, cùm nullus ordinetur in Sacris absque sufficienti titulo, vel Patrimonio, ut hic Patavii rigorosè servatur, non est probabilis dicta gravis necessitas, nisi in Religiosis malæ vitæ, & ad vitia propensis. Et etiam in casu inculpabilis supervenientis paupertatis, Missa non est instituta instar mechanicæ artis ad sustentandam vitam corporalem Sacerdotum, ut ait Diana *part. 11. tract. 8. resol. 67. §. 7.* qui aliquo licito labore debent sibi victum procurare. *cap. Clericus. dist. 91. cap. Nunquàm conseeret dist. 5.* Quare Litantes ad Aras Sacras sciant, se unico stipendio pro unoquoque Sacrificio contentos esse debere, aliàs peccare mortaliter, & restitutioni esse obnoxios.

DECISIO XXXIV.

ARGUMENTUM.

Utrùm fructus Missæ Latreuticus, Satisfactorius, Propitiatorius, & Impetratorius sint separabiles, & independentes à se, itaut in una Missa possint diversis personis, & ad diversos fines applicari? Prædicti fructus an semper dentur infallibiliter ex opere operato? Sacerdotes non celebrantes an graviter peccent? Exempla apparitionum Animarum duarum Purgatorii de anno 1640. & 1658. Æs alienum solvendum in hac vita. Pœnalitates juvant mortuos.

SUMMARIUM.

1 *Fructus Missæ diversi an diversis applicari possint?*
2 *Missa continet in se omnia Sacrificia Mosayca.*
3 *Capellanus an pro quatuor petentibus Missam ad diversos effectus possit eam celebrare?*
4 *Fructus Missæ sunt separabiles, & divisibiles.*
5 *Missa absque stipendio est applicabilis pluribus ad diversos fines.*
6 *Stipendiis pluribus unica Missa non satisfacit.*
7 *Stipendia plura pro eadem Missa recipi possunt, si dantes illa expresè consentiant.*
8 *Satisfactorius fructus Missæ infallibiliter datur ex opere operato tam vivis in gratia existentibus, quàm animabus Purgatorii.*
9 *Impetratorius fructus Missæ an detur infallibiliter ex opere operato?*
10 *Sacerdotes negligentes celebrare, vel differentes nimis peccant mortaliter.*
11 Lume à Vivi dall' esempio de Morti, *Liber utilissimus.*
12 *Anima adolescentis defuncti anno 1658. apparuit amico suo, & petiit suffragium sex Missarum.*
13 *Anima cujusdam Parochi Anno 1640. & 1641. ter apparuit, & postulavit à Parochiano suo plura suffragia.*
14 *Jejunia, & disciplinæ juvant animas Purgatorii*
15 *JESUS, MARIA. & Laudatum sit Sanctissimum Sacramentum, ajunt animæ Purgatorii,* & num. 17.
16 *Manus ignita signum impressum in humero hominis ab anima Purgatorii.*
18 *Crucis signum impressum ab Anima Purgatorii in brachio Viri.*
19 *Sacerdos rarò celebrans graviter peccat.*
20 *Peccatum non remittitur, nisi restituatur ablatum.*
21 *Solutio debitorum est de jure naturali Divino.*
22 *Debito non est absolvendus, qui non vult restituere in vita.*
23 *Purgia cum proximis luuntur in Purgatorio.*
24 *Parochi tenentur dare exempla mansuetudinis.*
25 *Audire Missam prodest animabus Purgatorii.*
26 *Pœnalitates hujus vitæ juvant animas Purgatorii.*

FIrma remanente doctrina, quòd plura stipendia recipi non possint pro uno Sacro faciendo; neque unius Missæ celebratione posse pluribus stipendiis satisfieri; disputant Theologi, cum fructus Sacrificii sint diversi, an eos dividere possit 1
Sacerdos in Missa, illosque applicare diversis personis, vel ex sua devotione, & liberalitate; vel etiam accipiendo stipem?

Pro intelligentia repetendum est memoriter, quod explicuimus supra *Decis. XIV.* Missæ scilicet Sacrificium continere in se omnia genera Sacrificiorum Mosaycæ Legis, quæ fiebant in Dei honorem, & 2
gratiarum actionem; ad Deum propitiandum, ad beneficia impetranda; & ad satisfactionem pro peccatis; quapropter fructus Sacrificii Missæ, vel est *Latreuticus*, & *Eucharisticus*; quatenus offertur ad Dei gloriam, ac in gratiarum actionem pro receptis beneficiis; vel est *Propitiatorius*, dum quis petit remissionem culparum, & emendationem vitæ; vel *Impetratorius*, quando postulatur aliquod beneficium vel spirituale, vel temporale; vel tandem est *Satisfactorius*, dum applicatur pro satisfactione pœnarum, quas quis debet pro peccatis remissis.

3 Dubitatur itaque an Sacerdos possit hos fructus dividere, & diversis applicare? Sit exemplum. Capellanus Monialium Istaturus ingreditur Ecclesiam; Sacristiæ Præfecta cupiens prolutam supellectilem Sacram feliciter ab ardenti Sole Siccare, petit Missam pro aeris serenitate: Matrona habens filium concubinarium, ejus conversionem cupiens, petit Missam pro remissione peccatorum. Vidua pro anima mariti defuncti, ut à Purgatorio exeat, Sacrum postulat, & educanda in eodem Monasterio intelligens, se è parentibus desponsatam nobili adolescenti, pro gratiarum actione Missam flagitat. Ecce quatuor diversi fines sacrificandi, ob quatuor diversos effectus, Impetrationis serenitatis aeris, conversionis peccatoris, satisfactionis pro pœnis Purgatorii, & actionis gratiarum. Quæritur, an Cappellanus prædictus unico Missæ Sacrificio omnibus satisfacere possit; litando juxta mentem, & intentionem harum quatuor personarum?

4 Consedunt omnes Doctores per voluntatem Sacrificantis posse hos fructus Missæ separari, & divisim applicati, juxta ejus arbitrium, sunt enim independentes ab invicem, & nullibi prohibitum legitur, eos esse simul applicandos; ideóque licitum fore Sacerdoti, pro sua voluntate de illis disponere; ut doctè ostendit Gobat *d. tract. 3. Theolog. Experim à num. 141. & seqq.* Tamburin. *de Sacrific. Missæ d. libr. 3. cap. 1. §. 3. num. 43.* & Marchinus *de Ordine tract. 3. part. 2. cap. 17.* Verùm quòd ad praxim talis divisionis, & divisæ applicationis, eam non approbant, nisi in duobus casibus. Primus
5 est, quando Sacerdos ex sola liberalitate celebrat, & piis petitionibus supradictis vult satisfacere absque stipendio. In hoc enim casu potest divisim applicare fructus Missæ; ea ratione quia liberalis promissio ita est interpretanda, ut minùs sit onerosa promittenti. *l. Quidquid ad stringendæ. ff. de Verb. obl.* Menochius *de Præsumptionib. lib. 6. præsumpt. 9.* Lezana *in Summa tom. 4. Verb. Missa n. 22.* Tamburin. *d. lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 47.* & Gobat. *d. tract. 3. n. 158.* At si stipendia pro prædictis fructibus exbur-
6 sentur, iisdem fieri satis non potest unica Missa; tum ob prohibitionem resultantem & Decretis Urbani VIII. tum quia qui Missam petunt, intendunt consequi fructus omnes ex eadem Missa provenientes. Tamburin. *d. §. 3. num 46.* Gobat. *d. tract. 3. n. 153.* Quartus *in Rubric. Missalis post. 3 part. in Appendice de Sacrificio quæst. 4 punct. 3. difficul. 2.* & alii allegati per Dianam *part. 6. tract. 6. resol. 9.* posita in Coordinato *tom. 2. tract. 1. resol. 31. §. 3.* Nec non Giballinus *de Simonia quæst. 18. Confect. 7. num. 17.*
7 Alter casus est, si postulantes Missam, & pro ea stipem dantes, expresè declarent, non prætendere nisi unum ex prædictis fructibus Sacrificii; tunc enim, quia volenti, & consentienti non fit injuria, poterit Mysta, tuta conscientia, acceptare plura stipendia, & divisim fructus requisito applicare. Quartus *d. difficult. 2 Vers. Colligitur secundo.* Tamburinus *d. lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 44* Bordonus *Var. Resol. part. 1. resol 25. num. 18.* & Mastrius *in Theolog. Moral. d. disp. 19. num. 79.* Ex his deducenda veniunt nonnulla notabilia.

Primum Notabile. Ex Prædictis fructibus ille,
8 qui est satisfactorius, & operatur remissionem pœnarum, conceditur, & habetur semper ex opere operato infallibiliter, idest ex ipsa Sacrificii institutione, & ejusdem Christi promissione independenter à merito, & probitate operantis, dummodò non inveniat obicem, idest culpam non remissam, ut ex Doctrina Scoti probat Mastrius *in 4 sent. disp. 4. quæst. 6. num. 113.* & in Theologia Morali *d. disp. 19. num. 47.* idcirco, quia in animabus Purgatorii esse non potest obex culpæ mortalis, eædem consequuntur infallibiliter fructum satisfactorium cujuscumque Missæ pro eis oblatæ; quemadmodum & justi in hac vita in gratia Dei viventes. Nicolius *in Flosculis d. Verb. Missa num. 2.*

Secundum notabile. De fructu impetratorio Sacrificii Missæ, per quem nobis impetrantur à Deo auxilia gratiæ ad pœnitendum, & ad alia bona opera exercenda; obtinenturque alia beneficia 9
etiam temporalia; an detur semper infallibiliter? sunt discordes Theologi: alii enim negant, alii affirmant, quos longa manu cumulat Pasqualigus *de Effectibus Sacrificii Missæ quæst. 57.* ubi affirmantibus adhæret, & allegat hujus opinionis fortissima argumenta; concludens; quòd, licèt non statim effectus impetratorius suum sortiatur effectum, quia non habet tempus determinatum, sed pendet ex voluntate Dei; nihilominus ex occulto suo judicio possunt differri hæc auxilia usque ad tempus mortis; quod advertit etiam Sperellus *in Paraenesi Teleturg. cap. 7. num 2. & 3.* nec non *cap. 9. num. 7.* ubi refert exemplum Equitis à se cogniti, qui cum pessimis moribus esset, suffragio Missarum emendationem fuit assecutus, & ego quoque testari cum veritate possum, non semel perversorum hominum, in discrimine vitæ constitutorum, confessiones generales audivisse, eosque tanta, & tali contritione suscepisse Sacramenta, atque mortem opetiisse, ut ex devotione erga Sacrosanctum Missæ Sacrificium, quam, etsi in peccatis demersi habuerunt, hujusmodi auxilia gratiæ cœlestis eis fuisse concessa, non sit dubitandum.

Tertium Notabile. Sacerdotes negligentes in celebrandis Missis, ad quas tenentur, peccant mor- 10
taliter, propter notabile damnum spirituale, seu temporale, quod afferunt, sic differendo, illis, pro quibus tenentur eas Missas dicere. Sylvester *Verb. Missa 1. quæst. 10. in fine.* Petrus Navarra *lib. 2. cap. 2.* Bonacina, Fraxinellus, & alii apud Lezanam *d. tom. 4. Verb. Missa num. 8.* ubi subdit, quòd aliquando, ultra peccatum, tenentur ad restitutionem stipendii; & ponit Decreta Sacræ Congregationis præcipientis, ne accipiantur onera Missarum, quibus infra modicum tempus satisfieri non possit, saltem absque consensu stipem dantis; quale autem reputandum sit modicum tempus? Idem Lezana refert Auctores autumantes alios consistere in quinquaginta, vel sexaginta diebus; alios in octo, vel decem diebus tantùm, & non ultra; ipse verò ait, *ibid. num. 39.* prudentis arbitrio id relinquendum fore, pensatis circumstantiis loci, temporis, Missarum dicendarum, & Sacerdotum, qui illas dicere debent; nam esse potest, quòd nulla mora detur absque peccato, si Missa dicenda sit pro præsenti infirmitate, tribulatione, expeditione litis, vel negotii instantis.

Et quoniam scopus harum Decisionum est, ut studiosi Parochi discant ex eis, non solum sibi, sed suis ovibus in spiritualibus proficere; me delectat hic transcribere nonnulla exempla, desumpta ex- 11
aureo libello, cujus titulus *Lume à vivi dall' Esempio de morti*, typis evulgato Venetiis Anno 1680. apud Stephanum Curti; in quo leguntur plurimæ

appa-

apparitiones Animarum Purgatorii, quas habuit Ven. Mater Francisca à SS. Sacramento Carmelita Discalceata; & quas Annotationibus illustravit Illustrissimus, & Reverendissimus Joannes Palafox Mendoza Episcopus Oxomensis, piissimus, & doctissimus Antistes, qui etiam commentaria fecit ad Epistolas Sanctæ Teresiæ.

12 Igitur in prædicto libello *num.* 25. narrat ex juridica formatione processus, sibi constitisse, quòd Anno 1658. die 5. Mensis Februarii, anima cujusdam adolescentis apparuit amico suo de eadem Diœcesi Oxomensi, & illi ait: *Vi ricordate della parola, che ci dassimo l'uno all' altro, che à chi morisse prima, si dovessero far celebrare dall' altro sei Messe? Rispose con qualche turbazione, essere vero quanto diceva, e che della promessa si era dimenticato; però l'assicurava di fargliele celebrare con ogni brevità, ed altre di più, se ne haveva dibisogno. Alche rispose, che non ne aveva bisogno di più; però se ne voleva far dire dell' altre, fossero per l'anime del Purgatorio; però, che non l'obligava à quelle, mentre se ne andava à godere Iddio.*

Quarum Missarum celebratio statim fuit completa pro liberatione illius animæ, quæ de hac vita ante novem annos exierat ictu sclopi in ipsum adolescentem relaxato à militibus, quo die idem adolescens communicatus fuerat.

Majoris ponderis est aliud exemplum, positum in eodem libello *sub num.* 146. extractum ex legali
13 processu, formato de mandato Illustrissimi, ac Reverendissimi D. Gonzalez Velasci Episcopi Calaguritani, in quo probatum, & relevatum fuit, Animam quondam Antonii Martinezii Curati Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ de Stella, defuncti die 6. Aprilis 1639. ter apparuisse cuidam honesto viro Parochiano suo, videlicet die 29. Novembris 1640. die 12. Decembris ejusdem anni; & die 12. Januarii 1641. Prima vice, cùm ei manifestasset, se esse animam prædicti sui Parochi defuncti, eidem ita injunxit: *Anderai al Curato di S. Maria della Stella, e li dirai, che si dicano per l'anima mia diecinove Messe lette nell' Altare della Santissima Vergine della Stella; e cinque Salve cantate; e che si paghino de miei beni per la fabrica di detta Chiesa otto Ducati, quali avevo offerto darli in vita, e nel tempo della morte me ne scordai; e similmente, che si paghino ad Agnese Mingnez mia serva quattro Ducati, che li restai dovendo del suo Salario: & à Giovanni Saenz da Muniglia quattro carlini, che si scordò in mia casa nel darli certo denaro; & à Diego Idiachez Collettore dell' Anime otto carlini, che li doveva per limosina. E dimanderai perdono in mio nome à Pietro Martinez de Romero Scrivano del numero di detta Villa per un aggravio, che li feci in farli levare l'officio di Scrivano per alcune lettere poco vere, che io scrissi al Signor Duca di Medina Celi. E lo stesso farai à Gio: Saenz di Muniglia per una falsità, che supposi mi havesse aperto alcune lettere, e fu bugia, e per questo lo trattai molto male con parole, e gli dissi molte ingiurie. Anco dimanderai perdono in mio nome ad Anna Ximenez, Vedova di Sebastiano Menga, perche feci una lite molto acerba con essa lei un giorno appresso il macello, e gli dissi molte parole ingiuriose, poiche mi domandava alcuni denari, che io non gli doveva.*

Sequitur deindè prædicta Anima rogare eundem virum Parochianum suum, ut jejunet septem sextis feriis in Pane, & Aqua; faciatque ter disciplinam, cum confessione, & communione, subdens: *perche ti fò sapere, che le due discipline mi furono* 14 *poste in penitenza: e l' altra offerii io di mia volontà, e con nissuna compii. Queste tre discipline applicherai per le mie obligazioni, necessità, e travagli, facendole con ogni affetto, e devozione. Anche nel decorso di quelle sette Settimane sentirai per me settantadue Messe lette, perche queste lasciai di dirle in giorni, che potei celebrarle, e non lo feci per mia flossezza, e negligenza. Et anche cinque volte visiterai cinque Altari, applicando l'Indulgenze per l'anima mia; e procurerei quanto puoi di fare queste opere in servizio di Dio, & in stato di gratia. acciochè siano più meritorie innanzi la sua Divina presenza.*

His auditis dixit Parochianus ad animam illam, timeo, ne Curatus Sanctæ Mariæ de Stella non credat mihi: tunc Anima ipsa respondit, in signum veritatis, narrabis ei talia, & talia verba, quæ ego, antequam morerer, locutus sum cum eo, Abiit itaque Parochianus, significavit visionem Curato, sed oblitus fuit plura, & cœpit jejunare, & alia facere sibi injuncta.

Secunda autem vice die 12. Decembris 1640. iterum apparuit anima illa eidem Viro Parochiano suo, qui statim dixit, *Jesus, & Maria: Laudatum sit Sanctissimum Sacramentum.* Et Anima respondit, *Ita sit in æternum.* Ne timeas, ego sum An- 15
tonius Martinez de Sancto olim Parochus tuus, qui locutus fui tecum; & indoluit, quòd non retulerit Curato omnia ei imposita; nam dixerat, esse celebrandas decem Missas tantùm; & solvendos Agneti famulæ quatuor Carlinos, & veniam petendam à Vidua Anna Ximenez, quod non fecerat. Parochianus ait, ob timorem, & terrorem hæc sum oblitus, sed adimplebo statim; iterum tamen dixit, gens est incredula, & putant omnes, me somniare; tunc Anima addidit, dabo tibi signum manifestum, & imposuit manum super humerum ejus dexterum; & statim ob dolorem Vir ille in terram cecidit, & Anima evanuit; cumque surgere non posset, post duas horas à viatoribus, qui supervenerunt, ductus fuit domum, & ascito Curato, ei significavit hanc secundam visionem, & visitato humero per Chirurgum, repertum est signum quasi unius manus, ac quinque digitorum; cumque dolor esset intolerabilis, voluit Parochianus ille, ut eum ducerent in Ecclesiam, & ad Altare Deiparæ de Stella illum ungerent illius Lampadis oleo, prout factum est ubique orans, magno sudore correptus, cessavit dolor. 16

Continuavit subindè devotiones, & pœnitentias ab Anima requisitas; Curatus quoque celebravit omnes 19. Missas, & solutiones fecit pecuniarum; & mense transacto, scilicet die 12. Januarii 1641. in meridie, cùm Parochianus ille custodiret in campo oves suas, vidit splendorem magnum in aere, & audivit vocem dicentem sibi: Francisce, Francisce, tibi gratias ago pro pœnitentiis completis; ego sum Antonius Martinez de Sancto, & ad gloriam vado Paradisi. Tunc Franciscus ait: Dic *Jesus Maria*, & fac mecum tibi signum Crucis. Respondit Anima illa; si tu semel, ego millies di- 17
co Jesus Maria cum cœlitibus omnibus; & signum Crucis facio tibi in brachio dextero, & splendor ille, qui erat in aere, elevatus est ad cœlum; cumque Franciscus sentiret ardorem in brachio, manica detracta, vidit in carne sua sculptam pulcherrimam Crucem; quam Judices in formatione processus pariter impressam in ejus brachio viderunt. 18

Hæc in summa est relatio trium illarum vi-

visionum, quæ fusiùs scriptæ sunt in Processu; super quibus antedictus Episcopus Oxomensis in prædicto libello *à num.* 149. facit plures observationes; nos autem, brevitatis causa, quatuor tantùm notabimus. *Unum*, quòd Parochus ille torquebatur igne Purgatorii ob Missas decem, & novem ex pigritia non celebratas; ex quo comprobatur opinio per nos relata in antecedenti *Decis.* 19 *XXXIII. num.* 54. quòd Sacerdos rarò celebrans, graviter peccat; hic enim, etsi frequenter celebraret, nam Parochus erat, quia aliquando desidiosus abstinuit a celebratione, luit pœnam in alia vita; peccavit enim contra charitatem, privando animas Purgatorii refrigerio proveniente ex Sacrificio; ideò id notent omnes insigniti charactere Sacerdotali, & rarò celebrantes; consulantque sibi super hoc peccato omissionis, & nolint, pretiosum talentum tenere otiosum, & involutum in sudario abscondere subtus terram; prout ille servus nequam, de quo *Matth. 25. vers.* 18. ubi Tirinus ait: *Tales sunt qui vel pusillanimitate, vel laboris formidine, vel otii appetentia subterfugiunt charitatis officia.*

Alterum notandum est restitutio pecuniarum, quam Parochus ille facere debebat, & rogavit, ut fieret tum famulæ suæ Agneti, tum aliis personis; ex quo verissimam esse conspicimus sententiam il-20 lam Sancti Augustini: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. cap. Primo 14. quæst. 6.* quia non fuit remissa pœna ignis huic defuncto, antequam restitutio adimpleretur, quod utinam considerarent omnes illi Parochi, & possessores beneficiorum, qui negligentes sunt in solvendis oneribus publicis, quæ incumbunt suis Ecclesiis, & illa relinquunt solvenda à successoribus; peccant enim mortaliter contra justitiam, & nisi verè pœniteant salvari non possunt; quia obligatio solvendi quod quisque debet, non solùm est de Ju-21 re Canonico, sed de Jure Naturali, & Divino, ut plenè probat Eminent. Cad. de Lauræa *in* 3. *sent. tom.* 2. *de Justitia commutativa disp.* 23. *art.* 1. Et quatenus etiam obtineant remissionem culpæ per pœnitentiam ante mortem, non effugient pœnam in Purgatorio, donec resarciantur successores in beneficiis pro damno, quod patiuntur in publicarum gravedinum solutione. Et quis resar-22 ciet? Idem advertendum à confessariis circa debitores livellorum, & legatorum; meminisse enim semper debent, non posse absolvi illum, qui potest in vita restituere, & vult committere restitutionem hæredibus, ut docet Cotonius *in suis Controversiis libr.* 2. *Controvers.* 9. *num.* 160. à qua doctrina non est ausus discedere neque ipse Diana *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 104. Quæ residet in opere Coordinato *tom.* 1. *tract.* 4. *resol.* § 1.

Tertium, quod notare juvat, est petitio veniæ, quam Anima Parochi rogavit fieri ab illis, cum qui-23 bus jurgia habuit; verificatur enim quod Dominus dixit in Evangelio *Matth.* 5. *Vers.* 22. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Subdens ibidem pœnas, quas patietur ille, qui sola verba contumeliosa protulerit in proximum, ut fecit Parochus iste contra Petrum, & Annam de sua Parochia, quamvis crederet, se justam causam jurgandi contra eos habere; tenebatur enim, tanquam 24 Pastor animarum, iisdem dare exemplum mansuetudinis, & patientiæ: juxta dictum Apostoli *ad Tit.* 2. *vers.* 8. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum.* Actio autem iracunda in Parocho, quamvis cum justa causa, est reprehensibilis; nam de hoc Deus reprehendit Sacerdotes per Ezechielem *cap.* 34. *vers.* 4. his verbis: *Cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* Quare cauti sint Pastores animarum in servanda mansuetudine, & sæpè legant libellum Pauli Segnerii, cujus titulus est *Il Parroco Istruito* præcipuè *in cap. XI. cap. XVI. & cap. XIX.* ubi de bono exemplo per Parochos ovibus suis præstando.

Quartum tandem notandum est, quod Anima prædicti Parochi, ut à gehenna Purgatorii liberaretur, petiit ab eodem Parochiano suo, tum ut Missas septuaginta duas audiret, & quinque Altaria visitaret; tum ut ter disciplinam faceret: sibique has satisfactiones, & indulgentias applicaret; undè manifestum fit, Missæ Sacrificium, si devotè audiatur pro Animabus Purgatorii, plurimùm eis prodesse; & easdem valdè juvari operibus pœnalibus, quas homines Christiani suscipiunt faciendas in hac vita pro mortuis; vel sibi illatas undequaque patienter sustinent, quod docet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. & eruditè demonstrat Emin. Cardin. de Lauræa *in* 4. *sent. tom.* 2. *disput.* 13. *De satisfactione Pœnitentiali artic.* 6. *per totum.* Quare solliciti esse debemus circa tolerantiam afflictionum, & malorum, quibus ex Dei pro-26 videntia exercemur in hac vita; mirificè enim prosunt ad satisfaciendum pro pœnis, quas debemus, pro patratis culpis; vel quas luere debent animæ aliorum in igne Purgatorii. 25

DECISIO XXXV.

ARGUMENTUM.

Disputatur. An fructus specialissimus Missæ, proprius Sacerdotis celebrantis, possit per eum, accepto stipendio, alteri applicari? Referuntur argumenta pro utraque opinione: & eligitur Affirmativa, quò ad validitatem applicationis: Negativa, quò ad receptionem stipendii, quæ est illicita, & prohibita tum ab Urbano VIII. anno 1626. tum ab Alexandro VII. anno 1659. Avaritiam ab omnibus Ecclesiasticis evitandam esse, auctoritatibus, & exemplis modernis Sacerdotum luentium pœnas in Purgatorio confirmatur.

SUMMARIUM.

1 *Fructus Missæ ex opere operantis satisfactorius, & impetratorius potest à celebrante aliis applicari.*

2 *Fructus Missæ triplex generalissimus, medius, & specialissimus.*

3. *Fructus Missæ specialissimus an validè à Sacerdote cedatur alteri?*

4 *Quilibet in re sua est moderator, & arbiter,* & num. 27.

5 *Satisfactio resultans ex propriis bonis operibus potest à quocunque alteri applicari.*

6 *S. Franciscus Xaverius fecit disciplinam pro satisfactione militis sui pœnitentis.*

7 *Celebrans potest nolle pro se fructum Missæ specialissimum.*

8 *Missam audientes possunt applicare fructum aliis.*

9 *Fa-*

9 *Favori pro se introducto quilibet renunciare potest.*
10 *Beneficium non confertur in invitum.*
11 *Publicæ voluntati, & utilitati privata cedere debet.*
12 *Nemo potest eodem tempore velle, & nolle.*
13 *Mandatarius non debet excedere fines mandati.*
14 *Proprium semper sequitur suum subjectum.*
15 *Sacrificans non potest alterare naturam Sacrificii.*
16 *Remissio pœnarum in Sacramento baptismi, & pœnitentiæ an possit applicari alteri, quàm baptizato, & pœnitenti?* & num. 28.
17 *Quæ personalia sunt, non separantur à persona.*
18 *Disputabile, & incertum est, an Sacerdos possit alteri cedere fructum suum specialem in Missa.*
19 *Fructus impetratorius, & satisfactorius proprius celebrantis potest alteri cedi,* & num. 22.
20 *Fructus Meritorius in Missa quomodo detur?*
21 *Nullus de condigno meretur pro alio.*
23 *Ecclesia non prohibet Sacerdoti applicare alteri suum fructum specialem in Missa.*
24 *Vineæ Dominus quomodo velit, & nolit fructus vineæ.*
25 *Fideles se adinvicem orationibus juvare debent.*
26 *Proprium, & suum æquipollent.*
28 *Confessarius an possit pœnitentis pœnitentiam applicare animabus Purgatorii?*
29 *Baptizatus in eo actu debet pro se recipere fructum baptismi.*
30 *Volente persona, personalia jura cedi possunt alteri.*
31 *Stipendium an licitè accipiatur pro fructu speciali Sacerdotis?* & num. 34.
32 *Decretum S. Congregationis Concilii Anno 1626. circa stipendia Missarum, & Anno 1627.*
33 *Decretum ejusdem Sac. Congr. Concil. de Anno 1659. prohibens accipere stipendium pro fructu Missæ speciali ipsius celebrantis.*
35 *Fructus specialis Missæ non datur celebranti, nisi sit in gratia.*
36 *Nemo absque revelatione scire potest, an sit in gratia.*
37 *Simonia est recipere stipendium ob fructum specialem Missæ.*
38 *Simonia est vendere laborem annexum operi Sacro.*
39 *Stipendium celebranti datur ob sui substentationem.*
40 *Parochi quo die tenentur celebrare ex officio, non possunt accipere stipem pro applicatione Sacrificii.*
41 *Avaritia prorsus fugienda.*
42 *Exempla Sacerdotum pœnas luentium in Purgatorio ob avaritiam.* & num. 43.

CUm olim interrogatus fuerim super casu sequenti, placuit de eo disserere, & ejus resolutionem hoc in loco ponere. Casus est iste: *Pia persona offert stipem Sacerdoti celebraturo, ut sibi applicet, atque cedat ejusdem Sacerdotis proprium, & personalem fructum. Quæritur an Sacerdos annuens, & stipem accipiens validè, ac licitè cedat, & applicet?*

Pro recta hujus casus dilucitatione recolligenda sunt, quæ diximus supra, videlicet: Primò, quòd fructus Missæ alius est ex opere operato, & alius ex opere operantis, ut *in Decis. XXXIII. num. 11*, difficultas autem præsentis casus non versatur circa fructum ex opere operantis; hunc etenim, saltem ut satisfactorium, ac etiam ut impetratorium posse alijs per celebrantem cedi, & applicari concedunt omnes Doctores. Mastrius *in 4. sentent. disput. 4. quæst. 6. num. 124. Vers. ad confirmationem.* Gobat *in Theolog. Experim. tract. 3. n. 144.* & Tamburin. 2
de Sacrific. Missæ libr. 3. cap. 1. §. 3. num. 69. Idcircò quæstio nostra versatur circa fructum ex opere operato. Secundò est pariter memoria repetendum, quòd fructus Missæ ex opere operato est triplex; generalissimus, qui toti Ecclesiæ Catholicæ communicatur; medius, quem recipit ille, ad cujus instantiam celebratur Missa; & specialissimus, quo donatur ipse Sacerdos celebrans. Tambur. *d. lib. 3. cap. 1. §. 1. num. 3.* & nos *d. Decis. XXXIII. num. 41.* Dubitatur itaque, an Sacerdos celebrans possit hunc fructum specialissimum, & sibi proprium applicare alteri, ipsum petenti, & pro eo stipem offerenti? & de duobus dubitari potest, scilicet an valide? & an licitè hæc applicatio fieri possit?

Quo ad primam partem dubii; Utrum Sacer- 3
dos celebrans possit validè applicare alteri suum fructum specialissimum, sunt duæ contrariæ Theologorum opiniones. Alii negant; alii affirmant. Affirmantium hæc sunt potiora argumenta.

Primò. Quilibet in re sua est moderator, & 4
arbiter. *l. In re mandata. C. Mand.* Sed hic fructus specialissimus est ipsius Sacerdotis celebrantis. Ergo ad ejus arbitrium potest de illo disponere, & alteri applicare.

Secundò. Fructus specialissimus est ejusdem rationis cum fructu medio. Sed fructus medius est applicabilis alteri. Ergo & iste specialissimus.

Tertiò. Quilibet potest applicare alteri, satis- 5
factionem resultantem ex propriis bonis operibus, sive, vivo, sive defuncto. Mastrius *in 4. sentent. disput. 5. quæst. 23. n. 620.* Hinc S. Franciscum Xaverium onus faciendi disciplinam suscepisse pro militis confessi satisfactione, qui eam detrectabat sus- 6
cipere, narrat ex Tursellino, & Bartolo Gobat *in Theolog. Experim. tract. 7. num. 763. Vers. Octava.* Ergo etiam Sacerdos celebrans potest alteri cedere fructum satisfactorium, sibi ipsi provenientem ex Sacrificio.

Quartò. Potest Sacerdos non sibi reservare talem 7
fructum, sed relinquere illi, pro quo Missam offert. Ergo poterit etiam validè illum alteri offerre.

Quintò. Cæteri offerentes, nempe fideles adstan- 8
tes Sacrificio, possunt fructum ad se spectantem ex eodem Sacrificio, alteri applicare; juxta illud, quod dicitur in Canone Missæ in illis verbis: *Qui tibi offerunt pro se, suisque omnibus.*

Sexto: Unicuique liceat renunciare favori pro se introducto. *cap. Ad Apostolicam. De Reg. Juris. l.* 9
penult. C. de Pactis. Menochius *cons. 57. num. 15.* Sed fructus specialis introductus est pro favore celebrantis. Ergo potest illum renunciare.

Septimò: Beneficium non confertur in invitum. *l. Invito. ff. de Reg. Jur. l. Nec emere. C. de Jure deliberandi.* Sed hoc eveniret, si celebrans fructum 10
Missæ specialissimum alteri cedere non posset. Ergo. Et hanc affirmativam opinionem tenet Gavantus *in Rubric. Missal. part. 2. tit. 8. num. 3. vers. Alterum est.* Navarrus *in Manual. cap. 25. num. 92. & num. 111.*

Azorius *part.* 1. *lib.* 10. *c.* 20. *in fine.* Henriquez *lib.* 9. *cap.* 18. *n.* 3. *& cap.* 21. *n.* 7. Bordonus *Var. resolut. part.* 5. *resol.* 25. *quæst.* 8. & alii plurimi, quos cumulat Pasqualigus *de Sacrificio novæ Legis quæst.* 99. *num.* 1.

Negantium verò hæc sunt fundamenta, argumenta, & rationes.

Primò. Publica voluntas debet prævalere voluntati privatæ. Sicut utilitati publicæ privata cedere debet. *l.* 1. §. 1. *C. de Cad. toll.* Mantua *Sing.* 573. Sed publica voluntas Ecclesiæ est, ut Sacerdos Sacrificium offerat pro toto populo, pro dante stipem, & pro seipso. Ergo per suam privatam voluntatem non potest non offerre pro seipso.

Secundò. Nemo potest eodem tempore velle, & nolle, Tamburinus *de Sacrific. Missæ lib.* 2. *cap.* 2. §. 11. *n.* 3. Sed celebrans, dum offert Hostiam, ait, illam offerre *pro innumerabilibus peccatis, offensionibus, & negligentiis suis.* Ergo non potest nolle eam pro se offerre; & velle fructum suum alteri applicare.

Tertiò, Mandatarius non potest excedere fines mandati. *c. Cum olim, de officio Judic. Deleg. l. Diligenter. ff. Mandati.* Quod si excedat, nihil agit, & irritum remanet, quod facit. *l.* 3. *ff. Mandati.* Felin. *in cap. Cùm dilecta. num.* 41. *de Rescript.* Sed Sacerdos de mandato Ecclesiæ debet offerre, pro ipsa, pro dante stipendium, & pro seipso. Ergo aliter agere non potest; & si aliter faciat, invalidè facit.

Quartò: Proprium debet semper, sequi subjectum, cujus est proprium Arist. *lib.* 5. *Topic. cap.* 3. *n.* 11. & ibi P. Sylvester Maurus *in Commentar.* ubi subdit, quòd id, quod aliquando convenit, aliquando, non convenit, non est proprium, sed est accidens commune; & cùm proprii natura sit inesse rei si aliquando inest, aliquand, non inest, non potest esse proprium. Porrò fructus specialissimus Missæ est proprius Sacerdotis celebrantis; ergo debet semper sequi ipsum celebrantem, & ei inesse; & per consequens, non est alteri applicabilis, aliàs dici non potest, quòd prædictus fructus specialissimus sit proprius ipsius Sacerdotis celebrantis.

Quintò. Quod provenit ex natura Sacrificii, non est applicabile, nisi secundùm naturam ejusdem Sacrificii, nam in potestate Sacrificantis non est alterare naturam ejusdem Sacrificii: Sed secundùm naturam Sacrificii ille tertius fructus debet esse Sacrificantis. Ergo non est alteri applicabilis.

Sextò. Remissio pœnarum, quæ provenit ex Sacramento baptismi, & ex Sacramento pœnitentiæ applicari non potest alteri, quàm baptizato, & pœnitenti; ea ratione quia provenit ex opere operato; & determinatè, ad illum, qui baptizatur, vel confitetur. Ergo idem est dicendum de fructu Sacrificii, provenientè ex opere operato, & determinatè in ipsum celebrantem.

Septimò. Quæ personalia sunt, separari non possunt à persona. Sed fructus specialissimus Missæ est personalis, ac pro persona Sacrificantis. Ergo ab eo separari non potest. Et hanc opinionem sequuntur Suarez *in* 3. *p. D. Thom. disp.* 79 *sect.* 9. *vers. Nihilominus censeo.* Fraxinellus *de obligat. Sacerdot. sect.* 3. *prænot.* 3. §. 2. *num.* 3. Miranda *tom.* 1. *Manual. Regul. qu.* 41. *art.* 17. Layman. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 18. & alii quos citat, & sequitur Pasqualigus *d. q.* 99. *num.* 3.

Remanet igitur indecisa hæc quæstio ob varietatem Doctorum, & multiplicitatem rationum; & Quartus *in Appendice de Sacrificio quæst.* 2. *punct.* 17. *vers. Colligitur*, ait, adhuc stare sub opinione, utrùm validè possit fructus specialissimus alteri applicari à Litante, nec ne? Et Diana *part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 27. Quæ jacet in Coordinato *tom.* 2. *tract.* 1. *resol.* 41. *sub num.* 3. ait: *Incertum, & controversum est apud Doctores, num valor iste personalis possit alteri applicari.* Nihilominùs ego libentius adhæreo Doctoribus affirmantibus, posse hunc fructum specialissimum à Mysta alteri applicari; si de impetratorio, aut de satisfactorio sermo sit; cum enim in quolibet bono opere in gratia facto tria reperiantur, videlicet Meritum, Impetratio, & Satisfactio, ut bene ostendit Diana *part.* 9. *tract.* 7. *resol.* 57. *num.* 2. Quæ collocata est in Coordinato *tom.* 1. *tract.* 6. *resol.* 17. Sic in Sacrificio Missæ tres præcipui fructus prædicti insunt, ut latè probavimus supra *Decis. XLV. à n.* 12. *& seqq.* advertentes ibi, quòd fructus meritorius consistens in augmento gratiæ, sanctitatis, & justitiæ, ex quo correspondet major portio gloriæ in Cœlis, non datur immediatè per Sacrificium, sed ut docent Theologi ibi allegati, mediatè tantùm; id-est magis auxiliis efficacibus ad bona opera exercenda. Igitur fructus meritorius proveniens celebranti ejus esset debet; cùm purus homo saltem de condigno non possit alteri mereri, vel merita sua applicare, ut dixerunt Scholastici in tractu de merito, & præcipuè Abelly *in Medulla Theol. tom.* 1. *part.* 1. *tract.* 6. *cap.* 5. *sect.* 7. At fructus impetratorius, & eò magis satisfactorius ex eodem Sacrificio emanans, potest quidem ab ipso celebrante alteri cedi, & applicati; tum quia hac de re nulla extat prohibitio; ut omnes Theologi testantur; tum quia quilibet potest sua bona opera applicare alteri vel ad impetrandum, vel ad satisfaciendum; quamvis sint personalia; immò hoc ut plurimum faciunt audientes Missam, qui illam offerunt pro necessitatibus vel spiritualibus, vel temporalibus propinquorum, benefactorum, & amicorum; undè celebrans non debet esse deterioris conditionis, quàm adstantes, dum Missam celebrat; eò magis si dictam cessionem faciat ex charitate, ut considerat Petrus Navarra *libr.* 2. *cap.* 2. *n.* 256. & Bordonus *Var. resol. d. part.* 1. *resol.* 25. *quæst.* 8. ubi expressè loquuntur, non solùm de fructu ex opere operantis; sed etiam ex opere operato, de quo est quæstio nostra.

Hac itaque opinione amplexa, superest, ut respondeamus argumentis contrariis, quæ facilè diluuntur, parùm enim, aut nihil obstant.

Non primum. De publica Voluntate Ecclesiæ; quia ipsa Ecclesia aliter fieri non prohibuit; sed sic disposuit in comodum celebrantis, cujus charitatem non intendit restringere, quin eam communicet aliis fidelibus indigentibus.

Non secundum. Quia litans non potest dici velle, & nolle, alteri applicando fructum suum specialissimum; illum enim vult, sed sic ut alii possit eum communicare, & donare; sicut Dominus vineæ vult fructus nascentes in illa; non solùm pro sua egestate subvenienda, sed etiam pro indigentiis aliorum suffragandis. Vel dici potest; quòd vult pro se fructum quoad meritum, & ad majorem sanctitatem sui ipsius; non vult quo ad alia auxilia impetranda, vel ad satisfactiones complendas; quia has cedit, & applicat amicis; contentus retributione charitatis, quæ ad ipsum regredietur, forsam cum majori emolumento.

Non tertium. Quia Mysta tunc excederet fines mandati sibi ab Ecclesia injuncti, si sibi ab eadem fuisset prohibitum, ne fructum suum aliis applicaret; hoc autem nullibi legitur. Immò Sancti Apostoli, & Doctores Ecclesiæ docuerunt, orationibus, & bonis operibus proximos esse juvandos. Ita S. Jacobus

cap. 1.

cap. 1. Orate pro invicem, ut salvemini. Et Apostolus Paulus, *ad Rom. 5. Obsecro ergo vos fratres per Dominum Jesum Christum, & charitatem Spiritus sancti, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.*

Non quartum; Quia respondetur, ly *Proprium*, non esse sumendum in sensu Philosophico, quatenus significat qualitatem inseparabilem à subjecto; sed in sensu legali, & juridico; quatenus innuit dominium, & proprietatem. De Jure enim proprium, & suum æquipollent. Albericus in *Diction. Verb. Proprium*, & illa res dicitur alicu- 26 jus propria, qui ejusdem rei est dominus absolutus. §. *Proprius. Instit. de hæredib. instit. Clem. 1. §. Suis sedibus. De foro competen.* Bartolus *in l. Is, qui duos, ff. de Mancip.* Hic sequitur, quòd sicut de Jure quilibet de re propria, quia sua est, potest 27 pro libito disponere. *l. Dudum. C. de contrahenda Empt.* Barbosa *in Axiom. Juris frequent. Axiom. 72. num. 1.* pari modo celebrans proprium Missæ fructum, qui suus est, potest cuicunque voluerit applicare.

Non quintum; Quia quòd provenit ex natura Sacrificii non est alteri applicabile, nisi secundùm naturam Sacrificii; procedit, ubi non consentiat ille, cui prodest Sacrificium; at ipso volente, & consentiente, nihil repugnat, si quod per Sacrificium ei tribuitur, alteri cedatur. Exemplum esse potest de pœnitente, cui Confessarius injungit, ut pœnitentiam, ac satisfactionem pro suis peccatis impositam, applicet pro animabus Purgatorii, li- 28 cèt enim id fieri non posse à Confessario, multi DD. contendant, inter quos Sancius *in Select. disp. 16.* & Vega *in Summa tom. 2. cap. 64 casu 4.* nihilominus contrarium communiter docent Theologi, quos refert, & sequitur Diana *part. 9. tract. 7. resol. 57.* nec non *part. 11. tract. 8. resol. 26.* Quæ collocatæ sunt in Coordinato *tom. 1. tract. 6. resol. 17. & resol. 18.* ubi etsi aliqui loquantur de fructu pœnitentiæ proveniente ex opere operantis, ibi tamen P. Amicus *in Cursu Theologic. tom. 8. disp. 16. sect. 5. dub. 3. num. 63.* expressè concedit, fructum pœnitentiæ provenientem etiam ex opere operato, & ex virtute Sacramenti pro satisfactione pœnarum, posse applicari animabus defunctorum; sic ipso pœnitente contentante. Ergo eò magis hoc fieri potest in Sacrificante, qui est immediatus dispositor fructus ad se pertinentis. Et sic non obstat.

Sextum argumentum; circa quod dicta de Satisfactione pœnitentiali demonstrant, secundùm magis communem opinionem, non esse verum, quod accedente assensu Pœnitentis, ipsa satisfactio etiam ex opere operato non sit applicabilis animabus Purgatorii, nam fieri potest, & quotidie practicatur. Quò verò ad Sacramentum baptismi aliud venit dicendum; quia in illo baptizatus se habet per mo- 29 dum patientis; & cùm tunc primùm ingrediatur in Ecclesiam, eodem instanti, quo ingreditur delentur in eo culpæ, & pœnæ; itaut non sit in ejus potestate, vel ab ejus arbitrio pendeat, aliter disponere de illo privilegio singulari, quo ditantur baptizati in receptione baptismi. Exemplo Vestis candidæ, qua induitur; eam enim cedere in eo actu non potest alicui pauperi, quia destinata est ab Ecclesia pro ipso baptizato.

Septimum tandem non obstat; quia quæ personalia sunt, separari non possunt à persona; ipsamet persona reluctante, & contradicente; secus 30 autem eadem cedente, & voluntariè ob aliquem virtuosum actum contentante; siquidem in hoc casu validè possunt cedi, & aliis applicari etiam jura, & favores personales; & sic etiam fructus Missæ specialissimus Sacerdotis; ut in terminis nostræ quæstionis tenet Lezana *in Summa tom. 4. Verb. Missa num. 17.* ubi sic scribit: *Credi debet, sic institutum à Christo hoc Sacrificium, ut quemadmodum quis sua bona opera satisfactoria, quantumvis personalia aliis applicare potest: sic & hujusmodi fructum, quantumvis etiam personalem, cùm utrumque opus charitatis sit quam Deus semper commendat, maximè in Eucharistia, quæ tota charitas est,* Et hoc se solitum fuisse facere, ait Navarrus *d. cap. 25. num. 92. & num. 11. §. Secundò sequitur.* Et placet etiam Naldo *in Verb. Missa num 12.* Nugno, & aliis, quos cumulat Diana *part. 1. tract. 14. resol. 14.* Et *part. 5. tract. 14. res. 45.* Et *part. 6. tract. 6. resol 8* Quæ reperiuntur in opere Coordinato *tom. 2. tract. 1. resol. 38. 39. & 40.* Tenetque Bordonus *d. part. 1. cit. Resol. 25. sub num. 15* Et hæc de prima parte hujus quæstionis.

Circa secundam partem; esto, quòd, celebrans possit validè alteri cedere, & applicare suum 31 fructum personalem Missæ. Utrùm licitè possit etiam stipendium recipere pro ejusdem fructus applicatione? est dubium non spernendum, & pro securitate conscientiæ celebrantium Missam declarandum. Circa quod distinguere oportet duos casus. Unus est; quando Sacerdos, à quo petitur ejus fructus specialis, recepit ab alio stipendium pro fructu medio Missæ: Alter casus est, quando nullum stipendium ab alio accepit; sed vult stipem recipere à petente fructum specialem provenientem ipsi Sacerdoti ex illa Missa.

In primo casu dicendum est; non esse licitum recipere secundum stipendium; eo quia id expressè damnatum & prohibitum est in Decretis Urbani VIII. anno 1626. in quibus S. Congregatio ad 4. ita respondit: *At quartum? Sacerdotes, quibus* 32 *diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellaniæ, legati, seu salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.* Et quoniam hoc decretum non obstare dicebant multi Theologi post ipsum scribentes, quando Sacerdos vel Capellanus habebat stipendium pro celebranda Missa sine obligatione applicandi Sacrificium; tunc enim, ajebant, pro applicatione Sacrificii, licitum esse novam stipem accipere: Ita DD. quos citat Diana *part. 11. tract. 8. resol. 63.* residens in Coordinati operis *tom. 2. tract. 1. resol. 46.* Iterum à S. Congregatione reprobata fuit horum Theologorum opinio; ut sibi respondisse eandem Sacram Congregationem testatur Pax Jordanus Episcopus Tragurien sis anno 1627. *Tom. 1. lib. 4. tit. 1. num. 516. pag. 340.* Et adhuc contradicentibus pluribus Moralistis de genere illorum, qui scribunt ad excusandas excusationes in peccatis; *die 25. Januarii 1659.* emanavit aliud expressissimum Decretum ejusdem Sacræ Congregationis confirmatum ab Alexandro Papa VII. per quod ponitur 33 falx ad radicem, & in quocunque casu prohibetur secundum stipendium; & est tenoris sequentis.

Declaratio Sacræ Congregationis Concilii SS. D. N. Alexandri Papæ VII. jussu edita, super secundo Decreto ejusdem Congregationis de celebratione Missarum.

CUm Auctores nonnulli scriptis suis asseruerint, Sacerdoti pro alio Missam, recepta eleemosyna, celebranti, licitum esse, aliam eleemosynam quoque accipere ab altero, cui partem illam fructus, seu valoris ejusdem Sacrificii, ipsimet celebranti debitam (specialem nuncupatam) applicet: ac proinde hunc casum sub Decreto Sacræ Congregationis Concilii, prohibente duplex pro unica Missa stipendium, seu eleemosynam recipi, non esse comprehensum. Propterea Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, quæ, auctoritate sibi per Apostolicam Sedem specialiter attributa, sedulò curat, ne à Sacerdotibus circa celebrationem Sacrosancti Missæ Sacrificii, undè in nos uberrima divinæ liberalitatis munera derivantur, avaritiæ labes ulla, aut suspicio contrahatur; antedictam assertionem maturè examinavit; eademque prorsus reprobata, sub die 25. Januarii 1659. censuit.

Nulli Sacerdoti licitum esse, præfata ratione, sive prætextu, aliam eleemosynam accipere, præter illam, quam accepit ab eo, pro quo Missam offerre tenetur. Ac proindè casum hunc esse comprehensum in Decretis alias per eandem Sacram Congregationem Concilii editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro unica Missa recipiatur.

Quam Sacræ Congregationis sententiam ad Sanctissimum D. N. Alexandrum Papam VII. relatam, Sanctitas sua, sub die 25. ejusdem Mensis approbavit, & Decretum publicari, atque ad Episcopos, & Generales Regularium Ordinum transmitti jussit, ut ipsi doctrinam hujusmodi per suos Pœnitentiarios, & Confessarios, ac Lectores, respectivè, insinuari, doceri, atque in Tractatibus moralibus per eosdem imprimendis, evulgari, pastorali vigilantia, curent.

F. Card. Paulutius Præfectus.

C. de Vecchiis Episcopus Clusinus, S. Cong. Concil. Secretarius.

Attenta itaque hac punctuali, & generali Declaratione Sacræ Congregationis Concilii, confirmata à Summo Pontifice, quam etiam per extensum ponit Fagnanus *in cap. Fraternitatem num. 96. de Sepultur.* & Gonet *in Clypeo Theolog. Thom. tom. 5. Disput. 11. de Sacrificio Missæ art. 6 post. num. 117.* 34
non est ampliùs disputandum, an Sacerdos habens aliundè eleemosynam pro Missa, possit licitè accipere aliud stipendium pro applicatione sui proprii fructus specialis; constat enim, id facere non posse; quod si faciat, illicitè facit; & cum culpa gravi ob legis Pontificiæ transgressionem. Ceccoperius *de Canonicis lib. 3. n. 176.* ubi DD. allegat.

In secundo autem casu, quando nullum stipendium ab alio recepit, an illud recipere possit pro applicatione prædicti proprii, & specialis fructus? 35
Respondendum censeo pariter negativè duplici ratione. Una est, quòd Sacerdos celebrans non potest acquirere sibi dictum fructum specialem, ut postea illum sic acquisitum applicet danti stipem, nisi sit in gratia. Bordon. *d. part. 1. Resolut. 25. n. 15. vers. Dices cum eodem.* Collegium Salmanticen. *d. tom. 11. De Sacramentis in genere tract. 5. capit. 5. n. 10.* & Gonet *d. disp. 11. art. 6. num. 117.* At scire certò nullus potest, absque speciali revelatione Dei, an sit in gratia, juxta illud *Eccles. 9. Nemo scit, utrùm amore, an odio dignus sit?* & 36
definitum est in Concilio Trident. *sess. 6. cap. 9.* dixerunt Eminentiss. Card. de Lauræa *in 3. sent. tom. 4. de Virtute Charitatis disp. 6. art. 7.* Ergo non potest Sacerdos celebrans accipere stipendium, & promittere fructum specialissimum sibi sacrificanti obventurum; cùm certus non sit, prædictum fructum se consequi posse. Hæc est enim præcipua differentia inter fructum medium, & hunc fructum specialissimum, quòd ille certò obvenit ei, pro quo Missa offertur, etiamsi Sacerdos celebrans sit malus, & non sit in gratia: *cap. Intra. 1. q. 1. cap. Utrum sub figura, de Consecrat. dist. 2.* S. Thomas *3. p. q. 82. art. 6.* Et Layman. *lib. 5. tract. 5. cap. 1. num. 12.* At fructus specialissimus non datur Sacerdoti non existenti in gratia: *cap. Ingravibus, 3. q. 7.* Layman. *d. num. 12 vers. Dico tertiò.* Bordonus, Collegium Salmanticense, & Gonet supra, relati; & ideò ob incertitudinem, illicitum censeo, accipere stipendium pro applicatione fructus specialis; itaut ex sola charitate, & liberalitate possit, & debeat applicari alteri per celebrantem.

Secunda ratio est, quia hoc stipendium reciperetur à Sacerdote immediatè pro re spirituali, & sacra, qualis est ipse fructus specialis, & sic com- 37
mitteret Simoniam. *cap. Quidquid. 1. qu. 1.* Et *cap. Qui studet: ubi Gloss. ead. causa, & quæst.* Mastrius *in Theolog. Moral. disp. 14. num. 79.* Diana *par. 11. tract. 8. resol. 68. num. 8.* Quæ in Coordinato est *d. tom. 2. tract. 1. resol 46.* & ibi *sub d. n. 8.* Dicastillus *de Sacramentis tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 16. n. 320.* novissimè Pignatellus *tom. 1. consult. 139. num. 10. in fine*, & Cardenas *in Crisi Theolog. Dissert. 27. num. 102.*

Nec relevat dicere, quòd recipit stipendium non pro valore ipsius fructus specialis, sed pro labore in litando; nam qui vendit laborem, sine quo o- 38
pus sacrum, & spirituale non fit, censetur vendere ipsum opus sacrum, & Simoniam committit: *cap. Siquis objecerit*, ubi Barbosa *in collect. DD. 1. q. 3.* Sotus *De Justit. lib. 9. qu. 6. art. 1.* Navarrus *in Man. cap. 34. n. 101. & 102.* Reginaldus *lib. 23. n. 119.*

Multò minus juvat replicare, quòd stipendium prædictum accipitur pro sustentatione Sacerdotis, ad quam jus habet quicunque promotus ad Sacer- 39
dotium deservit populo in Altari, ut plenè probat Pasqualigus *de Sacrific. novæ legis tom. 2. quæst. 903. num. 1.* innumeros DD. numerans, inter quos Eminent. Card. de Lugo *De Sacram. Eucharistiæ disp. 21. sect. 1.* Nam respondetur, tunc Sacrificantem mereri stipem pro sui substentatione, quando sacrificat ad finem, & effectum conciliandi stipem danti fructum, & valorem medium ordinatum à Christo, & designatum ab Ecclesia pro illo, cujus nomine, & requisitione offertur Sacrificium, secus autem si dicto fructu medio tertiæ personæ applicito, vel sibi retento, velit Sacerdos id, quod sibi donatur à Dei liberalitate, alii ob pecuniam dare; tunc enim non videtur excusandus ab avaritia; quam semper detestata est Ecclesia in Sacrificio Missæ; neque à Simonia, & ideò illicitè ageret Mysta, si ob applicationem sui fructus specialis stipem acciperet.

Con-

Confirmatur hæc resolutio etiam ex doctrina Pacis Jordani Episcopi Tragurien. *d. tom. 1. lib. 4. tit. 1. num. 520.* advertentis, declaratum esse ab ea-
40 dem Sacra Congregatione Concilii *die prima Septembris 1629. ad consultationem Parochi Terræ Urceani; Fanen. Diœcesis*, quòd Parochi in illis diebus, in quibus tenentur ex officio celebrare, etsi absque obligatione Sacrificii; non possint recipere stipendium pro ejusdem Sacrificii applicatione, quod etiam docet Barbosa *de offic. & pot. Epis. allegat. 24. n. 11.* Diana *part. 4. tract. 4. resolut. 232.* Quæ in Coordinato est *tom. 2. tract. 1. ref. 57.* & Fagnanus *in d. cap. Fraternitatem num. 93. & seqq. De Sepultur.* Intendit enim Ecclesia prorsus tollere quamcunque suspicionem avaritiæ.

Et jure quidem; extat enim illud Salvatoris præceptum *Luc. 12. 15. Videte, & cavete ab omni*
41 *Avaritia.* Ipsa namque, ut ait Apostolus. *1. Timoth. 6. 10. Radix est omnium malorum.* Et propter avaritiam plurimi Sacerdotes pœnas atroces luunt in Purgatorio, ut historiæ testantur; inter quas liceat mihi hic referre illam, quæ legitur inter revelationes antedictæ Vener. Matris Franciscæ à Sanctissimo Sacramento Carmelitæ Discalceatæ ad *num. 20.* ubi ita refert: *Un Sacerdote naturale* (idest nativo) *di N. qual, era stato Priore in certa Collegiale, com-*
42 *parve alli 23. di Novembre nel medesimo anno 1617. dicendo, lo raccomandassi à Dio; che si ritrovava nel Purgatorio per leggierezze della sua gioventù, e per essere stato interessato.*

Quo loci hoc additamentum facit prælaudatus Episcopus Oxomensis: *Due colpe di mala consequenza sono quelle di questo Sacerdote, che per un stato sì perfetto, fosse leggiero, & avaro. Queste distrussero i figli di Heli, e li tolsero la vita, facendoli cascare ridotti in pezzi per mano de Filistei à piè dell' Arca del Testamento. Veramente da questi due vizii s'hanno d'astenere sopra tutti gli Ecclesiastici: dalle leggierezze, quando sono giovini, e dalla sordidezza, quando sono vecchi; poiche tutti si pagano terribilmente nel Purgatorio; se non si confessano, e non si cancellano.*

Alia apparitio refertur in eodem libello *ad n. 38.* Animæ unius Sacerdotis asserentis, quòd per an-
43 nos decem, & novem stabat in Purgatorio, gravissimas inter pœnas; & petiit suffragia. Item alia *ad num. 44.* reddens rationem suarum pœnarum dicens: *Sono N. Parocho di N. che stò nel Purgatorio, perchè fui avaro.* Caveant igitur Ecclesiastici omnes ab avaritia, quæ est idolorum servitus, *cap. Cum omnis. 1. q. 1.* ubi Glossa rationem reddit, cur sic nominetur, subdens: *Ideò dicitur avaritia specialiter servitus Idolorum, quia tanquam Deo exhibet avarus nummo reverentiam.* Plura de hoc vitio avaritiæ à nobis dicta sunt in *Decisionibus anni 1687. De Sacramentis in genere, ad Casum Prudentialem Mensis Maii*, ubi explicuimus, *Quid sit Avaritia? Quotuplex? Quæ ejus filiæ? Quæ mala proveniant ex Avaritia? Et quibus remediis curanda?* De qua materia legendæ sunt Rubei *Annotat. ad Rotam. part. 9. Decis. XC.* Et dicta per P. Segneri *in Paroche Instructo capit. 16.*

DECISIO XXXVI.

ARGUMENTUM.

Agitur de applicatione Sacrificii necessariò facienda à Celebrante. Circa illam resolvuntur undecim dubia, & docetur, an sufficiat intentio habitualis? In qua parte Missæ sit facienda applicatio? Antiquorum Diptycha quid essent? Anticipata Missa an dicenda pro eo, qui primùm daturus est stipem? An superior possit applicare Missam Sacerdotis sui subditi? An applicanda Missa pro Sanctis? pro infidelibus? pro catechumenis? pro excommunicatis? pro peccatoribus? Et utrùm viventes possint sibi celebrare facere Missas de Requiem? De hoc exempla B. Alberti Magni, & aliorum; præcipuè Caroli Quinti Imperatoris.

SUMMARIUM.

1 *Applicatio Sacrificii est à celebrante facienda.*
2 *Applicationis Sacrificii faciendæ rationes plures.*
3 *Applicatio Sacrificii an possit remitti in Deum?*
4 *Intentio quæ requiratur pro applicatione Sacrificii? An actualis, virtualis, vel habitualis?*
5 *Habitualis intentio sufficit pro applicando Sacrificio.*
6 *Retractatæ intentionis pro applicando Sacrificio quatuor casus.*
7 *Sacerdotes debent reflectere, cui Missam applicent.*
8 *Applicatio Sacrificii in qua parte Missæ sit facienda? An omninò ante consecrationem, vel in consecratione?*
9 *Applicatio Sacrificii pro Defunctis fieri potest etiam post consecrationem.*
10 Memento *in canone ad quid introductum?*
11 Diptycha, *quid essent?*
12 *Nomina, pro quibus Missa offerebatur, olim alta voce legebantur ad* Memento.
13 *Applicatio Sacrificii olim fiebat statim, post lecta nomina in diptychis notata.*
14 *Sacramenta quando producant suum effectum.*
15 *Sacrificium Missæ quando sic completum?*
16 *Sacrificium Missæ existit usque ad consumptionem specierum.*
17 *Sacerdotes in præparatione ad Missam bene faciunt applicando tunc illam, cui debent.*
18 *Offertorium in Missa locus est applicandi fructum ejus.*
19 *Memento utrumque in Missa locus est applicationis ejus.*
20 *Sacrificium Missæ nulli applicatum cui prosit?*
21 *Applicatio anticipata Missæ pro eo, qui daturus est stipem, an licita?*
22 *Cappellanus tenetur ad amussim servare mentem testatoris.*
23 *Superior an possit applicare Missam Sacerdotis subditi contra ejusdem subditi voluntatem?*

24 *Cœlitibus, ac Sanctis an Missa applicari possit?*
25 *Infidelibus an Missa applicanda?*
26 *Pontifices Hebræi litabant etiam pro gentilibus.*
27 *Catechumeni an sint capaces fructus Missæ.*
28 *Catechumenorum olim duo genera*, Audientium, & Competentium.
29 *Catechumenatus quantùm durabat?*
30 *Catechumenis mortuis olim an Missa offerretur?*
31 *Infantes nati in Quadragesima baptizabantur in Sabbato Sancto.*
32 *Cathedralis Patavinæ Ordo antiquus circa baptismum Infantium natorum in Quadragesima.*
33 *Catechumeni an possint contrahere Matrimonium cum Christianis?*
34 *Excommunicatis an Missa applicari possit?*
35 *Peccatores publici petentes pro se Missam, an exaudiendi?*
36 *Defunctorum Missas an viventes possint facere celebrare pro seipsis?*
37 *B. Albertus Magnus sibi viventi Missas de Requiem celebrare fecit: Item alii.*
38 *Petrus Vellejus Mercator tempore S. Francisci Xaverii, certioratus de die mortis suæ, funus sibi celebrare fecit.*
39 *Carolus V. Imperator ante mortem exequias suas, eo præsente, fieri voluit.*

NOn leves sunt controversiæ inter Scholasticos agitatæ circa applicationem Sacrificii, quam tenetur facere Sacerdos, dum celebrat? *Qua scilicet intentione? Quo tempore, & in qua parte Missæ? Pro quibus personis? Atque vel secundum suam, vel Superioris voluntatem?* Idcircò, ut Mystæ sciant in his difficultatibus, quid sibi sit agendum, pro tanti muneris Sacerdotalis recto exercitio, potiora dubia applicationem Sacrificii concernentia, breviter, sed faciliter in præsenti sunt explicanda.

Primum dubium, *Utrùm Sacerdos, dum celebrat, teneatur in specie applicare alicui Sacrificium; vel* 1 *possit materialiter Missam recitare, consecrare, & alia agere prout in Canone absque ulla applicatione Sacrificii?* Respondetur, quòd tenetur ad faciendam applicationem ex vi sui ministerii Sacerdotalis, juxta illud *ad Hebr. 5. 3. Debet Sacerdos quemadmodum pro populo, ita pro seipso offerre pro peccatis.* Ideò in ejus ordinatione dicitur: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro vivis, & defunctis.* Hinc non sufficere in celebrante applicationem vagam, incertam, & indeterminatam; sed eam esse debere certam, & individualem, docent Meratius *tom. 3. disp. 38. de Eucharistia sect. 8. vers. Tertia quæstio.* Vercelli *in QQ. Moral. legal. tract. 1. q. 22.* & Tamburin. *de Sacrific. Missæ lib. 2. cap. 2. §. 9. n. 17.* quos refert Diana *part. 11. tract. 6. resol.* 39 reposita in Coordinato *tom. 2. tract. 1. resol. 147.* Rationes plures allegantur ab iisdem Theologis pro necessitate individualis applicationis. 1. Quia ita statutum est à Christo Domino; à quo commissa est applicatio celebranti, & eo non applicante, deficit conditio exigita à Christo pro fructu Sacrificii. 2. Quia si Sacerdos ex tribus hostiis præsentibus non determinet, quam velit consecrare, nullam consecrat. Ita si non determinet, cui Sacrificium sit applicandum; nulli prodesse poterit. Quartus *in Appendice de Sacrificio q. 2. punct. 13.* Pasqualigus *de Sacrific. Missæ q. 169. num. 1.* & Tamburin. *d. §. 9. n. 17.* Curet itaque Sacerdos, dum celebrat, attendere ad finem, ob quem celebrat, & reflectat ad personas sive viventes, sive defunctas, pro quibus Sacrificium illud est exigitum; & iisdem applicet valorem ejusdem Sacrificii, ut suo Officio rectè satisfaciat.

Quòd si quis interroget, an satis sit remittere applicationem Sacrificii in Divinam Voluntatem; itaut Deus applicet fructum, cui sibi magis placet; 2 aut cui scit, Sacrificium illud ex justitia deberi? Est quæsitum habens pro utraque parte auctores, alii enim negant, alii asserunt, ita posse fieri; ut docent Scotus *Quodlib. 20.* Navarrus *in Man. cap. 20.* Suarez *tom. 3. disp. 42. sect. 6. vers. & hinc sequitur.* Bonacina *disp. 4. de Sacramentis q. 2. punct. 5. in fine,* & alii, quos cumulat Pasqualigus *d. quæst. 169. n. 2.* At melius, & securius est, ut Sacerdos, dum ad celebrandum properat, determinet personas, pro quibus litare intendit, & iisdem applicet Sacrificium, ut admonent Fraxinell. *de Oblig. Sacerd. sect. 7. § 7. n. 7.* & Tamburin. *d. lib. 2. de Sacrific. Missæ cap. 2. § 9. in fine.*

Secundum Dubium. Quæ intentio requiratur in celebrante pro applicatione Sacrificii, an actualis? an virtualis? an habitualis? Repetere priùs 4 mente oportet, quod docent Theologi, in quibus consistant prædictæ species intentionum; videlicet actualem consistere in actu præsente voluntatis, immediatè per se ipsum influente in operationem externam. Virtualem verò intentionem consistere in actu voluntatis præterito non retractato, sed explicitè elicito de faciendo opere illo, in quod nunc virtualiter influit. Habitualem verò provenire à voluntate præterita, non quidem retractata; sed à multiplicibus aliis operationibus interrupta, itaut etiam dici possit quædam promptitudo ad agendum per actus præcedentes acquisita, ut scribit Mastrius *in 4. sent. disp. 1. qu. 7. art. 2.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *tom. 1. de Sacramentis in genere disp. 3.* & nos explicuimus in Decisionibus *De Eucharistia Decis. XLI.* His prænotatis pro resolutione dubii duæ sunt opiniones. Una tenens, intentionem habitualem non sufficere, sed requiri vel actualem, vel virtualem in applicatione Sacrificii. Ita Vasquez *in 3. part. tom. 3. disp. 138. cap. 6. n. 76.* Summa Corona *p. 4. c. 5. n. 9.* Beja *par. 1. cas. 23.* Fraxinell. *sect. 4. concl. 4. §. 7. n. 1.* & alii, quos citat Diana *part. 2. tract. 14. resol. 47. & part. 5. tract. 14. resol. 65.* quæ in opere Coordinato extant *tom. 2. tract. 1. resol. 51. & resol. 52.* Quibus accedit Abelly *in Medulla Theolog. part. 2. tract. 1. c. 4. §. 5.* Ratio horum est, quia eadem intentio est necessaria pro applicatione Sacrificii, quæ requiritur pro consecratione Eucharistiæ, & confectione Sacrificii. Sed ad consecrandum, & ad Sacrificandum non sufficit intentio habitualis; & opus est vel actuali, vel virtuali intentione ex concordi Doctorum calculo. Ergo idem dicendum circa applicationem.

Alia opinio, quæ est communior, & probabilior, tenet, sufficere intentionem habitualem pro ap- 5 plicatione Sacrificii; ea ratione quia hæc applicatio non est tanquam voluntas, & intentio faciendi talem actum, quæ proindè debet influere in actum, ut illum constituat in tali statu morali; sed est tanquam donatio, & translatio fructus percipiendi ex tali actu; quæ quidem valida est, etsi elicita multo tempore ante, & interrupta per plures alias operationes, dummodò retracta non fuerit. Dari potest exemplum de quocumque actu annexam habente aliquam obligationem; contrahens enim censetur semper obligatio

gationi satisfacere, etsi de ea non cogitet, quotiescunque operatur actum, cui ipsa est annexa. Idcò Sacerdos, qui promisit singulis diebus anni celebrare pro Petro; talis promissio obligationem reliquit, cui satisfacit celebrando, etsi de ea non cogitet; habitualiter enim censetur se velle adimplere quod promisit, quotiescunque facit actum, cui est annexa ipsa obligatio. Ita Mastrius *in 4. sent. disp. 4. q. 7. num. 137.* & in sua Theolog. Morali *disp. 19. num. 69. & seqq.* Bordonus *Var. resol. part. 1. resol. 25. num. 12.* Quartus *in appendice de Sacrific. quæst. 2. punct. 10.* Diana Coordinatus *d. tom. 2. tract. 1. resol. 51. & 52.* & Tamburin. *d. Opusc. de Sacrificio Missæ lib. 2. cap. 2. §. 11.* ubi in eventum retractationis dictæ intentionis habitualis circa applicationem Sacrificii notat quatuor casus satis curiosos, & non ignorandos. Primus est: Si heri promisisti, quòd hodie celebrabis pro Petro; hodie verò retractes dictam promissionem, & celebres pro Antonio, utique Sacrificium proderit Antonio. Secundus casus; Si hodie applices Missam pro Antonio immemor promissionis, & applicationis, quam antecedenter fecisti pro Petro; nulli horum proderit Sacrificium; quia hæ duæ voluntates sunt invicem contrariæ, per quarum unam vis idem, quod per aliam non vis. Tertius casus, si heri determinasti celebrare hodie pro petro ita & taliter, ut talis applicatio sit præferenda omni alteri applicationi, ex defectu memoriæ per te faciendæ; si hodie celebres pro Antonio, Missa proderit Petro, non autem Antonio, pro quo celebrasti immemor prioris applicationis. Quartus casus est, si heri decrevisti absolutè, & simpliciter applicare hodie Missam pro Petro; hodie autem non recordatus hesternæ applicationis applice pro Antonio; Missam prodesse Antonio opinatur Eminen. Card. de Lugo *de Sacramento disp. 8. sect. 8. num. 121.* exemplo testamentorum, in quibus derogatur primo per secundum. Porro ipse Tamburinus *d. §. 11. num. 8.* arbitratur, Missam prodesse Petro, cui fuit priùs applicata, neque deindè retractata, tum quia qui prior est tempore, potior est jure; tum etiam quia quilibet censetur velle adimplere, quod promisit; idcircò tu, qui promisisti Missam futuri diei Petro, censendus es hujus voluntatis, adimplendi promissum cum ipso Petro. Neque obstat exemplum ultimi testamenti, siquidem voluntas omnium testatorum est, ut ultimum eorum testamentum servetur; & ideò pro ultimi validitate concurrit universalis voluntas testatoris; quæ talis non fuit in te, dum promisisti, & applicasti Missam Petro, deindè immemor fecisti applicationem pro Antonio. Quidquid sit, Lectores Mystas juvabit, non oblivioſos esse suarum obligationum, dum vadunt ad aras, sed actu reflexo illas mente revolvere, ut quibus debent, actualiter, aut saltem virtualiter applicent Sacrificium, quamvis sufficiens sit habitualis applicatio, ne in eis remaneat debitum resarciendi illum, cui Sacrificium non profuisset. Quartus *in Rubr. Missal. part. 2. tit. 8. sect. 2. dub. 7.* & Pasqualig. *de Sacrificio Missæ q. 171. & quæst. 172.*

6

Tertium dubium est, *in qua parte Missæ celebrans debeat facere applicationem Sacrificii?* Respondet Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 2. num. 12.* his verbis: *Colligitur tertiò, quòd Sacerdos fructum Sacrificii, qui est ex opere operato, debeat alicui applicare ante, vel in ipsa consecratione: nam alioquin frustra eum postea applicare conabitur.* Reddit rationem hujus

8

suæ responsionis, dicens: *Quemadmodum enim Sacramenta, puta baptismus, confirmatio, ita & Sacrificium effectum suum ex opere operato, dependenter à Ministri intentione producunt, dum conficiuntur, & actu existunt. Quare non est in potestate Ministri effectum suspendere velle, & postea alicui applicare.* Laymani sententiam sequitur Quartus *in Append. de Sacrificio Missæ quæst. 2. punct. 11.* asserens, applicationem Sacrificii faciendam esse necessariò vel ante Missam, vel in ipsa Missa omninò ante consecrationem; & subdit hanc aliam rationem; *Quia Sacrificium est institutum, ut operetur, dum fit, & suo modo existit; non verò quando præteriit secundùm suas partes essentiales. Sed non existit, nisi quando fit consecratio, in qua essentialiter consistit; ergo tunc solùm operatur. Consequenter debet fieri applicatio ante consecrationem; neque enim potest effectus Sacrificii esse suspensus.* Idem docet Suarez *disp. 75. sect. 5. Vers. Dices.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Sacram. disp. 19. num 72.* Tamburin. *de Sacrif. Miss. d. lib. 2. cap. 2. §. 10. num. 6,* & Diana *part. 10. tract. 12. resol. 27.* reposita in opere Coordinato *d. tom. 2. tract. 1. resol. 53.*

9

Cæterum ego quidem consentio, dum Sacrificium offertur pro viventibus, nisi applicatio fuerit facta ante Missam, vel in Offertorio Hostiæ, aut Calicis; eam faciendam esse in Memento ante Consecrationem. Sed vice versa, si Sacrificium Missæ offeratur pro Defunctis, consentire non possum, quod applicatio Sacrificii sit omninò facienda ante consecrationem; repugnat enim usui communi ferè omnium Sacerdotum, qui ascisciuntur, ut celebrent pro aliquo Defuncto; hi enim, vel pauci ante Missam faciunt applicationem ejus; vel nulli, eam applicant pro ipso Defuncto ante consecrationem, sed singuli de applicatione cogitant, quando post consecrationem deveniunt ad Memento pro Defunctis; & non antea.

10

Neque redarguendus est talis usus; siquidem utrumque Memento institutum est ab Ecclesia, ut ad illud perveniens Sacerdos celebrans; mentem colligat, reflectat ad illos, pro quibus Missam offert in primo loco, & ex debito justitiæ, deindè ad alios ex motivo charitatis, & in illo instanti faciat applicationem Sacrificii, pro vivis scilicet in primo Memento; & pro Defunctis in secundo, ait enim Rubrica ibidem: *Jungit manus, orat aliquantulum, pro quibus orare intendit*, hoc est, intendit applicare Sacrificium.

Confirmatur sensus, & intellectus iste ex antiquissima consuetudine Ecclesiæ, legendi alta voce in utroque Memento *Diptycha*; ideſt nomina eorum, pro quibus præcipuè Sacrificium offerebatur. Quid essent *Diptycha*, declaratur ab Eminentiss. Cardin. Bona *Rerum Liturgicar. lib. 2. c. 12. n. 1.* ubi ait: *Diptychorum* nomen à *Ptychis*, ideſt plicis derivari; *Diptycha* enim erant tabulæ, quæ duas habebant plicas, & in formam libri claudebantur, quod etiam docet Magrius *in Hierolexic. eod. Verb. Diptychum*, Cavalerius *in Statera Sacra tit. 19. num. 45.* nec non *tit. 24. num. 194.* Et Cabassutius *in notitia Concilior. cap. 73.* & in his tabulis scribebantur nomina eorum, quorum mentio erat facienda in Missæ Sacrificio; & recitabantur, populo audiente, in Memento, idcircò in aliquibus vetustissimis Missalibus manuscriptis, ad Memento hæc erat inscriptio: *Oratia super Diptycha*, ut refert ibidem Emin. Card. Bona, subdens, usum *Diptychorum*, eorumque Lectionem

11

12

nem intra Missarum solemnia vel ab Apostolis, vel ex illorum institutione, seu traditione ab immediatis successoribus cœpisse. Igitur legebantur nomina tum offerentium, tum benefactorum, si viverent, in primo Memento; si defuncti essent in Memento secundo, & tunc pro iisdem applicatio Sacrificii fiebat, ut non obscurè deducitur ex auctoritatibus Conciliorum, & Sanctorum Patrum allegatis per eundem Eminentiss. Cardin. Bona *d. lib. 2. cap. 8. num. 7.* ubi addit hæc verba: *Græci nomina recitant, cùm scindunt panes, & pro singulis tam vivis, quàm defunctis particulam seponunt, & offerunt; sicque eos Sacrificiis participes faciunt* Eo itaque, quòd ubi nomina lecta erant, applicatio fie- 13
bat Sacrificii; ideò sequitur idem Eminentiss. Bona ibidem: *Latini in canone distinctis locis vivorum, & mortuorum memoriam agunt, quod olim fieri solebat recensitis nominibus*; ut habetur etiam ex verbis S. Innocentii Papæ primi in Epistola ad Decentium, relatis *in cap. ult. de Consecr. dist. 1*, Et ex his omnibus concludendum venit, quòd sicut applicatiò Sacrificii, quando pro vivis sacrificatur, propriè est facienda in primo Memento ante consecrationem; sic ritè, & rectè eadem applicatio fieri potest, & debet in secundo Memento post consecrationèm, quando pro defunctis offertur Sacrificium; & hoc in puncto docet Ceccoperius *de Canonicis lib. 3. num. 183.* & ibi Graffius *lib. 3. cons. 15. num. 14. de Cel. Missar. tom. 1.*

Neque obstant rationes Laymani, Quarti, & a- 14
liorum, qui docent contrarium, scilicet quia sicut Sacramenta producunt suum effectum, dum actualiter fiunt, & existunt; non postquam extiterunt, & desinunt esse; ita Sacrificium Missæ producit effectum suum, dum existit, & ejus existentia habetur tantummodò in consecratione. Negatur enim, quòd peracta consecratione statim sit completum 15
Sacrificium; siquidem si hoc verum esset, fideles possent discedere die festivo, absque violatione præcepti, statim post consecrationem; & decedente Sacerdote post consecrationem, non esset opus, ut ab alio etiam non jejuno perficeretur Sacrificium; quod tamen faciendum, & complendum esse jubent Rubricæ Missalis.

Rememorare hîc oportet diversitatem opinionum inter Scholasticos circa essentiam Sacrificii, de quibus disseruimus supra *Decis. XXXI. ubi num. 6.* demonstravimus, verius esse, ad essentiam Sacri- 16
ficii spectare non solùm oblationem, & consecrationem; sed etiam consumptionem specierum in Communione. Durat itaque Sacrificium, & existit usque ad prædictam communionem Sacerdotis celebrantis; & sic cadit motivum, quo ducti sunt Layman, Quartus, & alii in asserendo, applicationem Sacrificii non posse fieri à celebrante post consecrationem; autumantes, completa consecratione, esse completum Sacrificium; quod cùm in opinione tot Doctorum à nobis allegatorum *d. Decis. XXXI. num. 25.* non sit verum, sed existat, & duret usquequò communio celebrantis sit completa; sequitur, applicationem Sacrificii fieri posse, præcipuè pro defunctis, etiam post consecrationem; ut concedit Tamburin. *d. lib. 2. cap. 2. §. 10. num. 7.* ita dicens: *Quia sententia docens; Sacrificii essentiam consistere in consecratione simul, & in consumptione, est satis probabilis; probabile etiam erit, posse applicari fructum Missæ toto tempore, ante prædictam consumptionem, quia jam in hac sententia offertur actio facienda, non jam facta.* Fulcitur hæc opinio auctoritate textus in *cap. Relatum. 11. de Consecr. dist. 2*, Alberti Magni, Ledesmæ, Victoriæ, & aliorum, apud Dianam *part. 12. tract. 2. resol. 18. §. Aliqui verò putant.* Quæ reperitur collocata in Coordinato *tom. 9. tract. 7. resol. 11.* Quibus ego addo Decretum S. Congreg. Concilii relatum à Fagnano *in cap. Cum creatura num. 19. de Celebrat. Missar.* quo censuit, posse satisfieri per intentionem applicationis Missarum, per preces in secundo Memento.

Tria autem monita, Sacerdotes celebrantes, ut notarent, vellem. Unum, quòd in sua præparatione ad Missam, antequam induant vestes Sacras, applicent ejus fructum illi, vel illis, pro qui- 17
bus tum ex justitia, tum ex charitate sunt celebraturi; sic enim fiet, ut applicatio certa futura sit, etiamsi amplius eam in Missa non faciant, vel ex intentione virtuali, vel ex habituali. Alterum monitum sit, ut in collectis, vel in offertorio, dum Hostiam in Patena, & Vinum cum Aqua in Calice offerunt, reflectant eos, sive vivos, sive 18
mortuos, pro quibus Sacrificare intendunt; & tacita mente iisdem applicent fructum Sacrificii. Tertium sit in utroque Memento, pro vivis in primo; & pro defunctis in secundo, eliciant actum appli- 19
cationis Sacrificii; ut absque scrupulo gravissimum hoc munus Sacerdotale adimpleant. Ceccoperius *d. lib. 3. num. 184.* & ibi Sayrus *in flor. tit. de Celebr. Missar. lib. 3. Decis. VI.* quòd si quis petat, cui prosit Sacrificium, si celebrans ita distracta mente liter, ut nulli nec ante Missam, neque in Missa applicet? 20
Respondetur, secundùm aliquos DD. fructum illius Sacrificii remanere in thesauro Ecclesiæ; at secundùm alios applicatum esse ipsi Sacerdoti, & aliis fidelibus, juxta verba Sacerdotis in oblatione Hostiæ: *Ut mihi, & illis proficiat ad salutem*; ut notant Tamburinus, alios allegans *d. lib. 2. cap. 2. §. 12.* & Quartus *in Appendice Sacrifi. q. 2. punct. 12.*

Quartum dubium est, *An Sacrificium possit anti-* 21
cipatè applicari pro eo, qui primò daturus est stipendium? Affirmant Bonacina *disp. 4. de Sacram. q. ult. punct. 7. §. 5. num. 3.* Reginaldus *lib. 23. num. 237.* & alii, quos allegant Pasqualigus *de Sacrificio Missæ q. 168. num. 1.* Tamburin. *eod. tract. lib. 2. cap. 2. §. 8. n. 2*, & Diana *par. 2. tract. 14. res. 15.* Coordinat. *in tom. 2. tr. 1. ref. 49.* à quibus non dissentit Mastrius *in Theolog. Morali disp. 19. n. 73.* ea ratione, quia licèt persona, cui Sacerdos applicat Sacrificium, sit ei incerta, est tamen certa coram Deo, & non est prohibitum debitoribus solvere anticipatè, quod debent; & Cappellanus, qui tenetur semel in hebdomada celebrare pro testatore, potest antecipando celebrare quotidiè pro eodem, Negant tamen triginta Doctores, quos cumulat, & sequitur idem Pasqualigus *d. quæst. 168. n. 2.* inter quos Barbosa *alleg. 24. n. 12.* Gavantus *in Manuale Episcopor. Verb. Missa num. 33.* Suarez *de Eucharist. disput. 79. sect. 9. §. Tertiò inquiri potest.* Et *sect. 10. §. Quartò requiritur.* Cardin. de Lugo *de Euchar. disp. 19. n. 209.* & Tambur. *d. §. 8. n. 4.* ubi reddit plures rationes; sed præcipuè, quod potest esse, quòd qui daturus est stipem cras hodie non indigeat fructu satisfactionis, qui propterea non potest stare in suspenso usque ad aliam diem, in qua possit indigentiam habere ejusdem fructus; & sic quando dabit stipem, & requiret Missam, frustrabitur fructu; & ideò non juvat, quòd debitor possit solvere anticipatè, quia procedit, ubi constat de debito; quod in præsenti casu est incertum; & exemplum Capellani est casus diversus, quia ibi est certa expectatio Sacrificii exigità à testatore; quam-

vis

22 vis neque in illo casu sit omninò licita anticipatio, nam Capellanus tenetur servare voluntatem testatoris, maximè si distributio Sacrificiorum per singulas hebdomadas ob aliquam circumstantiam ita sit annexa unicuique hebdomadæ, ut absque injustitia anticipari non possit. Tamburin. *d.* §. 8. *n.* 9. & Emin. Card. de Lugo *de Euchar. disp.* 21. *num.* 44. Tandem opinio contraria damnata fuit à S. Congregatione Concilii jussu Clementis Papæ VIII. *die* 15. *Novembris* 1605. quo die fuit publicatum decretum antea firmatum, ut notat idem Pasqualigus *d. qu.* 168. *n.* 3. & Marchinus *de Ordine tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 31. *n.* 9. qui per extensum ponunt Decretum ipsum, quapropter ab hac anticipata applicatione Sacrificii pro persona incerta, quæ primò dabit stipem, est prorsus abstinendum.

Quintum dubium est: *Si Superior præcipiat Sa-*
23 *cerdoti sibi subdito, ut Missam offerat pro Petro; ipse verò offerat pro Antonio; cui proderit illa Missa, Petro, vel Antonio?* Quòd prosit Petro docent duodecim Doctores, quos refert Pasqualigus *de Sacrificio q.* 183. *n.* 2. quia cùm Religiosus non habeat propriam voluntatem; sed teneatur facere voluntatem Superioris hæc debet prævalere in applicatione Missæ. Quòd prosit Antonio sustinent triginta alii Doctores, quos cumulat idem Pasqualigus *eadem q.* 183. *n.* 4. inter quos Tambur. *d. lib.* 2. *cap.* 2. §. 9. *n.* 14. quibus addendus est Mastrius *in* 4. *sent. disp.* 4. *n.* 140. 141. *& seqq.* & in sua Theologia Morali *disp.* 19. *num.* 71. ubi inter cæteras illam reddit rationem, quòd Sacerdos celebrans non solùm est Minister Sacrificii, sed etiam ejusdem dispensator vi suæ ordinationis, & ideò sicut non dependet à voluntate Superioris in conficiendo Sacrificio, & in consecrando; ita est in sua potestate dispensare fructum Sacrificii; illum applicando secundùm propriam suam voluntatem? Hæc secunda opinio est communior, & probabilior, & quamvis Tamburinus *d* §. 9. *num.* 13. videatur excipere Missas toti Monasterio incumbentes ex justitia, ad quas celebrandas Superior potest subditos Sacerdotes obligare; adhuc tamen dicendum est, quòd si subditi spernant præceptum Superioris, & applicent Missam non pro oneribus Monasterii, sed pro quocunque alio, peccabunt quidem & contra justitiam, & contra obedientiam; sed Missa proderit illi, cui per prædictos fuerit applicata; ut docet idem Tambur. *d. lib.* 2. *cap.* 2. §. 9. *n.* 14. & ibi Marchinus, & Gavantus, & alii, quos sequitur Diana *part.* 2. *tract.* 14. *res.* 72. *& part.* 11. *tract.* 6. *res.* 39. quæ reperiuntur in opere Coordinato *tom.* 2. *tract.* 1. *resol.* 54. *& resol.* 147. *Vers. Nota secundò*, propè finem.

Sextum dubium est; *An liceat applicare Missam*
24 *pro Cœlitibus?* Respondet Gobat. *tract.* 3. *n.* 176. Quòd pro iis, quos publico Ecclesiæ oraculo constat esse jam translatos in Cœlum, non licet offerre Sacrificium, in quantum id est satisfactorium; nec enim egent illi ullis amplius satisfactionibus. At verò licet utique, in quantum est Eucharisticum, & impetratorium; etenim Sacrificando agimus Deo gratias pro gratiis in suos nimis honoratos amicos collatis, & rogamus eundem, ut eorum cultum longè, latèque propagare dignetur; præsertim Sanctissimæ suæ Genitricis. Idem docet Tamburinus *d. lib.* 2. *c.* 2. §. 5. ubi refert lepidum dictum Patris Jo. Lorini.

Septimum dubium, *An Missa offerri possit pro infi-*
25 *deli; & ab eodem stipendium recipere?* Resp. Affirmativè, quia licèt ei non prosit ad meritum, neque ad satisfactionem, ei prodesse potest ad impetrationem tum bonorum temporalium, tum etiam spiritualium; scilicet inspirationum, & auxiliorum pro cognoscenda veritate fidei, & ea amplectenda. Suarez *disp.* 78. *de Sacram. sect.* 2. §. *Dico tertiò.* Tambur. *d. lib.* 2. *cap.* 2. §. 2. & Quartus *in Rubric. Missal.* 26 *part.* 2. *tit.* 8. *sect.* 2. *dub.* 1. ubi ait, ita fuisse in usu etiam apud Hebræos, nam Onias Summus Pontifex Sacrificium obtulit pro Heliodoro. 2. *Machab. cap.* 3. Immò pro Spartiatis idem frequenter fieri testatus est Jonathas 1. *Machab.* 12. *Vers.* 11. In illis verbis; *Memores sumus vestri in Sacrificiis, quæ offerimus.* Quod etiam pro Rege Dario, cujus jussu reædificatum fuit Templum, factum esse colligitur ex *lib.* 1. *Esdræ cap.* 6 *Vers.* 10. ibi: *Et offerant oblationes Deo cœli; orentque pro vita Regis, & filiorum ejus.* Hinc est, quòd Divus Paulus *in Ep.* 1. *ad Tim. c.* 2. *Vers.* 1. præcipit, *fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt.* Tunc autem Reges, & Principes erant infideles; & per obsecrationes, & orationes, quas nominat Apostolus, omnes Interpretes intelligunt Sacrificium Missæ, & in specie S. Augustinus *Ep.* 59. *ad Paulinum qu.* 5. Sic Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum iverat Jerusalem adorere, idest Sacrificia offerre, ut probat Cornelius à Lapide *Comment. in Act. Apost. c.* 8. *Vers.* 27. ubi observat, eundem Eunuchum fuisse gentilem juxta opinionem Bedæ, Hugonis, Cajetani, Lorini, & Sanchezii. Tandem in primitiva Ecclesia Sacrificium Missæ etiam pro Paganis solitum fuisse offerri, testantur Sancti Patres, quos refert Suarez *d. sect.* 2. §. *Tertiò dico*; quorum auctoritate freti, posse nunc etiam litari Sacram Synaxim pro ipsis tenent duo supra viginti Doctores, quos citat Diana *part.* 10. *tract.* 12. *res.* 21. *n.* 4. Quæ jacet in Coordinato *d. tom.* 2. *tr.* 1. *res.* 42. His addendi Sancti Patres, idem testantes, quos adducit Cornelius à Lapide *in* 1. *Ep. Timoth. d. c.* 2. *Vers.* 2. subdens: *Sic Christianos olim in Sanctis Mysteriis* (idest in Sacrificio Missæ) *pro Rege, sive Imperatore, etiam infideli, qualis tunc erat Nero, Decius, Diocletianus, orare solitos esse, testes sunt Justinus Apolog.* 2. Origenes *lib.* 8. *contra Celsum.* Arnobius *lib.* 3. *contra Gentes*, & Eusebius *lib.* 4. *Histor. c.* 26.

Octavum dubium: *An litare liceat Sacram Eu-*
charisticam Hostiam pro Catechumenis? Non est levis de hoc controversia, cùm plures ab utraque par- 27
te stent Doctores, quos congerunt Tamburinus *de Sacrific. Missæ d. lib.* 2. *cap.* 2. §. 3. & latiùs Pasqualigus *eodem tract. qu.* 151. Affirmativa tamen sententia est probabilior non solùm pro fructu impetrationis, sed etiam satisfactionis, si ob fidem & contritionem jam elicitam in eorum corde vivant, vel mortui sint in gratia, & sic facti sint de membris Ecclesiæ per baptismum flaminis, ut disserunt Tamburin. & Pasqualig. ubi supra; & confirmatur *ex cap. Apostolicam, De Presbyter. non baptiz.* extatque exemplum Sancti Ambrosii, qui, in Oratione *de Obitu Valentiniani Imperatoris* Catechumeni, ait: *Date manibus Sancta Mysteria, date Sacramenta cœlestia, Animam piam nostris oblationibus prosequamur.*

Et ne Lectorem ignorare contingat, quid esset in usu apud antiquos Patres, & Antistides circa Catechumenos, quorum Missa frequenter in Conciliis nominatur, sciendum est, Catechumenorum (quæ vox græca *Auditores* significat. Isidor. *lib.* 7. *Orig. c.* 14.) 28
duo fuisse genera, *Audientium* scilicet, & *Competentium.* Primi erant Christianæ fidei tyrones,

qui à deputatis Catechistis, & Magistris de articulis fidei instruebantur; secundi illi erant, qui jam instructi instanter baptismum petebant, & hi quidem tempore divini Sacrificii permittebantur stare in Ecclesia usque ad consecrationem; primi verò compellebantur exire statim peracto Evangelio, & completa concione, ut legitur *in Synodo Neocæsar. can. 5.* & notat Alcuinus *de Divin. Offic.* Sanctus Ambrosius *Ep. 33.* Sanctus Augustinus *Serm. 237.* & Ivo Carnotensis *Epist. 76.* in qua dividit Missam in duas partes, appellans primam partem *Missam Catechumenorum*; secundam *Missam Sacramentorum*; quia in illa assistebant etiam Catechumeni; in hac soli fideles; videlicet à consecratione citra. Pignatellus *tom. 9. consult. 97. n. 4.* Exibant autem tyrones Catechumeni de Ecclesia ante recitationem Symboli Apostolorum, quia hoc non explanabatur eis, nisi profeciissent in doctrina fidei, & morum honestate; ultimaque expositio erat de Venerabili Eucharistiæ Sacramento; quam non proponebant Sancti Antistites, nisi firmis in fide, & bene consistentibus in desiderio baptismi, ut ex SS. Basilio, Gregorio Nazianzeno, Ambrosio, Augustino, & aliis demonstrat Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 16. n. 3.*

In primordiis Ecclesiæ, & cùm necessitas exigebat, nullum tempus Catechesi præfinitum erat, sed quoscunque constabat de sua salute sollicitos esse, & in fide sufficienter instructos, Apostoli, eorumque discipuli baptizabant. Postea verò visum est Patri-
29 bus præfigere tempus firmum manendi in Catechumenatu; videlicet trimestre gentilibus, octo menses Judæis. *Can. Judæi. De Consecrat. dist. 4.* Catechumenis lapsis tres annos, & post aliquot sæcula redactum est tempus hoc ad quadraginta dies, ut ex Conciliorum Decretis deducunt idem Em. Card. Bona *d. lib. 1. c. 16. n. 5.* & Magr. *in Hierolexic. Verb. Catechumenus. Col. 3.* subdens, quòd hæc protractio temporis suscipiendi baptismum declinavit in abusum, itaut Catechumeni illum differrent usque ad extremum vitæ, vel ad gravem aliquam infirmitatem; forsan, ut tunc Sacro abluti Lavacro expeditiùs Cœlum intrarent; ideò legimus eundem S. Ambrosium proclamatum Mediolani Episcopum, dum esset Æmiliæ, ac Liguriæ Præfectus, & nondum baptizatus, ut in Breviar. Romano *Lect. 5. die 7. De-*
30 *cembris.* Ad quem abusum tollendum statuerunt Sancti Patres, ne Missæ Sacrificium offerretur pro Catechumenis illis, qui ex desidia, non habito baptismate aquæ, sed solo flaminis, decessissent, sed pro eis eleemosynæ tantùm erogarentur, ut ex Concil. Bracharense primo, & S. Chrysostomo *Hom. 3. in Epist. ad Philippenses*; & ex S. Ambrosii, Basilii, & Nazianzeni scriptis demonstrat Em. Card. Baronius *Anno 377. n. 15.* & notat Magr. *ubi supra.*

Postquam autem cessavit frequens Catechumenorum conversio, & jam dilatata Ecclesia per cursum undecim sæculorum in omnes Europeas nationes, cùm nullus esset, qui baptismum peteret ex Ethni-
31 cismo, vel Judaismo conversus, tempore Quadragesimæ infantes recenter nati non baptizabantur, nisi in Sabbato Sancto; & in diebus Dominicis Quadragesimæ conveniebant parentes cum infantibus ad Ecclesiam, in qua cantato Evangelio, Diaconus elata voce dicebat, *Catechumeni recedant*; & egrediebantur parentes cum infantibus, eisque relictis sub custodia, donec Missarum solemnia perficerentur, regressi in Ecclesiam tam ipsi parentes, quàm susceptores cum oblationibus, eas pro illis offerebant. Ita ex Amalario *lib. 3. c. 36.* & ex Joanne Beleth, qui vivebat anno 1190. *lib. de Divin. Offic. cap. 34.* observat Em. Card. Bona *d. c. 16. n. 6. in fine.*

In antiquissimo libro Ecclesiæ hujus Cathedralis Patavinæ; cujus titulus: *Hic est ordo totius Officii Ecclesiæ Paduanæ per totum circulum anni*, conscripto 32
ante quingentos annos, *pag. 78. terg.* sic habetur: *Sciendum est, quòd in tertia hebdomada Quadragesimæ in feria secunda, post tertiam portantur infantes nondum baptizati ad Ecclesiam majorem, & ante januam versùs mane sedet unus Scholaris, qui scribit omnia nomina infantium in quadam tabula lignea, & pro quolibet Infante datur eidem Scholari proscriptura unus denarius. Diebus verò sequentibus iterum portantur Infantes Catechumeni ad Ecclesiam majorem, in qua recipiunt signacula, & eorum Matres dant oblationes pro eis.* Postea autem *pag. 95. & 96.* agens de functionibus Sabbati Sancti, quas tunc faciebat Episcopus, & de baptismate Catechumenorum, seu infantium, ita dicit: *Dum cantantur Prophetiæ, Sacrista mittit quosdam Sacerdotes de Villis, & etiam de Capellis Civitatis ad ungendum infantes oleo benedicto in pectore, & in scapulis, facientes eos renunciare Diabolo, & pompis ejus. Deinde procedit Chorus cum Episcopo ad benedictionem Fontis. Completa benedictione Fontis per Episcopum, sunt etiam ibi parati quatuor Sacerdotes de Villis, & de Capellis Civitatis ad baptizandum, & sunt induti camisis tantùm. Finita benedictione Fontis, Episcopus baptizat duos, vel tres pueros ad voluntatem suam. Alii verò Sacerdotes, qui ad hoc parati sunt, baptizant alios pueros; & ibi propè sunt alii duo Sacerdotes cum chrismate, qui ungunt baptizatos in vertice.* Hæc dicta sint circa mores majorum nostrorum in hac materia Catechumenorum, de qua agimus.

Hisce temporibus, ad baptizandos Catechumenos, satis est institutio per viginti dies, si capaces sint discere præcipua fidei mysteria, Symbolum, orationem Dominicalem, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ *cap. Ante baptismum. cap. Ante viginti*: ubi Glossa, & Turrecremata *de Consecr. dist. 4.* & quamvis congruum sit eos baptizare vel in Sabbato Sancto Paschatis, vel Pentecostes. *c. de Catechumenis. c. Venerabilis*; & *cap. Baptizandos, de consecr. dist. 4.* in casibus tamen necessitatis possunt quocunque tempore baptizari. *cap. Si quis necessitate. d. dist 4.* Ricciullus *de jure personarum extra Ecclesiæ gremium existen. l. 3. c. 3.* qui *in seqq. capp.* tract. plures, eal- 33
que curiosas quæstiones de Catechumenis; inter quas illam, quòd non possunt contrahere matrimonium cum fideli *ex cap. Cave. 28. q. 1.* & ex Sanchezio, & Comitolo, quos citat *d. lib. 3. cap. 4. num. 27.*

Nonum dubium, *An licitum sit Missam celebrare, & fructum ejus applicare Excommunicatis?* Distinguendum est. Si excommunicati sunt tolerati? 34
licita est celebratio, & fructus Missæ pro eis applicatio. Tamburinus, qui aliter sentientes allegat *d. lib. 2. cap. 2. §. 4. à num. 8. & seqq.* Si non sunt tolerati, ut si sint denunciati, vel publici clericorum percussores, Sacerdos celebrare pro eis non potest tanquam persona publica, & uti Minister Christi, & Ecclesiæ. At tanquam persona privata, potest secretò, & in sua mente pro eis orare *in Memento*, ad impetrandam iisdem emendationem, ut concedunt d. Tamburin. *eodem §. 4. num. 3. & 4.* Eminent. Cardin. de Lugo *de Eucharist. disput. 19. numer. 185.* Diana *pag. 5. tract. 9. resol. 77.* Quæ resident in opere Coordinato *tom. 5. tractat. 1. resolut. 140.* &

140. & latissimè Pasqualigus *de Sacrificio Missæ qu.* 143. *& qu.* 144.

Decimum dubium, *An pro peccatoribus, & viventibus in peccato mortali Missa offerri possit?* Respondent omnes DD. affirmativè quò ad fructum impetratorium; ut docent Pasqualigus *q.* 142. & Tamburin. *d. cap.* 2. §. 6. alios allegantes. An verò fructus satisfactorius iisdem reservari possit, cùm ad gratiam redierint? alii negant, alii affirmant, ut videre est apud Em. Card. de Lugo *d. disp.* 19. *num.* 195. & Aversam *de Sacrific. q.* 11. *sect.* 10. §. *Quod si post remissionem.*

Undecimum tandem, & ultimum dubium, quod non absque calore tractant Doctores, est: *An licitum sit, Missas defunctorum, seu de Requiem celebrare provivis, & adhuc degentibus, in hac vita?* Communior, & magis accepta opinio est negativa. Ratio inter cæteras est, quia sic non servatur Ritus Missalis, dum Missa, quæ à Rubricis assignatur Defunctis, recitatur pro vivis. Ulteriùs minùs proderit prædicta Missa, quæ à Rubricis assignatur defunctis, si recitetur pro vivis. Ulteriùs minùs proderit prædicta Missa, quàm si alia pro vivis puta pro remissione peccatorum; vel ex officio currenti celebretur pro viventibus; nam esto, quòd æqualis in utraque sit fructus ex opere operato; quò ad orationes, & preces valdè tenuior erit; illas enim Deus decernendas remisit Ecclesiæ; & ei gratæ esse non possunt, si sint contra præscriptum Ecclesiæ. Ita Tamburin. *d. lib.* 2. *c.* 2. §. 7 & alii omnes, qui hanc defendunt sententiam, Layman *lib.* 5. *tract.* 5. *c.* 1. *n.* 15. Castropalaus *tom.* 4. *tr.* 22. *punct.* 6. *n.* 19. Diana, qui alios allegat, *part* 5. *tract.* 13. *res.* 2. Quæ in Coordinato est *tom.* 2. *tract.* 1 *res.* 79. Iterum idem Diana *part.* 9. *tract.* 2. *resol.* 18. quæ transitum fecit ad Coordinati operis *tom.* 4. *tract.* 1. *resol.* 25. *n.* 2.

Contrarium tamen docent non spernendi Auctores, Navarrus *in Consil. de Celebrat. Missar. cons.* 6. Zerola *part.* 2. *Verb. Missa n.* 10. Barbosa *in collect. DD. ad Concil. Trid. sess.* 22 *c.* 2 *n.* 11. Pinellus *lib.* 2. *de Missa c.* 7. & ex Moralistis Lezana *tom.* 4. *Verb. Missa. n.* 54. Peyrinus *tom.* 3. *in addit. cap.* 1. *n.* 21. & Gobatus *in Theolog. Exper. tract* 3. *à n.* 629. ubi si sic vivens postulet, ei morem gerendum esse affirmat; ita tamen ut in Missa non dicatur illa oratio; quæ ait, defunctum *hodie de hoc sæculo migrasse*; ut evitetur mendacium; nam licèt hæc celebratio *de Requiem* pro vivente non sit præcisè juxta institutum Ecclesiæ, habet tamen suaptè natura, atque ex promissione divina energiam respectu omnium capacium; & qui ita præveniunt diem mortis suæ, sunt illius magis memores, & sese magis præparant ad supremam luctam; ideòque scriptum reliquit S. Gregorius *lib.* 4. *Dialog. c.* 58. *Tutior est via; ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse, dum vivit per se. Beatus quippe est liberum exire, quàm post vincula libertatem quærere.*

Confirmant hanc affirmativam opinionem exemplis B. Alberti Magni, quem plures Missas de Requiem, ac officia mortualia sibi adhuc viventi celebrare fecisse, scribit Ferdinandus de Castro *in Histor. Gener. S. Dominici part.* 2. *lib.* 3. *c.* 46. Idem operatum esse Henricum II. Comitem de Rateneck Episcopum Ratisponensem XXXIII. *Anno Christi* 1196. testatur Wiguleus Hundus *in Histor.* ut referunt Lezana, Layman, & Diana supracitati. Quibus addere licet alia duo de sequentia.

Horatius Tursellinus *in Vita S. Francisci Xaverii Doct. Clericati Tom. I. Lib. III. lib.* 5. *cap.* 3. differens de Petro Vellejo Mercatore perquàm opulento, qui cùm occupatus ludo latrunculorum, S. Francisco petenti pro inope puellam stipem, dedisset clavem ad arcam, facta potestate indè accipiendi, quantum vellet, hic autem non nisi trecentos aureos deprompsisset; Petrus verò hoc intellecto, seriò subdidisset: *Errasti Pater, namque arcæ clavem tradens, dimidiam auri partem tradebam* (inerant ibi aureorum nummorum triginta millia) admirans tantam liberalitatem S. Franciscus, ipsi mox vaticinatus fuit, eum Deo prænunciante cognoturum ultimum vitæ finem: quem ubi post aliquot annos divinitùs cognovit adesse, compositis rebus domesticis, adhuc vivens, vigensque ædem Sacram adiit, impulit Parochum, ut confestim faciat pro se Sacrum funebre, cui cùm interfuisset, convenit amicos, aperit vaticinium Xaverii, extremum Vale eis dixit, rogans ut Petri Vellej mox obituri funus eodem die prosequantur, atque ita prorsus evenit. Affecta jam ætate hominem mors repentina abstulit; eodemque die funere elatum amici ad Templum prosecuti sunt. Ita Gobatus *d. tract.* 3. *num.* 633.

Alterum illustrius quidem exemplum narrat de Carolo V, Imperatore Famianus Strada *l.* 1. *Historiæ belli Flandr.* his verbis: Exequiarum occasione, quas Matri anniversarias (ipse Imperator) persolverat, nova incessit animum cupido, si liceret & suas celebrandi. Reque communicata cum Joanne Regula è Hieronymiana familia, qui ejus conscientiam moderabatur, quamvis insolitum quidem illud, pium tamen, ac salutare dixisset, apparari funus sibi quamprimùm jussit. Ergo excitatur in Templo tumuli moles, funalibus illuminatur, atrati circumstant famuli, mortuale Sacrum mœsto Monachorum cantu peragitur. Ipse funeri superstes suo, spectabat exequiale carmen, placidam sibi requiem beatas inter sedes implorantium, eademque ipse si suffragia psallentibus immistus exposcebat. Donec Sacrificanti propior factus, eam tradens, quam gestabat, accensam facem, sublatis in cœlum oculis: Ego te, inquit, vitæ, ac mortis Arbiter, oro, quæsoque, ut quemadmodum oblatum hunc à me cereum Sacerdos capit, sic commendatam in manus tuas hanc animam Tu, quandocunque libuerit Tibi, in sinum, complexosque tuos benignè suscipias. Tunc ut erat pulla, fluxaque opertus veste, humi procubus, renovatisque omnium, qui aderant, lacrymis, quasi depositus, suprema lamentatione comploratus est; atque hoc videlicet rudimento Carolus vicinæ jam morti præludebat. Hucusque Famianus Strada, cujus eadem verba transcribit Menochius *in Storeis cent.* 1. *c.* 32. & ejusdem Funebris pompæ Carolo vivente meminit novissimè Antonius Foresti *in Mappamundo Histor. tom.* 2 *lib.* 24. in Vita Caroli Quinti Imperatoris *Anno* 1557.

DECISIO XXXVII.

ARGUMENTUM.

Inquiritur, An sit major fructus Missæ solemnis, quàm Missæ privatæ? Docetur Missam solemnem esse, quæ celebratur cum Ministris, Musica, & Cantu. Exponitur, quid, & quoruplex sit Musica? Quis ejus Auctor?

Quo tempore introducta sit in Ecclesia tam vocalis, quàm Instrumentalis? Organorum usus quando cœperint? Quomodò Organa sonanda? Ubi sint Organa famosa? Musica laudata. Item censurata. Quæ approbata? Gregoriani cantus commendatio. Tonorum Regulæ. An Monialibus Musica expediat? Tandem, majorem esse fructum Missæ solemnis, quàm privatæ tum ex opere operantis, tum ex opere operato rationibus demonstratur.

SUMMARIUM.

1 *Missæ solemnis plures species.*
2 *Missæ solemnis multiplex nominatio.*
3 *Missa cantata, sed sine ministris, an sit solemnis?*
4 *Missa solemnis, & cantata est antiquior privatis Missis.*
5 *Missæ privata an semper fuerint in usu?*
6 *Cantus in Missis in primitiva Ecclesia qualis fuerit?*
7 *Missarum privatarum numerus quando sit dilatatus?*
8 *Missæ privatæ die festo non dicebantur ante Missam solemnem.*
9 *Musica undè dicta? Et quid sit? Et quotuplex?*
10 *Musicæ vocalis tres species. Et quæ?*
11 *Musica Instrumentalis triplex. Et quæ?*
12 *Hymnus S. Joannis Baptistæ* Ut queant, *&c. à quo compositus?*
13 *Adamus an Musica doctus fuerit?*
14 *Moyses, & Maria soror ejus sciebant Musicam artem.*
15 *Hebræi Musicam amabant.*
16 *Angeli auctores Musicæ.*
17 *Angeli respondent S. Gregorio Magno celebranti.*
18 *Angeli cantarunt primùm Regina Cœli lætare alleluja.*
19 *Angelorum cantus exempla plura.*
20 *Musica quando in Ecclesia sit introducta?*
21 *Musica vocalis tempore Apostolorum fiebat à Clero, & populo simul.*
22 *Cantus in Ecclesia anno 364. soli Clero demandatus.*
23 *Cantus fuit reformatus à S. Gregorio Magno.*
24 *Imperiale præceptum, ut Ecclesiastici cantent in Choro.*
25 *Cantores Ecclesiastici à tenera ætate instruebantur.*
26 *Pontifices Romani, qui priùs fuerant Cantores in Ecclesia.*
27 *Galli, & Angeli discunt cantum ab Ecclesia Romana.*
28 *Instrumentalis Musica quando sit introducta in Ecclesia?*
29 *Hymni compositi à S. Ambrosio.*
30 *Musica instrumentalis nunquam fit in Capella Papæ.*
31 *Organa quo tempore sint inventa?*
32 *S. Cæcilia martyrio coronata Anno 232.*
33 *Versus, qui sonantur ab Organo, sunt per aliquem recitandi in Choro clara voce.*
34 *Versus, qui non ab Organo, sed à Choro prorsus sunt canendi?*
35 *Strophiæ hymnorum, in quibus est genuflectendum, non ab Organo, sed à Choro semper sunt cantandæ.*
36 *Organista an possit esse Canonicus?*
37 *Organista non sit prolixus, dum pulsat Organum.*
38 *Credo cantetur totum sine Organo.*
39 *Offertorium in Missa olim longum erat.*
40 *Organa duo famosa Orvieti, & Eugubii: Et illud S. Justinæ de Padua; ac Tridentinum.*
41 *Musica an approbanda in divinis Officiis? rationes pro approbatione.*
42 *Musica est remedium contra Pestem.*
43 *Tarantolæ morsus, sanatur musico concentu.*
44 *Mulis oneratis quare appendantur tintinnabula ad collum?*
45 *Buccina armonica, vulgò* il Cornetto *non est prohibenda in Capella Musicali.*
46 *Musicus clericus etsi indoctus potest ordinari.*
47 *Joannes Sariberiensis, Carnotensis Episcopus Anno 1177. laudat Musicam.*
48 *Musicam instrumentalem, & cantum figuratum esse explodendum ab Ecclesia rationes plures.*
49 *Eunuchi, & castrati Musici sunt irregulares.*
50 *S. Aelredi Abbatis censura in Musicam.*
51 *Extravag. Joannis Papæ XXII. & Alexandri VII. contra Musicam.*
52 *Musica devota laudabilis. Profana explodenda.*
53 *Cantus Gregoriani commendatio.*
54 *Canonici Patavini tenentur scire cantum Gregorianum.*
55 *Versus ad cognoscendos tonos cantus Gregoriani.*
56 *Versus ad sciendum intonare Psalmos.*
57 *Moniales an expediat, ut sciant cantare, & sonare?*
58 *Alexandri VII. Bulla circa Musicam Monialium.*
59 *Missæ solemnis fructus, & valor major est, quàm Missæ privatæ.*
60 *Fructus ex opere operantis in Missa solemni cur major, quàm in privata?*
61 *Fructus majoris ex opere operato in Missa solemnis rationes.*
62 *Ordines majores, & minores instituti à Christo, ut Missa solemniter cantaretur.*
63 *Simonis Oziæ filii legatio missa ad Romanos.*
64 *Mna una, quanta pecunia sit?*
65 *Mnæ mille sunt in pondere unciæ quingentæ.*
66 *Clypeus mysticus est Christus.*
67 *Principes dant Oratoribus suis ingentes pecunias.*
68 *Missa solemni pluribus privatis satisfieri conceditur.*
69 *Concil. Trident. sess. 25. de Refor. cap. 4. dispositio circa onera Missarum reducenda.*
70 *Anniversaria 50, annua Congregationis Parochorum Paduæ.*
71 *Episcopus potest moderari onera Missarum nondum acceptata.*
72 *Præpositura SS. Trinitatis Paduæ est secunda dignitas in Collegio Parochorum.*

NOn inutilis, neque injucunda est investigatio, *Utrùm Missæ solemnis sit major fructus, quàm Missa privata?* pro cujus dilucidatione, & quæ

siti

siti resolutione, hæc quæ sequuntur, sunt declaranda, videlicet:

1 *Quæ sit Missa solemnis?*
2 *Quid, & Quotuplex sit Musica?*
3 *A quo Musica habuerit originem?*
4 *Quando Musica introducta sit in Ecclesia?*
5 *Organorum usus quando incœperit?*
6 *Musica in Divinis Officiis an approbanda, vel proscribenda?*

Quò ad Primum. Missæ solemnis plures sunt spe-
1 cies. Una est maximè solemnis, quæ cum omnibus Ministris Sacris in Cæremoniali Episcoporum præscriptis, diebus festivis, cum Musicali cantu celebratur. Bauldry *in Manual. Sacr. Cærem. part. 3. cap. 15.* Gavantus *in Rubric. Missal. part. 2. tit. 2. De ingressu Sacerd. ad Alt. num. 5.* Castaldus *in Praxi Cæremon. lib. 2, sect. 9. cap. 1.* & Bissus *in Hierurgia tom. 2. litt. M. Verb. Missa solemnis n. 237.* & solet diversis nominibus nuncupari, nempè Missa principalis, & Conventualis *in Rubric. Missal.* Missa publica *in Ord. Rom. tit. de Dedic. Eccl.* Missa Canonica à S. Gregor. *in lib. Capitular. cap. 45.* & Missa Generalis *à Microlog. cap. 45.* ut notat Ga-
2 vantus *d. num. 5.* subdens, quòd illa propriè est Missa Solemnis, quæ cantatur in festis solemnioribus in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis sine ulla omissione eorum quæ ad indicandam solemni-
3 tatem spectant. Missa verò solemnis, sed minori modo, est illa, quæ quidem cantatur cum Ministris, sed vel sine credentia, vel sine incensatione Altaris; aut etiam sine Ministris, cum duobus Ceroferariis, uno Thuriferario, & uno Acolytho, à quibus Sacerdoti celebranti inservitur; vel cùm duobus tantùm Acolythis; sive cum unius Clerici tantùm assistentia, ut fieri solet vel in Ecclesiis Regularibus, vel Parrochialibus, in quibus parvus est numerus Ministrorum; & hujus formæ Missa solemnis dicitur
4 potius tolerata, quàm concessa; quia per Rubricas Missalis duæ tantùm species Missarum assignantur; una Solemnis, in qua nihil desit circa Ministros paratos, & assistentes celebranti, credentiam, incensationem, & chorum cantantem; & altera privata, in qua Sacerdos Missam solus legit; sibi uno ministro inserviente, ut bene observat Gavantus *d. part. 2. tit. 2. num. 6. vers. ea vero est solemnis.* Bauldry *d. part. 3. c. 9. aliàs 12. p. 195.* & Bissus, *d. litt. M. n. 237. §. 1.*

Porrò illud est observatione dignum, quod ex Emin. Card. Baronio *Anno 218. n. 38.* deducunt supracitati Auctores Gavantus, & Bissus; quibus concordat Illustrissimus, & Reverendissimus Episcopus Sarnellius in sua *Antiqua Basilicographia c. 35. n. 7.* nempe; Missas solemnes cum Ministris paratis, & cantu esse antiquiores Missis privatis; ita ut ab initio Ecclesiæ, viventibus adhuc ipsis Apostolis Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebratum fuerit solemni ritu, hoc est Clero canente, populo adstante, offerente, ac communicante, ut ait Illustriss. & Reverendiss. Sperellus *in Paræsi Teleturgica c. 18. n. 1.* nec non Em. Card. Bona *Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 13. n. 2.* Et quamvis *cap. 14. sequenti* demonstret,
5 privatas Missas semper quoque in usu fuisse; quia Apostoli circa domos panem frangebant, Eucharisticum videlicet, ut illorum Acta testantur; & viri Apostolici, qui eos proximè sequuti sunt, sæpe privatam celebrabant in domibus, in carceribus, in cryptis, in cœmeteriis, & in tuguriis, ut etiam comprobat idem Em. Card. Bona *d. lib. 1. c. 19.* ex his non sequitur; quod eorundem Apostolorum, & succes-
6 sorum Missæ non fuerint solemniter celebratæ, cum ministrorum assistentia, & populi, & cantu; quia cantus ipsorum nec musicalis, de quo infra cum instrumentis, neque strepitosus est intelligendus; sed qualis decebat pietatem primorum Christianorum, loci, ac temporis opportunitatem; ut hisce temporibus faciunt Patres Cappucini, Eremitæ Camaldulenses, & Clerici Regulares Theatini; & talem fuisse cantum Ecclesiæ Alexandrinæ sub S. Athanasio habetur ex S. Augustino *Confess. lib. 10. cap. 33.* & ex eodem Illustrissimo Sarnellio in suis Epistolis Ecclesiasticis *Epist. 9. pag. 54.* Apostolos autem in ultima cœna post Sacram Communionem receptam cantu egisse gratias Deo, innuit Evangelista Matthæus *c. 26. vers. 30.* dicens, quod *Hymno dicto exierunt in montem Oliveti*; quo loci sic commentatur Tirinus: *Hymno dicto, id est gratiis Deo actis, fortè cum cantu, ut textus Græcus insinuat: & notat Paulus Burgensis, post esum Agni Paschalis solitos Judæos canere, vel legere Psalmum, Laudate Dominum omnes gentes, cum quinque sequentibus.* Igitur sicut non erat novum Apostolis, & primis Christianis laudare Deum cum cantu juxta illud Apostoli Pauli *ad Ephesios c. 5. vers. 19. Loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* Sic extra dubium est, quòd Missas Solemnes cum cantu devoto celebrarent, de quo S. Augustinus *Epist. 119. c. 8.* ibi: *De hymnis, & psalmis canendis, ipsius Domini, & Apostolorum habemus documenta, exempla, & præcepta*; ut latiùs differit Casalius *De Veteribus Sacris Christian. Ritib. cap. 44. per totum.*

Hinc pariter est, quòd multiplicia exempla, & auctoritates, quas doctè collegit Em. Card. Bona *d. lib. 1. c. 14.* ad probandum usum Missarum privatarum, sunt Sanctorum Patrum, qui vel in quarto 7
sæculo, vel in posterioribus vixerunt; iis namque temporibus, dilatata Ecclesia per totum orbem terrarum, & ob multitudinem fidelium multiplicatus etiam cùm fuisset numerus Sacerdotum, qui populo Christiano Sacramenta ministrarent; crevit usus Missarum privatarum: sed cum tali restrictione, ut tunc nulli Sacerdoti licitum fuerit die festo privatas, 8
Missas ante tertiam celebrare, ne scilicet populus à publico, & solemni Sacro distraheretur; & ut omnes Sacerdotes, & universus populus ad publica Missarum Solemnia, & prædicationem Verbi Dei convenirent, ut ex S. Burchardo Episcopo Vormacienſi, (qui decimo sæculo vixit, & scripsit viginti libros Decretorum ex Conciliis, & Pontificibus; ac Sanctis Patribus) *lib. 1. cap. 59.* advertunt Bauldry *d. part. 3. c. 11. n. 2.* Castaldus *d. lib. 2. sect. 9. cap. 1. n. 1.* & Bissus *in Hierurgia d. Verb. Missa Solemnis §. 3.* Missa itaque Solemnis verè, & propriè illa dicitur, quæ cum cantu, & solemni cæremoniarum apparatu, Ministris, & Clero assistentibus, suorumque ordinum munia exercentibus celebrari consuevit. Eminent. Cardin. Bona *d. lib. 1. cap. 13. num. 1.*

Quò ad secundum. Musica (quæ vel sic dicitur à *Musis*, ejusdem nutricibus, & cultoribus; vel à vo- 9
ce Hebræa *Musar*, quæ significat eruditionem; ut scribit Vossius *in Etymol. Linguæ Latinæ verb. Musica.*) est peritia modulatione in sono, cantuque consistens. Sivè, ut alii volunt, *est ars concinnitatis, vocibus, moribusque collocata.* Aut etiam *habitus inspectivus, activus, & affectibus absoluti meli.* Musica verò duplex est. Una Vocalis, alia Instrumentalis. Illa dicitur vocalis, quæ consistit in decantandis carminibus dulci, suavique voce ad imitationem avium,

& præcipuè Luscinæ, à quarum observatione homines artem musicam didicisse voluit Lucretius, inquiens:

At liquidas avium voces, imitarier ore,
Ante fuit multò, quàm levia carmina cantu
Concelebrare homines possent, auresque juvare.

Dividitur autem vocalis Musica in tres species subalternas, in *Melopœiam*, quæ continet versus Lyricos; *en Rhythmicam*, quæ consistit in carminibus definentibus cum earundem similitudine Syllabarum, *Dies iræ, dies illa, solvet seclum in favilla*. Et tertiò in *Poeticam*; per quam decantantur omnia alia genera carminum, de quibus usus erat apud antiquos Poetas. Passeronus *in Proœmio Sphæræ Artific.* Laurentius *in Amaltheæ Onomastica in verb. Rhythmica expositio.* & Arelius *Sacr. Impres. lib. 6. Impres.* 158. ubi *num.* 1. inter musicas Aves Principem esse Philomelam deducit ex illis versibus Ovidii: 10

Tu Philomela potes vocum discrimina mille,
Mille vales varios ruè referre modos.
Nam quamvis aliæ volucres modulamina tentent,
Nulla potest modulos æquivalere tuos.

Instrumentalis Musica iterum triplex est *Enchordica, Pneumatica, & Crustica.* Instrumenta musicalia Enchordica sunt illa, quæ nervis, seu chordis intenduntur; & talia sunt Lyra, cithara, testudo, psalterium, sambuca, pandura, barbiton, naulium, & pectis. Instrumenta *Pneumatica* sunt, quæ flatu compentur, veluti Tuba, tibia, fistula, classicum, buccina, cornu, liturus, & Organum. *Crustica* sunt, quæ pulsatione reboant, quale est tympanum, sistrum, cymbalum, clavecymbalum, & crusma; de quibus Franciscus Serra *in Apparatu Synonymor. Verb. Musica Instrumenta*, ubi supra nominata omnia describit, & declarat; & P. Daniel Bartoli *in Opusc. de Sonitu, & tremorib. Armoncis*, in quo *tract. 4. c.* 1. & 2. disputat, an delectabilior sit sonitus Unisonus, vel varius ex gravi, & acuto, ad quem lectorem otiosum, & curiosum remitto. 11

Quo ad Tertium; si petimus, à quo Musica habuerit originem? Poetæ inventionem illius tribuunt Apollini, ac Mercurio, ut notat d. Serra *eod. verb. Musica.* Petrus Gregor. Tholosanus *in Syntaxi Art. mirabil. lib. 12. c. 5.* & Alemanus Benelli in Dialogo, cujus titulus: *Il Desiderto, overo de concerti di varii Instrumenti Musicali*, In quo *pag.* 34. ponit hoc hexasticum, habens sex notas musicales, *Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La:* Videlicet:

Candidulo vultu, roseo, & suffusa pudore
Dic quare in terris Musica carpit iter?
Ut REpleat MIsericors FAcili SOLamine,
LAudes.
LAte, ac SOla FAvens, MIra REferre polis
Ut possit benefacta Virum, & pia munera vatum,
De Cœlo veniens Musica in Orbe viget.

Sunt, qui putant, easdem sex notas musicales à Guidone Abbate Benedictino excellenti Musico insertas fuisse in Hymno Vesperarum S. Joannis Baptistæ,

Ut queant laxis Resonare fibris
Mira gestorum Famuli tuorum,
Solve polluti Labii reatum,
Sancte Joannes.

Sed id verum non esse, demonstrat Gavantus *in Rubric. Brev. sect. 5. c.* 6. ad d. Hymnum *Ut queant* ea ratione, quia fuit compositus à Paulo Diacono, qui floruit *Anno* 770. Guido autem Abbas obiit *Anno* 1020. Ideò verius creditur, quòd prædictus Guido selegerit à dicto Hymno easdem sex notas musicales, *Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La*, tanquam sibi beneplacitas, cùm potuerit pro suo arbitrio tanquam Magister Artis Musicalis alias deputare. 12

Per. ò fabulis relictis, Annalistæ eam referunt Jubalo filio Lamechi, de quo dicitur in *Genes. cap. 4. Vers.* 21. quòd prædictus *Jubal fuit pater canentium cithara, & organo.* Et quamvis Cajetanus opinatus sit, à Jubalo inventam fuisse solam Musicam instrumentalem; non autem vocalem; contrarium tenet Oleaster, quem citat Salianus *ad Annum Mundi* 689. *num.* 15. ubi quærit, an possimus dicere, quòd Adamus Musicam ignoraverit, qui omnes scientias infusas à Deo habuit? ut nos ostendimus supra *Decis. XV. num.* 4. & respondet: *Musicam quidem artem, atque instrumenta non ignota fuisse Adamo, sed ut in statu pœnitentiæ non usurpata.* Hinc non mediocri studio cultam fuisse semper Musicam tam vocalem, quàm instrumentalem ab Hebræis constat ex cantico post transitum maris Rubri decantato à Moyse, 13
& a Maria sorore ejus, virisque, ac mulieribus aliis cum tympanis, ut legitur *in Exod. c.* 15. Ex deputatione cantorum facta à David pro Templo, ut ibi ob divinum cultum canerent in citharis, psalteriis, & cymbalis, ut habetur *lib. 1. Paralip. c. 25.* Ex usu 14
continuo musicalis concentus, quem Hebræi adhibebant tum in nuptiis, tum in conviviis, ut latè demonstrat Serlogus *tom. 1. in Cantic. Vestig. 1. sect. n.* 25. & S. Lucas *in Evangel. c.* 15. *n.* 25. ubi præparato convivio per Patrem filio suo Prodigo, senior 15
frater revertens de agro domum, *audivit Symphoniam, & chorum*, scilicet musicorum canentium.

Cæterùm Scripturistæ primarios Musicæ auctores faciunt Sanctos Angelos, Spiritusque beatos, quos Isaias vidit, & audivit canentes alter ad alterum in cœlo coram Domino, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum plena est omnis terra gloria ejus. Isa. c. 6. v.* 3. Ipsosque in nativitate Salvatoris pariter Pastores audiverunt cantare, quando 16
Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2. 13. De iisdem pariter testatur Sanct. Joannes *in Apoc. c.* 14. *vers.* 2. dicens: *Et vocem tuam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum novum.* Plurima quoque testimonia de armoniacis Angelorum concentibus cumulat Jo. Bonifacius Bagatta *de Admirand. Orbis Christiani tom. 1. lib. 1. c.* 2. inter quæ *num.* 15. quòd S. Gregorius Magnus Missam solemnem celebrans in Ecclesia S. Mariæ Majoris, proferens illa verba: *Pax Domini sit semper vobiscum*, audivit Angelos suavissimo cantu respondentes sibi, *Et cum* 17
spiritu tuo. In cujus miraculi memoriam usque adhuc, dum Pontifices in eadem Ecclesia solemniter celebrant, ad eadem verba *Pax Domini*, chorus non respondet, *& cum spiritu tuo*, tale munus Angelicis choris relinquendo; Et *num.* 16. subdit: Eundem S. Gregorium in processione cum imagine Deiparæ ad Ecclesiam S. Petri propè molem Adrianam audivisse voces Angelorum, Virginem his verbis obsequentes: *Regina cœli lætare alleluja*, &c. Et in memoriam tanti mysterii, usque adhuc quoties Canonici S. Mariæ Majoris processionaliter eandem mo-

lem

tem transeunt, eandem Antiphonam piè, religiosè-
18 que recitant. Successive dictus Auctor Bagatta *d. cap.* 2. §. 2. *num.* 11. scribit: Divum Nicolaum Tolentinatem sex ante obitum mensibus, singulis noctibus Angelorum concentum audivisse.

Item *num*, 14. *ex Marulo lib.* 6. *cap.* 16. quòd S. Martini Episc. Turonensis vultus, cùm obiisset, splendidus apparuit; Angelici præterea cantus cir-
19 ca ipsum auditi sunt, *Num*, 20. *ex Chronicis Minor. part.* 1. *libr.* 9. *cap.* 23. In obitu Comitissæ Delphinæ, Sancti Eleazari Uxoris, cum quo Virginitatem in Matrimonio conservavit, auditi sunt Angelorum concentus, ejus beatam Animam ad cœlum evocantium. *Ex Chronicis S. Augustini num.* 25. Quo tempore ad Cœlum evolavit anima Sanctæ Monicæ, Sancti Augustini Matris, Angelorum cantus, illam beatam Animam ad patriam concomitantium; mirabiliter auditi sunt. His addendus Eminent. Card. Baronius *Anno* 886. *num.* 36. scribens, quòd suavissimi Angelorum cantus in crypta viæ Salariæ Romæ super corpora SS. Martyrum auditi sunt, quibus cœlestes Spiritus suorum concivium glorioſum de tyrannis triumphum exaltabant. At de Angelica harmonia, & Cœlitum cantibus plenæ sunt Sacræ Historiæ; adeò ut jure optimo, ad eosdem referenda veniat Musicæ inventio; Ecclesia profitente, quòd *Illa sedes Cœlitum semper resultat laudibus*; *Deumque Trinum, & Unicum, jugi canore prædicat*, ut in Hymno *Dedicat. Eccles. ad Laudes.* At de his videndus Cassanæus *in Catalogo glor. Mund. part.* 10. *Consider. LI.*

Quò ad Quartum; in quo quæritur, Quando Musica introducta sit in Ecclesia? distinguere oportet Musicam vocalem ab instrumentali, & ab Orga-
20 no. Musica vocalis, quæ non cantus figuratus; sed, ut dicitur cantus firmus; recepta est in Ecclesia statim à principio; siquidem tempore Apostolorum, & aliquot subsequentibus sæculis universus fidelium cœtus simul cum clero psallere solebat; &
21 cerdoti solemniter celebranti cum cantu assistebat, & respondebat, ut ex Liturgia S. Jacobi, & ex libro octavo Constitutionum Apostolicarum manifestum est, & plenè probant Casalius *de Sacris Vet. Christ. Ritibus capit.* 44. laudatus Episcopus Sarnellius *d. Epist.* 9. Tamburin. *de Jure Abbatissar. disp.* 15. *q.* 3. Et Emin. Card. Bona *de Divina Psalmodia c.* 17. §. 2. *num.* 3. *& Rer. Liturgic. d. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 19. ubi plurimi Sancti Patres, nec non verba illa Plinii in epist. ad Trajanum: *Christianos solitos fuisse stato die ante lucem convenire, & carmen Christo quasi Deo dicere secum invicem.* Quia tamen vix fieri poterat, quin ob imperitiam populi canentis unà cum Clero Ecclesiasticæ harmoniæ concentus turbaretur, Patres Concilii Laodiceni (quod celebra-
22 tum fuit anno 364.) *cap.* 15. statuerunt: *Non oportere præter Canonicos cantores, qui suggestum ascendunt, & ex diphtera, seu membrana cantant* (id est ex libro) *alium quemlibet in Ecclesia psallere*; & quamvis hic canon non fuerit statim ubique receptus, ut ex SS. Patribus comprobat Emin. Card. Bona, ubi supra, cœpit tamen cantus Ecclesiasticus exerceri à solis Clericis; *cap. Non licèt, dist.* 92. potissimùm post factam ejusdem cantus reformationem, seu
23 correctionem à S. Gregorio Papa, à quo cantus firmus nomen Gregoriani cantus deduxit; quo tempore ab eodem Sancto Pontifice instituta fuit Schola Cantorum, cui prædia donavit, & habitationes univit, ut testatur Joannes Diaconus in Vita ejusdem S. Greg. *lib.* 6. *cap.* 7.

De hac reductione Psalmodiæ, & Cantus in Ecclesia ad personas Ecclesiasticas loquitur etiam Imperator Justinianus (qui vivebat anno Domini 24
530.) *in l. Omnem* 49. *Cod. de Episcop. & Cler.* in qua §. 10. ita loquitur: *Præterea Sancimus, ut omnes Clerici per singulas Ecclesias constituti, per seipsos psallant nocturna, & matutina, & vespertina, ne ex sola Ecclesiasticarum rerum consumptione clerici appareant, nomen quidem habentes clericorum, rem autem non implentes clerici circa Liturgiam Domini Dei*; subdens: *Si enim multi Laicorum, ut suæ animæ consulant, ad Sanctissimas Ecclesias confluentes studiosi circa Psalmodiam ostenduntur; quomodo indecens non fuerit, clericos ad id ordinatos non implere suum munus?*

Igitur post tempora supradicti Concilii Laodiceni, & Justiniani Imperatoris cantus in Ecclesiis 25
transitum fecit de personis Laicis ad solos clericos; quos Antistites ubique erudiri curabant in Psalmodia à tenera ætate, ut de Victore Episcopo Africano, de S. Augustino, & aliis demonstrat *d. cap.* 25. *num.* 20. Emin. Card. Bona, singillatimque de Romanis 26
Pontificibus, quorum plurimi in officio Cantoratus juvenilem ætatem transegerunt; inter quos Sergius Primus; Sergius Secundus, Gregorius Secundus, Stephanus Tertius, & Paulus Primus; & hoc idem desumitur ex Annalibus Em. Card. Baronii *ad Annum* 51. *&* 60. & ibi Spondanus, ut notat Casalius *d. c.* 44. *pag.* 197. Tanta autem erat gravitas, & dulcedo simul mixta Cantus Ecclesiæ Romanæ, ut ab ea illum sibi asciscerint tum Ecclesia Anglicana, teste Ven. Beda *lib.* 4. *c.* 18. tum Ecclesia Gallicana, 27
Valfrido Strabone referente; atque Em. Card. Baronio *Anno* 754. *n.* 7. ubi Carolus Magnus petiit, & obtinuit ab Adriano Papa quatuor Cantores Romanos; quorum opera cantum, & psalmodiam in Ecclesiis Gallicanis fecit reformari; quæ omnia non intacta reliquit antedictus Illustriss. Sarnellius Episcopus Vigiliarum in laudato libello *Epistol. Eccles. in Epist.* 9. *p.* 59.

Instrumentalis autem Musica, & cantus figuratus introduci cœpit in Ecclesiis sæculo quinto; ut 28
populus fidelis abstraheretur à modulationibus, & concentibus, quos hæretici factitabant, ut gentes ad eorundem templa frequentanda incitarent. Nam de hujus Musicæ usu constat ex carminibus Venantii Fortunati Episcopi Pictavensis, qui floruit anno 570. positis infra *Decis XLIX n.* 61. Siquidem Sancti Antistites expedire censuerunt, cantica canticis, citharasque citharis opponere, & aurium hominum pruritui, lyræ, plectri, sambucæ, aliorumque Musicalium instrumentorum harmonico sonitu indulgere; simulque permixtis vocibus gravi, media, acuta, subacuta, & tremula melodiam in divinis officiis exhibere, ut differunt Nicephorus in *Hist. lib.* 9. *c.* 16. Theodoretus *lib.* 1. & Cassiodorus *lib.* 5. *c.* 32. Quos novissimè refert doctissimus, & eruditissimus Jacobus Pignatellus *Consultation. Canonicar. tom.* 3. *consult.* 41. *n.* 1. addens, quòd prædicta de causa, & ad lenocinia aurium propulsanda, ab hæreticis adinventa, instrumentalem Musicam permiserunt S. Flavianus Antiochiæ, S. Chrysostomus Constan- 29
tinopoli, S. Augustinus Hippone, & S. Ambrosius Mediolani, à quo Rhythmi versus, scilicet Hymni Sacri, dulciùs canendi fuerunt compositi; eandemque methodum canendi figuratè cum instrumentis credendum est irrepsisse in Ecclesias Urbis Romæ, etsi ingressum ei datum non fuerit in Capellam Papæ, Suarez *d. Relig. l.* 4. *c.* 8. *n.* 7. nam S. Leo Papa eam redarguit *Ser.* 4. *de Jej. mens. sep.* his verbis: 30

Insidioso

Insidioso sono; & mollibus ictibus pulsantur auditus, ut animi soliditas illecebrosa modulatione solvatur: & lethalium consuetudine suavitatum, incauta, & parùm sobria corda capiantur.

Quoad Quintum: Organum quo tempore sit in Ecclesia introductum non est facile diffinire; alii enim volunt Regi Pipino in Gallias primùm fuisse
31 dono missum à Copronimo Græco Imperatore *anno* 766. ut notat Sigebertus; & Annales Metenses *anno* 757. Alii opinantur, tempore Vitaliani Papæ, anno scilicet 660. Organa fuisse in lucem edita, ut disserit Em. Card. Bona *de Divina Psalmodia c.* 17. §. 2. *n.* 4. Pignatellus *tom.* 3. *consult.* 41. *n.* 8. Theatrum Vitæ humanæ *cap.* 22. & notat Illustrissimus Sarnellius *d. Epist.* 9 *pag.* 58. Sed fatendum est, multò ante Organa orta esse; nam sæculo antecedenti, in quo vivebat Venantius Fortunatus, anno scilicet 570. in descriptione Cleri S. Germani Episcopi, sic de Organo cecinit:

Hinc puer exiguis attemperat Organa cannis:
Inde senex largam ructat ab ore tubam.
Cymbalicæ voces calamis miscentur acutis;
Disparibusque tropis fistula dulce sonat.
Tympana rauca senum puerilis fistula mulcet;
Atque hominum reparant verba canora lyram.

Imò antiquissima nuncupanda sunt Organa; ea ratione quia erant in usu tum tempore S. Augustini, qui florebat *Anno* 420. & in *Psalmo* 98. de eis meminit, inquiens: *Rogamus pro illis; ut qui delectabiliter audiunt Organum, delectabilius audiant vocem Dei*; tum tempore Aurelii Prudentii viventis *Anno* 390, & in Apotheosi adversus Judæos Organum his versibus describentis:

Quidquid in ære cavo reboans tuba curva remugit,
Quidquid in arcano vomit ingens Spiritus haustu,
Quidquid casta chelis, quidquid testudo resultat,
Organa disparibus calamis, quod consona miscent
Stemula pastorum, quod reddunt vocibus antra,
Christum concelebret, Christum sonet, omnia Christum
Muta etiam fidibus Sanctis animata, loquantur.

Imò tempore Sanctæ Cæciliæ Virginis, & Martyris testatur Ecclesia in ejus Officio, quod in Divina Liturgia, & Sacris Orationibus Organorum sonus adhibebatur, juxta primam antiphonam lau-
32 dum, *Cantantibus Organis Cæcilia Domino decantabat dicens; fiat cor meum immaculatum, ut non confundar.* Et nihilominus martyrium hujus Sanctæ Virginis fuit *Anno* 232. imperante Alexandro Severo, ut notat Em. Card. Baronius ad *d. Annum*, & Ribadeneira in ejus vita *die* 23. *Novembris.*

Organa autem dicuntur cantare non verè, & propriè; sed impropriè, & fictè. Ceccoperius *de*
33 *Canonicis lib.* 2. *num.* 113. *& n.* 115. ideò quando Chorus canit alternatim cum Organo hymnos, cantica, Magnificat, vel in Missa Gloria in Excelsis, aut Credo, debet aliquem deputare, qui ibidem distinctè, & clarè pronunciet, quæ ab Organo cantari figurantur, vel ea quivis de Choro submissa voce dicat, ut præcepto de Divino Officio integrè recitando satisfaciat; quod advertit Bonacina *de Hor. Canon. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 3. *n.* 4. & nos notavimus *in Erotem. Eccl. c.* 18. *n.* 14. Sed & illud est advertendum juxta Cæremoniale Episcop. *lib.* 1. *c.* 28. ut in Matutinis, & Vesperis solemnibus primus versus Canticorum, 34
nec non primus, & ultimus hymnorum; pariterque versus, in quibus genuflectendum est, & Gloria Patri ad omnes Psalmos, semper decantentur à Choro, non ab Organo. Ceccoperius *d. lib.* 2. *n.* 113. ubi subdit, quòd strophia hymnorum, in qua genuflectendum est (exempli gratia in hymno inventionis, seu exaltationis Sanctæ Crucis: *O Crux ave spes* 35
unica) à Choro est cantanda, non ab Organo; quòd si strophia immediatè antecedens ab eodem Choro fuerit decantata; debet Chorus continuatè cantare etiam strophiam sequentem, in qua debet genuflectere, sine interpositione sonitus Organi inter easdem strophias, juxta præscriptum ejusdem Cæremonialis *Episc. d. lib.* 1. *c.* 28. & decretum *Sacræ Rit. Congr. die* 2. *Septembr.* 1646. nisi consuetudo esset Ecclesiæ interponendi Organi sonum inter antedi- 36
ctas strophias, quando illa, in qua genuflectitur, non omittatur sub silentio sed à Choro reassumatur, & cantetur. Barbosa *Decis. Apostol. collect.* 78. *num.* 5. Ceccoperius *d. libr.* 2. *n.* 115.

Porrò Canonicum non posse esse Organistam probat Moronus *resp.* 67, *n.* 57. sed si aliquando deficiat Organista, Canonicus sciens tangere Organum potest illud sonare, & lucrari distributiones; ut autem satisfaciat præcepto recitandi Officium, debet ipsum dicere vel de per se totum, vel alternatim cum Choro submissa voce. Ceccoperius *ubi ante n.* 112. At in pulsatione Organi non debet esse nimis prolixus. Molan. *de Canon. lib.* 2, *c.* 40. siquidem so- 37
nus Organicus parùm plus perseverare debet cantu Gregoriano, qui silente Organo fieret in Choro. Navarrus *de Oratione c.* 6. *n.* 51. & in Missis ante, vel post elevationem Sacramenti, Organo præcinente, ubi detur signum campanulæ; statim complere debet Organista suum sonitum, ex libro *Cæremon. Episc.* ubi supra, & Abbas Justinianus in suis *Constitutionibus Eccles. lib.* 2. *tit.* 4. *c.* 40. ubi *n.* 3. 38
admonet, Organum non esse pulsandum, dum cantatur Credo, quia illud debet totum decantari à Choro, ut laudabiliter observat Congregatio Parochorum Paduæ in Missis Solemnibus festivitatem suarum Ecclesiarum, ubi Organa existunt. Terminato Apostolorum Symbolo, succedit Organum loco Offertorii, quod non cantatur; sed sonus longus, & diffusus permittitur quousque celebrans velit incipere Præfationem; antiquitus enim Offertorium 39
longum erat, & in eo integri psalmi cantabantur, donec populus faceret suas oblationes ad Altare, ut bene scribit Em. Card. Bona *d. lib.* 2. *Rer. Liturg. c.* 8. *num.* 3.

Organa non pulsantur in Missa de Requiem *ex Cæremoniali Romano d. cap.* 28. nisi Defunctus sit Prælatus, vel Vir sublimis, & tunc voce flebili est Organum tangendum, ut advertit Adrianus Abbas Bancherius *in Opusc. de Organo*, ubi *pag.* 2. refert, duo esse Organa famosa, unum Orvieti, & aliud 40
Eugubii, sic narrans de illis: *Entro di essi vengono imitati flauti coperti flauti scoperti, à uso alla svizzera, Pifferi, Regali Tromboni, Trombe Squarciate, Cornetti, Tamburi, Usignoli; e che più? Sin le voci humane nel Tremolo.* Subdit deinde, aliud Organum aureis cannis formatum fuisse à Sylvestro Papa Secundo in sua juvenili ætate; & aliud factum Muriani cannis vitreis.

Porrò

Porrò non est silentio obvolvendum præclarissimum Organum Basilicæ Sanctæ Justinæ de Padua Congregationis Casinensis; quod tria Organa in se continere dicitur; habet enim tres differentes ordines Regularum pleuritidum, *vulgò Tasti*, ascendentium ad numerum centum quadraginta novem, quorum duo ordines sonantur manibus, tertius pede. Ejus Epistomia, seu Regesta sunt quadraginta. Cantes verò, *le Canne*, mille, septingentæ quadraginta novem. In hoc Organo præter multitudinem musicalium concentuum, & diversimodæ Symphoniæ audiuntur Buccinæ, Cornua, Fistulæ, Tibiæ, Tympana, Lituï; ac etiam voces humanæ, nec non multarum avium, duplicis Philomelæ, Cuculorum, bufonum, & Echo. Inspicitur ulterius in ipso Sol deambulans, à quo sonantur quatuor harmonica Tintinnabula, præter alia mira, & excellentiora inventa. Ferunt multi, Organum Tridenti, quod fama singulare declamat, hoc Organo Patavino valde inferius esse.

Porrò, quia Tridentini huic assertioni non consentiunt; sed eorum Organum aliis omnibus excellentius esse proclamant; placuit mihi hic inserere relationem, non quidem vulgarem, etsi vulgari lingua exaratam, de ipso Organo Tridentino, ut de ipso, ac de aliis Lector sapiens judicium faciat.

Descrizione del famoso Organo di S. Maria Maggiore di Trento.

LA Chiesa di S. Maria Maggiore della Città di Trento è celebre per lo Sacro Concilio, che in essa fù tenuto, e per un'Organo maravigliosо, che in essa si trova di Canne due mille, cento ottanta. Queste canne sono spartite in due lumieri, che formano in una machina sola, due Organi distinti, un' dell' altro maggiore; l'Organo maggiore è posto in alto di bella, e vaga prospettiva, con contrabassi di prodigiosa armonia, e con molta diversità di stravaganti, e delicati Registri. Da dodeci di questi si forma il Ripieno da sonarsi con le mani; al quale unito il Ripieno da sonarsi con i piedi; affatto da quello delle mani distinto, e consistente in sette altri distinti Registri, vien formata un' Armonia sommamente sonora, e indicibilmente soave. Oltre li sudetti, vi sono li seguenti altri Registri, cioè: Uno di voce humana, ò sia Piffaro; tre di Flauti diversi, due de Cornetti, uno di Trombe, e Piffari; e di più vi sono ne' Pedali le Trombe squarciate, che i Tedeschi chiamano *Postaun* tutti d'isquisita, e soavissima Armonia. L'Organo minore, che serve di Echo al maggiore, è posto nell' antipendio del Poggiolo, con tastatura da quella del maggiore distinta; mà alla medema vicina in modo, che in un' istesso tempo si ponno assieme, e vicendevolmente tasteggiare amendue. Quest' Organetto ha cinque Registri, cioè un Flauto Stoppo, che serve anco di principale: tre Registri di Ripieno, & un Flautino così delicato, e spiritoso, che in niun altro Organo potrassi trovare il simile. Vi è poi un'altro Sumierino appartato, e dagl'altri due diverso; nel quale vi è un Registro di Fagottini, che servono mirabilmente per accompagnare la Parte. In oltre vi è il Tamburro à meraviglia rimbombante, e sonoro. Il Registro del Rosignuolo, & un'altro Registro, che esprime tutte le voci degl' altri Uccelli, come Gallina, Cucco, &c. e di più una finta, ma dolcissima Arpa: l'incassamento dell' Organo è d'intaglio finissimo, non di gran mole, mà di gran virtù. Le Portiere dell'Organo Maggiore dentro, e fuori sono dipinte dal celeberrimo Romanino, mà con maniera così finita, e bella, che hà fatto credere molti, fossero ò di Tiziano, ò del Lambertone. E certamente sono di tanta consideratione, che un Duca di Baviera le chiese in grazia al Reverendissimo Capitolo di Trento, cui è soggetta la Chiesa di S. Maria Maggiore; offerendo per esse trenta mille fiorini, coll' oblazione di più di farne fare copia da qual celebre Pittore vivente essi volessero. E con tutto ciò non ne potè ottenere l'intento. Il Poggiolo dell'Organo è tutto di marmo, intagliato, e scolpito misteriosamente, parte dal Vicentini, parte da un'altro più insigne virtuoso, che tiensi habbia fatti li due Fanciulletti, i quali sotto il detto Poggiolo stanno in atto di riposarsi sopra un Blasone, e che da periti vengono equiparati à qual si sia più celebre scultura, anco di Roma. In somma l'Organo, l'Armonia, la Pittura, e la Scoltura, sono tutte un miracolo dell' arte, & opera, che pare più tosto fatta da Angelo, che da huomo. Quindi è nato il Proverbio, che all' Autore dell' Organo di S. Maria Maggiore di Trento fossero stati cavati gl'occhi, acciò non ne facesse d'altri: perche à giudicio di chiunque lo sente (e porta il sito della Città il passaggio di qualunque Nazione) nè in Europa, nè in Asia, nè in tutto il Mondo trovasi una sì rara, e meravigliosa manifattura. Hucusque relatio, à qua licet desumere Organum Tridentinum nulli inferius esse, pauca habere Organa æqualia, ac omnibus præesse posse, & hæc dicta sint de Organis.

Quoad Sextum. Non facile est resolvere, *An Musica in Divinis Officiis sit approbanda, vel proscribenda?* Pro Approbatione faciunt. Primò, quia 41
eam exercent Cœlites, ut testatur Ecclesia in Hymno *ad Laud. Dedic. Eccl.* dicens: *Sed illa Sedes Cœlitum, semper resultat Laudibus, Deumque Trinum, & Unicum jugi canore prædicat.* Unde tempore Theodosii Imperatoris *anno* 446. auditi fuerunt Angeli cantare illud divinum Trisagion: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis.* De quo Nicephorus *lib.* 14 *cap* 46. & Casalius *d. cap.* 44 *p.* 198. Secundò, quia Apostolus eam commendavit Colossensibus *cap.* 3. *vers.* scribens: *Docentes, & commonentes vosmetipsos psalmis, hymis, & canticis spiritualibus.* Tertiò, quia etiam Cœlos esse armonicos volunt plurimi ex Philosophis, quos refert Menochius *in Storeis Centur.* 12. *c.* 13. & eis favent verba *Job cap.* 38. *vers. Concentum Cœli dormire quis facit?* Et *Psalm.* 18. *vers.* 1. *Cœli enarrant gloriam Dei:* undè Licentius Poeta cecinit

Aptavit numeros cœlo, jussitque sonoros
Exercere modos, pariesque agitare choreas.

Quartò, quia secundùm Aristotelem musica deservit ad bene vivendum, ideò eam esse docendos juvenes præter grammaticam, picturam, atque sculpturam suadet *lib.* 8. *Politicor. cap.* 3. *& cap.* 5. ubi demonstrat, Musicam conducere ad quandam quietem, & refici rationem corporis; ad bene vivendum tempore otii, & ad disponendum animum lætantem, ut virtutem prosequatur; quod latius docet Maurus *in Comment. ibid.* Quintò, quia Musica tentationes fugat, ideò Saul melius se habebat ab spiritu maligno, quo arripiebatur, dum David citharam pulsaret, 1. *Reg.* 16. Sextò devotionem excitat, teste Divo Augustino, qui de se *lib.* 9. *Confess. cap.* 6. ait ad D. Ambrosium: *Quantum flevi in hymnis, & canticis tuis, suavis sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, &*

eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & corruebant lacrymæ, & bene
42 *mihi erat cum eis.* Septimò, quia tempore pestis Musicam esse unum ex opportunis remediis jugiter adhibendis insinuant Medici apud Zacchiam *in QQ. Medicoleg. lib. 3. tit. 3. q. 4. n. 20.* Immò Mu-
43 sicis armoniis sanari morsos à Phalangio, vulgò *la Tarantola* scribunt Amatus Lusitanus *lib. 2. in Dioscor. cap. 50.* Alexander ab Alex. *genial. dier. lib. 2. c. 17.* & Menochius *in Storeis Cent. 2. c. 80.* Octavò, quia Musica est levamen in laboribus; nam Rustici etiam nunc, & artifices canendo relevant tædium; infantes vagire ad nutricum cantus desinunt, & obdor-
44 miunt; ac ipsæ bestiæ, quales sunt muli, tintinnabulorum sonitu collis suspensorum, sarcinas leviùs ferunt, & equi in præliis tubis concitentur, ut docte disserit idem Tholosanus *d. lib. 12. Syntax. art. mirab. cap, 18.* alia mirabilia ex Musica in bestiis ostendens ex Plinio *lib. 9. c. 8.* & ex Æliano *lib. 1. de Nat. Anim. c. 39. & lib. 17. c. 18.* Nonò; hinc Episcopum non posse prohibere usum buccinæ armonicæ,
45 vulgò *il Cornetto*, in Capella musicæ Ecclesiæ suæ Cathedralis respondit Sacr. Congregatio *Episc. & Regul. die 21. Nov. 1593.* ut refert doctissimus Pignatellus *tom. 9 consult. 115. n. 88.* Et Nicolius *in Flosc. Verb. Musica n. 1.* Decimò, ulterius posse Episcopum promovere ad Sacros Ordines Clericum Musicum, etsi parùm intelligentem linguam latinam, quia Musica valdè confert ad cultum Divi-
46 num, & ejus intuitu benignè est agendum cum his Clericis Cantoribus vocalistis, vel instrumentistis; si tamen bonos mores foveant, scribunt Gebat *tr. 8. n. 390. & seqq.* & Diana *part. 2. tr. 16. resol. 29.* Quæ sedet in Coordinato *tom. 2. tr. 5. res. 75.* Immò si beneficium, requirens scientiam cantus in proviso, daretur doctissimo Clerico, sed qui ignoraret cantum, provisio esset invalida, etsi facta à Papa. Tondut. *Resol. Benef. part. 3. c. 188. n. 15.* Ultimò quia Musica habet plurimos Sanctos Patres sui ipsius commendatores, quos cumulat idem Pignatellus *tom. 3. consult. 41. à num. 3. & seqq.* quorum unus Joannes Sarisberiensis Episcopus Carnotensis, qui
47 vixit *Anno* 1177. tempore Alexandri Tertii, relatus ab Em. Card. Bellarmino inter Scriptores Ecclesiasticos sæculo duodecimo; is enim in *libro primo Polycrat.* Musicam instrumentalem in Ecclesia laudat his verbis: *Ad mores itaque instruendos, & animos exultatione virtutis trajiciendos in cultum Domini, non modò concentum hominum, sed etiam Instrumentorum modos censuerunt Sancti Patres Domino applicandos, cùm templi reverentiam dilatarent. Et si militantis Ecclesiæ tibi parva videtur auctoritas, vel Triumphatrix illa præconia Musicæ non tacebit, cujus seniores vidit, & tibi monstravit tonitrui filius, & voces eorum sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Quòd si illos nondum audisti, Regem audias exultantem, qui te Regni, & exultationis suæ vult esse participem. Ait enim: Sumite psalmum, & date tympanum, psalterium jucundum cum cithara. Ad quid inquis? Ut laudetis Dominum in tympano, & choro, in chordis, & Organo.*

Verùm adversùs Musicam, & pro ejus proscriptione, loquendo de Instrumentali, & de cantu figurato, extat magnus numerus Sanctorum Patrum.
48 Primò illam explodit Sanctus Hieronymus relatus in *cap. Cantantes. dist. 92.* his verbis: *Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant hæc adolescentuli: audiant ii, quibus psallendi in Ecclesia officium est. Deo non voce, sed corde cantandum; nec in tragœdorum modum guttur, & fauces dulci medicamine liniendæ sunt, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur, & cantica.* Secundò: S. Athanasius symphonias, & theatrales cantus ab Ecclesia sua Alexandrina eliminavit; & S. Justinus Martyr *Epist. 10.* sublato usu Instrumentorum simplicem cantum retentum ait in Ecclesiis suo tempore, ut notat Pignatellus *d. tom. 3. cons. 41. num. 1. & 2.* Tertiò, quia devotionem potiùs destruit, & ad peccata impellit, dicente Sancto Augustino *Confess. lib. 10. c. 33. Cùm mihi accidit, ut me amplius cantus, quàm res, quæ cantatur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem, non audire canentem.* Quartò immò Deum irritat, juxta dictum Sancti Gregorii Magni in *cap. In Sancta Romana Ecclesia:* ibi: *Cantor minister Deum moribus stimulet, cùm populum vocibus delectat. dist. 92.* ubi Glossa *in d. Verb. stimulet,* declarat dicens: *idest exasperet contra se.* Quintò, quia Eunuchi sic facti ad servandam vocem musicalem sunt irregulares secundùm veriorem Canonistarum, & Theologorum opinionem. Thesaur. *de Pœnis part. 2. Verb. Membrorum* 49
mutilatio cap. 1. vers. Amplia secundò. Suarez *de Censuris disp. 44. sect. 2. num. 7.* Diana plures DD. cumulans *part. 10. tr. 13. resol. 11.* & conferunt ad hoc *l. 1. C. de Eunuchis, & l. 3. & 6. ff. Ad l. Cornel. de Sicariis.* Sextò, non spernenda sententia Francisci Petrarchæ, qui *in Dial. 23. cum Gaud.* posito in Polyanthea *Verb. Musica.* incipit: *Cantu delector, ac fidibus.* Resp. *Ab quantò melius lacrymis, atque suspiriis? Præstat enim flendo ad gaudium, quàm gaudendo ad gemitum pervenire.* Septimò, est pariter legenda gravis, elegans tamen censura, quam fecit in Musicam Instrumentalem Sanctus Stelredus Abbas Rievallensis, S. Bernardi discipu- 50
lus *in lib. 2. Specul. charit. cap. 23.* his verbis: *Undè, cessantibus jam typis, & figuris, undè in Ecclesia tot Organa, tot cymbala? Ad quid, rogo, terribilis ille follium, flatus, tonitrui potiùs fragorem, quàm vocis exprimens suavitatem? Ad quid illa vocis contractio, & infractio? Hic succinit, ille discinit, alter superscinit, alter medias quasdam notas dividit, & incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, inequinos hinnitus cogitur, aliquando virili vigore depositò in fœmineæ vocis gracilitates acuitur; nonnunquam artificiosa quadam circumvolutione torquetur, & retorquetur. Videas aliquando hominem aperto ore, quasi intercluso halitu, expirare, non cantare: ac ridiculosa quadam vocis interceptione quasi minitari silentium; nunc agones morientium, vel extasim patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totum corpus agitatur, torquentur labia, notantur oculi, lndunt humeri; & ad singulas quoque notas digitorum flexus respondet. Et hæc ridiculosa dissolutio vocatur Religio? Et ubi hæc frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius serviri clamatur?* Octavò addenda hucusque dictis contra Instrumentalem Musicam *Extravag.* Joannis Papæ XXII. *de Anno* 1316. Incipien. *Docta Sanctorum Patrum. De Vita,* 51
& Honestate Clericor. in qua enarratis musicalibus abusibus illius temporis, relegat, abjicit, & ab Ecclesia Dei eosdem profligat; volens, ut in Missis, ac Divinis officiis aliquæ tantùm consonantiæ, quæ melodiam sapiunt, puta octavæ, quintæ, quartæ, & hujusmodi supra cantum Ecclesiasticum simplicem proferantur. Nonò, tandem successit Bulla Alexandri Papæ VII. *Anno 1657. diei 23. Aprilis* Incipit: *Pia sollicitudinis studio*; in qua damnat Musicas instrumen-

men-

mentales in Ecclesiis, tam in Missis, quàm in Vesperis tanquam indecentes; & præcipit, ac mandat Superioribus Ecclesiarum, ne quidquam cantari permittant, præter ea verba, quæ à Breviario, vel Missali Romano præscribuntur, aut à Sanctis Patribus desumpta sint, & quæ à Sacr. Rit. Congregatione sint priùs approbata: *Exclusis modulis iis, qui choreas, & prophanam potiùs, quàm Ecclesiasticam melodiam imitantur.*

Lis hæc agitata contra Musicam instrumentalem & cantum figuratum non est dirimenda, sed com-
52 ponenda fœdere distinctionis; videlicet, adhibendam, & retinendam esse in Ecclesia illam musicam, quæ Psalmos, & Versus Missalis, ac Scripturæ Sacræ pie decantat, & devotis Symphoniis miscetur. Pignatellus *tom. 8. consult. 42. num. 19.* Nicolius *Verbo Cantus num. 1.* Suarez *de Relig. lib. 4. de Hor. Can. cap. 7.* & Miranda *tom. 1. Man. Præl. q. 37. art. 6.* Illam verò, quæ vel cantilenas indecoras, vel concentus profanos, aut motecta levia, & minùs decentia canit, proscribendam, & eliminandam omninò fore juxta sententias Sanctorum Patrum, quos citat Illustriss. Sarnellius *d. Epist. 9. pag. 75.* & Decretum Concil. Tridentini *sess. 24. de ref. cap. 12.* nec non juxta Decretum Visitationis Apostolicæ Urbis Romæ *die 30. Julii 1665.* relatum ab eodem Illustriss. Sarnellio *d. Epist. 9. p. 60.* & ab Illustriss. Crispino Episcopo ejus Prædecessore in aureo libro inscripto *Trattato della Visita Pastorale, par. 3. §. 11.* in quo ea præscribuntur, quæ servari debent à cantoribus, & musicis in Divinis officiis. Hanc distinctionem laudant Navar. *de Orat. cap. 17. n. 35. & 36.* atque Loterius *de re benef. lib. 1. q. 4. n. 26.*

Ex quibus omnibus deducitur, Cantum Grego-
53 rianum ob ejus gravitatem, & pietatem esse omnibus Ecclesiasticis commendandum; & ab eis discendum, præcipuè a Canonicis. Moneta *de Distribut. part. 2. q. 2.* Ceccoperius *d. lib. 2. n. 121.* ubi id tantò magis ait obligare Canonicos, & Dignitates, si sic statutum sit vel in Synodalibus Constitutionibus. Barbos. *alleg. 34.* vel in litteris Apostolicis particularibus Ecclesiæ, qualis est hic Patavii Bulla Gregorii
54 XIII. *de Anno 1577.* quæ continet concordata inter Episcopum Ormanettum, & Capitulum Paduanum, ab eodem Summo Pontifice confirmata. Et quoniam principalis res est in Cantu Gregoriano cognoscere tonos Psalmorum ex notis post antiphonas in libro chorali positis, ad eos discernendos, qui octo sunt, dantur sequentes Versus.

55 *Re, La vult primus. Re, Fa retinetque secundus.*
Deservit Mi, Fa terno: quarto dato Mi, La,
Fa, Fa fert quintus. Fa, La præbet tibi Sextus.
Ut, Sol septennus. Ut, Fa captat que supremus.

Ad intonandos autem Psalmos juxta propriam naturam toni in eodem Antiphonario indicati, notanda sunt carmina sequentia.

Primus cum Sexto, Fa, Sol, La, semper babeto.
56 *Tertius, & Octavus Ut, Re, Fa, atque Secundus.*
La, Sol, La Quartus, Ut, Mi, Sol, sit tibi Quintus.
Septimus Fa, Mi, Fa, Sol, sic omnes esse recordes.

Videntur Græca, seu Arabica iis, qui in praxi intonandi non se exercuerunt. Facilè tamen discen-

tur à studentibus, ut mihi accidit in juvenili ætate. Certè indecorum est, tonos, & regulas intonandi Psalmos ignorari ab Ecclesiasticis, præcipuè beneficiatis, & choro addictis, quos Gregorianum cantum scire Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 18.* obligat etiam à primis annis.

Sed Utrùm expediat, quòd Moniales sciant can- 57
tare, & sonare? Si loquamur de Cantu Gregoriano? & Organo? Respondetur Affirmativè. De cantu figurato, & Musica instrumentali negativè, juxta Decreta plurima S. Congregationis apud Nicolium *in Flosc. Verb. Cantus num. 3. & Verb. Musica, num 5.* qui *num. 8.* subdit, ad concedendam Musicam Monialibus in earum Ecclesiis exterioribus servandam esse consuetudinem. Alexander Papa VII. in sua Constitutione LV. *diei 24. Septembr. 1657.* Incipien. *Pro commisso Nobis* §. 2. loquens de Monialibus ita disposuit. *Volentes, ut festivitates hujusmodi* (scilicet Monialium) *absque Musica exteriori omninò celebrentur, adhibito tantùm in Choro interiori cantu Gregoriano nuncupato, sive etiam figura-* 58
to, quoad antiphonas Vesperarum pro currenti festo, aut canticum Magnificat, pleno tamen Choro. Ergo supponitur fuisse cantus etiam figuratus in Monialibus Urbis Romæ; sicut olim erat, & nunc est in aliquibus Monasteriis Monialium Paduæ, circa quas videndi Quarantam *in Summa Bullar. Verb. Monasteria Monialium.* Donatus *Rer. Regul. tom. 4. tr. 3. qu. 5. n. 24.* & Tamburinus *de Jure Abbatissarum disp. 15. Quæst. 3. n. 5. & 6.*

Sed antequam hoc caput de Musica vocali, Instrumentalique concludam, & de personis, quæ in ea excelluerunt, non mihi vertat in crimen amænissimus Lector, si jucundissimum Musices casum referam, quem recreationis causa Serenissimus Magnus Dux Hetruriæ exhibuit eruditissimo, ac famoso Viro P. Athanasio Kirchero Socier. Jesu; quemque ille P. Gaspari Schotto ejusdem Societatis narravit litteris ad eum datis *die 9. Novembris anni 1659.* his verbis: *Sua Altezza Serenissima mi fece esibire una Musica, à cui non hò in vita mia sentito simile. I Musichi erano un Papagallo, con un Cane, & il suo Maestro; il quale fatto, che hebbe suonare una Spinetta che da poi da se stessa caminava, subito il Papagallo, accostate al Clavicimbalo le orecchie, come se volesse pigliare il tuono della voce cominciò à papagallare; & il Cane, che sempre mirava con gl' occhi fissi il Papagallo, ad abbajare; ma con una armonia così ridicola insieme, & istravagante, che restai poco meno, che fuora di me medesimo.* Ita P. Gaspar Schottus in sua Physica Curiosa *tom. 2. lib. 8, c. 19. §. 4. vers. aliud non minus.* Ubi idem etiam repetit Latino sermone.

His ita constitutis, & explicatis ad ornatum Missarum solemnium, quas cum Musica Vocali, Instrumentali, Organis, & aliis modis enchordicis, pneumaticis, & crusticis celebrantur, reassumentes primam, principalemque quæstionem in hac Decisione propositam: *An* scilicet *Missa solemnis sit ma-* 59
joris fructus, quàm Missa privata? pro ejus resolutione, respondendum est affirmativè non solùm quoad fructum ex opere operantis, sed etiam quoad fructum ex opere operato meritorium, impetratorium, & satisfactorium, ut doctè probat Pasqualigus *de Sacrific. Missæ qu. 131.* quem unicum reperi inter tot, & tantos Auctores, quos ego habeo, & revolvi, Scholasticos, & Moralistas, à quo hæc quæstio examinetur; ideòque & ipse Pasqualigus nullum Doctorem allegat præter Henriquez *in Summ. lib. 9. c. 17.* ubi parùm, aut nihil de hoc quæsito.

Portrò quòd major sit fructus Missæ solemnis, quàm privatæ ex opere operantis manifesta est ratio; siquidem ubi major est devotio in offerentibus, & ubi exercentur ampliores actus Religionis, ibi major est fructus Sacrificii respectu offerentium, & in ipso cooperantium, ut tradunt omnes DD. inter quos Comitolus *in Respons. Moral. qu. 42. num. 8.* prout docuimus supra *Decis. XXXIII. n. 15. & seqq.* Sed in Missa solemni major excitatur devotio, præcipuè ubi cantus est religiosus; & plures sunt actus Religionis in multitudine ministrorum, in incensatione Altaris, & oblatæ materiæ. Ergo major est fructus in Missa solemni, quàm in privata ex opere operantis.

Idem verò affirmandum est, ait Pasqualigus *d. q.* 61 *131. n. 10.* ex opere operato. Rationes, quas allegat, sunt diversæ; sed præcipuæ, quia Christus, qui instituit hoc Sacrificium, voluit, ipsum offerri ab Ecclesia, non solùm simplici ritu, ut in Missa privatâ; sed etiam solemni, ut in Missis Pontificalibus, & cum multitudine Ministrorum cantatis. Hoc probatur, quia Christus instituit omnes septem ordines, 62 tam quatuor minores, quàm tres majores, ut omnes concurrerent ad formandam Hierarchiam Ecclesiasticam, & ad inserviendum in solemni oblatione Sacrificii sui ipsius incruenti. Em. Card. de Lauræa *de Sacramento Ordinis disp. 5. & 6.* per plures articulos; & Mastrius *in 4. sent. disp. 4. qu. 2. art. 1.* Igitur congruum fuit, ut Caristus Dominus voluerit, majorem fructum provenire ex oblatione Sacrificii ritu solemni, & cum interventu omnium Ministrorum, à se institutorum facta, quàm ex privata litatione ex ipso opere operato. Equidem benigniorem se reddit Princeps erga amicos, vel subditos suos, à quibus, magis honoratur; & iisdem majora beneficentiæ, ac munificentiæ suæ charismata largi- 63 tur, & de hoc exemplum habemus Simonis Oniæ filii magni Sacerdotis, & Principis Judæorum; qui misit legatos cum muneribus Romam statuere amicitiam cum Romanis; ipsi enim, ait textus *libr. 1. Machabæor. 14. vers. 40. Susceperunt Legatos Simonis glorioſe*; & ob majestatem, & pompam illius legationis se gratos demonstrarunt, ita rescribentes Regibus adjacentibus: *Legati Judæorum venerunt ad nos amici noſtri renovantes priſtinam amicitiam, & ſocietatem, miſſi à Simone Principe Sacerdotum, & populo Judæorum. Attulerunt autem & clypeum aureum mnarum mille:* (una mna habræa constat- 64 bat quinquaginta siclis: unus siclus erat media uncia argenti, & valebat quatuor florenos. Tirin. *in Luc. c. 19. vers. 13.* Ergo dictis clypeis aureis pondus erat unciarum auri quingentarum.) *Placuit itaque nobis ſcribere Regibus, & Regionibus, ut non inferant illis mala, &c.* ut latiùs *d. lib. 1. Machab. cap. 15. vers. 18. & ſeqq.* In Ecclesia Catholica dum Sacrosanctum Sacrificium Missæ offertur, clypeus aureus tanquam donum mittitur æterno Patri ad ejus clementiam, & gratiam erga nos conciliandam; est enim Christus Dominus, qui tanquam 65 Victima offertur, ille clypeus, de quo mysticè cecinit David *2. Reg. 22. vers. 36. Dediſti mihi clypeum ſalutis*, & de quo Nahum Propheta *cap. 2. vers. 3.* 66 ait: *Clypeus fortium ejus ignotus*; idest charitate, & amore nostrum. Igitur quo ampliori apparatu, & nobiliori comitatu procedit, qui hoc aureum donum præsentat Sanctissimæ Trinitati, ut fit in Missa Solemni, eo uberiores gratias, & beneficentias ex opere operato à Divina clementia reportat.

Ulterius consuetum est inter Reges, & Principes suis Oratoribus ad alias Coronas destinatis ex æra- 67
rio publico eò ingentiorem pecuniarum summam assignare, quò solemniori pompa, & majori caterva sodalium, ac famulorum sociati Legatione functuri procedunt. Modò idem statuendum est, & asseverandum fieri à Rege Regum Christo Domino; à cujus incomparabili liberalitate, dum Sacerdos Orator, & Minister ejus, pro eo Legatione fungitur, atque orat ad æternum Patrem; ex æratio meritorum ejusdem; videlicet ex opere operato ingentiora merita assignantur, dum majori comitum agmine, & splendidiori apparatu, prout fit in Missa Solemni, Legationem, & munus injunctum exequitur. Quòd autem celebrans sit Orator, & legatus Christi ad Patrem ostendit Mastrius *in Theol. Moral. disp. 19. num. 43.*

Hinc est, quòd Summi Pontifices non recusant, justis de causis animum suum moventibus, licentiam concedere, ut pluribus Missis privatis incum- 68
bentibus alicui Monasterio, vel Religioni, satisfieri possit per aliquas Solemnes Missas, in minori numero decantatas; ea quidem ratione; quia Missarum solemniter decantatarum major sit valor, & fructus etiam ex opere operato, quàm Missarum privatarum. Et talis fuit mens Sacri Tridentini Concilii, dum *in ſeſſ. 25. de Ref. cap. 4.* concessit Epi- 69
scopis, ut possent moderari onera Missarum ante ipsum Concilium relicta, cujus Decreti Conciliaris vigore Congregatio Parochorum Paduæ *anno 1599.* in Synodo Diœcesana obtinuit restrictionem ingentis numeri Anniversariorum, & Missarum in præteritis sæculis relictarum ad quinquaginta Anniversaria annua, quæ consistunt in recitatione unius No- 70
cturni cum Laudibus Defunctorum, & Missa Solemni de Requiem; prædictam autem concessionem Concilii Tridentini habere locum in solis oneribus Missarum ante idem Concilium relictarum, & in sola prima Synodo post ipsum Concilium Tridentinum celebrata, ex declaratione Sacræ Congregationis ejusdem Concilii *in una Florentina die 15. Decembris 1629.* advertit Nicolius *in Lucubr. Canon. libr. 3. tit. 41. n. 10.* Diana verò notat *part. 6. tract. 6. reſol. 10.* Quæ jacet in Coordinato *tom. 2.* 71
tract. 1. Reſol. 7. Quòd onera Missarum relicta post Concilium, & nondum acceptata ob tenuitatem eleemosynæ possunt ab Ordinario propria auctoritate restringi, & moderari; quia prohibitio facta in Decretis Urbani VIII. anno 1625. procedit in oneribus jam acceptatis. Cæterùm eadem Congregatio Parochorum Paduæ (in qua mea Præpositura tituli Sanctissimæ Trinitatis inter fixas dignitates ejusdem Congregationis, & Collegii secundum locum obtinet) hoc anno 1698. habuit recursum ad Sacram Congregationem Concilii Romæ, 72
pro moderatione Anniversariorum cum onere Missarum ob tenuitatem eleemosynæ relictorum à DD. Laura, & Francisco de Zorzatis, etsi nondum acceptatorum; ipsaque Sacra Congregatio Eminent. S. R. E. Cardinalium post plures informationes remisit totum negotium Eminentissimo Cardinali Episcopo Patavino; à quo prædictam moderationem ipsi Parochi obtinuerunt ad normam aliorum Anniversariorum.

Concludendum est igitur, majorem esse valorem, & fructum Missæ Solemnis, quàm privatæ ob Hierarchicam majestatem Ecclesiæ, quæ solemne Sacrificium comitatur, tum ex genere operantis, ob majorem devotionem Ministrorum, atque adstantium;

tium; tum ex opere operato ob majus obsequium resultans in honorem Sacrosanctæ, & individuæ Trinitatis; atque Christi Domini Redemptoris nostri, ampliorem stipem ex ærario infinitorum ejus meritorum, propria liberalitate, & benignitate contribuentis. Hoc tacitè innuit Peyrinus *Privileg. Regul. tom. 2. Additament. ad Constit. Pyrrhi cap. 1. sub n. 29. p. 310. vers. Tertiò cantare.* Ubi percurrendo remedia, si Religio tantis sit oneribus Missarum onerata, ut iisdem omnibus satisfacere non possit, ait: *Tertiò Cantare, præsente toto Conventu, unam Missam pro novem, vel decem, vel pluribus, juxta majorem, vel minorem numerum Missarum:* Quod intelligendum est, accedente licentia Summi Pontificis; ut dictum est supra. Atque expressè idipsum insinuat Fagnanus *in cap. Cum creatura n. 9. de Celebrat. Missarum*; ubi cùm probasset, Anniversaria pro defunctis requirere Missam cantatam, subdit: *Obligationi celebrandi Anniversarium Defunctorum non potest satisfieri dicendo Missam privatam, ut habet hæc secunda Lectura, quoniam plus suffragii capit anima Defuncti ex Missa Solemni in Choro cum interventu plurium Sacerdotum, quàm ex Missa privata, ut innuit hæc littera.*

DECISIO XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Disceptatur de obligatione cantandi quotidie unam, vel plures Missas in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis. Usus Missarum Solemnium fuit semper in Ecclesia. Canonicorum origo, & institutum. Quibus horis sint cantandæ Missæ in Choro, & quale ob mysterium? Christus qua hora fuerit Crucifixus? An sit culpa gravis non cantare Missas diebus à Rubrica Missalis præscriptis? An hæc afficiat Regulates? Celebrans an teneatur legere in Missa solemni, ea quæ cantantur à Choro, vel à Ministris?

SUMMARIUM.

1 *Missæ Solemnes ab initio Ecclesiæ sunt institutæ.*
2 *Missa publica dicebatur Missa cantata.*
3 *Octavo sæculo cœpit cantari Missa quotidie.*
4 *Clerici omnes antiquitùs addicti erant Choro.*
5 *Canonicorum origo.*
6 *Canonicatus Patavini quare alii sint pingues, alii non?*
7 *Canonicorum proprium institutum est cantare in Choro.*
8 *Rubricæ Missalis de Missis cantandis sunt præceptivæ.*
9 *Hora cantandarum Missarum in Cathedralibus, & Collegiatis quæ sit?*
10 *Mysterium horarum, in quibus Missæ solemnes celebrantur.*
11 *Christus qua hora sit Crucifixus?*
12 *Cibus in die jejunii olim sumebatur Vespere.*
13 *Missæ duæ, ac etiam tres eodem die quando sint cantandæ in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis?*
14 *Calendarium annuum Patavinum à quo formetur?*
15 *Magister Cæremoniarum Cathedralis Patavinæ laudatus.*
16 *Culpa gravis est non cantare ambas Missas in Collegiatis, diebus à Rubrica præscriptis.*
17 *Missa Votiva cantata non supplet cantandæ de præcepto.*
18 *Missa de Feria canenda post Tertiam in Quadragesima; & post Nonam illa de Sancto, si sit festum de præcepto.*
19 *Regulares an sub peccato teneantur quotidie cantare Missam juxta Rubricam Missalis? & num. 21, 22, & 23.*
20 *Signa Collegialitatis,*
21 *Celebrans solemniter an teneatur legere Epistolam, Evangelium, Gloria, Credo, & Prophetias in Sabbato Sancto?*

QUæ hucusque dicta sunt de solemni Liturgia & de Missa cantata circa ejus intrinsecum valorem, & fructum, calamum excitant, ut explicet nonnulla scitu dignissima, quæ ejusdem Missæ solemnis externum usum, & frequentationem concernunt. Itaque breviter examinabimus:

1 *Quo tempore introducta sit in Ecclesia Solemnis Liturgia, & Missa cum cantu?*
2 *An Missa solemnis, & cum cantu sit de Præcepto?*
3 *Quibus horis sint celebrandæ Missæ solemnes, & cum cantu?*
4 *An Regulares teneantur sub pœna peccati mortalis cantare quotidie prædictas Missas in eorum Ecclesiis?*

Quò ad Primum. Certum est, solemnes Liturgias, & Missas cum cantu ab initio Ecclesiæ institutas fuisse; siquidem, ut demonstratum est supra *in Dec. XXXVII. n. 21.* in primitiva Ecclesia, etiam tempore Apostolorum, & successivè post ipsos, omnes fideles simul congregabantur, ut laudes Deo psallerent, & post divinam Psalmodiam, Missam solemnem Antistites, alliv è Sacerdotes celebrabant; cantantibus Clericis simul, & laicis Introitum, Hymnum Angelicum, Graduale, Symbolum fidei, & alias statutas preces, ut præter DD. *d. n. 21.* allegatos, probant Moneta de *Distrib. quot. part. 1. q. 5. n. 3.* (ubi allegat verba Anacleti Papæ, qui sedit anno Domini 84. relata *in capit. Episcopus, de Consecr. dist. 1.*) Emin. Card. Bellarminus *lib. 2. de Missa c. 15. col. 2.* Emin. Card. Baronius *Anno 418. n. 36.* & Emin. Card. Bona *Rer. Liturg. lib. 1. c. 18. n. 3.* ubi ponit Decretum Concilii Toletani primi sub Anastasio Papa *cap. 5. Anno 400.* in quo post redactum cantum Ecclesiasticum ad solos clericos, ita fuit statutum: *Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus clericus, si intra Civitatem, vel in loco, in quo Ecclesia est, aut castello, aut vico, aut villa, ad Ecclesiam ad Sacrificium quotidianum non accesserit, clericus non habeatur.* Quo attento Decreto, subjungit idem Emin. Card. Bona *d. n. 3. Hic canon ad Missam Solemnem pertinet, quandoquidem jubet omnes Ecclesiasticos ordines ad eam convenire. Ex hoc autem infertur, eam quotidie in Ecclesia Toletana initio quinti sæculi actam fuisse, quod teste Augustino supra citato alicubi ipso vivente servabatur.* Locus autem D. Augustini est *in*

1

Epist. 118. Et legitur *in cap. Et hoc* 52. *de Consecr. dist.* 1.

Hinc est, quòd apud Sanctos Patres, & Pontifices antiquos frequens est mentio de Missa solemni, &
2 publica, quæ scilicet cantu, & assistentia Ministrorum, ac multiplicis cleri celebrabatur; & præcipuè apud S. Gregorium Magnum relatum ab eodem Em. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 3. qui in diversis suis Epistolis prohibet Prælatis, ne in Ecclesiis Monachorum, quos decet solitudo, Missam solemnem decantent, & idem vetuit Concilium Lateranense sub Calixto II. *cap.* 17. & Innocentius III. *lib.* 2. *Regesti* 14. *epist.* 18. quamvis ipsi Monachi non essent prohibiti, exclusis sæcularibus, Missas cantare, ut etiam nunc & semper fecerunt, & faciunt arctissimæ solitudinis cultores Carthusiani, prout eorum antiquissima Ritualia ostendunt.

Illud autem non est inficiandum, quòd usque ad octavum sæculum non ubique quotidie Missa So-
3 lemnis cum cantu agebatur; nam plerisque solis Dominicis, atque festis diebus solemniter litabant, ut subjungit idem Em. Card. Bona *d. lib.* 1. *c.* 18. *n.* 4. *in fin.* *Ex antiquis Sacramentorum libris, & ex Ritualibus Monachorum manifestum est, octavo sæculo hunc Ritum in omni ferè regione receptum, ut non solùm diebus Dominicis, & festivis, ac in diebus stationum, sive in privilegio majorum festivitatum Solemnis Missa celebraretur; sicut Apostolica traditio, primique, & secundi sæculi usus ferebat: sed singulis etiam diebus, sola feria sexta ante Pascha excepta; qui mos hodie in omnibus Ecclesiis Collegiatis, & Conventualibus exactissimè observatur.* His pro confirmatione addendus est textus in *cap. Quidam Laicorum* 2. *De celebrat. Missar.* sumptum ex Concilio Triburiensi, quod fuit celebratum *anno Domini* 895. in quo decernitur, quòd si laici voluerint, ut sibi Missæ cantentur, de eodem die Missas audiant; videlicet, ut non deseratur Missa cantata officii diei pro cantandis Missis votivis. *Et cap. Dolentes* 9. *eod. tit.* ex Concilio Lateranensi habito *anno Domini* 1215. in quo clerici, & Sacerdotes reprehenduntur, *qui Missarum Solemnia vix celebrant quater in anno.* Ex quibus concludenter desumitur, Missas Solemnes, & cantatas jugiter fuisse in Ecclesia.

Quò ad Secundum. Missæ Solemnes sunt de præcepto quotidie cantandæ in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, ex *can. Cum creatura.* 11. *de Ce-*
4 *lebrat. Missar. ex Clem.* 1. §. *Ne igitur, eod. tit. Et ex Rubrica Missalis cap.* 3. *&* 15. Pro quorum jurium intelligentia, scire oportet; quòd antiquitus, & in primis sæculis Ecclesiæ Sacerdotes, & Clerici erant omnes destinati ad Horas canonicas psallendas, & Missarum solemnia celebranda. *cap. Omnibus. De Consecr. dist.* 5. Ancharan. *in cap. Quoniam n.* 2. *De vit. & honest. Cleric.* & horum magna pars in claustris penes Ecclesiam constructis morabantur, & simul convivebant ex redditibus Ecclesiasticis ad hunc effectum assignatis. *cap. Quia tua fraternitas,*
5 *& c. Necessaria.* 12. *q.* 1. qui quidem clerici, quia regularem quamdam vitam ducebant, vocabantur Canonici; etsi eorum alii votum paupertatis emitterent, & dicerentur Canonici Regulares; alii verò votis non adstringerentur, & quamvis de communibus Ecclesiæ bonis viverent, sua propria etiam bona possiderent; & hi Canonici simplices nuncupabantur, ut differit Ceccoperius *de Canonicis lib.* 1. *à num.* 3, *& seqq.* & Moneta *de Distribut. Quotidian. part.* 1. *qu.* 5. ubi *num.* 17. observat, hujusmodi vitam Canonicorum simul cohabitantium, & conviventium durasse usque ad undecimum sæculum; quo tempore de eadem fecit constitutionem Gregorius Papa Septimus, quæ legitur *in cap. Quoniam.* 9. *De Vita. & Honest. Cler.* Etsi non multùm duraverit post idem sæculum undecimum inter Canonicos sæculares; hi enim à primæva disciplina recedentes, non solùm segregatim vivere cœperunt, sed etiam bona Mensæ Capitularis, quæ semper in communi colligebantur, inter se diviserunt, proprias Præbendas Canonicales sibi constituentes, ab unoquoque pro sui arbitrio administrandas; prout fecerunt Canonici Patavini, quorum amplissimi redditus Capitulares in communi cumulo retenti usque ad duodecimum sæculum; tunc in partes fuerunt divisi; & datis sortibus unusquisque sibi appropriavit unam partem, quæ Præbenda vocata in administratione fuit susceptа, reservato dominio, & Jure proprietatis eidem Capitulo; ut legitur in actis Capitularibus Patavinis ejusdem temporis. At ea divisione facta, forsan ut diligentiùs ipsi redditus Capitulares custodirentur, contrarius effectus, ut 6
plurimùm, evenit; nam vel ob negligentiam, vel ob inhabilitatem, vel ob absentiam plurium Canonicorum, Præbendarum campi aut deperditi, aut in afflictum longum, ut dicunt, translati sunt; & hinc est, quòd Canonicatus Patavinæ Ecclesiæ alii pingues, & aliqui pauperes existunt.

Igitur prædicti omnes Canonici, & Clerici in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis instituti Missas Solemnes quotidiè decantabant; unà cum a- 7
liis horis Canonicis, absque alio positivo Præcepto; quia tale erat eorum institutum, & propriissima obligatio. At in duodecimo sæculo, refrigescente mundo Christiano, atque in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, prævalente cura Præbendarum, & frequentia Chori pereunte; ad Divinum cultum sustinendum emanavit Præceptum Honorii Papæ Tertii, de quo *in d. cap. Cum Creatura.* 11. *de Celebrat. Miss.* ubi mandavit omnibus Canonicis, quatenus nullum in eos torporem negligentiæ obrepere permitterent, quo minùs, & pro anniversariis Defunctorum, & pro festo, vel feria, secundùm temporum congruentiam, Missarum Solemnia conventualiter celebrarent. Idem præceptum innovatum fuit à Clemente Quinto in Concilio Viennensi, ut legitur *in d. Clem.* 1. *de Celebr. Miss. anno* 1311. Et tandem pro indubitato ponunt Rubricæ Missalis in 8
cit. cap. 3. *& cap.* 15. quas quidem Rubricas esse præceptivas, dubitandum non est; attenta Bulla S. Pii V. posita in principio Missalis, in qua præcipit, ut tam Missæ solemnes, quàm privatæ decantentur, & dicantur juxta præscriptum ipsarum Rubricarum in omnibus Ecclesiis totius orbis Christiani: in quibus juxta Romanæ Ecclesiæ ritum consuetum est celebrare; & pro eiusdem Bullæ executione plura Decreta Sacr. Rit. Congregationis leguntur, ut videre est apud Nicolium *in Flosculis Verb. Missa num.* 6.

Quoad Tertium. Si quærimus, qua hora sit cantanda Missa in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis? ita respondet Rubrica Missalis *tit.* 15. videlicet: *In* 10
festis duplicibus, & semiduplicibus, in Dominicis, & infra octavas, dicta in choro hora Tertia. In festis simplicibus, & feriis per annum dicta Sexta. In Adventu, Quadragesima, Quatuor temporibus, etiam infra octavam Pentecostes, & Vigiliis, quæ jejunantur, quamvis sint dies solemnes, Missa de Tempore debet cantari post Nonam. Missa autem defunctorum dici debet post Primam diei: ubi verò dicuntur eorum Vigilia manè post

Matutinæ

Matutinum diei; dictis hujusmodi Vigiliis cum laudibus, immediatè dici potest Missa pro defunctis. Excipit diem commemorationis omnium fidelium, nec non depositionis defuncti, atque diem Tertium, Septimum, Trigesimum, & Anniversarium, in quibus ob concursum populi dici potest Missa Solemnis *de Requiem* post Nonam. Idem statuit, si cantetur Missa pro re gravi.

Hujusmodi autem temporis, & horarum distinctio pro cantanda Missa non caret mysterio: nam post Primam, vel etiam ante, cantatur Missa pro de-
10 functis, quia ut ait Gavantus *in Rubric. Missal. part. 1. tit. 15. n. 3.* properandum est in suffragiis defunctorum. Dominicis, ac festis diebus celebratur Missa Solemnis post Tertiam; tum quia eadem hora Spiritus Sanctus descendit super Apostolos, & est signum lætitiæ; tum etiam quia olim post Evangelium Missæ Solemnis concio habebatur ad populum; & conveniens erat, ne tam tardè celebraretur, ad hoc ut plebs commodè ad suas domos rediret; atque ipsi Canonici, Clerici, & Cantores, ad Vespertinum officium opportunè possent reverti Gavantus *d. tit. 5. n. 2.* Francolinus *de Horis Canonicis c. 38.* & Ceccoperius *de Canonicis lib. 3. num. 51.* In Profestis (cujusmodi sunt festa simplicia, & feriæ per annum) Missa cantatur post horam sextam; quia tunc Christus fuit crucifixus, ut notat S. Joannes *in Evang. cap. 19. vers. 14.* Neque obstat id, quod scribit S. Marcus in suo *Evang. c. 15. vers. 25.* scilicet: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum:*
11 quia intelligendus est vel de crucifixione facta hora tertia linguis Judæorum, quando clamarunt coram Pilato, *Crucifige, Crucifige eum*; vel de fine, horæ tertiæ juxta verba S. Marci & de initio horæ sextæ juxta dictum S. Joannis; nam apud Judæos Prima, Tertia, Sexta, & Nona hora diei continebant sub se alias tres horas; vel unaquaque ipsarum durabat tribus horis; adeò ut unum, & idem esset tempus in fine horæ Tertiæ, & in principio horæ Sextæ, ut latiùs disserunt de hoc Menochius in Histor. Sacra *lib. 7. c. 18. n. 1.* Barradas, & Cornelius à Lapide *in dd. locis Evangelistarum*; nec non Titinus in *Chronico Sacro c. 49. prope finem.* In Adventu autem, Quadragesima, Quatuor Temporibus, & Vigiliis, quæ jejunantur, Missa Solemnis celebranda est post Nonam; quia olim in dictis diebus Sacrum protrahebatur usque ad nonam horam
12 diei, idest Vesperas, quo terminato, & non priùs, teste Miranda *in Man. Prælat. q. 41. art. 22.* fiebat corporum refectio, quæ illis diebus unica tantùm erat, Em. Card. Toletus *in sum. lib. 6. c. 2.* & ibi Victorellus *in addit.* neque tunc collatio serotina sumebatur, nisi necessitatis causa. S. Thomas *2. 2. qu. 147. art. 7. ad 2.* Tabiena *Verb. Jejunium*, etsi hodie ex consuetudine sit permissa. Ceccoper. *d. lib. 3. n. 51.* Et de hac hora Nona pro celebranda Missa Solemni, quæ dicebatur Vespertina, in diebus jejuniorum, plura ad eruditionem Cleri scripsimus in tractatu *de Euchar. Decis. XII, n. 2.* ad quam Lectorem remittimus; & ad ea, quæ refert Em. Card. Bona *Rer. Liturg. lib. 1. c. 21. n. 5. & 6.*

Porrò non unam solam Missam tenentur cantare
13 Canonici, & alii Præbendati quotidiè in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis; sed etiam duæ, imo & tres eadem die, videlicet duæ, quotiescunque occurrit officium Sancti novem lectionum in duobus feriatis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum cum jejunio, Una de festo post Tertiam, altera de feria post Nonam; tres autem, si prædictum officium Sancti novem Lectionum venerit in Vigilia Ascensionis Domini; tunc enim cantatur una Missa de Sancto post Tertiam; altera de Vigilia Ascensionis post Sextam; & tertia Missa de Rogationibus post Nonam; prout præscribitur in Calendario Ecclesiæ Patavinæ, ad cujus annuam compositionem destinatus est Magister Cæremoniarum, à Capitulo Ecclesiæ Cathedralis 14
eligendus, juxta sententiam sequutam inter Episcopum Georgium Cornelium, & ipsum Capitulum anno 1647. in Nunciatura Apostolica Venetiarum, coram Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Scipione Elcio tunc Nuncio Apostolico, qui paulò post numeratus fuit in albo Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium; ipse autem Magister Cæremoniarum pollere solet omni peritia Rubricarum, & Decretorum Sacræ Rituum Congregationis, Prædi- 15
ctam autem reiterationem Missarum solemnium eodem die esse de præcepto, neque omitti posse absque culpa peccati mortalis, docent Peyrinus *in addit. Privileg. Regular. cap. 1. n. 17.* Lezana *in Sum. tom. 4. Verb. Missa n. 49.* Et Ceccoperius *d. lib. 3. n.*
54. ubi ait, Sacr. Rit. Congregationem *sub die 5.* 16
Martii 1633. sic fieri debere respondisse, non obstante quacunque consuetudine in contrarium; vel quovis urgenti negotio, prout ex alia ejusdem Sacr. Congreg. declaratione *diei 16. Januarii 1627.* adeò ut ad evadendam culpam; si una ex prædictis duabus Missis legatur, & altera cantetur, minimè sufficiat; quod utinam attenderent omnes in Collegiatis obtinentes beneficia, quorum solertia videtur deficiens in hujusmodi obligationis adimplemento.

Illud etiam est observandum, quòd illis diebus, quibus præcipiuntur duæ Missæ cantatæ, Canonici non satisfaciunt muneri suo, si cantent unam Missam votivam, & alteram de officio currenti; quia 17
cantandæ sunt, præter votivam, illæ, quæ à Rubrica Missalis præscribuntur; ut decrevit Sacra Rit. Congr. apud Barbosam *in Sum. Apostol. Decis. coll. 222. num. 8. & de Canonicis cap. 34. n. 1.* Atque à fortiori, quando una tantùm Missa præscribitur, non potest absque gravi peccato omitti Missa de die pro votiva, non obstante quacunque consuetudine, quia esset abusus. Ceccoperius *d. lib. 3. num. 55.* & ibi Vericell. *QQ. Moral. tract. 8. qu. 30. n. 1.*

Tandem unum est, quòd Ceremoniarum Magistri advertere debent, nempè si festum alicujus San- 18
cti de præcepto occurrat in feria Quadragesimæ, eo die canendam esse Missam de feria post Tertiam, Missam verò de Sancto post Nonam; ut conjungatur cum qualitate paramentorum in ejus Vesperis, quæ statim decantantur cum interventu populi; prout servatur Romæ, & alibi, quamvis de hoc nulla reperiatur Rubrica, ut observat idem Ceccoperius *d. lib. 3. n. 55. in fine*; quem legisse studiosum Sacrorum Rituum valdè juvabit.

Quoad Ultimum, *An Regulares teneantur sub pœna peccati mortalis cantare quotidiè prædictas Missas in eorum Ecclesiis?* Est celebris controversia ab 19
iisdem Regularibus agitata; in qua affirmativam opinionem amplexi sunt Zypæus *in Consultat. Canon libr. 3. de Celebrat. Missar. consult. 2. per totam.* & Peregrinus *in Commentar. ad Constitut. Clericor. Regular. part. 1. cap. 1. Litt. E.* quos allegat Diana *part. 3. tract. 2. resolut. 8. & part. 6. tract 8. resolut. 11.* quæ nunc resident in opere Coordinato *tom. 2. tractat. 1. resolut. 85. & resol. 66.* & alii apud Pasqualigum *de Sacrific. Missæ q. 888. & qu. 889.* Ratio eorum est, quia Regularium Ecclesiæ

clesiæ censentur Collegiatæ. Pax Jordanus *tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 8. *num.* 17. quod est manifestum; nam in eis habentur omnia signa Collegii, quæ sunt, caput Collegii, nempè Abbas, Prior, vel Guardianus, propria statuta, seu Constitutiones; Arca, & Massa communis, atque Sindicus, seu Procurator, quem eligunt ipsi Regulares ad exigendos redditus communes Monasterii, Sigillum, & locus Capitularis, in quo congregantur ad tractatus communes habendos; ex quibus concludenter deducitur qualitas Collegialitatis ad tradita per Mascard. *de Probat. conclus.* 584. Rota *apud Burattum Decis.* 455. *num.* 2. Ceccoperius *de Canonicis lib.* 1. *n.* 61. *ubi alii.* Ideòque cùm præceptum Honorii Tertii *in cap. Cum Creatura. De Celebrat. Missar.* directum sit universis Ecclesiarum Prælatis, nulla est ratio, quæ excipiat ab eo Prælatos Regulares, attenta potissimùm *Clem.* 1. *eod. tit.* quæ in §. *Ne igitur*, expressè, & distinctè nominat Ecclesias Cathedrales, Regulares, & Collegiatas; & decreta Sacræ Congregationis de prædictis Missis cantandis sunt generalia ad omnes Orbis Ecclesias, ut advertit Lezana *d. tom.* 4. *Verb. Missa num.* 49. etsi dicat, Ecclesias Regulares impropriè tantùm esse Collegiatas; nam ex supradictis signis verè collegiatæ sunt.

Neque juvare videtur ipsos Regulares, ne sint obligati Missas canere juxta Rubricas Missalis, quia non gaudent quotidianis distributionibus, ut faciunt Canonici, & alii beneficiati in Cathedralibus, & sæcularibus Collegiatis. Siquidem habent possessiones, & bona stabilia, iisdem relicta à fidelibus, ut cultum Divinum exerceant; & pro tota Ecclesia, ac pro benefactoribus orent, quòd præcipuè fieri debet in solemni quotidiano Missæ Sacrificio; nihil autem differunt in substantia, fructus quotidianarum distributionum, à redditibus Regularium bonorum, ex utrisque enim deducitur Jus percipiendi victum, & vestitum; quod pariter consequuntur etiam Religiosi non possidentes bona stabilia; qui vivunt ex quotidianis eleemosynis fidelium, ad eumdem effectum collatis. Idcircò Regulares ipsi censentur comprehensi in Rubrica Missalis, ac Juribus præcipientibus Missarum Solemnium celebrationem, ac tradita per Fagnanum *in cit. Cap. Cum Creatura. De Celebrat. Missar.* & ante ipsum à Soto *in* 4. *dist.* 13. *qu.* 2. *art.* 1. atque Suarezio *in* 3. *p. D. Thomæ tom.* 3. *disp.* 80. *sect.* 2. *conclus.* 2.

Negativam tamen sententiam Regulares Moralistæ, causam propriam agentes ferè omnes defendunt, inter quos Quartus *in Rubric. Missal. part.* 1. *tit.* 3. *sect.* 1. *dub.* 4. Pellizarius *in Manual. Pralat. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 9. *n.* 30. Peyrinus *tom.* 3. *cap.* 1. *nu.* 19. Bordonus *Var. res. part.* 1. *res.* 25. *n.* 25. & omnium antesignanus Diana Coordinatus *in cit. tom.* 2. *tract.* 1. *res.* 83. *cum aliis quatuor seqq.* in quibus nititur probare, ipsos Religiosos non teneri ad Chorum, & ad Solemnia Missarum, nisi vel ex Regulæ præscripto, vel ex vi consuetudinis; & utroque respectu non intrare pœnam peccati mortalis, in casu omissionis, quia ad illam non censentur Regulares se obligare voluisse; quapropter usus ferè communis omnium Regularium est canere unam Missam quotidie de officio currenti, etiam in Vigiliis cum jejunio, & Quadragesima; alteram verò à Rubrica præceptam planè legere; vel de eadem in Missa cantata commemorationem facere juxta normam Sacerdotum privatas Missas celebrantium.

Hac in re Judicis personam sumere non intendo; & satis esse puto utriusque partis fundamenta delibasse; pro conclusione autem præsentis Decisionis, non omittam aliud curiosum quæsitum, quod faciunt Moralistæ; *An Sacerdos Solemni ritu Litans teneatur submissa voce legere Epistolam, & Evangelium; prout etiam Gloria in Excelsis, & Credo? vel satis sit, si audiat Ministros, vel Chorum illa canentes?* Et quòd non teneatur ea legere, sed sufficiat ea audire, dum cantantur ab aliis, docent Pellizarius *d. tract.* 5. *cap.* 9. *num.* 25. & 36. ubi extendit suam doctrinam etiam ad Prophetias Sabbati Sancti; & Tamburinus *de Sacrificio Missæ lib.* 2. *c.* 5. §. 2. *n.* 6. ubi alios cumulat ita sentientes. Porrò talis assertio movet stomachum, quia Rubrica Missalis *de Ritu servando in celebrat. Missæ c.* 6. expressè dicit, Epistolam, atque Evangelium submissa voce esse legendum à celebrante. Item feria sexta in Parasceve Rubrica habet, quòd Sacerdos legat submissa voce tum prophetiam, tum Passionem Domini, dum ab aliis cantatur; & Sabbato Sancto post Cerei Paschalis benedictionem sic Rubrica ordinat: *Postea leguntur Prophetiæ sine titulo; & Celebrans legit eas submissa voce ad Altare in cornu Epistolæ.* Si igitur absque culpa lectio omnium prædictorum in Missa solemni omitti potest; frustratoriæ sunt Rubricæ, inutiles Sacri ritus, nullius ponderis S. Pii Quinti Bulla, quæ strictè, & in virtute sanctæ obedientiæ mandat, & præcipit, ipsas Rubricas ab omnibus servari. Utique à nonnullis Moralistis nimium laxantur habenæ, præcipuè circa Missalis Rubricas, de quarum vi, & observantia plura dixi *Anno* 1683. *in Decisione Casus Prudentialis Mensis Julii*, ad quam studiosum remitto; illum monendo, nefas esse operari contra præscriptum Rubricarum, quæ Leges sunt, & Decreta Pontificia, ut doctè advertunt Fagnanus *in cap. Cum creatura num.* 29. *de Celebrat. Missar.* & Castaldus *lib.* 2. *sect.* 6. *cap.* 1. *num.* 5.

DECISIO XXXIX.

ARGUMENTUM.

Differitur de tempore, quo licitum est privatas Missas celebrare. Docetur, olim fuisse in usu Missas Nocturnas, & Vespertinas; & Quid sit Missa Præsanctificatorum? Missæ nunc debent esse diurnæ, idest ab Aurora ad Meridiem. Quid, & quotuplex sit Dies? & quid sit Nox? Varia Horarum computatio ad constituendum diem. Dies Indulgentiæ consequendæ quando incipiat, & desinat? Agitur de diebus Naturalibus, Ecclesiasticis, Artificialibus, Intercalaribus, Canicularibus, & Criticis. Quid sit Aurora, & quanto tempore nascatur ante Solem? Casus plurimi, in quibus licet litare ante Auroram, & post Meridiem. De Privilegiis Regularium circa horam celebrandi. Habitantes sub Polo, habentes diem longissimum per sex Menses, deinde consimilem noctem, quomodò cognoscant Auroram: & Meridiem pro Sacrificio?

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Nocturnæ Missæ, quænam olim essent in Ecclesia?*
2 *Christiani antiqui cur vocati latebrosi, & lucifugæ?*
3 *Nocturnæ Missæ in nocte Natalis Domini, Epiphaniæ, Cœnæ Domini, Vigiliæ Paschæ, & Pentecostes.*
4 *Nocturnæ Missæ quo sæculo cessarint?*
5 *Privilegia Apostolica concessa aliquibus Principibus audiendi Missam de nocte.*
6 *Missa nocturna, quæ adhuc est in usu in Polonia, & Germania.*
7 *Confraternitas Cæcorum in Cathedrali Paduæ celebrare facit Missam in festo Conceptionis Deiparæ propè Auroram cum cantu.*
8 *Vespertinæ Missæ quænam erant?*
9 *Jejunantes olim solùm in occasu Solis cibum sumebant.*
10 *Vespertinarum Missarum ratio, & motiva.*
11 *Martyrum festivitates olim in Quadragesimâ omissæ. Et cur?*
12 *Præsanctificatorum Missa apud Græcos quid sit?*
13 *S. Theodorus Siceota celebrat Missam Vespertinam die jejunii.*
14 *Vespertinæ Missæ durarunt usque ad duodecimum sæculum.*
15 *Vespertinæ Missæ nunc prohibitæ, Et cur?*
16 *Privilegia omnia celebrandi Missas Vespertinas sunt revocata.*
17 *Diurnæ Missæ quo jure præceptæ?*
18 *Missa cur celebretur de die, & non de nocte?*
19 *Dies quid sit? Et quid sit Nox? Fabulosa ex gentilibus circa Noctem, & ejus divisio in plures partes.*
20 *dies triplex Naturalis, Ecclesiasticus, & Artificialis.*
21 *Horarum varia computatio ad constituendum diem.*
22 *Puer nascens ante mediam noctem quo die dicatur natus?*
23 *Astronomi incipiunt diem in Meridie. Et cur?*
24 *Dies Ecclesiasticus quis sit, & quando incipiat?*
25 *Indulgentiæ dies quando incipiat?*
26 *Dies artificialis quisnam sit? Et quot horas habeat? Et partes?*
27 *Dies artificialis duplex.*
28 *Diei appellatione an de naturali, vel de artificiali sit intelligendum?*
29 *Dies Intercalares, Caniculares, & Critici quinam sint?*
30 *Missæ privatæ ab Aurora usque ad meridiem celebrandæ.*
31 *Aurora quid sit? Et quanto tempore oriatur ante Solem?*
32 *Zodiaci signa alia obliqua, alia recta; & eorum differentia?*
33 *Nocte Natalis Domini an totæ tres Missæ dici possint ante Auroram?*
34 *Viaticum ut detur infirmo, an liceat celebrare Auroram?*
35 *Itineris causa an licitum sit celebrare ante Auroram?*
36 *Episcopus iter agens an ante Auroram Missam faciat?*
37 *Aurora an Physicè, seu Mathematicè attendenda?*
38 *Privilegia antiquata Regularium celebrandi ante Auroram.*
39 *Privilegia Regularium contraria Decretis Conc. Trid. revocata.*
40 *Monachi S. Justinæ de Padua privilegiati quoad tempus Litandi.*
41 *Regulares ob communicationem Privilegiorum celebrare possunt ante Auroram, & post meridiem saltem hora una.*
42 *Cardinales, & eorum familiares gaudent privilegio celebrandi ante Auroram, & post meridiem per duas horas.*
43 *Auctoris factum in itinere Romam versùs Cal. Januar. 1670.*
44 *Habitantes propè Polum, qua regula uti debeant in celebratione Missæ pro cognoscenda Aurora, & Meridie?*
45 *Aurora non visiva, sed politica intra circulos Polares.*
46 *Meridies in regionibus sub Polo quomodo decernatur?*
47 *Parvitas temporis an excuset à peccato celebrantem horis indebitis?*
48 *Meridie transacto intra unam horam celebrare adhuc licet.*
49 *Meridiem post licet celebrare in septem casibus.*
50 *Meridies qua hora contingat in toto anno?*

EXplicuimus tempus, & horas, in quibus Missæ solemnes secundùm diversitatem temporum, & officiorum sunt celebrandæ, superest, ut agamus de tempore, atque horis, in quibus Missæ privatæ haberi possunt. Sciendum est igitur, quòd usque ab initio Ecclesiæ fuerunt Missæ *Nocturnæ*, *Vespertinæ*, atque *Diurnæ*.

Nocturnæ Missæ illæ erant, quæ ut plurimùm, dum vexaretur Ecclesia à Tyrannorum persecutionibus, tempore noctis celebrabantur; fideles enim nocturno tempore, & secretò conveniebant ad Sacram Synaxim in loco, ubi præmoniti Antistites, & Sacerdotes reperiebant, à quibus Verbum Dei audiebant, & divinis laudibus recitatis, Sacrosancto Missæ Sacrificio adstabant, & in eo, omnes Communionem accipiebant. De hac re præcipuum est exemplum illud Divi Pauli, de quo in Actibus *Apostol. c.* 20. ubi cum esset Troade die Dominico; *cùm convenissemus*, ait S. Lucas, *ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem*; enarratoque lapsu, & interitu Eutychii adolescentis, quem Apostolus subindè à morte suscitavit; *fregit panem*; idest Missam celebravit, & fideles communicavit, ut declarant ibidem sacri Interpretes; quos citant Cornelius à Lapide, & Tirinus; & testatur S. Augustinus *Epistol.* 86. *ad Casulanum*, his verbis: *Eadem nocte fracturus panem, sicut frangitur in Sacramento Corporis Christi, produxit Sermonem usque ad medium noctis, ut post Sacramenta celebrata rursus usque ad diluculum alloquens congregatos.* Sed post Apostolorum tempora, tribus fermè sæculis, necesse habebant Christiani nocte se congregare ad Sacra peragenda, ideoque à gentilibus vocabantur *latebrosi*, & *lucifugæ*; quia, ut scribit Plinius *lib.* 10. *Epist.* 97. ad Trajanum, *Soliti essent stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem.* Sic enim adstringebantur Litare Corpus, & Sanguinem Christi nocturno tempore, ut pluribus auctoritatibus probant Eminentissimi Cardinales Baronius *Anno* 257, *num*, 11. Brancatius *Dissert. prima*

prima de Privileg. Capell. Cardinal. & Bona *Rer. Liturgic lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 4. ubi ponit hæc Prudentii carmina in Hymno de S. Laurentio:

Hunc esse vestris Orgiis
Moremque, & artem proditum est;
Libent ut auro Antistites.
Argenteis Scyphis ferunt
Fumare Sacrum Sanguinem,
Auroque nocturnis Sacris
Adstare fixos Cereos.

Reddita postmodum Ecclesiæ pace, quamvis exorto Sole Sacra Mysteria peragerentur, remanse-
3 runt intra annum aliquæ Missæ nocturnæ, videlicet in Nativitate Domini, *cap. Nocte Sancta. De Consecrat. dist.* 1. & apud aliquos etiam in nocte Epiphaniæ, subinde in feria quinta Cœnæ Domini, in nocte Sabbati Sancti ante Dominicam Resurrectionis, & in Vigilia Pentecostes, quibus festivitatibus Missa celebrabatur circa medietatem noctis; qua de causa adhuc Missale Romanum ponit in Præfatione, & infra actionem Missæ eorumdem dierum verba illa *Hanc Sacratissimam noctem*, ut fusè demonstrat ipse Emin. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 4. addens, idipsum observatum fuisse quater in anno, in Sabbatis nimirum quatuor temporum, in quibus ordinationes clericorum tam serò incipiebantur, ut de nocte Missam pro iisdem ordinationibus complerentur. Cæterùm Missæ nocturnæ antedictæ, excepta
4 illa Noctis Nativitatis Domini, post duodecimum sæculum recesserunt ab aula, teste Hugone Victorino, qui obiit *Anno* 1140. sic enim ipse scribit *lib.* 3, *de Specialib. Missæ observat. cap.* 21. *Jam ferè transacto die Sabbati Officium hoc celebrarunt: sed modernorum debilitas ad epulas festinans tempus prævenit destinatum.* Quamvis Guil. Durandus, qui vivebat *Anno* 1280. testetur *lib.* 6. *Ration. c.* 76. veterem Ritum prædictarum Missarum nocturnarum in quibusdam Ecclesiis usque ad sua tempora permansisse. Confirmatur cessatio, seu abrogatio usus Missæ nocturnæ post sæculum duodecimum ex privilegiis particularibus concessis per Sedem Apostolicam nonnullis piis Principibus, ut justa de causa noctu sibi celebrare facere possent, etsi rarò, nempè *anno* 1264. per Urbanum IV. Marchioni Misnensi; per Bonifacium VIII. Catherinæ Imperatrici
5 Constantinopolitanæ *anno* 1301. Per Clementem V. *anno* 1312. Philippo Principi Tarentino; & per Joannem XXII. Philippo Regi Franciæ *anno* 1316. ut memorat Odoricus Rinaldus *in Annalib. ad dd. annos*; & notat Emin. Card. Brancatius *d.*
6 *Opusc. de Privileg. Capell. Cardin. pag.* 7. Adhuc tamen in quibusdam Provinciis, præsertim in Polonia, ac Germania, esse in usu Missam unam nocturnam, quæ tribus, vel quatuor horis ante lucem cum ingenti solemnitate cantatur in Adventu Domini ad honorem Beatæ Mariæ Virginis; & nuncupatur *Missa Rorate* ab initio introitus ejusdem Missæ; tradit Emin. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 4. cui quodammodo videtur correspondere
7 Missa immaculatæ Conceptionis ejusdem Deiparæ, quam cantare facit quotannis Confraternitas cæcorum in hac Cathedrali Ecclesia Patavina propè Auroram *die* 8. *Decembris.* Et hæc de Missis nocturnis.

Vespertinæ Missæ illæ erant, quæ in Quadrage-
8 sima, & diebus jejuniorum celebrabantur in fine diei, atque in occasu Solis; quo tantùm tempore primitivi Christiani jejunium solvebant, & non ante, ad prandiumque eis accedere licebat; ut legitur
9 *in cap. Solent.* 50. *De Consecrat. dist.* 1. cujus hæc sunt verba ex Concilio Cabilonensi desumpta: *Solent plures, qui se jejunare putant, in Quadragesima, mox ut signum audierint, ad horam Nonam comedere. Qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quàm Vespertinum celebretur Officium, Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemnibus, & vespertinis Officiis, & largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est.* De his Missis Vespertinis mentionem feci in Decisionibus de Venerabili Eucharistiæ Sacramento *Decis. XIII. n.* 2. ubi illas usitatas fuisse in primitiva Ecclesia observavi ex Emin. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 3. ob exemplum Synagogæ, quæ Matutinum, & Ve- 10
spertinum Sacrificium offerebat; quamvis enim Mosayca Sacrificia cessassent; fideles, qui erant ex circumcisione, non statim veterum Rituum poterant obliviſci. Porrò alia ratio, & quidem præcipua fuit celebrandi Missas Vespertinas; Sole occumbente, in diebus jejuniorum, quam docet Joannes Zonaras *in can.* 52. Concil. Trullani; nimirum ne mœstitia jejunii confunderetur cum Sacrificii lætitia: siquidem Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & Communio in eo fidelibus elargita signum erat gaudii, & exultationis, tanquam pignus futuræ gloriæ, & fiducia Resurrectionis. At jejunium, ob pœnitentiam culparum institutum, dolor cordis, & animi tristitia comitabatur, & ideò incongruum erat, Sacrificia diurna, & matutina offerre, ne Sacrificii alacritas adimeret mœrorem jejunii; & ne jejunii luctus turbaret Sacrificii jucunditatem; & sic Missa ad illud tempus differri solebat, quo jejunium solvi poterat, ut Sacræ Mensæ participes effecti, & modesta refectione refocillati animo, & corpore lætarentur. Eamdem ob causam festivitates Martyrum in 11
Quadragesima peragi Synodus Laodicena *Can.* 51. prohibuit; quia veteris Ecclesiæ ritu festum agere, & non jejunare connexa invicem erant; & è contra, ut servaretur rigorosum jejunium, festivitates Sanctorum in Quadragesima occurrentes transferebant; quod usque in hodiernum diem observat Ecclesia Ambrosiana. Imò Græci in quadragesima utuntur Missa Præsanctificatorum, in qua non conse- 12
crant, sed sumunt Hostias antecedenti die Dominico consecratas, juxta *Can.* 49. Laodicenæ Synodi, ita jubentis: *Non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, & Dominicis tantum*: cui concordat Concilii Trullani *Can.* 52. dicens: *In omnibus Sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & Sancto Annuntiationis die, fiat Sacrum Præsanctificatorum ministerium.* Dicunt namque Dominico in Quadragesima, præter oblationem illius diei, consecrant Græci alios quinque panes pro totidem sequentibus feriis usque ad Sabbatum, tum singulis diebus sub vesperam conveniunt in Ecclesia, & recitatis precibus, gradualibus, & lectionibus, Sacramentum antea consecratum proponunt, & sumunt, juxta morem, quem nos Latini servamus feria sexta in Parasceve, & quia panem antea consecratum, & Sanctificatum accipiunt, vocant Officium, & Missam illam Præsanctificatorum, ideſt ante consecratorum, & de ea agit Euchologium cum notis Goar *pag.* 187. *& seqq.* Emin. Card. Bona *Rer. Liturg. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 5. & Magrius *in Hierolexic. Verb. Missa. Et Verb. Missa ficca*; ubi tamen absque legitimo fundamento asserit eandem Missam Præsanctificatorum institutam à S. Gregorio Magno, & observatam etiam in Ecclesia Latina usque ad annum 700. siquidem instituta fuit multò ante, & observata solùm ab Eccle-
sia

sia Orientali, ut demonstrat Goar *in Notis ad d. Offic. Præsanctificator. pag. 205. n. 1. & pag. 210. num. 44.*

Non inelegans testimonium Missæ Vespertinæ, & in occasu Solis peractæ, occasione jejunii, est illud; quod refertur à Benedicto Gononio in Vita SS. Theodori Siceotæ, & Antiochi insignis Eremitæ, relata inter vitas insignium Eremitarum Orientis; & conscriptâ à Georgio Presbytero, ejusdem S. Theodori discipulo; cùm enim ipse S. Theodorus recepisset hospitio in Monasterio suo prædictum S.
13 Antiochum Virum Eremitam, Constantinopoli revertentem, ubi ad Imperatorem Mauritium legatus accesserat, ut illi Synophrim oppidum à barbaris direptum commendaret; quod notat etiam Emin. Card. Baron. *Ann. 597. n. 29.*) ita subdit Auctor de iisdem Sanctis: *Cùm autem Vespera advenisset, facto Divino Sacrificio, accubuerunt, ut parvo, & solito cibo vescerentur.* En hos Sanctos viros jejunium protraxisse usque ad vesperam; nec illud solvisse, nisi facto Sacrificio Vespertino.

Duravit hujusmodi Missarum Vespertinarum usus in diebus jejunii usque ad duodecimum sæcu-
14 lum, ut notat idem Emin. Card. Bona *d. lib. 1. cap. 21. num. 7.* quo tempore, pristina severitate paulatim relaxata, successit mollior disciplina, quæ ne penitùs antiquitatis vestigium destrueret, restrinxit Missam Vespertinam ad horam nonam, non quidem solarem, seu naturalem, quæ parùm distat ab occasu Solis, sed Ecclesiasticam, recitatam scilicet in Choro illam Horarum Canonicarum, quæ Nona vocatur, post quam in Quadragesima, & Vigiliis cum jejunio cantatur Missa de feria, ut dictum est in antecedenti *Decis. XXXVIII. num. 12.* & ita factum est, ne prorsus intereat veneranda vetustas; ut antiquitatis saltem in publica officiorum recitatione retineatur memoria, dum non nisi post Nonam; etsi ante meridiem, cantatur Missa de jejunio, de cujus differentia cum illo primitivorum fidelium satius est tacere, quàm loqui; videtur enim solum nomen retinere jejunii.

Hæ Missæ Vespertinæ, quæ olim erant in usu,
15 nunc sunt omninò proscriptæ per Bullam S. Pii Quinti, *Incipien. Sanctissimus.* (in Bullario la 4.) per quam *anno 1566.* inhærendo Decreto S. Concilii Tridentini *sess. 22. de Observan. & evitan. in Celebrat. Missæ*, in quo inter cætera prohibet, *Ne Sacerdotes aliis, quàm debitis horis celebrent*; præcipit quibuscunque tam Sæcularibus, quàm Regularibus sub pœna perpetuæ suspensionis à Divinis, *Ne deinceps Missas vespertino tempore, quarumcumque licentiarum, & facultatum, aut alio quovis prætextu celebrare, vel celebrari facere præsumant.* Ratione hujusmodi proscriptionis Vespertinarum Missarum reddit Novarius *in Summa Bullar. part. 1. Commentar. 79. num. 3.* quia cum hisce temporibus homines nesciant à cibo vacare usque ad Vesperam; si tunc licitum esset sacrificare, neque Sacerdotes decenter celebrarent, neque adstantes devotè auditent. Hinc rectè deducit Emin. Cardin. Brancatius *d. Opuscul. de Privil. Capell. Cardin. pag. 15.* quòd omnia Privilegia; ante Concilium
16 Tridentinum quibusvis personis concessa, celebrandi Missas Vespertino tempore, sunt prorsus revocata; attenta præcipuè alia Bulla Gregorii Papæ XIII. *Incipien. In tanta.* (& est in ordine Bullarii *la 9.*) *Anni 1573.* per quam abrogavit omnia privilegia Regularium Decretis Concilii Tridentini adversantia, eaque reduxit ad tenorem ejusdem Tridentini Concilii, prout infra latiùs ostendemus *num. 39.*

Diurnæ itaque Missæ illæ sunt, quæ hisce nostris temporibus, non ampliùs noctu, neque vespertino tempore, sed in die celebrantur juxta Rubricam Missalis, *De hora celebrandi Missam tit. 15. num. 1.* 17 ubi ita disponit: *Missa privata saltem post Matutinum, & Laudes quacunque hora, ab Aurora usque ad meridiem, dici potest.* Et in alia Rubrica *De Defectibus in celebratione Missarum occurrentibus tit. 10.* ita ait: *Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit: ut* (paucis omissis) *si non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab Aurora usque ad meridiem.* Idcircò Regula datur ab omnibus Doctoribus, quòd Missæ debent esse diurnæ, idest celebratæ de die, non autem Vespere, vel nocte; ea ratione, quia Christus, qui in Sa- 18 crificio offertur, est candor lucis æternæ, & Sacrificium Missæ est Sacrificium proprium Legis gratiæ, in qua fides, & alia Dei dona supernaturalia clariùs fulgent. Layman. *lib. 5. tract. 5. c. 4. num. 1.* & ulteriùs, ipse Christus præsens est in hoc Sacramento, qui dicit *Jo. 9. Vers. 4. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari; quamdiu in mundo sum, lux sum mundi.* Itaq; non in nocte, sed in die est sacrificandum.

Pro intelligentia dicendorum, sciendum est, quòd dies nihil aliud est, nisi præsentia Solis super 19 terram, nox autem est Solis privatio. *cap. Si perfodiens, De Homicid. l. Hæc verba 124. ff. de Verb. signific.* Antonell. *de Tempor. legali lib. 1. cap. 3. num. 20.* Seu potiùs Nox nihil est aliud, quàm Terræ umbra, & illam gentiles tanquam Deam venerabantur; eique gallum nocturno tempore Sacrificabant, ut cecinit Ovidius *in Festis.*

Nocte Dei noctis cristatus cæditur ales,
Quòd tepidum vigili provocat ore diem.

Fingebantque habere currum, & equos; teste Tibullo, qui *lib. 2. eleg. 1.* ait:

Ludite: jam Nox jungit equos currumque sequuntur
Matris lasciva Sidera fulva choro.

Ejus autem aurigam fuisse soporem declamabant, juxta illud Stat. 2. *Theb.*

Sopor obvius illi,
Noctis agebat equos, trepiduque assurgit honori
Numinis.

Et in sex partes iisdem Poetæ noctem dividebant; quarum primam dicebant, *Primam facem*, quia tunc in domo accendebantur lumina; secundam nuncupabant *noctem concubiam*, nam in ea concubitum, seu dormitum homines procedebant; tertiam *intempestam noctem*, dum omnes requiescerent; tunc enim quidquid agebatur, reputabatur intempestivum. Quartam ajebant *mediam noctem*; de qua Ovidius 4. *Fast.*

Noctis erat medium; placidique silentia Somni.

Quintam *Gallicinium*, in qua galli incipiebant cantare. Sextam *Auroram, diluculum, & Conticinium*, ob dulcedinem somni, quam experiuntur mortales in illa. Porrò Hebræi, ac Romani dividebant noctem in quatuor partes, quas Vigilias vocitabant & unaquæque earum continebat tres horas, in quibus vigiles milites in statione mutabantur; & de his vigiliis frequens est mentio in Evangelio; unde S. Matthæus *cap. 14. Vers. 25.* ait, quòd Discipulis remigantibus nocte in mare Galileæ, ob contrarietatem venti, Christus *quarta vigilia noctis venit ad eos, ambulans super mare.* Quem locum ita commentatur

idem Batradas: *Nox in quatuor partes militari usu distributa est. Hæ partes Vigiliæ quatuor appellantur: eò quod quatuor vigiles mutabantur, aliique aliis succedebant. Tres verò horas Vigilia quæque continebat.*

20 Dies autem tripliciter sumitur, quatenus alius dicitur dies *Naturalis*, alius *Ecclesiasticus*, & alius, *Artificialis*, seu *Civilis*. Antonellus *d. lib. 1. cap. 3. num. 27.* Naturalis dies est, qui complectitur viginti quatuor horas. Horas autem fabulantur poetæ esse filias Themidis, & Jovis, Themidem autem genitam fuisse à Cœlo, & Terra, ipsasque horas Solis asseclas, & Cœlum circumvolvere effingunt. Varia autem est computatio horarum, ad constituendum integrum diem naturalem secundùm varieta-

21 tem Nationum, Romani numerant initium diei à media nocte ante, & terminare illum faciunt in media nocte sequenti. *l. Alore Romano 8. ff. de Feriis*; & hoc modo Ecclesia computat diem quò ad vigilias de Præcepto, quò ad festivitates, ne fiant opera servilia; quò ad celebranda Matrimonia, & Reservationes beneficiorum. Gonzalez *ad Reg. 8. Canc. gloss. 11. num. 9. & 10.* Pax Jordanus *lib. 10. tit. 12. n. 43. & sequent.* Antonellus *d. libr. 1. cap. 3. num 28. & 38.* talisque dies ita computatus nominab tur *Nyctimeron* ab antiquis, hoc est *Noctidialis*, ut scribit Zacchias *in Q Q. Medicolegal. part. 1. lib.*

22 *1. tit. 1. q. 3. num. 6. & seqq.* ubi addit, quòd si puer nascatur ante mediam noctem, ejus natalis numerandus est à die præcedenti, sin autem post, à die subsequenti, quòd est notatu dignum; deservire enim valdè potest pro susceptione Ordinum, vel pro Professione Regulari emittenda. Alii computant diem naturalem ab occasu Solis, postquam nostra horologia sonarint horas vigintiquatuor, & incipiunt sonare primam horam noctis; & hoc pacto Athenienses numerabant diem. Glossa *in d. l. More Romano 8. de Feriis*, & ita computatur dies naturalis ab Hebræis, qui incipiunt sua Sabbata statim post occasum Solis diei antecedentis. Tirinus *in Chronico Sacro cap. 1.* Babylones computabant diem ab ortu Solis usque ad alium ortum sequentis diei; idemque faciunt Persæ, & Norimbergenses, ut subdit Antonell. *d. cap. 3. num. 30* & in hoc sensu videtur sumi dies ab Ecclesia in Hymno Dominicali, *Lucis Creator optime*, dum canit in illo:

Qui manè junctum Vesperi
Diem vocari præcipis.

Alii tandem computant diem naturalem à meridie in meridiem; & ita faciunt Galli, Hispani, & major pars Germanorum; qui omnes terminare faciunt diem naturalem, quando Sol pervenit ad lineam meridianam, quæ versatur super nostrum Zenith, & tunc numerant horas vigintiquatuor; quando autem Sol discedit ab eadem linea meridiana, occasum versus, numerant primam horam; & sic successivè; undè fit, quòd semper in eadem hora habent meridiem, & medium noctis; prout computant, & numerant Astronomi, ad tradita per Aul. Gellium *de Noctib. Attic. libr. 3. cap. 2.* Bedam *libr. de ratione temp. cap. 2. & de natura rer. cap. 5.* & alios apud Tiraquell. *de Retract. lignag. §. 1. gloss. 11.* Emin. Card. Bonam *de Divina Psalmodia cap. 3. §. 1. num. 3.* & novissimè Ludovicum Passeronium *in*

23 *Opusc. de Sphæra artific. & natur. lib. 1. cap. 10.* ubi ita scribit ad finem capitis: *Appresso delli Astronomi serve il Meridiano per terminare igiorni naturali. Si noti dunque, che li giorni naturali sono appresso tutte le Nationi di 24 hore; mà non tutti le cominciano ad un tempo medesimo, poichè li Astronomi cominciano dall' un Meriggio all' altro, perchè questo è un punto invariabile, rispetto al Sole, e à tutte l'altre Stelle. Li Ecclesiastici seguiti da Giuristi cominciano ligiorni dall' una mezza notte all' altra? così le Feste, e le Vigilie hanno principio alla mezza notte antecedente, e finiscono alla mezza notte susseguente. Chi computa ligiorni, và finirli alla mezza notte parimente. Li Francesi, li Spagnuoli, e tutti li Oltramontani prendendo dall' uno, e dall' altro non contano mai più di dodici, cominciando à mezzo giorno, & à mezza notte. L' Italiani cominciano à contarle dall' un, Occidente all' altro; e li Babilonici dall' un' Oriente all' altro; trovando ogn' uno diverse commodità nelli suoi usi.* Et hæc de die Naturali,

Dies Ecclesiasticus est tempus ab Ecclesia certis 24
actibus præfinitum: & hic dies incipit à Vespera antecedenti, & terminat ad Vesperam subsequentem. *cap. 1. De Consecr. dist. 3.* Scaccia *de Judiciis libr. 2. cap. 3. num. 307* Antonell. *d. lib. 1. cap. 3. num 37.* Et ita numeratur dies Ecclesiasticus, tum in incipiendis Sanctorum Officiis, quæ in primis Vesperis vigiliæ, seu diei antecedentis sumunt initium, & terminant in Vesperis diei festi. ut servatur in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis; tum in consequendis Indulgentiis. *Clem. 1. in fin. De Reliq. & Ven Sanct.* Glossa *in cap. ult. §. in festivitatibus. Verb. Assumptionis. De sent. Excom. in 6* Porrò circa allecutionem Indulgentiarum attendendus est tenor Brevis Pontificii; qui aliquando est diversus, ut bene considerat Gobat *in Quinario tract. 4. De Indulgent part. 2. cap. 36. à num. 659. & seqq.* Siquidem vel in Brevi dicitur: *Qui talem Ecclesiam visitaverit in tali festo à primis Vesperis usque ad occasum Solis ejusdem festi.* Et in hoc casu incipit Indulgentia, quando in die vigiliæ festi Ecclesiastici so- 25
nant primas Vesperas; una, vel duabus horis post meridiem extra Quadragesimam; & in Quadragesima ante meridiem, dum cantantur Vesperæ in Choro; & durat toto die festi usque ad occasum Solis, ideſt quando Sol jam planè sub Orizonte est abditus. Gobat *d. cap. 36. n. 653. & n. 655. & 656.* Aliquando in Brevi Apostolico dicitur Indulgentiam esse consequendam *à primis Vesperis festi usque ad secundas Vesperas ejusdem festi.* Et in hoc casu cessat Indulgentiæ consequendæ tempus statim secundis Vesperis recitatis. Benzonius *lib. 5. de Jubilæo cap. 15. dub. 7.* Navarrus *eod. tract. notabil. 31. n. 26.* & Reginaldus *lib. 7. n. 154* Et aliquando ponitur in Bulla Indulgentiæ, eam concedi visitantibus Ecclesiam *ipso die festivitatis*; & in hoc casu, quamvis Gobat *d. cap. 36. num. 654.* putet, eam incipere à primis Vesperis, contrarium tamen est tenendum; & omninò dicendum, Indulgentiæ tempus incipere à medietate noctis ante festivitatem; quo tempore incipit festivitas, & obligatio abstinendi ab operibus servilibus, ut dictum est supra *num. 21.*) & durare usque ad medietatem noctis subsequentis, ut firmat Quintanadvenas in *Appendice ad sua Singularia tract. 1. dub. 3.* cui etiam se remittit Gobat *eod. cap. 36. num. 657.* Et hæc de die Ecclesiastico,

Dies artificialis, qui etiam *Usualis* & *Civilis* di- 26
citur, est ille, qui incipit ab ortu Solis, & durat usque ad ejus occasum, ut loquitur S. Isidorus *lib. 5. Orig. cap. 30.* seu ut Plinius ait *lib. 2. cap. 77. A luce ad tenebras*, quod etiam dictum est à Moyse *in Genes. 1. Divisit Deus lucem à tenebris, appellavitque lucem Diem, & tenebras Noctem.* Hic dies in æquinoctiis habet duodecim horas, de quibus ait Christus *Joan. 11. vers. 6. Nonnè duodecim sunt hora diei?* ubi

Mal-

Maldonatus explicat, dicens, *De die loquitur, quem usualem vocant.* Aliis autem temporibus dies vel est longior, ut in æstate; vel brevior, ut in hyeme; & dividi solet in sex partes; quarum prima est *Aurora*, sic dicta quasi *Avium hora*, dum crepuscula videntur, & aves linguas in melos solvunt; secunda appellatur *Manè*, cùm jam Sol surgit super Orizontem; tertia pars vocatur *Antemeridianum*; quarta *Meridies*, quinta *Pomeridianum*, sexta, & ultima *Vesper*. Ita Serra *De Synonym. Verb. Dies.* Duplex autem est dies Artificialis, Usualis, & Civilis apud Juristas,
27 nempè *Uniformis* incipiens semper ab Aurora, & durans usque ad crepusculum noctis; & *Difformis, seu Emergens*, qui potest incipere in quacunque hora diei, & terminare in eadem hora diei sequentis. Scaccia *de judic. d. lib. 2. cap. 3. n. 313. & seqq.* Tiraquell. *d. §. 1. Glos. 11. n. 6.* ubi dicit, quòd si quis hac hora, quæcunque ea sit, promittat aliquid facere intra unum diem, is quidem dies definit die sequenti, eadem illa hora. Antonellus *d. lib. 1. de Temp. legal. cap. 3. num. 33. & 34.* ubi subdit, quòd in favorabilibus appellatione diei intelligitur de die naturali; at in odiosis, ac pœnalibus intelligitur de artificiali, usuali, ac civili; idcircò si lex mandet graviùs puniri delinquentem in die festo, non comprehenditur in lege, si delinquat nocte antecedenti, vel subsequenti diem festum. Scaccia *d. lib. 2. cap. 3. num.*
28 *357.* quia factum de nocte, propriè non dicitur factum de die. Gratian. *Discept. for. cap. 972. num. 10. & seqq.* Quòd si delictum commissum sit in Aurora, relinquitur arbitrio Judicis terminare, an die, vel nocte dicatur deliquisse secundùm majorem, vel minorem Auroræ claritatem. Vivius *opin. 950. num. 17.* Scaccia *d. Jud. lib. 2. cap. 3. num. 349.*

Pro complemento autem denominationum dierum, scire oportet, alios quoque dies vocari *Bissextiles, Intercalares, seu Insititios*, qui singulis quatuor
29 annis inseruntur in Mense Februario, in quo bis legitur *Sexto Calendas Martii*, & duo dies computantur pro uno; ideòque nihil refert, si quis nascatur in primo, vel secundo die bissextili, & intercalari, cùm illud biduum habeatur pro uno tantùm die. Bartolus *in l. 3. §. sed Utrùm. ff. de Minor.* & Antonellus *d. cap. 3. num. 13.* Item alios dies nuncupari *Caniculares*, & sunt illi Solstitii æstivi, quando Sol ingressus est signum Leonis, cui conjungitur canis major, Stella scilicet qualitatis siccæ, & aridæ, à qua nomen sumunt; & de qua cecinit Tibull. *lib. 2. Eleg. 1.*

Rura ferunt messes, calidi cum Sideris æstu,
Deponit flavas annua terra comas.

Et Propert. lib. 2. el. 29.

Incipit & sicco fervere terra cane.

Hisce diebus caniculatibus moventur Venti Australes. Arist. *Problem. 64. num. 12.* & Medici abstinent à venæ sectione. Alios autem dies iidem Medici vocant *Criticos*, seu *Decretorios*, quia in infirmitatibus indicant bonum, vel malum exitum; & hi præcipui sunt dies *quartus, septimus, undecimus, decimusquartus, decimus septimus, & vigesimus*, ut legitur apud Tholosan. *in Syntaxi Artis Mirabil. libr. 28. cap. 31.* ubi reddit rationem, quare dies prædicti sint critici, scilicet quia spatio septuaginta duarum horarum, hoc est trium dierum, unum signum Zodiaci peragit Luna, à qua humores nostrorum corporum vehementer moventur; & de triduo in triduum, prout de signo in signum Luna scandit, habentur indicia exitus morborum.

Redeuntes autem ad Decisionem nostram, à qua aliquantulum digressi sumus, Sacrosanctum Missæ Sacrificium in die, non in nocte est litandum; Missæque privatæ, juxta Rubricam Missalis, ab Au- 30
rora usque ad meridiem sunt celebrandæ. Auroram filiam Titani, & Terræ dixerunt Poetæ, eamq; per cœlum vehi curru, quem trahit Pegasus alatus equus, ipsa manu tenente Lampadem, undè à Græcis *Lampadophoros* est appellata. Sed relictis fabulis, Auro- 31
ra propriè est matutinus splendor, quem ante Solis advenientis jubar elevari cernimus, & quo illustratur aer in Oriente, indicans vicinum Solem, & de ea cantat Tibullus *lib. 1. Eleg. 3.*

Nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

Ab initio autem Auroræ usque ad ortum Solis in mensibus Novembris, Decembris, & Januarii currit spatium unius horæ cum dimidia. In mensibus Februarii, Martii, Septembris, & Octobris, ab eodem principio Auroræ usque ad elevationem Solis super Orizontem; fluit una hora cum tribus horæ quartis circiter. In mensibus Aprilis, & Augusti fluunt horæ duæ. In mensibus autem Maji, Junii, & Julii ab ortu Auroræ usque ad ortum Solis interponitur spatium duarum horarum cum dimidia. Ratio, cur in mensibus æstivis longior sit Aurora, & tardior Solis ortus; in mensibus autem hyemalibus ab ortu Auroræ Sol citiùs oriatur; non est incognita callentibus Sphæram; hæc enim quò ad nos cùm sit obliqua; Zodiaci signa, quæ Sol scandit in hyeme obliqua pariter sunt, & dum appropiant Orizonti citiùs ascendunt manè, & serò descendunt; alia verò signa, in quibus Sol reperitur in æstate, sunt signa recta; quæ majus tempus requirunt in ascensu, & descensu circa Orizontem. Igitur Aurora in hyeme est brevior, quia citiùs ascendunt Orizontem signa obliqua Zodiaci, in quibus tunc Sol immoratur; in
32 æstate autem Aurora est longior, quia signa recta Zodiaci, in quibus tunc Sol residet, requirunt longius tempus ad ascendendum horizontem; idcircò in hyeme, ut dictum est, Aurora durat unam horam, & dimidiam; in æstate autem horas duas cum dimidia; & ob eandem rationem in æstate de sero, cùm Sol occidit, crepuscula longiora sunt, & magis durant, quàm in hyeme; & experientia docet.

His pro Auroræ explicatione dictis, deveniamus ad dubia, quæ à Moralistis excitantur, pro celebratione Missarum privatarum de manè circa Auroram; & deinde circa Meridiem.

Primum dubium est. *An in nocte Nativitatis Domini, post celebratam primam Missam, licitum sit celebrare alias duas, & in eis præbere Sacram Communionem fidelibus illam deposcentibus?* Et negativè ego 33
respondi in tractatu de Eucharistia *Decis. XIII. num. 15.* quamvis quadraginta Doctores, & ultra contrarium doceant; extat enim declaratio Sacræ Rituum Congregationis *diei 20. Aprilis, & 7. Decembris 1641.* quæ respondit, prædictas duas Missas ante Auroram non esse celebrandas, neque Communionem fidelibus de nocte exhibendam; prout ex Decretis ejusdem S. Congregationis, transcriptis *in d. Decis. XIII. num. 20.* desumptis ex Lantusca *in Theatro Regular. Verb. Missa:* & ex Pignatello *tom. 7. consult. 25.* ubi studiosus Lector ea legere poterit.

Secundum dubium est, *An licitum sit celebrare ante Auroram ad dandum Viaticum infirmo, alioquin fortasse absque viatico morituro?* Et communiter DD. respondent affirmativè, quia præsumi- 34
tur, quòd lex Ecclesiastica, quæ prohibet celebrare

Missam ante Auroram, non comprehendat hunc casum, in quo agitur de gravi detrimento fidelium. Eminent. Card. de Lugo *de Eucharist. disput. 20. num. 26.* Quartus *in Rubric. Missal. part. 1. tit. 15. dub. 4.* Collegium Salmanticen, *De Sacramentis in genere tract. 5. cap. 4. num. 27.* ubi alios DD. allegat. Immò Gobat *in Theol. Experim. tract. 3. num. 200* quia Sacrum Viaticum à Concilio Niceno vocatur necessarium. *cap. De his. 26. q. 6.* addit: quòd mallet sacrificare statim post mediam noctem, quàm permittere obitum infirmi absque sacro Viatico; & hoc affirmant alii plures apud Dianam Coordinatum *tom. 2. tract. 1. resol. 103. §. 3.* desumptam *ex part. 10. tract. 12. & Misc. 2. resolut. 26.*

Tertium dubium est; *An ratione itineris possit quilibet Sacerdos celebrare ante Auroram?* Affirmat
35 Henriquez *lib. 9. cap. 24. num. 5.* Negat Layman. *lib. 5. tract. 5. cap. 4. num. 3.* ea ratione quia privata devotio, seu commoditas non debet infringere Legem Ecclesiæ; quòd si causa publica intercederet, pura ne multitudo populi iter acturi perderet Missam, posset licitè ante Auroram fieri Sacrum. Sotus *in 4. dist. 13. q. 2. art. 2.* Quartus *d. part. 1. tit. 15. dub. 4. Vers. Secundus casus.* Et ex hoc deducitur, non esse reprehensibiles Parochos Rurales, qui hyemali tempore, ob devotionem suorum populorum aliquam Novenam celebrantium, litant ante Auroram, ut ipsi populi, audito Sacro, ad suos rurales labores, per aliquod temporis spatium ante Auroram se convertant. Quartus *d. dub. 4. Vers. Tertius casus.* Tamburinus *de Sacrificio Missæ lib. 1. cap. 6. §. 4. num. 4.* ubi cumulat DD. asserentes, talem praxim vigere Belgii, Galliæ, & Germaniæ; ubi tribus vel quatuor horis ante Solis ortum Missa celebratur, ut operarii eam audiant antequam eant ad opera; Sol enim ibi serò nimis oritur.

Quartum dubium est, *An Episcopus iter agens possit ante Auroram celebrare vel concedere, ut coram se celebretur?* Respondent affirmativè Doctores, in-
36 ter quos Emin. Card. de Lugo *d. disp. 20. n. 17.* per Glossam *in cap. fin. Verb. Indulgemus. De Privileg. in 6.* & Tamburinus *d. §. 4. num. 6.* Qui eandem facultatem dispensativam erga suos subditos extendit ad Prælatos Regulares, honesta interveniente causa.

Quintum dubium. *An Aurora attendenda sit physicè, seu mathematicè ad licitam celebrationem;*
37 *itaut Missa non sit incipienda, nisi cum cœperint crepuscula ejus videri?* Respondetur ex mente omnium Theologorum nostris temporis, sumendum esse Auroræ tempus moraliter; adeò ut Missam incipere liceat aliquantulum ante ortum Auroræ, dummodo Sacrificium finem sequatur nascente Aurora. Tamburinus *d. lib. 1. cap. 6. §. 4. num. 2.* Eminent. Cardin. de Lugo *De Euchar. d disp. 20. num. 32. & 33.* Bonacina *de Eucharistia disp. 4. quæst. ult. punct. 9. num. 4.* Collegium Salmanticen. *tom. 11. De Sacramentis in genere d. tract. 5. cap. 4. num. 33.* ubi plures cumulat: & novissimè Emin. Cardinalis Brancatius *in Dissertatione de Privileg. Capell. Cardin. pag. 10. Vers. Asserendum igitur.* Quæ Dissertatio impressa est etiam in Diana Coordinato *tom. 9. tract. 7. res. 49.* & in veteri *par. 6. tract. 8. resol. 40.*

Sextum dubium. *An subsistant Privilegia pluribus Religionibus per Pontifices Romanos antiquitùs concessa celebrandi Missam vel statim post mediam no-*
38 *ctem, vel per aliquas horas ante Auroram?* Pro intelligentia sciendum, quòd *Martinus V. Anno 1424.* concessit Fratribus S. Hieronymi Hispaniæ, ut possint dici Missæ quotidie in eorum Monasterio saltem per unam horam ante Albam, seu Auroram. *Eugenius IV. anno 1436.* indulsit Monachis S. Justinæ de Padua, ut in itinere, vel alia honesta de causa celebrare possint ante diem, & usque ad nonam inclusivè. *Sixtus IV,* facultatem dedit Minoritis celebrandi, causa necessitatis ante, & post horam statutam ab Ecclesia. *Innocentius VIII. anno 1486.* concessit Eremitis S. Augustini, ut expleto matutinali officio etiam ante lucis Auroram litare valeant. *Alexander VI. anno 1499.* idem elargitus est Benedictinis Vallisoleti. *Julius II. anno 1507.* hoc idem impertivit Olivetanis; necnon *anno 1512.* Canonicis Regularibus S. Augustini Congregationis S. Salvatoris. *Leo X. anno 1513.* eandem licentiam dedit Monachis Camaldulensibus celebrandi ante diem, & usque ad horam Nonam. Minoritis autem illico post Matutinum, vel etiam ante, & post Meridiem; quæ omnia tum Privilegia, tum vivæ vocis oracula refert. P. Augustinus à Virgine Maria Carmelita Strictioris observantiæ *in Compendio novissimo Privilegiorum omnium Religiosorum, Verborum Missa à num. 2. & plurib. seqq.* Hæc autem omnia Privilegia subsistere, & eorum vigore posse Regulares omnes vel jure proprio, vel ob communicationem cum aliis celebrare ante Auroram, & post meridiem ad eorum libitum tenet Diana Coordinatus *d. tom. 2. tract. 1. resol. 102. num. 3.* desumpta *ex Veter. part. 10 tract. 12. & Misc. 2. resol. 15.* in qua alii ita sentientes allegantur.

Porrò supradicta omnia Privilegia non subsistere est omninò asseverandum cum Doctoribus infra
39 allegandis ex rationibus infrascriptis. Primò, quia Concil. Tridentinum *sess. 22. in Decreto de observandis, & evitandis in Celebrat. Missæ* præcipit, *ut Sacerdotes aliis, quàm horis debitis celebrent; non obstantibus privilegiis, exemptionibas, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque.* Et hoc præceptum afficere etiam Regulares docet Barbosa *in Collect. DD. ibid. num. 32.* Hieronymus Garzias *in Summa Morali tract. 3. diffic 4. dub. 1. punct. 2. num. 14.* qui plures allegat.; Ascanius Tamburinus *de Jure Abbat. tom. 2. disp. 5. quæst. 7. num. 5.* & Perficus *De offic. Sacerdot. lib. 1. cap. 5. dub. 18. num. 149.* & per hoc Decretum Concilii esse revocata quæcunque Privilegia Regularibus jam concessa circa celebrationem Missæ, latè probat Pignatellus *tom. 6. consult. 12. per totam.* Secundò, quia S. Pius V. per Bullam IV. *Incipient. Sanctissimus, Anno 1566.* abrogavit Missas Vespertinas, & eò magis nocturnas. Et Gregorius XIII. *Anno 1573.* per Bullam IX. *Incipien. Intanta,* revocavit omnia Privilegia Regularibus concessa in his, quæ sunt contraria Decretis Concilii Tridentini, ut diximus supra *n. 16.* quod fatetur etiam Pellizzarius *in Man. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 1. num. 81.* Tertiò, quia Sacra Rituum Congregatio declaravit, *Ante diem, & horis indebitis celebrare non licere, etiam vigore Privilegiorum ante Concilium Tridentinum concessorum,* de qua testantur Lezana *in Summa tom. 1. cap. 21. num. 2.* Et Barbosa *Decis. Apostolic. collect. 476. num. 5.* Et quartò quia sic sentiendum, & tenendum esse, scribit Emin. Card. Brancatius *in d. Opusc. de Privileg. Capell. Cardin. pag. 15. & seqq. Vers. Sed magna quidem mea admiratione.* Ubi fundamentis contrariis doctissimè respondet.

Verùm quia Gregorius XIII. post Concilium Tridentinum, concessit Congregat. S. Justinæ de Padua,

ut

ut ejus Monachi, *dum in itinere fuerint constituti,*
40 *possint Missam celebrare ante Auroram, & post mediam noctem*, ut legitur apud Ascanium Tamburin. *d. tom. 2. disp. 5 quæst. 7. n. 5.* Et eidem elargitus est ipse Gregorius XIII. *anno 1578.* Presbyteris Societatis Jesu, de licentia tamen sui Præpositi Generalis, teste eodem P. Augustino à Virgine Maria *d. Verb. Missa num. 25.* Quia omnes Ordines Regulares communicant inter se quæcunque Privilegia sibi specialiter concessa, ut latissimè probat prædictus P. Augustinus à Virgine Maria *Verb. Communicatio Privilegiorum Mendicantium simul, & non Mendicantium*; ideò concludendum venit, posse omnes Regulares uti privilegiis Gregorianæ antedictæ, &
41 aliis, si quæ sunt, à Sede Apostolica elargita post Tridentinum Concilium; quorum vigore saltem integra hora ante auroram & alia integra hora post meridiem poterunt absque scrupulo celebrare; ut advertit d. Ascanius Tamburinus *d. disp. quæst. 7. num. 6.* & Emn. Brancatius *d. Opusc. de Capell. Card. Privileg. pag. 19.* ubi observat, Privilegia Apostolica, post Concilium Tridentinum, ejusdem decretis derogare, etsi Papa de Concilio mentionem non faciat, juxta doctrinam Barbosæ in *Collect. DD. ad ipsum Concil. sect. 1. numero secundo in Decreto de inchoando Concilio.*

Septimum dubium est. *An Eminentissimi S. R. E. Cardinales gaudeant eodem Privilegio celebrandi vel*
42 *celebrare faciendi ante Auroram, ac ipsum se extendat etiam ad eorum Capellanos, & familiares?* Et respondendum est affirmativè, tùm circa Eminentias suas, tùm circa eorum familiares, & Capellanos, quia sicut participant de Privilegio quòd ad locum, ut ubique cum Altare portatili possint Sacrum facere, vel audire, ut probavimus in tractatu de Eucharistia *Decis. VIII. num. 16.* ita fruuntur eodem quò ad tempus, itaut saltem per duas horas ante Auroram, & duas post meridiem, honesta causa intervenient, tàm ipsi Eminentissimi ratione sublimis Dignitatis, quàm eorum familiares litare valeant, ad tradita per Filliucium *tom. 2. tract. 5. cap. 4. numer. 113.* Alzedum *de Præstantia Episc. part. 1. cap. 13. num. 12.* & per Emin. Brancatium *d. Opusc. de Privil. Capell. Cardin. part. 19. & 20.* quod legitur impressum etiam in Diana Coordinato *tom. 9. tr. 8. resol. 40.* ut dictum est supra *n. 37.*

Hinc anno 1670. Calendas Januarii, ego discessurus Utriculo, ubi pernoctaveram, Romam ver-
43 sùs, cum Familia venerandæ memoriæ Eminentissimi Domini mei Cardinalis Gregorii Barbadici Episcopi Patavini, (qui properaverat ad Conclave, vacante Apostolica Sede per obitum Sanctissimi Clementis Noni,) volebant Sacrum facere per horam circiter ante Auroram; sed cùm distaret Ecclesia ab hospitio, & via ob glaciem esset difficilis, me Veterinarii rogarunt, ut statim iter cum aliis arriperem, litaturus in Civitate Castellana, donec equi emeriti mutarentur Annui: sed cùm ibi Ecclesia esset procul à via, iidem vectores petierunt, ut progrederemur iter usque ad Burghettum, ubi non longè à caupona erat Oratorium publicum, in quo commodè celebraretur Missa. Ivimus: at reperimus Ecclesiam sine hostiis, adeò ut necesse fuerit, accelerare iter, & pervenire Arinianum, duabus circiter horis post meridiem. Usurus privilegio, Familiaribus Cardinalium competente, petiit à Parocho facultatem celebrandi, ne tota familia Cardinalitia eo die sacro fine Missæ auditione maneret. Agrestis, & rusticus homo ille me repulit, dicens, se velle Vesperas cantare: sed superveniens ejus Capellanus qui asseruit, se aliàs à me Patavii examinatum, & ad Confessiones audiendas comiter admissum, summa humanitate statim, & vestes sacras, & alia necessaria mihi exhibuit ad celebrandum, quod lætus feci, nimis enim cruciabar, prima die anni festiva Sacrosanctæ Missæ Sacrificio carere. Itaque Capellano prædicto gratias egi, admiratus ejus memoriam erga me, atque gratitudinem; & suscepto itinere cum eadem familia Cardinalitia ad Castrum novum in occasu Solis pervenimus, & sequenti die Romam ingressi, post quadrimestre audivimus creatum Pontificem Cardinalem Alterium, qui Clementis Decimi nomen assumpsit.

Octavum dubium requirit, *Quæ regula sit servanda pro tempore celebrandæ Missæ in partibus Septentrionalibus, subjectis altitudini Poli ultra gradus* 63. qualia sunt multa loca Islandiæ, & Nova Zembla; in quibus in æstate dies longus est per sex men- 44
ses; & in hyeme nox per alios menses; ut observat Ricciolius *in sua Geographia lib. 7. cap. 9. §. 5. & seqq.* Pro intelligentia referenda sunt verba doctissimi Ludovici Passeronii *in suo Opusc. de Sphæra lib. 1. cap.* 15. ubi agens de Zonis frigidis, ita scribit. *La Zona fredda Settentrionale, che è da noi la maggior parte conosciuta, trovasi abitata fino à gradi 82. in certe Isole lontane dal Polo otto gradi solamente.* Et paulò infra: *Sotto li circoli Polari, che è dove cominciano le Zone fredde, li lunghi giorni dell' estate sono di 24. hore; il Sole à pena arriva sotto l'Orizonte: che di nuovo torna alzarsi. L'Inverno al contrario à pena arriva à farseli vedere, che subito descende; senza sortire intieramente; entrando poi avanti verso i Poli, si trovano li giorni lunghi di settimane, e poi di mesi, fino à sei, di modo che, vi è chi non contache un giorno, & una notte all' anno.* Cùm igitur dies sit adeò prolixus, ut duret per sex menses in æstate; forsan semel tantum in semestre, Catholici ibi degentes litabant? Et cùm nox æquatur eamdem prolixitatem in hyeme, abstinebunt à celebratione Missæ per integros sex Menses? Itaque ad hoc dubium, quomodo respondendum?

Duplex est responsio, quia duplex datur Regula pro tempore Sacrificii peragendi in regionibus illis borealibus. Una est, quam firmarunt Doctores Ro- 45
mæ in Congregatione particulari, teste Gavanto *in Rubric. Missal. part. 2. tit. 15. n. 1.* & Magr. in *Hierolexic. Verbo Missa*; quòd scilicet, ubi non habetur Aurora visiva, & quæ conspici oculis possit, attendatur Aurora moralis illud nempè tempus, quo illi habitantes surgunt ad labores. Ecce Verba Gavanti: *Ubi non est Aurora physicè, attendatur ea moraliter, & politicè; quando scilicet ibi terminari solet hominum quies, & inchoari labor; juxta probatam regionum consuetudinem. Qua de re opportunam movente quæstionem Theodosio Rubeo, in mathematicis peritissimo, jussu S. D. N. Urbani VIII. in pleniore Congregatione coram Emin. Card. Oregio, ea bene discussa, ivimus omnes in hanc eamdem sententiam 18. Septembris 1634.*

Altera Regula, & responsio est, quæ desumitur ex Voto eruditissimi Viri P. Honorati Fabri Societatis 46
Jesu super hoc dubio, dato, quod in ejus obsequium transcribere voluit antedictus Eminent. Card. Brancatius *in d. sua Disser. de Privileg. Capell. Cardin. pag. 22. & seqq.* quòd scilicet; opera magneticæ acus reperiendus est meridies, atque medietas noctis; quæ

quidem

quidem medietas tum diei, tum noctis cognoscitur etiam ex umbra; quando Sol attingit lineam meridianam, vel in Zenith habitantium in illis regionibus, vel in opposito eidem in hyeme subtus terram. Idcircò à puncto meridiano desumenda est Regula, ut antequam Sol ad ipsum perveniat, licitum sit Missam celebrare; secus autem cùm illud transiverit; prout etiam cùm oppositam lineam meridianam intraverit, quæ indicat medietatem noctis, ea transacta, tempus certum determinari poterit pro licita celebratione, ut latiùs demonstrat idem P. Fabri in conclusionibus septem in eodem suo Voto firmitatis; quibus ego addo sequentia verba Passeroni *d. lib. 1. cap. 15.* eundem sensum breviter firmantia. *In questo giorno così lungo l'ombra Meridiana, che ogni ventiquattro hore torna nel suo luogo, serve loro per determinare il tempo, distinguendolo in tal modo, che ponno regolarsi con la Chiesa, per sapere quando arrivano le feste, e così ancora le Vigilie, acciò non sia chi li creda esenti dal digiuno.*

Nonum dubium est: *An in celebrantibus Missam*
47 *ante Auroram dari possit parvitas materiæ respectu temporis, quæ excuset celebrantem à peccato mortali?* Et videbatur dicendum, non dari parvitatem temporis excusantem à mortali, ad exemplum eorum, qui comedunt carnes parùm ante dimidiam noctem, quæ succedit Vigiliæ de præcepto; vel eorum, qui parùm post mediam noctem recitant Officium diei antecedentis. Nihilominus communis Doctorum opinio est, dari parvitatem materiæ ratione temporis, excusantem illum, qui celebrat, ut compleat Missam ante Auroram à peccato mortali, adeò ut si quis conficeret Sacrum per semiquadrantem horæ ante Auroram, nihil peccaret; ea ratione, quia in hac materia tempus Auroræ non sumitur physicè, & mathematicè (quemadmodum accipitur medietas noctis respectu usus carnium, vel recitationis officii) sed moraliter, & ad esse moraliter ejusdem Auroræ; ideoque qui paruniper ante Auroram finiret Sacrificium, diceretur moraliter sacrificasse in Aurora; qui autem ante Auroram notabiliter, puta per dimidium horæ (causa legitima cessante) litasset, in hoc casu reus esset mortalis peccati, ut tradit Emin. Card. de Lugo *De Eucharistia disp. 20. n. 36.* Et Quartus *in Rubr. Missal. d. part. 1. tit. 15 num. 5. dub. 2. Secunda difficultas.*

Meridies tandem est alius terminus, ultra quem non licet Sacrum facere. Verùm est communi pra-
48 xi omnium Civitatum, etiam meridies sumitur moraliter modo, ita ut non peccet, qui Missam incipit intra horam post meridiem, ut testantur Doctores plurimi, quos cumulat Diana Coordinatus *d. tom. 2. tract. 1. resol. 104. resol. 105. resol. 106. resol. 107. & resol. 108.* ubi abundantissimè de hoc puncto. Imò
49 etiam ultra unam horam post meridiem, posse absque peccato initiari Sacrificium permittunt Theologi in sequentibus casibus. Primò in privilegiatis, in Episcopis, in Cardinalibus, & eorum familiaribus Capellanis, aliqua honesta causa interveniente, præcipue itineris. 2. In collatione ordinum. 3. In funere Regum, vel Principum. 4. Ratione festivitatis, & concursus populi, ne qui tardiùs accedunt ad Ecclesiam, discedant non audita Missa. 5. Si Missa solemnis cantetur, & in ea concio sit habenda, ut sæpè evenit Patavii in festo Divi Antonii Confessoris, & Patroni; & quando Antistes prædicat in Cathedrali in solemnioribus festis; aut etiam in Quadragesima, dum concio incipit penes meridiem, & durat ultra horam, post quam reservantur duæ, vel tres Missæ ptivatæ pro comoditate populi. 6. Ubi consuetudo viget protrahendi initium Missæ etiam post unam, vel duas horas post meridiem ex urgenti causa, de qua ita scribit Gobat *in Theol. experiment. tract. 3. num. 202. Friburgi Helvetiorum est more receptum, ut quotannis Dominica præcedente festum S. Joannis Baptistæ, publicè in Templo Collegiato, quòd illic magnificum visitur, pro Dominis Secretis, ut vocant aliisque inferioris ordinis, toto antemeridiano tempore in Curia occupatis, Sacrum fiat duabus, tribusve horis post meridiem.* 7. Ubi necesse foret consecrare, pro dando Viatico alicui in extremis existenti; ut plenè Diana Coordinatus *in resol. supracit.* & præter DD. in eis allegatos tradunt Layman *d. lib. 5. tract. 5. c. 4 n. 4.* Tamburinus de Sacrificio *Missæ d. lib. 1. cap. 6. §. 4. à num. 19. & seqq.* & Quartus *d. part. 1. tit. 15. n. 5. dub. 4.* ubi concludit, quòd *minor causa requiritur ad celebrandum post meridiem, quod olim erat licitum, quàm ante Auroram, quod nunquam fuit licitum sine dispensatione.*

Quòd si quis petet, qua hora sit meridies? Huic respondebimus, quòd observet tabulam positam in fine Calendarii Patavini; in qua conspiciet, mensibus Januarii, & Decembris meridiem esse hora 50 decimanona cum dimidia. Mensibus Februarii, & Novembris hora decimanona circiter. Mensibus Martii, Septembris, & Octobris hora decimaoctava circiter. Mensibus Aprilis, & Augusti, hora decimaseptima circiter. Mensibus Maji, Junii, & Julii hora decima sexta, cum aliquibus minutis, advertendo, quòd incipimus numerare horas ab occasu Solis diei antecedentis, ut solitos fuisse facere Athenienses diximus *supra num. 22.*

DECISIO XL.

ARGUMENTUM.

Quia Sacrificium Missæ in Ecclesia est offerendum, agitur de Ecclesiarum ædificatione; & de quatuor generibus causarum in ea per Episcopos attendendis. Ecclesia debet respicere ad Orientem, & habere locum separatum mulierum à viris. Ecclesia non est ædificanda sine Dote; (idem de Altaribus) aliàs Episcopi, & eorum hæredes tenentur supplere in propriis bonis. Licentia Ordinarii est omninò necessaria pro fabricandis Ecclesiis. Quibus de causis possit erigi nova Parochialis? Regulares sine licentia Papæ novas Ecclesias, & Conventus facere non possunt. Finis ædificandi Ecclesias Divinus cultus; non lucrum temporale.

SUMMARIUM.

1 *Locus Sacer necessarius pro Sacrificio Missæ offerendo.*

2 *Papa solus dat licentiam celebrandi Missam extra locum Sacrum.*

3 *Ecclesia benedicta, vel consecrata requiritur pro celebratione Missæ.*

4 *Ædificatio Ecclesiæ requirit quatuor genera causarum.*

5 *Eccle-*

5 *Ecclesia ædificanda respiciat ortum Solis æquinoctialem. Et cur?*

6 *Ecclesia S. Sophiæ de Padua consecrata à S. Prosdocimo.*

7 *S. Antonii Confessoris Ecclesia, quo anno Paduæ ædificata?*

8 *Monialium S. Petri de Padua Ecclesia, & Monasterium erectum Anno 1026.*

9 *Ecclesia S. Nicolai de Padua donata Monialibus. S. Petri à Milone Episcopo Anno 1090.*

10 *Fontes aquarum antiquitus siebant ante januas Ecclesiarum. Et cur?*

11 *Eucharistia antiquitùs non in ore, sed in manibus fidelium ponebatur.*

12 *Aquæ benedictæ usus ab Apostolis introductus.*

13 *Sal Positum in aqua benedicta quid significet?*

14. *Mulieres in Templis stabant in loco separato à Viris.*

15 *Pueri in lege Mosayca stabant in Templo tam in loco Virorum, quàm in loco Mulierum.*

16 *Decreta SS. Patrum, ut mulieres in Ecclesiis stent separatæ à Viris.*

17 *Mulierum separatio à Viris in Ecclesiis Civitatum rara: Villarum jugis.*

18 *Paulus Vallaressius Episcopus Concordien. laudatus, ejusque Synodus.*

19 *Gregorius. S. R. E. Card. Barbadicus Epis. Patav. commendatus.*

20 *Dos est Assignanda ab ædificante Ecclesiam pro ejus manutentione.*

21 *Oleum effusum à Jacob super Lapide quid significet?*

22 *Donatio Verbis Romæ & Provinciarum facta à Constantino Magno Apostolicæ Sedi.*

23 *Constantinus Magnus Imperator potuit donare Urbem Romam Vicario Christi.*

24 *Dotis quantitas pro Ecclesia ædificanda pendet ab arbitrio Episcopi.*

25 *Cathedralium, Collegiatarum, Regularium, ac Parochialium Ecclesiarum Dos quanta requiratur?*

26 *Ecclesia S. Cajetani Terræ nigræ Diœcesis Paduan. quo anno, & qua occasione fuerit ædificata, & quibus bonis dodata?*

27 *Dos pro oratoriis publicis quomodo arbitranda?*

28 *Altaris in erectione an Dos assignanda?*

29 *Episcopi omittentes assignationem Dotis pro Ecclesiis, & Altaribus ædificandis peccant, & tenentur supplere de suis bonis.*

30 *Moniales redactæ in clausuram absque sufficienti dote Monasterii habent actionem contra Episcopum pro alimentis.*

31 *Hæredes Prælati tenentur de ejus lata, levi, & levissima culpa*

32 *Licentia Episcopi est necessaria pro ædificandis Ecclesiis.*

33 *Oratoria publica, ut erigantur, quid Episcopus attendere debeat?*

34 *Conditiones præscribendæ ab Episcopo pro celebratione in Oratoriis publicis.*

35 *Parochialia Jura quæ sint?*

36 *Parochialis Ecclesiæ novæ quibus de causis erectio concedatur?*

37 *Numerositas populi non admittit erectionem novæ Parochiæ; sed deputationem aliorum Coadjutorum.*

38 *Viarum difficultas; & distantia est causa erigendæ novæ Parochiæ.*

39 *Ecclesiæ Campilongi de Olorio; & S. Cassiani* della Rocca *cur, & quando factæ sint Parochiales.*

40 *Oratorio publico existente in loco distanti; à Parochia si Parochus velit ibi tenere capellanum, non est nova Parochialis erigenda.*

41 *Appellatio an detur à dismembratione Ecclesiæ?*

42 *Ecclesiarum Regularium in ædificatione an sufficiat licentia Episcopi?*

43 *Regulares nunc fundare non possunt novos Conventus sine licentia Sedis Apostolicæ.*

44 *Monialium nova Monasteria nunc Episcopi non erigunt sine licentia Papæ.*

45 *Cultus divinus debet esse causa finalis ædificandi Ecclesias*

46 *Ecclesias ædificare opus est Deo gratissimum, ac Deiparæ, & Sanctis.*

47 *Ecclesia S. Mariæ Majoris Romæ, & Ecclesia S. Mariæ Vincentiæ fuerunt fabricatæ sic ipsa Deipara requirente*

48 *Montis Ortoni Ecclesia, ac Cœnobium quando, & quomodo fabricatum?*

49 *Ludovicus Buzzacarenus Nobil. Patavinus fabricare fecit Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Monte Ortone.*

50 *S. Danielis Martyris Ecclesia Parochialis Paduæ quando, & qua occasione fabricata.*

51 *Donatio Ecclesiæ cum omnibus suis bonis facta Monasterio, facit eam de Mensa: & providetur sine concursu*

52 *Lauretana Domus Sancta decessit è colle fratrum, ejus Eleemosynas inhiantium. Idem fecit aliud Sacellum Deiparæ in Tuscia, in loco* vulgò il Caggio

53 *Primus lapis benedicendus & ponendus ab Episcopo in ædificatione Ecclesiæ.*

POst explicationem temporis, in quo licitum est Sacrosanctum Missæ Sacrificium tam solemne quàm non solemne offerre, convenit, ut agamus de loco, ad ejusdem Sacrificii licitam immolationem necessario; videlicet de ædificatione Ecclesiarum; siquidem ex Apostolica traditione semper, & 1
inviolabiliter observata, non alibi, quàm in locis Sacris Ecclesia Catholica per orbem universum consuevit Sacrificare; ad quem effectum Sancti Apostoli Templa consecrare, & Ecclesias constituere, in quibus Eucharisticum Sacramentum esset litandum usque ab initio Christianæ Religionis consueverunt, ut late ostendimus supra *Decis. XII. à num. 47. & seqq.* ubi *num. 61.* firmavimus, ex jure Canonico antiquo, medio, novo, & novissimo prohibitum esse omnibus Sacerdotibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus celebrare Missam extra loca Sacra; illa scilicet, quæ per Episcopos ritè, & rectè non sint Deo dedicata; adeò ut soli Summo Pontifici competat 2
jus concedendi facultatem, aliqua rationabili causa existente, sacrificandi extra Ecclesias; sive in navibus, sive sub dio, sive in Oratoriis privatis, de quibus pariter egimus in decisionibus *de Venerabili Eucharistia Sacramento Decis. VIII.* Et de hac loci Sacri necessaria constitutione plures extant Canones in Decreto Gratiani, videlicet *cap. Sicut non alii. 11. cap. Missarum solemnia. 12. cap. Hic ergo 14. & cap. Nullus Presbyt. 15. De Consecr. dist. 1.* ubi Glossa & Doctores, qui adducunt concordantes.

Igitur ad effectum licitè offerendi incruentum Missæ Sacrificium, opus est, habere Ecclesiam legitimè ædificatam, rite, ac rectè benedictam, seu 3
consecratam, & idcirco in præsenti agendum est de legitima ædificatione Ecclesiarum; in sequentibus

autem Verba faciemus de earum benedictione, seu consecratione.

Quod attinet ad Ecclesiarum legitimam ædificationem quatuor genera causarum sunt considerandа, quæ in ea debent concurrere; nempe causa Materialis, Efficiens, Formalis, & Finalis. 4

Materialis causa, ubi agitur de ædificanda Ecclesia, concernit structuram, & ædificium materiale ejusdem, quod quidem tale esse debet, ut quantum fieri potest, imitetur structuras, & ædificia Ecclesiarum primorum Christianorum; etsi enim incertum sit, qualia ea fuerint ante Constantinum; eò quia jussu impii Diocletiani omnes Ecclesiæ fuerunt æquatæ solo, ut observat Eminent. Card. Bona *Rer. Liturgicar. libr.* 1. *cap.* 20. *num.* 4. nihilominus ex iis, quæ fuerunt erectæ ab eodem constantino Imperatore, & aliis piis Viris, atque Pontificibus statim post ipsum, constat, antiquas Ecclesias imitatas esse 5 Templum Hierosolimitanum in multis, sed præcipuè ut respicerent ad ortum Solis æquinoctialem, quamvis quod Templum Hierosolymitanum haberet portam principalem versùs Orientem notet Menochius *in Storeis part.* 5. *Centur.* 10. *cap.* 83. Nihilominus Christianorum Ecclesiæ prospiciebant Orientem, quemadmodum ex Tertulliano, Eusebio, Isidoro, & aliis demonstrat idem Eminent. Card. Bona *d. num.* 4. & in opusculo *De Divina Psalmodia cap.* 6. §. 2. & legitur in libro Apostolicarum Constitutionum *lib.* 2. *cap.* 61. ubi dicitur *Ecclesia sit longa instar navis ad Orientem conversa*; ea præcipua ratione, ut significaretur æquanimitas Ecclesiæ inter prospera, & adversa, ut ex Durando *de Divinis offic. lib.* 1. *cap.* 1. *nu.* 8. notat Pax Jordanus *tom.* 1. *lib.* 5 *tit* 8. *num.* 14. & in hoc situ, Orientem Solem in æquinoctio respiciente, fabricatæ sunt hîc Patavii plurimæ antiquissimæ Ecclesiæ, inter quas, Ecclesia Præ- 6 posituralis Sanctæ Sophiæ à Sancto Prosdocimo, discipulo Divi Petri Apostolorum Principis, primoque Patavino Antistite, consecrata Anno Christi 46. ut testantur Portenarius *in Histor. Patavina libr.* 9. *capit.* 2. Et Eques Sertorius Ursatus *in eadem Histor. Urbis Paduæ pag* 1. *lib.* 1. *ad. dd. Annos Christi* 46. *pag.* 51. 7 Ecclesia insignis Divi Antonii Confessoris, quæ cœpit ædificari Anno Christi 1110. sub nomine Sanctæ Mariæ Majoris, ut ostendit idem Eques 8 Ursatus *in d. Histor. ad. dd. Annos pag.* 283. Ecclesia RR. ac Nobilium Monialium S. Petri, constructa cum earum Monasterio Anno Christi 1026. ab Ursone Episcopo Patavino, prout ad dd. annos scribit ipsemet Equem Ursatus *pag.* 225. & 226. ubi ponit Instrumentum erectionis, & donationis ejusdem Ecclesiæ, ac Monasterii; nec non Ecclesia S. Nicolai de mensa earundem RR. & Nobilium Monialium S. Petri, iisdem dono data cum pluribus redditibus à Milone Episcopo Patavino Anno Domini 1090. de qua ad dd. Annos idem Historicus Ursatus *pag.* 158. Quæ quidem Ecclesiæ 9 fabricatæ sunt versùs Orientem juxta normam primitivorum temporum; quamvis non ita exactè id observaretur; & ad majorem populi, vel situs opportunitatem etiam ad alias Cœli plagas constituerentur conversæ Ecclesiæ, ut scribit Walfridus Strabo *cap.* 4. & S. Paulinus Nolanus *epist.* 12. cujusmodi sunt in hac urbe Antenorea Ecclesia S. Justinæ Congregationis Casinensis, quæ respicit meridiem; & Ecclesia Cathedrali, Ponentem versùs. In atrio autem ante portas Ecclesiæ soliti fuere antiqui, fontes aquarum ponere, ne fideles illotis manibus Templum ingrederentur, tum propter dictum Apostoli 1, *Timoth.* 2. 8. *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus*; tùm ob reverentiam Sacrosanctæ Eucharistiæ, quam Viri in manibus recipiebant, & ori admovebant, ut pluribus auctoritatibus probat Illustriss. Episcopus Sarnellius *in Basilicographia cap.* 12. *num.* 3. Eminent Card. Bona *Rer. Liturgic lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 3. & hos diximus *in Decisione XLIV. de Eucharistia num.* 3. *& num.* 13. Prædictorum autem fontium, & aquarum naturalium usui successit in januis Ecclesiarum fons. Aquæ benedictæ, quà se aspergunt, & signant fideles in ingressu, & egressu, ad delenda peccata venialia, juxta in stitutionem S. Matthæi Apostoli, de qua *in Constit. Apostol lib* 8. *cap.* 20. & traditionem Apostolicam, quam confirmavit Decreto suo Alexander Papa primus, *Epist.* 1. *cap* 5. relata *in cap aquam.* 20. *De Consecr. dist.* 3 ubi reddit rationem virtutis, quam habet Aqua benedicta divinis precibus & mixtione Salis, & de ea agunt Eminentiss. Card Baronius *Anno* 132 *num.* 3. & 4. ubi plures SS. Patrum auctoritates adducit. Eminent. Card. de Lauræa *in* 4 *sent. tomo* 2. *de Sacram. Pœnit. disp* 15. *art.* 12. *num* 331. Casalius *de Veterib. Sacris Christian. Ritib. cap* 36. & nos diximus in Decisionibus Anni 1687. *de Sacramentis in genere, & de Sacramentalibus in Quæsit. Mensis Decembr.* Porro per Salem significari amaritudinem culpa- 13 rum, per aquam verò earum confessionem, ait Glossa *in cit cap. Aquam* seu meliùs per utrumque denotari hypostaticam unionem æternæ Sapientiæ, quam Sal repræsentat, cum natura humana, cujus symbolum est Aqua, advertit prælaudatus Illustris. Episcopus Sarnellius *in d. Opusc. Basilicograph. cap.* 12. *num.* 4.

At inter cæteras observationes, quas primitivi Christiani in ædificatione Ecclesiarum adhibebant, 14 & illa principalis erat, quòd locus mulierum esset separatus ab illo, in quo Viri, Templum ingredientes; morabantur; & hoc ad exemplum ipsius Templi 15 Jerosolymitani; in quo teste Josepho Hebræo *de bello Judaico lib.* 5. *cap.* 2. *& contra Appionem lib.* 2. fœminæ in eodem Templo stabant à viris segregatæ; quod etiam refert Barradas *in Evangel. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 39. *col.* 5. his verbis: *In eo locus erat fœminis mundis ad Orientalem partem destinatus, muroque ab atrio virorum separatus.* Quod etiam confirmat Menochius in Histor. Sacra *lib.* 1. *cap.* 15. *n.* 15. ubi alia testimonia adducit; ostendens, licitum fuisse pueris adhuc in pupillari ætate existentibus ingredi utrumque locum sive virorum, sive Mulierum; & hac de causa Deiparam perdidisse JESUM annorum duodecim, cùm ascendisset ad templum unà cum S. Joseph, apud quem illum remansisse putavit; prout è contra S. Joseph opinabatur, Incarnatum Verbum Deiparæ Genitrici suæ in eodem Templo adhæsisse; & idem refert Durandus *de Divin. Offic. d. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 46.

Quod autem in templis Christianorum esset hæc 16 divisio locorum, ut mulieres starent à viris segregatæ, plurima decreta SS. Patrum congerit Illustriss. Episcopus Sarnellius *in d. Basilicograph cap.* 15. videlicet S. Clementis Papæ *in Apostol. Constitutionib. lib.* 2, *cap.* 16. S. Ambrosii *in lib, ad Virginem Lapsam cap.* 6. S. Joannis Chrysostomi *Hom* 74. *in cap.* 13. *Matth.* S. Augustini *lib.* 3. *de Civit. Dei cap.* 28. *& lib.* 22. *cap.* 8. & aliorum multorum; quorum etiam aliqui choros superiores constituerant pro mulieribus, quæ Divina audirent è fenestris velo occlusis, prout hisce temporibus audiunt Moniales: & ideò

S. Grego-

S. Gregorius Nazianzenus *in Somnis de Templo Anastasiæ* Lyrico versu sic scripsit:

Denique Virginei cœtus, Matronæ & honestæ,
E tectis aures ad mea verba dabant.

Demonstrans, quid esset in usu, dum ipse Constantinopolitanam Ecclesiam regeret: in ea enim mulieres non immixtæ Viris, sed in choris super Ecclesiæ navibus constitutis, & Verbum Dei, & Sacrum Missæ Sacrificium audiebant, quòd etiam refert Menochius *in Storeis per. 2. Centur 3. cap. 42.*

17 Recessit ab aula hæc religiosa observatio nostris temporibus: pauca enim in Civitatibus sunt Templa, in quibus seperatus sit locus mulierum à loco Virorum; etsi in aliquibus consignatæ sint tabulæ per medium Ecclesiæ, ut segregatæ stent mulieres à viris, saltem tempore concionis. In Villis, ubi Episcopi satagunt, ne actibus immodestis loca sacra offendatur, & Parochi zelo fervent, ut plèbes debitâ reverentia stent in Ecclesia, ibidem separantur viri à mulieribus per telas straguladas positas; vel per ligneos cancellos, prout statutum est in Synodo Diœ-

18 cesana Concordiensi, anno proximè præterito 1697. ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Paulo Vallaresso Episcopo Vigilantissimo *cap. 8. de Sacrosanctis Ecclesiis, & earum cultu. n. 12.* his verbis: *Fiat separatio sexus, ductis in medio Ecclesiæ aliquibus Cancellis Ligneis, vel lapideis congruo opere elaboratis, pro modo facultatis Ecclesiæ; pars autem Altari majori proximior detur viris; porta vero majori vicinior mulieribus concedatur.*

Hoc idem inconcussè servatur in omnibus Ecclesiis ruralibus hujus Diœcesis Patavinæ, quas ferè omnes bis, terque ego visitavi cum Eminentissi-

19 mo, & Reverendissimo Sanctæ memoriæ Domino, ac Hero meo Religiosissimo Gregorio Cardinali Patavino; cujus cordi semper fuit Ecclesiarum reverentia; de qua casus prudentiales proponere à me fecit Parochis omnibus, ut eorum sollicitudo magis, ac magis excitaretur, *annis 1681. & 1685.* in quibus requisitæ, & collectæ fuerunt industriæ; ne populi irreverentes sint in Ecclesia; & ne super eos veniat, quod comminatus est olim Deus per Ezechielem *cap. 5. vers. 11. Pro eo quod Sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis, ego quoque confringam, & non parcet oculus meus, & non miserebor.* At de observanda reverentia in Templis Sacris legatur Sperellus in *Panegyri Toleturgica cap. 14.* & ejusdem *Serm. Pastoral. 18 & 37. par. 3.* in quibus erudite disserit, jura plurima promit, & exempla utilia adducit.

Efficiens causa, quæ concurrere debet in Ecclesia-

20 rum ædificatione, est Dos, quam Episcopo stipulante, assignare debet ille, qui Ecclesiam vult construere. *Cap. Nemo Ecclesiam 9. de Consecrat. dist. 9.* Rota coram Eminent. Card. Mentica *Decis. 131.* & Barbosa *alleg. 20. num. 2.* Sicut enim Matrimonium carnale concludi non potest, nisi de Dote conventum sit inter partes, & de ea per scripturam stipulatio fiat; ita servandum est, quando ædificatur Ecclesia, quæ tanquam Sponsa est Christo dedicanda, Archidiac. *in d. cap. Nemo num. 4.* Et quemadmodum Pater naturalis tenetur dotare filiam *l. fin ff. de Dot. promiss.* sic etiam qui construit Ecclesiam; nam ejus pater reputatur, tenetur illi dotem assignare. *Abbas in cap. Cum sicut num. 2. de consecrat. Eccles.* Jordanus *d. tom. 1. lib. 5. tit. 8. num. 15.* Et hinc est, quòd Patriarcha Jacob iter agens, cùm in via erexisset Lapidem in titulum. *Genes. 28. 18.* qui erat symbolum Ecclesiæ, seu Templi Sacri, unde ait:

Quàm terribilis est locus iste? Non est hic aliquid nisi domus Dei; statim fudit oleum desuper, ad inhuen- 21
dam Dotis assignationem, quam facere debet, qui Ecclesiam vult construere, juxta celeberrimum exemplum Magni Constantini Imperatoris, à quo cùm fuissent erectæ in Alma Urbe Basilicæ Lateranensis, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, ac aliæ multæ: ditatæ pariter fuerunt non solùm pretiosis vasibus, & supellectilibus, sed etiam ampliss imis possessionibus; præter donationem ejusdem Urbis Romæ, Provinciarum, & Civitatum plurimarum, quas semper possedit, & possidet Sedes Apostolica, ac Romanus Pontifex, de qua donatione legitur *in tom. 1.*
Concilior. tit. de Munificientia Constantini Magni Imperatoris pag. mihi 473. & habetur in Decreto Gratiani *cap. Constantinus. 14. dist. 96.* ubi Barbosa *in Collectanea DD.* magnum cumulat numerum eorundem; à quibus veritas dictæ donationis defensatur, inter quos Card. Turrecremata *de Pot. Eccles. lib. 2. cap. 42.* Bursatus *cons. 124. lib. 1.* Navarrus *in cap. Novit. de Judic. num. 77.* Cevall *Comm. contra commun. tom. 1. qu. 345.* Covarruvias *lib. 4. Var. Resol. cap. 16. num. 8.* & Marta *de Jurisdict. par. 1. cap 30.* quibus novissimè addendus est Menochius *in Storeis par. 4. Cent. 8. cap. 89.* & Theodosius Rubeus *in addit. ad Rotam Romanam part. 3. recent Decis. II.* Ubi *in secunda parte Annotationis à. n. 25. & seqq.* confutat contrarium sentientes, & respondet objectis per eos excogitatis, ac præcipuè, quod Constantinus Imperator non potuerit præjudicare Imperio, illius Provincias, Civitates, ac Urbem Romam alienando; cùm enim eidem Constantino Imperium ipsum fue- 23
rit à Deo clementer concessum per insignes Victorias, prævio Signo Crucis, contra Maxentium tyrannum reportatas, dignum, & justum fuit, ut ipse Constantinus Vicario Jesu Christi Filii Dei cederet aliquam imperii partem, in qua decenter Sedem Apostolicam teneret; idcircò prædicta Constantini donatio verùs, & propriùs fuit restitutio ipsi Deo facta; ut saribunt Canonistæ, & Theologi, longa serie citati per eumdem Theodosium Rubeum *in Annot. ad d. Decis. II. num. 26.* ad quem Lectorem remitto.

Quanta autem debeat esse Dos assignanda in ædificatione Ecclesiæ; pendet ab arbitrio Episcopi, ha- 24
bita consideratione ad qualitatem Ecclesiæ, & ad numerum ministrorum, à quibus illi est deserviendum. Glossa *in d. cap. Cum sicut*, ubi etiam Abbas *num. 5. De consecrat Eccles.* Jordanus *d. lib. 5. tit 8. num. 16.* adeò ut pro Ecclesia Cathedrali constituendi sint Ducati mille saltem annui pro Episcopo, & duo mille 25
pro Canonicis, & aliis Ministris; pro Collegiata verò inferiori ad minus Ducati octingenti; & pro Regulari, tot redditus, qui sufficiant pro alimento saltem duodecim Religiosorum, ut advertit Jordanus *d. cap. 8. num. 17. & 18.* quamvis in præmissarum Ecclesiarum ædificatione non sit multùm insudandum Episcopis in dotibus constituendis; ad ipsos enim non spectat concedere licentiam eisdem Ecclesias ædificandi, ut infra probabimus, sed ad sedem Apostolicam. Mandosius *de Signatur. gratiæ Verb. Erectio.* Azor. *par. 2. lib. 6. cap. 30 q. 4.* Vivianus *de Jurepat lib 1. cap. 1. num. 212.* & Lotterius *lib. 1. q. 14. nu. 46.* Idcircò si Ecclesia ædificanda debeat esse Parochialis, curare debet Episcopus ut ei assignetur dos centum ducatorum pro alimentis Rectori ad præscriptum S. Concilii Trid. *sess. 24. de Ref. cap. 13. Vers. ad hæc.* Aut saltem quinquaginta scutorum monetæ Romanæ, quæ relevant Ducatos Venetos septuaginta quinque circiter, & hoc vigore Bullæ

S. Pii Quinti, quæ incipit: *ad exequendum, &c.* in qua hanc quantitatem taxavit pro Vicariis perpetuis curam animarum exercentibus. Jordanus *d. tit. 8. num.* 21. Et ad hanc normam, anno 1673. ego proposui Eminentissimo Domino meo Cardinali
26 Barbadico Episcopo Patavino erectionem Ecclesiæ Parochialis S. Cajetani in Villa Terræ Nigræ, distantis per millare circiter ab hac urbe Antenorea, extra Portam Pontiscurvi; cùm enim antiquitùs homines illius villæ essent sub Parochiali S. Laurentii de Padua, at fabricatis mœniis novis hujus Urbis post annum 1509. à Veneta Republica; quorum portæ in Vespere clauduntur, & non aperiuntur, nisi die sequenti, orto Sole; cùm de nocte non possent accedere ad Parochos S. Laurentii, ab iisdem octo Ducati annui solvebantur antedictis hominibus Terræ Nigræ; ut à vicinis Parochis ruralibus sibi necessaria in spiritualibus reciperent. Porrò ob tenuitatem stipendi; etsi adaucti per eosdem homines etiam ad alia quinquaginta staria frumenti; nullus reperiebatur, qui eorum curam spiritualem diligenter ageret, præcipuè ob difficultatem, & deficientiam viarum; quare in Visitatione, anno prædicto, adjuvante eximia pietate ejusdem Eminentissimi Antistitis fabricare feci nobilem Ecclesiam, ac domum pro Parocho; cui, ultra prædicta 50. staria frumenti, à Communi solvenda, univit Eminentia sua simplex beneficium S. Mariæ Callis Pluvigæ, habens in redditibus annuis alios Ducatos quinquaginta circiter; cum quibus satis provisum fuit pro alimentando Parocho, habente etiam incerta; & eleemosynas manuales quotidie pro Missa.

Pro ædificandis autem Ecclesiis non Parochialibus, & Oratoriis publicis (quarum plurima sunt in
27 hac Diœcesi Patavina) Dos taxanda esse ab Episcopo, ut sit congrua pro manutentione ædificii, & Sacrarum supellectilium; nec non pro cereis, atque Missis festivis in die dedicationis, seu solemnitatis annuæ ejusdem Ecclesiæ, vel Oratorii, & pro ministris in ea servitutis; ut tradunt *DD. in cap.* 1. *De Censib.* & Jordanus *in cit. libr. 5. tit. 8. n. 23. & 24.* advertens, hanc eandem obligationem assignandi Dotem vigere, ubi etiam ageretur de restauranda Ecclesia jam
28 diruta; vel de erigendo Altare; licet enim qui dotavit Ecclesiam non videatur cogendus, ut etam assignet dotem pro Altaribus, ut consuluit Joannes de Anania *cons.* 23. *Incipien. P. Videtur.* Felinus *in cap. Ex parte il. 2. num. 4. de Rescript.* & Adden, ad Abbatem *in cit. cap Cum sicut. De Consec. Eccles.* Nihilominus contrarium de Jure est verius. Gavantus *in Manual. Verb. Altare num. 2. & 3.* Fuschus *de Visit. libr. 1. cap. 21. num. 10.* & multò magis, si alius à Patrono Ecclesiæ velit Altare erigere; ne cursu temporis, Altaria ipsa reddantur sordida, & indecentia ex defectu ornamentorum, & luminum, prout, non absque magna Religionis offensa, conspicimus in variis Ecclesiis. Quapropter S. Carolus in Concil. Provinc. *7. tit. de Missis, §. Quoniam obtinentes,* sancivit: Ne Altaria construantur, nisi cum censibus, qui satis sint ad Sacerdotes, & clericos, eorum ministerio idoneos sustentandos; & jam constructa, nisi dotentur, destruanturut refert etiam Haymon. Corius *in Epitome concilior Eccles. Mediolan. Verb. Altare. n. 25. & 26.* Et
29 in hoc Episcopi debent vigilare, siquidem ultra culpam, à qua non videntur excusandi, si sine dote permittant Ecclesias, Oratoria, seu Altaria fabricari; tenentur ipsi in propriis bonis providere necessaria ad cultum divinum in eis exercendum; ut notat Glossa *in d. cap. Nemo Ecclesiam 9. De Consec. dist. 1.* Item Glossa unica *in cit. cap. Cum sicut.* ubi etiam Abbas *n. 3. De consecr. Eccles.* & Sperellus *Decis. LXVIII. n. 13.* exemplo clericorum, quos Episcopus ordinavit sine patrimonio. *cap. 2. & cap. Episcopus, De Præbend.* Cùm enim hæc provisio dotis assignandæ spectet ad officium Pastorale; si Episcopus sit negligens in suo Officio, datur actio contra ipsum, bonaque sua, ut scribit. S. Gregorius Magnus *Epistolar. lib. 12. cap. 10.* Incipien. *Januarius Subdiaconus,* ac etiam contra hæredes ipsius in subsidium, si alibi non reperiantur redditus. Jordanus *d. lib. 5. tit. 8. num. 25.* cujus doctrina fretus ego aliàs dixi, agendum esse pro substentatione Monialium in clausura redactarum absque sufficienti dote Monasterii, contra hæreditatem Episcopi, nec non contra bona Vicarii ipsius, qui fuerant negligentes in sufficientis dotis assignatione; præcipuè quia Sacra Congregatio *Episc. & Regular.* dando facultatem Episcopo egrediendi earundem Monialium Monasterium & clausarum, præscripserat ipsi, ut certum redderet, de quantitate redditurum annorum, quos fundatrix exhibuerat; & taxaverat numerum Monialium profitendarum; in utroque autem Episcopus, & Vicarius defecerant, contenti scilicet minori dote pro Monasterio, & ausi majorem numerum Monialium ad Professionem admittere, quæ paulò post nimia egestate opprimebantur; quare idem Episcopus, eoque defuncto, ipsius hæredes; nec non ejus Vicarius in conscientia tenebantur, & in foro exteriori adigi poterant, ad alendas ipsas Moniales. *cap. Si Episcopus. §. fin.* & ibi Glossa & DD. *de Præbend. in 6.* Quaranta *Verb. Orda.* Barbosa *alleg. 20. num. 3.* ubi concordantes cumulat: & latè Sanchez *in Opusc. Moral. lib. 7. cap. 1. dub 34.* Sed hæc obiter sint dicta, quæ forsan em severum consultorem facient; sed severitatis notam incurrit, qui pro veritate respondet, verum est autem, hæredem Prælati teneri pro ejus lata, levi, & 31
levissima culpa, ut docent DD. apud Genuensem *in Practicabil. Eccles. quæst. 285.*

Formalis causa, quæ concurrere debet in ædificandis Ecclesiis, est licentia, atque consensus Epi- 32
scopi; nullus enim potest locum Sacrum erigere, in quo Missæ Sacrificium offeratur, nisi obtineat facultatem ab Episcopo Ordinario loci *d. cap. Nemo. & cap. Placuit. De Consecr. dist. 1. cap Ad. hæc. De Religiosis domib. cap. Cum olim. Vers. Insuper. De Privileg.* Rochus *de Jurepatron. Verb. Construxit, num 8.* Lambertinus *eod. tract. art. 3. 2. quæst. princ part. 1. à num. 3. cum seqq.* Tholosanus *Syntagm. Jur. libr. 2. cap. 1. à. num. 10.* aliique Canonistæ, quos cumulat Barbosa *de Offic. & pot. Episc. alleg. 26 num 1.* Porrò circa licentiam prædictam ab Ordinario concedendam, ut ritè, & rectè elargiatur distinguere oportet tria genera Ecclesiarum; aliæ enim sunt Ecclesiæ simplices, quæ Oratoria publica vocantur; aliæ sunt Ecclesiæ parochiales, & aliæ Ecclesiæ Regulares; quapropter quotiescunque prædictarum aliquam quis vult erigere, atque ædificare, scire debet Episcopus, quomodo se gerere debeat in elargienda licentia.

Quò ad simplices Ecclesias, seu publica Oratoria pro sola Missarum celebratione erigenda, debet primò Episcopus attendere an causa sit honesta, de 33
qua infra in causa finali; non enim ad uniuscujusque placitum est statim relaxanda licentia fabricandi Oratoria publica; quæ ut plurimùm in uno capite augent Divinum cultum; in alio illum destruunt, quia avertunt populum à Parochialibus Ecclesiis, præcipue in Villis, & rudes homines Evangelii explicationem non audiunt, vigilias de præceptoignorant, devotionem erga suam Matricem perdunt,

eandem-

tandemque solitis eleemosynis privant. Secundò debent Episcopi observare situm, in quo Ecclesia, seu Oratorium publicum est fabricandum; ut sit in loco decenti, procul à squalore, & immunditiis; domibusve, aut apothecis, in quibus strepitus, aliæque operationes Divino cultui repugnantes exerceantur. Jordan. *de libr. 5. tit. 8. n.* 14. Tertiò, cautus sit Episcopus in præscribendis conditionibus servandis ab illis, qui celebraturi sunt Missam in eodem publico Oratorio, & simplici Ecclesia, ut notavimus *in Tract.* 34 *de Eucharist. Decis. VIII. num.* 11. & præcipuè quòd festivis diebus nullus celebret ante Missam Parochialem, prout statutum est in Synodo Barberina *anno* 1685. *part.* 1. *cap.* 10 *num.* 12. & advertit Bissus *in Hierurgia Sacra tom.* 2 *Verb. Oratoria num.* 109. §. 2. & quòd Missæ celebratio inibi fiat absque præjudicio Jurium Parochialium; quæ quidem Jura sunt exactio decimarum, oblationum, publicationes Matrimoniorum, benedictiones, funera, & alia similia, quæ ad solos Parochos spectant, ut scribit 35 Guttierez *QQ. Canonic. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. Ceccoperius *de Canonicis lib.* 3. *n.* 70. Et Diana Coordinatus *tom.* 4. *tract.* 2. *resol.* 29. desumpta *ex part.* 9. *tract* 1. *resol.* 15. ubi alios Commentatores ponit.

Quò ad Ecclesiæ Parochialis ædificationem, & erectionem, Episcopus non potest dare licentiam; nisi ab magnam necessitatem populorum; quæ quidem necessitas non consideratur ad hunc effe- 36 ctum, nisi ob locorum distantiam, & difficultatem viarum, juxta *text. in cap. Ad audientiam*, ubi Glossa *in Verb Magna difficultate, De Ecclesiis ædifican.* innovatum à Concilio Tridentino *de Reform.* 4. *sess.* 21. *cap.* ubi statuit, quòd *si populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Sacramentis administrandis, & cultui Divino peragendo, Episcopi cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quod sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. In iis verò* (Ecclesiis) *in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accedere non possunt, novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, juxta formam constitutionis Alexandri III. quæ incipit:* Ad Audientiam *constituere possint.* Idcirco duos casus debet Episcopus distinguere. Unum, si petatur erectio novæ Ecclesiæ Pa- 37 rochialis ob numerositatem populi? & in hoc casu licentia est deneganda; quia providendum est ipsi populo excreto, per deputationem unius, vel plurium Sacerdotum, qui coadjuvent Parochum principalè in exercitio curæ animarū Rota *Decis* 484. *part.* 1. *recent.* & ita ab Episcopis Patavinis olim practicatum fuit cum Archipresbytero Consylvarum; & cum Vicario perpetuo S. Fidentii de Meliadino; in quibus Ecclesiis retenta, ac servata unitate populorum, dati fuerunt Sacerdotes coadjutores in cura animarum; quod novissimè Commendat Eminent. Card. de Luca *in tract. de Parochis disc.* 34. & 35. & *in Annotationib. de Concil. Trid. disc.* 16. Alterum casum, si agatur de nova Parochiali erigenda ob nimiam 38 distantiam, & difficultatem viarum, ob quas vel ob excrescentiam fluminum, vel hyberno tempore ob nives, vel glacies, vel lutum, difficillimum sit iter ad matricem pro Sacramentis recipiendis, doctrinaque christiana ediscenda? & tunc deveniendum est ad erectionem novæ Ecclesiæ Parochialis, compilato prius processu, & receptis probationibus super dicta distantia, atque viarum difficultate, ut tradit Antonellus *de Regimine Militan. Eccl. libr.* 1. *cap.* 2. §. 2. Rota *Decis.* 288. *part.* 2. *recent.* Barbosa *in Colle ct. DD. ad Concil. Trid. sess.* 21. *de ref. cap.* 4. *num.* 7. & 8. & juxta hanc Conciliarem dispositionem prælaudatus Eminentissimus, & Reverendissi- 39 mus Dom. meus Cardinalis Barbadicus, me consulente, erexit novam Parochialem in communi Campilongi, dismembrando populum illius loci ab Ecclesia Parochiali Olerii, ad quam accedere non poterat in hyeme, nisi cum magna difficultate ob nives, & glacies, & eadem de causa pariter Parochialem constituit Ecclesiam *S. Cassiani della Rocca*, cujus habitatores erant sub Parochia *S. Mariæ de Arsie*; constiterat enim ex processibus per me formatis tum in examine testium, tum in oculari inspectione viarum, locum habere debere Concilium Tridentinum antedictum, quod tamen non intrat, quando in partibus distantibus à Matrice, seu principali Ecclesia, adesset aliquod publicum Oratorium, in quo Parochus se paratum offerret manutenere unum Sacerdotem, & Capellanum, qui Sacramenta administraret populis ibi degentibus; ut factum est sub parochia 40 Archipresbyteralis Ecclesiæ Bregantiarum hujus Patavinæ Diœcesis; tunc enim Episcopus abstinendo à dismembratione approbat deputationem Capellani, qui resideat apud dictum Oratorium, & ibi Sacrum faciat, & curam animarum exerceat. Riccius *in praxi part.* 1. *resol* 486. Menochius *consil.* 477. *num.* 9. Barbosa *ad d. Concil. Trid. sess.* 21. *cap.* 4. *num.* 10. & Eminent. Card. de Luca *ibid. dd. discurs.* 16. & *de Parochis discurs.* 34. & 35. ubi arbitrium Episcopi habere magnam vim in his casibus affirmat; prout etiam in detrahendis fructibus à Parochia veteri, iisque applicandis novæ Parochiæ; punctum tamen laboriosum, & quod requirit magnam dexteritatem in Episcopo; ne lites seminet, in Clero, &c 41 in populo; datur enim de jure apellatio in ha. materia; ad effectum tamen devolutivum, non suspensivum, si dismembratio facta fit in Visitatione ex Conc. Trid. *sess.* 13. *de ref. cap.* 1. & *sess.* 24. *cap.* 10. ut advertit Antonell. *d. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 12.

Quò verò ad Regulares Ecclesias, una cum Monasteriis, seu Conventibus erigendas, & fabricandas, se involvunt Doctores, & obscurè loquuntur, in docendo, an sufficiat licentia Episcopi, vel etiam desideretur facultas obtenta à Sede Apostolica; ut videri potest apud Barbosam *d. allegat.* 26, *num.* 4. Cæte- 42 rum pro Clara intelligentia hujus casus quatuor tempora sunt distinguenda juxta doctrinam Fagnani *in cap. Non amplius, num.* 56. *de institutionib, tom.* 4 *pag. mihi* 219. Primum tempus est Juris antiqui *in cap. Quidam. cap. de Monachis, & cap. Cellulas* 18. *q.* 2 in quibus statuitur, solam licentiam Episcoporum sufficere ad erectionem, fabricationem, & fundationem Ecclesiarum, ac Conventuum pro Monachis, & Regularibus. Secundum tempus est Constitutionis Bonifacii VIII. *in cap. unico de Excessibus Prælator. in* 6. innovatæ postea cum adjectione pœnarum, in *Clement. Cupientes, in princ. De Pœnis*, in quibus prohibitum fuit Fratribus Mendicantibus nova loca, aut Monasteria alicubi ad habitandum suscipere, seu olim suscepta mutare, vel in alios transferre absque speciali Sedis Apostolicæ licentia. Undè hoc tempore inspecto adempta erat Episcopis facultas, quam habebant ex dispositione Sacrorum Canonum antiquorum, quò ad Ecclesias, & domus Mendicantium dumtaxat; salva tamen ea remanebat quò- ad Eremitas, & Monachos non mendicantes. Tertium tempus est Concilii Tridentini, quod in *sess* 25. *de Regular. cap.* 3. *in fine*, decrevit, ne Eccle-

siæ, & loca quorumcunque Regularium erigantur sine licentia Episcopi Diœcesani; cujus decreti tenore restituta censetur antiqua facultas, Episcopis competens, dandi licentiam, de qua agimus, pro ædificandis Ecclesiis, & Conventibus quorumcunque Regularium; ut bene probat Fagnanus *in d. cap. Non amplius num. 60. & seqq.* ubi *n. 65.* hoc confirmat ex Constitutione Clementis VIII. *incipin. Quoniam ad institutum* (quæ est la 99.) edita *die 23. Julii* 1603. in qua mandat Episcopis, ut in impertienda dicta licentia debeant prius vocare, & audire alios Regulares habentes Ecclesias, & Conventus in eadem Civitate, seu loco; & scrutari, an sine aliorum detrimento commodè possint sustentari. Quam Constitutionem innovavit Urbanus VIII. per Bullam 25. *Incipien. Romanus Pontifex editam 21. Septembris* 1624. ex quibus clarè patet, hoc tertio tempore attento, non fuisse necessariam licentiam Sedis Apostolicæ pro Ecclesiis, & domibus Regularibus erigendis, sed satis esse concessionem Episcopi, ut in contradictorio judicio decisum fuit à Rota *Decis. 745. part. 2. recent.* Quartum denique tempus est Bullæ Innocentii X. quæ incipit *Instaurandæ*, pub-
43 licatæ *die 22. Octobris* 1652. In qua ex causis in proœmio expressis, facta extinctione, & suppressione Conventuum Virorum Regularium tàm mendicantium, quàm non mendicantium; in quibus ob parvum numerum Religiosorum Regularis disciplina servari non poterat; prohibetur, ne deinceps quovis in loco fundetur Monasteria, vel domus Virorum Regularium cujusvis ordinis, nullo excepto, absque Sedis Apostolicæ speciali licentia; idcircò nunc nullam facultatem habent Episcopi pro ædificandis Ecclesiis, & Conventibus ad usum Virorum Regularium, ut fusiùs demonstrat idem Fagnanus *in cit. cap. Non amplius, sub. num. 71. de Institut.*

Quòd si quis petat, an prædicta Innocentiana Constitutio auferat Episcopis etiam potestatem dandi li-
44 centiam pro ædificanda Ecclesia, ac Monasterio pro Monialibus? Respondet Fagnanus *d. num. 71.* negativè, quia ipsa loquitur tantùm de Religiosis viris; & ideò circa Moniales servandam esse de Jure antedictam temporum distinctionem; nam quod non mutatur, stare non prohibetur. *l. Sancimus, C. de Testam.* Nihilominus ipsemet Auctor *in cap. Grave. De Offic. Ordinar. num. 53. Vers. Consuevit*, circa tale dubium respondet, quòd practica est, ut erectiones Monasteriorum pro Monialibus fiant à Sede Apostolica, tum propter gratias, indulgentias, privilegia, & exemptiones, quæ ab illa impetrantur; tum propter facultatem educandi Abbatissam ex aliis Monasteriis pro novi Monasterii institutione, quæ à S. Pio V. adempta est Episcopis, & ideò recursus est habendus ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium quæ receptis informationibus, committit Episcopo, ut deveniat tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus, ad fundationem petitam, & introducat clausuram ad præscriptum ejusdem Sacræ Congregationis circa quantitatem introituum, & numerum Monialium; & ita practicatum fuit hîc Patavii, Anno 1686. in danda clausura Monialibus S. Teresiæ in Ecclesia, & Conventu S. Pauli, in Strata majori, penes pontem Molendinorum; agunt etiam de Requisitis pro erectione Monasteriorum Monalium Lezana *in Summa tom. 1. cap. 25 num. 43.* Gavantus *in Manuali. Epis. Verb. Monialium Monasteria*; & Barbola *d. alleg. 26. num. 7. Vers. Circa erectionem*, quos adire poterit pro sui ipsius informatione quisquis tàm egregium opus facere desideraret.

Finali tandem causa, quæ ab Episcopo est attenden-
45 da in elargienda licentia fabricandi novas Ecclesias, illa est, quæ concernit Divinum cultum, & honorem Sanctorum, adeò ut ubi quis intenderet fabricare Ecclesiam ob temporalem quæstum, ad eleemosynas, seu oblationes colligendas, neganda esset omninò petita facultas, juxta *text. in cap. Si quis Basilicam 10. de Consecrat dist. 1. & cap. Eleutherius, ubi Gloss. qui 2.* Porrò eximium pietatis opus, Deo, Deiparæ, ac Sanctis gratissimum esse fabricationem Ecclesiarum, & Templorum erectionem constat ex innumeris exemplis relatis per Bagattam *in Admirand. Orbis Christiani, tom. 1. lib. 6. cap. 4. §. 4. & tom. 2. lib. 5. cap. 3. §. 1.* ubi duo illa præcipua; videlicet, Unum, quod
46 legimus in Breviario *die 5. Augusti*, de Joanne Patritio Romano, & Uxore ejus, pro se destitutis, & rogantibus Deiparam, ut cui relinquerent hæreditatem, indicaret; nam *Nonis Augusti, quo tempore in Urbe maximi calores esse solent, nocte Nix partem colli Exquilini contexit. Qua nocte Dei Mater separatim Joannem, & Conjugem in somnis admonuit, ut quem*
47 *locum nive conspersum viderunt, in eo Ecclesiam ædificarent, quæ Mariæ Virginis nomine dedicaretur; se enim ita velle ab ipsis hæredem institui. Quod Joannes ad Liberium Pontificem detulit; qui idem per somnium sibi contigisse affirmavit.* Alterum est, cuique nostrum notissimum, quod narrat Franc. Barbaranus *in Hist. Ecclesiæ Vicentinæ lib. 1. cap. 89.* de Templo eidem Deiparæ ædificato; & dicato in monte Berico propè Vicentiam juxta commissionem cuidam Vetulæ à Genitrice Dei Maria datam; post cujus Basilicæ erectionem Cives illi à pestilentia fuerunt liberati, anno 1426. à Christo nato.

His addatur ædificatio alterius magnifici Templi, ac Monasterii Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini de Monte Ortone, in hac Patavina
48 Dioecesi paulò post facta, anno scilicet 1428. cuidam enim Petro Falconi infirmo, qui ad fontem aquæ Medicinalis ibi scaturientis MARIA DEI GENITRIX apparuit, jussitque ut in fontem descenderet, & ex eo tabellam, in qua Ejus, ac JESU CHRISTI filii sui imago depicta erat, in imo aquæ jacentem extraheret, populo ostenderet, & annunciaret, se Protectricem futuram illius loci, in quo honorari volebat, & in testimonium veritatis sanitatem reportaret. Ita factum à Petro statim sanitatem assecuto; ad cujus præconia gentes ad ipsam sacram Immaginem accurrentes, petitas gratias reportabant; ideoque Nobilis, ac pius Vir Ludovicus Buzzaccarenus, annuente Petro
49 Donato Episcopo Patavino, fabricare cœpit Ecclesiam prædictam, quæ hodie insignis est Basilica, ipsi Deiparæ dicata, miraculorum frequentia atque continuatione insignis; de qua plenius scribunt Sacerdeonius *Histor. Patav. lib. 3. Class. 15. fol. 373.* & Portenarius *de Felicitate Paduæ. libr. 2. cap. 11. pag. 26. & 77.*

Nec tacenda erectio Parochialis Ecclesiæ S. Danielis Martyris in hac Urbe Antenorea propè pratum Vallis, facta anno 1076. ex voto Episcopi Patavini Ulderici, ac totius Civitatis in die translationis
50 Corporis ejusdem Sancti Martyris ab Ecclesia S. Justinæ ad Cathedralem ob insolitum prodigium, quod evenit, & describitur in lectione sexta ipsiusmet Divi, his verbis: *Sed cum Portitores beatam Sarcinam extollentes extra Vallum deferre anniterentur, subitanei ponderis incremento illam ita ingravem sensere, ut neque progredi possent, neque ullo modo regredi. Ad hæc repens sereni perturbatio aeris, fulgura cœlo tonante sparsa, præter temporis hyema-*

hyemalis morem grandinis vehemens imber, largusque pluviarum incursus, ingentem toti civitati metum incussere. Hinc trepidare omnes, grandia sibi mala ominari, contumeliosè reprehendere eos, qui Cœnobium suo Martyre esse spoliandum consuluerunt. Pius tamen Antistes in preces conversus jejunium ut indixit, vovitque DANIELI TEMPLUM eo loci, à quo dimoveri non patiebatur, statim clarior, discussis teneribus, sedatisque procellis, illuxit dies; & adeò leve beatissimum pondus evasit, ut portatu agillimum gestatoribus fuerit redditum. Fuit igitur in adimplemento voti constructa ibidem Ecclesia, quæ nunc Parochialis est, S. Danielis, & ab eodem Antistite donata Monachis Cassinensibus. S. Justinæ eum omnibus bonis, quibus tunc fuerat dotata, atque ditata; hujusque donationis vigore effecta de eorum mensa juxta Rotam *part. 7.*
51 *recent. Decis. 50. num. 11. & part. 9. Decis. 88. num.* 7. nunc Parochus instituitur in ea ad solam nominationem Monachorum absque concursu; & ex his satis apparet gratissimam esse Deo, Deiparæ, ac Sanctis erectionem Ecclesiarum ob finem Divini cultus.

Econtra verò (ut dictum est) displicent Cœlohi, qui ob terrena lucra Ecclesias ædificare, aut
52 habere præsumunt. Notissima est translatio facta per Angelos Sanctæ Domus Lauretanæ de colle propè Recinetum, in quo è vicina Sylva deductum Sacrum illud pignus collocaverant, ob dud.um fratrum, in quorum dominio prædictus collis erat, avaritiam, cujus causa indigni reputati ipsum amiserunt; dum tertiò eadem Lauretana Domus ab illo colle deportata à Sanctis Angelis, alio in loco, ubi nunc requiescit, posita fuit, ut referunt Joannes Villanus *in sua Histor. lib. 7.* & Turselinus *in eadem Historia S. Domus Lauret. lib. 1. cap. 8.* Consimilem eventum narrat Bagatta *de Admirandis Orbis Christ. tom. 1. lib. 5. §. 8. n. 2.* Sacellum, scilicet, Deiparæ dicatum, constructum in Territorio Asciani propè Senam, in loco, *vulgò, il Caggio*, in agro cujusdam devoti Viri, post cujus mortem duo filii hæredes, cum nimis altercarentur inter se pro dominio illius agri, & Sacelli, inhiantes eleemosynis, quas ibi fideles faciebant, antedictum Sacellum à fundamentis evulsum, per aerem, Angelorum misterio, ad collem, *vulgò di Verighe*, prope pagum Montis Sancti Savini in Tuscia mirabiliter translatum fuit; ubi usque adhuc in Ecclesia circa ipsũ ædificata conspicitur, intercessioneque ejusdem Virginis continua ibidem habentur miracula. Quapropter in ædificandis Ecclesiis finalis causa debet esse Divinus cultus, & animarum salus, non autem avaritia, vel temporale lucrum.

53 Corollarii loco sciendum, quòd licèt in ædificatione simplicium Ecclesiarum in Villis, ut plurimùm, omittatur benedictio primi Lapidis; hæc tamen est per Episcopum solemni ritu facienda juxta præscriptum Pontificalis Romani *part. 2. Rubr. de Bened. & imposit. primi Lapid.* de cujus functionis praxi videatur Castaldus *libr. 2. sect. 13. cap. 1.* & Barbosa *de Jure Ecclesiastico Univers. libr. 2. cap. 2. num. 17.*

DECISIO XLI.

ARGUMENTUM.

Consecrationis Ecclesiarum materia, ad quatuor capita redacta, plenissime explicatur. Et quia Consecratio Ecclesiæ dicitur Encænia, Dedicatio, Inauguratio, & Sacramentum, plures de his vocibus dantur eruditiones, & præcipuè de Encæniis Judæorum, ac de auguriis Romanorum. Essentialia consecrationis Ecclesiæ declarantur: persona consecrans, ejus jejunium, Vigiliæ ante SS. Reliquas; ablatio ossium hæreticorum, & infidelium; atque hos inter an sit fœtus mortuus in ventre Matris? Utrum vè Materni uteri Sectio sit licita pro salute fœtus? Ablutionis parietum Alphabeti Græci, & in cineribus impressi, Litaniarum, Altaris consecrationis, Circium unctionis, mysticæ causæ, & rationes redduntur; eruditioneque dantur circa litanias Judæorum, & paganorum, Alphabeta, & eorum litteras numerales, cum pluribus curiosis quæsitis. Tandem exempla Ecclesiarum à cœlitibus miraculosè consecratarum indigitantur.

SUMMARIUM.

1 *Celebrare missam non licet extra locum ritè Deo dicatum.*
2 *Licentia Episcopi pro fabricanda Ecclesia non sufficit, ut in ea Missa celebretur.*
3 *Sacerdos est puniendus, si celebret in Ecclesia non benedicta.*
4 *Consecrationis Ecclesiæ quatuor nomina.*
5 *Encænia quid sit?*
6 *Dedicatio unde dicatur? Et quid sit dedicare? Et delicare.*
7 *Delubra cur nominarentur Templa?*
8 *Dedicare, & Consecrare sunt synonyma.*
9 *Inauguratio, & Exauguratio quid sint?*
10 *Titus Livius, & florus de inauguratione Templorum.*
11 *Augurandi ars antiquissima; & qui auctores ejus?*
12 *Jo. Baptista Ceffis Jurisconsultus laudatus.*
13 *Augures Romani quot fuerint? Et quando desierint* num. 16.
14 *Auguria è quibus rebus desumerentur?*
15 *Auguria etiam nunc licita quæ sint?*
16 *Urim, & Tummim in Rationali Aaronico, quid essent? Et de eorum virtute.*
17 *Auguria & divinationes quo jure prohibita.*
18 *Sacramentum vocatur Consecratio Ecclesiæ. Et quare;*
19 *Consecrationis Ecclesiæ definitio, & ejus explicatio.*
20 *Consecratio Ecclesiæ quo die facienda?*
21 *Jejunium præmittendum diei consecrationis Ecclesiæ?*
22 *S. Caroli Borromæi jejunia, & vigiliæ pro consecratione Ecclesiarum.*
23 *Ursinus Cardin. Archiep. Benevent. laudatus.*
24 *Consecratio Ecclesiæ à quo facienda?*

25 *Epis.*

25 *Episcopus si decederet in consecratione Ecclesiæ, quid agendum?*
26 *Essentia Consecrationis Ecclesiæ in quibus consistat?*
27 *Regulares, invito Diœcesano, non possunt uti alieno Episcopo pro consecratione Ecclesiarum.*
28 *Privilegia antiqua Regularium contraria Concilio Tridentino nihil valent.*
29 *Suspensa est Ecclesia consecrata sine licentia Ordinarii.*
30 *Dos Ecclesiæ stipulanda ante ejus consecrationem.*
31 *Restaurata Ecclesia quando sit denuò consecranda?*
32 *Cadavera Infidelium, Hæreticorum, Schismaticorum, & excommunicatorum exhumanda, & proficienda de Ecclesia ante ejus consecrationem. Et an etiam Usurariorum?*
33 *Infans mortuus absque baptismo ubi sepeliendus?*
34 *Mater si non possit parere infantem, an teneatur pati incisionem ventris?*
35 *Fœtus ut extrahatur per sectionem Ventris Matterni tria observanda.*
36 *Cæsares cur vocentur Imperatores?*
37 *Consecratio Ecclesiæ an sit reiterabilis?*
38 *Dubium an Ecclesia fuerit consecrata, quomodo resolvendum?*
39 *Ritus Præscripti in Pontificali Romano servandi in consecratione Ecclesiæ.*
40 *Reliquiæ Sanctorum necessariæ in Ecclesia consecranda.*
41 *Missa celebranda est in consecratione Ecclesiæ.*
42 *Missa Episcopi dicitur Solemnis, si in ea utatur Mitra, & Baculo.*
43 *Patavinus Episcopus quomodo celebret Missam in festo Corporis Christi.*
44 *Simonia est recipere pretium pro consecratione Ecclesiæ. Et ejus pœna.*
45 *Procuratio an exigenda ab Episcopo pro consecrandâ Ecclesia? Et an pro Ecclesia polluta reconcilianda?*
46 *Altare majus, vel aliud consecrandum, dum consecratur Ecclesia.*
47 *Dedicatio Ecclesiarum instituta ab Apostolis; aucta à S. Silvestro Papa.*
48 *Domus Dei cur vocetur Ecclesia consecrata?*
49 Deus non in manufactis Templis habitat. Act. 17. 24. *quomodo intelligendum?*
50 *Octava Dedicationis Ecclesiæ annuatim celebranda est in præcepto.*
51 *Encænia Hebræorum, de quibus* Jo. 10. 22. *de qua Dedicatione essent?*
52 *Indulgentiæ, quæ conceduntur ab Episcopo in consecratione Ecclesiæ.*
53 *Translatio Anniversariæ diei dedicationis Ecclesiæ in aliam diem quando, & quomodo facienda?*
54 *Cæremoniæ quæ, & quot servandæ in consecratione Ecclesiæ?*
55 *Mysticæ significationes Cæremoniarum consecrationis Ecclesiæ;*
56 *Jejunium quare præmittatur in consecratione Ecclesiæ?*
57 *Jejunium in primitiva Ecclesia quomodo fiebat?*
58 *Locustæ, quibus vescebatur S. Joannes Baptista quid essent?*
59 *Reliquiæ Sanctorum quare adorentur tota nocte ante consecrationem Ecclesiæ.*
60 *Circuitus triplex extra Ecclesiam, dum consecratur ab Episcopo, quid significet?*
61 *Litaniarum origo? incessio nudis pedibus.*
62 *Litanias an Hebræi habuerint? Et an Ethnici Romani? & numero seq.*
63 *Hosanna quid significet?*
64 *Litaniis addere aliquid est prohibitum.*
65 *Processio in diebus Rogationum ad quot Ecclesias Paduæ olim iret?*
66 *Alphabeta Græcum, & Latinum in cinere, dum consecratur Ecclesia, quid significent?*
67 *Alpha, & Omega cur vocetur Christus? Non autem Aleph, & Thau?*
68 *Alphabetum Hebraicum cur non fiat in consecratione Ecclesiæ.*
69 *Alphabetum Hebraicum, & Græcum deservit pro numeris.*
70 *Alphabeti Latini quæ litteræ sint numerales?*
71 *Cruces duodecim in parietibus Ecclesiæ consecratæ quid innuant?*
72 *Cruces prædictæ cur inungantur, & illuminentur.*
73 *Ecclesiæ à cœlitibus consecratæ, & inauguratæ.*
74 *Arelatensis Cathedralis Ecclesia consecrata à Christo Domino.*

POst ædificationem Ecclesiæ, ad hoc ut in ea Sacrosanctum Missæ Sacrificium possit offerri, opus est, eamdem consecrari, vel benedici; non enim licet extra locum sacrum, vel benedictum, atque 1
Deo ritè, & rectè dedicatum Sacrificare. *cap.* 1. *& 2. cap. sicut.* 11. *cap Missarum.* 12. *cap. Hic ergo.* 14. *cum cap. seq De consecrat. dist.* 1. Concilium Tridentinum *sess.* 22. *in Decreto de Observ. & evitan. in celebrat. Missæ.* Nisi ex urgenti, atque honesta causa habeatur dispensatio ab Apostolica Sede, ut docuimus supra *Decis. XII. à num.* 54. *& seqq.* Et in Decisionibus *De Ven. Eucharistiæ Sacramento Dec. VIII.* ubi materiam Oratoriorum privatorum ad effectum ibi celebrandi in ipsis examinavimus; adeò ut non sufficiat, Ecclesiam fuisse fabricatam de licentia 2
Episcopi, ad hoc ut completa fabricatione statim in illa liceat litare; ut opinatum fuisse Abbatem Panormitanum *in cap. ultimo nu.* 3. *de Consecr. Eccl.* scribit Pax Jordanus *tom.* 1. *libr.* 5. *tit.* 9. *num.* 82. quia ut ibi observat ipse Jordanus, talis opinio subsistere non potest, repugnantibus supracitatis Canonibus Sacris, atque Rituali Romano, sub Rubrica, *Ritus benedicendi novam Ecclesiam, seu Oratorium publicum, ut ibi Sanctissimum Missæ Sacrificium celebrari possit;* & si quis ausus esset celebrare in Ecclesia nondum benedicta, aut consecrata, quamvis constructa de licentia Episcopi, esset graviter puniendus, ut notat ibidem prædictus Auctor, præterquam quod manifestè colligi potest ex Verbis Abbatis Panormitani 3
in cit. cap. fin. num. 3. eum non intellexisse de Ecclesia nondum benedicta, & multo minùs, hunc fuisse intellectum ejusdem textus; utrobique enim supponitur, quòd licèt Ecclesia non sit consecrata, fuerit tamen priùs ad divinas Laudes deputata; quæ quidem deputatio fieri non potuit, nisi vel per consecrationem, vel per benedictionem. *cap. Ecclesias* 26. *q.* 7. Quartus *in Opuscul. De benedictionibus tit.* 2. *sess.* 10.

In

In præsenti igitur agendum est de Consecratione Ecclesiæ; in sequenti autem de Benedictione, & pro majori intelligentia ipsius consecrationis, quatuor sunt exponenda, & examinanda.

1. *Quot nominibus nuncupetur Consecratio Ecclesiæ?*
2. *Quid sit Ecclesiæ Consecratio?*
3. *Quot, & quibus cæremoniis fiat?*
4. *Quibus de causis, & Mysteriis?*

Quò ad primum. Consecratio Ecclesiæ quatuor
4 nominibus solet nuncupari: dicitur enim *Encænia Dedicatio, Inauguratio; & Sacramentum.* Appellatur *Encænia*, à verbo καινὸς quod græcè novum signi-
5 fiat; quia per consecrationem nova Domus Deo dedicatur, & novus locus ad ejus cultum exercendum constituitur; hic consecratio Templi Jerosolymitani, & ejus anniversaria Solemnitas, quam celebrabant Hebræi, vocata fuit ab Evangelista *Encænia*, dum dixit: *Facta sunt autem Encænia in Hierosolymis, & hyems erat & ambulabat Jesus in Templo, in porticu Salomonis. Joan.* 10. 22. Super quibus verbis S. Augustinus *tract.* 48. *in Joan. circa init.* & legitur *in Homil. fer.* 4. *infra hebdom. Pass.* ita scripsit: *Encænia festivitas erat Dedicationis Templi, Græcè enim Cænon dicitur novum. Quandocunque novum aliquid fuerit dedicatum, encænia vocantur. Jam & usus habet hoc verbum. Si quis nova tunica induatur, encæniare dicitur.* Et quotiescunque in Scriptura Sacra, referuntur dedicationes Altaris, aut Templi aut murorum Jerusalem, textus Græcus utitur encæniorum vocabulis, ut pluribus exemplis demonstrat Barradas, *Commentar. in Evangel. tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 16. *Verb. Facta autem sunt Encænia.* Et idem docet Laurentius *in Amalthæa Onomastica Verb. Encænia.*

Dedicatio ulteriùs appellatur consecratio Eccle-
6 siæ à Verbo *Dico, dicas*, quod significat offerre, attribuere, & consecrare; ut notat Vossius *in Etymolog. Linguæ Latinæ, Verb. Dico* observans, quòd antiqui non *dedico* dicebant, sed *delico*, à quo verbo proveniebat participium *delicatus* idest dedicatus; dicente Festo: *Delicata dicebant Diis consecrata, quæ nunc dedicata.* Idcircò hodie *delicatus* dicitur, qui vitam mollem ducit, & desumitur à *deliciis*, quasi à *laciendo* dictæ; teste eodem Vossio *Verb. Delicatus*; subdens, quòd ab ipsomet verbo *Delicatus*, quatenus significabat *Dedicatum*: & rem Deo consecratam, Veteres deduxere *Delubrum*; Idest Templum ad Divinum cultum deputatum, quamvis Isidorus *lib.*
7 15. *cap.* 4. velit, *Delubra* esse dicta à fontibus positis ante Templa, antequam enim in ipsa populi ingrederentur, in ipsis fontibus diluebantur, ut faciunt Turcæ priusquam intret Meschitas, & sic *Delubrum* verè, & propriè dicebatur à *diluendo*; quapropter etiam hoc nomen adaptari potest nostris Ecclesiis, in quarum januis habentur vasa cum aqua benedicta, cujus ablutione fideles à peccatis venialibus diluuntur, ut innuimus supra *Decis. XL. num.* 12. & facit *text. in cap. Aquam*: 20. *De Consecr. dist.* 3. Quidquid sit de etymologia, seu derivatione *Dedicationis*, certum est in Jure Canonico, ejus appellatione intelligi consecrationem, & idem est dicere Ecclesiam dedicatam, ac Ecclesiam Deo consecratam. *cap.* 1. & ibi Glossa *in Verb. Dedicanda. De Religiosis Domibus*; & est simile de Monachis, atque
8 Monialibus, quæ consecrantur Deo per religiosam professionem, dicuntur enim Deo dicati, seu dicatæ. *cap. Virginibus & cap. Si quis Sacro*; 17. *qu.* 1. & in specie quòd dedicare Ecclesiam sit ipsam Deo consecrare, habetur *in cap. Statuimus.* 1. *q.* 1. *cap. Placuit.* 1. *qu.* 2. *cap. Quæ semel.* 19. *qu.* 3. *& cap. Solemnitates, De consecr. dist.* 1.

Inauguratio etiam significat consecrationem; ob auctoritatem antiquorum, qui hac voce utebantur ad denotandum rem aliquam esse Deo dicatum, & sacratam, prout è contra, si quid Deo dicatum profanari contingebat, dicebant *exaugurari*, unde Titus Livius scribens de Tarquinio Superbo Romanorum Rege *lib.* 1. *Decad.* 1. ait: quòd Tarquinius animum converterat: *Ut Jovis Templum in monte Tarpejo monumentum regni sui, nominisq; relinqueret. Et ut libera à cæteris Religionibus area esset tota Jovis, Templique* 10 *ejus, quod inædificaretur, exaugurare sana sacellaque statuit; quæ aliquot ibi à Tatio Rege primùm in ipso discrimine adversus Romulum pugnæ vota consecrata, inaugurataque postea fuerant.* Et Florus *Rer. Romanarum lib.* 1. *c.* 7. de eodem Tarquinio ita scribit: *Tamen de manubiis captarum Urbium Templum erexit, quod quum inauguraretur, cedentibus cæteris Deis (mira res dictu) restituere Juventas, & Terminus* Eadem Phrasis erat apud veteres, cùm personarum consecrationem enunciarent. Idcircò idem Livius *lib.* 10. *Decad.* 5. narrat, quòd *contentio inter C. Servilium Pontificem Maximum fuit, & L. Cornelium Dolabellam dum virum navalem, quem ut inauguraret Pontifex, Magistratu sese abdicare jubebat*; & paulò post: *Religio inde fuit Pontificibus inaugurandi Dolabellæ, P. Celium Siculum inaugurarunt, qui secundo loco inauguratus erat.* Adhibebant autem hanc vocem *inaugurandi* prisci homines, de personis, vel rebus consecrandi loquentes, quia ad actum consecrationis non progrediebantur, nisi priùs Augures consuluissent, quibus annuentibus res, vel personas Diis consecrabant; nam, ut ait: Calepinus *in Verb. Inauguro. Apud veteres nefas erat, quempiam in dignitatem aliquam aut Sacerdotium assumi, aut etiam ædem alicui Deorum consecrari, nisi auguratio, hoc est addicentibus avibus.*

Augurandi ars antiquissima fuit, à Chaldæis ad Græcos, à Græcis ad Hetruscis & ab Hetruscis ad Roma 11
nos devenit, Hinc Romulus Summus *Augur* fuit; ideóque instituit Magistratus cum Auguris creari; & posteri deindè nisi auguratò res gerebant; ut doctè 12
scribit Jo: Baptista Ceffis, Juris Civilis in hoc publico Lycæo patavino in Prima Cathedra Professor, studentium forte præsidium, & studii eximium decus, *in Opusc. De Urbe Roma lib.* 2. *cap.* 2. §. 15. *De Augure.* Franciscus Serra in *Synonymor. Apparatu Verb. Augur.* & novissimè Antonius Forestus *in Mappamundo Histor. tom.* 2. *lib.* 15. *c.* 9. §. 4. ubi ostendunt, tres ab initio fuisse Augures Romanos, deindè novem, postea 13
quindecim, summæ quidem auctoritatis, & venerationis, de quorum habitu hæc ait Papinius 3. *Theb.*

Huc gemini Vates sanctam canentis olivæ.
Fronde comam, & niveis ornati tempora vittis.
Evadunt pariter, &c.

Captabant autem auguria, vel à cæde victimarum, vel à volatu avium, vel ex extis spirantibus, 14
seu à tripode, numeris, fumo, & hujusmodi; unde Statius 3. *Theb.* dum Tiresiam Vatem Thebanum, (quem à Jove divinandi peritia ditatum Poetæ finxerunt) inducit vaticinantem, sic inquit:

—— *Ille Deos non larga cæde juvencum,*
Non alacri penna, aut verum sperantibus extis;
Non Tripode implicito, numerisque sequentibus astra.
Thurea nec supra volitante Altaria fumo, &c.

Sed ad avium volatu, & garritu præcipua erant auguria, sic dicta, quasi *aviguria*, quamvis etiam à pullis, & à quadrupedibus ea deducebantur, approbata etiam ab Aristotele *lib. 9. de Histor. animal cap.* 21. Etsi à Cicerone proscripta *lib. 2. de Devinit*, ut bene observant Foresti *d. lib 15. cap. 9. §. 4.* Et Martinus Delrius *Disquisit Magicar. lib. 4. cap. 2. qu. 7 sect.* 2. advertens, licita esse tantummodò augurtia ex cantu, volatu garritu, vel motu animalium circa futuram pluviam, serenitatem, vel tempestates, eò, quia naturali instinctu illas præsentiunt, quod doctè probat Baldellus *in Theolog. Moral. tr. n. 1. lib. 4. disp.* 11. ex doctrina S. Tom. *2. 2. qu. 95. art. 7.* Lessii *lib. 2. can. 43. num 45. & seqq.* Azorii *part 1. lib. 9. cap. 15. in fine*; & Sanchezii *in Decal.. lib. 2. cap. 38 num. 38.* quod etiam à nobis dictum fuit in *Opuscul. de prima Mundi ætate discurs. 6. pag. 52.*

Augures prædicti durarunt Romæ usque ad annum Christi 390. ut observat prælaudatus Jo: Baptista Ceffis *d. cap. 2. §. 15.* adeo profundas in opinione hominum radices tenebant, quæ adhuc pullulant apud aliquos, ut ostendi *in Erotemat. Eccles. cap. 23. & cap. 24.* Sed id mirum esse non debet; nam etiam apud Hebræos ab initio Sacerdotii Aaronici hoc jus augurandi in rebus dubiis reservatum videbatur Summo Potifici; dum Deus jusserat Moysi inter alia Vestimenta, & Ornamenta Aaronis, quod poneret *in Rationali judicii Doctrinam, & Veritatem.* Hebraicè *Urim, & Tummim. Exod. 28. 30.* ex quorum vel insolito splendore, vel alia notabili mutatione Deus oracula reddebat consulentibus. Quapropter David dubitans de modo aggrediendi Philisthæos, consuluit Dominum, mediante scilicet Summo Sacerdote, qui intellexit utique *in Urim, & Tummim* quomodo David se gerere deberet, ut vinceret; prout legitur *2. Reg. 5, 23. nec non 1. Paralipom.* 14. 10. Quid autem essent *Urim, & Tummim*, an Lapides pretiosi positi in Rationali Aaronico? an aliquid aliud? disputant Scripturistæ, quos cumulat Tirinus *ad Exod. d. cap. 28. vers. 30.* quod Lector curiosus poterit indagare; illud unum hîc adnotando; prædictum Oraculum, seu Responsa per *Urim, & Tummim* cessasse in captivitate Babylonica, nec amplius revixisse, ut ex Serario demonstrat ibidem Tirinus, respondisse Jaddum Summum Potificem Hebræorum Alexandro Magno sciscitanti eventum de Bello Persico. Et de his plura Menochius *in Stor. eis p. 2. Cent. 3. cap. 9.*

Porrò omnes divinationes humanas, & auguria prohibet tum jus Divinum. *Levitic. 18. Non augurabimini. Deuter. 18. Non inveniatur in te, qui observet auguria*, & *Jerem. 27. Nolite audire divinos, & somniatores, & augures.* Ea ratione, quia *Divinatio erroris, & auguria mendacia, vanitas est, Ecclesiast. 34. 5.* tum jus antiquum Canonicum *cap. Illud. & cap. Sed & illud 26. qu. 2. cap Si quis ariolus &c. Si quis Episcopus. cap. Aliquanti. cap. Si quis Clericus, & cap. Auguriis. 26. q. 5.* tum etiam jus Pontificum per Constitutionem XVII. Sixti Papæ V. Incipien. *Cœli. & Terræ Creator Deus, die 5. Januar. 1586.* & per aliam Constit. quæ incipit: *Inscrutabilis. &c. CXIII.* Urbani Papæ VIII. *diei 31. Martii. 1631.* Quas commentatur Novarius *in Summa Bull. part. 1. Commentar. 14.* adeò ut in præsenti ablatis auguriorum antiquis erroribus, remanserit tantummodo nomen *inaugurationis*, quo appellatur consecratio rerum, & personarum; earumque dedicatio ad Divinum cultum prout de Templis, & Ecclesiis scribit Bagatta *de admiran. Orbis. Christ. tom. 2. lib. 5. §. 2. tit. Ecclesia cœlitus inaugurata.*

Sacramenti tandem nomine condecoratur dedicatio & consecratio Ecclesiæ, lato tamen sensu sumpto, quatenus est signũ mysticum tum cœlestis Templi, tum animæ Spiritualis, quæ Dei habitatio est, continens significationem, ut infra in quarto puncto demonstrabimus; quapropter consecratio Ecclesiæ sæpè in jure vocatur Sacramentum, *cap. ult. 1. q. 3.* Glossa *in cap. De fabrica. Verb innovata. De Consecr. dist. 2.* Unde fit, ut si Episcopus recipiat pecuniam ob Ecclesiæ consecrationem, dicatur committere Simoniam. Jo. Andr. Innocentius, Abbas, & alii Canonistæ *in cap. Cum sit. De Simonia*; ut dicemus infra in definitione.

Quò ad secundum. Consecratio Ecclesiæ *est actio sacra, per quam Pontifex Templum legitimè erectum, vel pro majori parte restauratum, expurgatum ab omni immunditia, non amplius consecratum, vel de cujus consecratione nullum est indicium, solemni forma, ac ritu; cum Reliquiis Sanctorum, & celebratione Missæ gratis, unà cum Altari, Deo dedicat; & ut sit Domus Dei & locus sacer, in quo preces & sacrificia Deo offerantur: & annuatim Festum dedicationis celebretur.* Hæc verba definitionis continent in se essentialiter quidquid spectat ad Ecclesiæ consecrationem, ut facilè deprehendet studiosus Lector ex eorumdem verbum ponderatione. Itaque primùm dicitur, quòd consecratio est *actio Sacra*; quæ verba stant loco generis, plures sunt enim actiones Sacræ, quæ fiunt ab Episcopis & præcipuè in administratione Sacramentorum, consecratione Oleorum, Sacerdotum, Virginum Altarium portatilium, & aliæ hujusmodi, Hinc est, quòd ob reverentiam hujus actionis Sacræ, etsi omni die fieri possit, decet tamen, ut fiat die Dominico, vel alio festivo. *DD. in cap. Tua. De Consecrat. Eccl. vel Alt.* Barbosa *de Jure Eccl. Univers. lib. 2. cap. 2. num. 36.* Jordanus *tit. 5. tit. 9. num. 11.* Ulterius jejunium est servandum die, quæ præcedit huic actioni Sacræ, tum à populo, qui petit sibi Ecclesiam consecrari, tum ab ipso Episcopo, qui facturus est eamdem consecrationem; præter orationem, & vigilias nocturnas, ut disponit Pontificale Romanum *sub Rubric. de Consecrat. & Dedicat. Eccles.* Idcirco legitur in vita S. Caroli Borromæi *lib. 8. cap. 10.* quod ipse Sanctus Archiepiscopus *Consacrò più di trecento Chiese, & Altari; e fu notato come in dieciotto giorni ne consacrò quattordeci; spendendo otto hore continue in cadauna di quelle funzioni; oltra le vigilie della notte precedenne; & il digiuno di pane, & acqua del giorno avanti.* Quod etiam refert Crispinus *de Visit. Pastorali par 2. §. 15. num. 4.* Et Prælaudatus Episc. Sarnell. *in sua Basilicographia c. 48. n. 17.* ubi de Emin. Card. Ursino, nunc Archiepiscopo Beneventano, (cujus nomen Purpuræ splendore, ac radiis virtutum ubique refulget) hæc subdit: *Ed il mio Eminentissimo Signore, il Cardinale Orsini, hoggi Arcivescovo Beneventano. che tutto di preme le adorate vestigie del mentovato Santo in dodeci anni della sua Pontificale ordinatione, hà solennemente dedicato trentasei Chiese, e quarantasette Altari fissi, oltre a quelli delle accennate Chiese consecrata, con altrettanto dispendio di tempo, & applicatione, e con lo stesso Rito, come hò havuto io la sorte di vedere; e mettere in nota.*

Dicitur in definitione *Per quam* (scilicet actionem Sacram) *Pontifex*, videlicet Episcopus Diœcesanus; quamvis enim antiquitùs esset necessaria licentia Sedis Apostolicæ pro consecrandis Ecclesiis:

cap.

tap. De locorum. cap. Præcepta Synodalia. cap. Basilicas, &c. Certum est. De consec. 1. hodie tamen dictis Canonibus derogatum est; & solius Episcopi Diœcesani auctoritas sufficit, ad hoc ut vel ipse, vel alius Antistes de ejus licentia hanc dedicationem faciat. *cap.* 2. *de Consecrat Eccles.* Jordanus *d. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 6. Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat.* 27. *num.* 1. *& de Jure Ecclesiast. Universi. d. lib.* 2. *num.* 30. & 31. ita ut simplici Sacerdoti hæc functio demandari non possit. *cap. Aqua de consecrat. Eccl.* Ugolin. *de officio Epis. cap.* 28. *num.* 1. nisi ei demandetur à Papa. Jordanus. *d. tit.* 9. *num.* 5. qui advertit *num.* 7. & 8. quod plures Episcopi possunt simul convenire in unius Ecclesiæ dedicatione, sicut factum fuit tempore Constantini Magni pro majori pompa, & solemnitate; sed unus tantùm Episcopus debet esse Consecrator; ille scilicet, qui linit oleo Sacro duodecim Cruces insculptas in parietibus, debitam formam proferendo: undè fit, quòd si Episcopus in consecratione deficeret ob improvisam infirmitatem ante
25 unctionem ipsarum Crucium, repetenda esset tota functio Sacra ab alio Episcopo; at decedente Episcopo post linitas Cruces; satis foret continuare functionem, & supplere ea, quæ desunt per alterum Antistitem, ut respondit Sacra Rituum Congregatio *in Una Ulissiponem. die* 12. *Aprilis.* 1614. ubi accidit hic casus; quem refert Barbosa *d. lib.* 2. *cap.* 2.
26 *num.* 52. ea ratione, quia Consecrationis Ecclesiæ essentia consistit in ungendis Sacro Chrismate ipsius duodecim crucibus; & in proferendis illis verbis: *Sanctificetur, & consecretur hoc Templum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Quòd si Ecclesia consecranda esset Regularium, à quibus rogatus Episcopus Diœcesanus recuset, vel tradet per quadrimestre illa consecrare; cedit Miranda *in Manuale Prælator. Regular tom* 2. *q.* 39. *art.* 1. *concl.* 3. quòd quilibet alius Episcopus possit illam consecrare virtute antiquorum Privilegiorum iisdem Regularibus concessorum, quæ ibidem à Miranda referuntur, & novissimè à P. Augustino à Virgine Maria Carmelita strictioris observantiæ *in Compend. Privil. Regular. Ver. Consecratio.* Sed ego credo, quòd nullus
27 alius Episcopus possit dictam consecrationem facere absque Diœcesani licentia, etiam eo negligente, vel recusante; attento Decreto Concilii Tridentini *sess.* 6. *de ref. c.* 5. in quo decernitur, quòd *Nulli Episcopo liceat cujusvis Privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia.* Certum est autem, quòd per hoc decretum derogatum est quibuscumque Privilegiis contrariis, ut probant fagnanus *in cap. Nonnulli, num* 42. *& seqq. De rescript. Et in cap. cum Capella num.* 9.
28 *De Privil.* nec non Pignatellus *tom.* 6. *consul.* 12. *à num.* 9. *& seqq.* tantò magis quia per Bullam IX. Gregorii Papæ XIII. omnia Privilegia Regularium redacta sunt ad normam Decretorum S. Concilii Tridentini, ut innuimus supra *Decis. XXXIX. num.* 39. Quapropter si Episcopus Diœcesanus negligeret, aut detrectaret consecrare Ecclesiam Regularium, ab iisdem recurrendum esset ad Apostolicam Sedem, à qua obtinerent remedium opportunum. *cap. Omnis oppessus.* 2. *q.* 6. *cap. Ut debitus, de Appelat.*
29 Scaccia *eod. tract. quæst.* 1. *num.* 1. Si tamen de facto alienus Episcopus Ecclesiam consecraret sine Diœcesani licentia, consecrationem esse validam; consecratorem verò incurrere suspensionem à Pontificalibus advertit Jordanus *d. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 10. Sed Ecclesiam ipsam remanere suspensam quandiù ipsi Ordinario videbitur, puto asserendum; ad exemplum Clerici, qui absque ejus licentia recipit ordines ab alio Episcopo. Concil. Trident. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 8.

Sequitur in definitione: *Templum legitimè erectum,* videlicet de licentia ejusdem Episcopi, cum benedictione, & impositione primarii lapidis, & præci- 30
puè cum constitutione Dotis, ut scripsimus supra *Decis. XL. à num.* 20. *& seqq.* juxta *tex. in cap placuit.* 2. *q.* 2. *cap. Piæmentis* 16. *q. ult. cap. Nemo, de Consecr. dist.* 1. *& cap. Cum sicut, ubi Glossa, & DD. de Consecr. Eccl. vel Altaris.* Et casu quo facta fuisset ædificatio absque requisitis prædictis, ut sæpe contingit, in facto vel ex nimio fervore Laicorum, vel ex negligentia, & incuria eorum, ad quos spectat, non est Ecclesia consecranda, neque benedicenda, nisi dos assignetur pro ejus manutentione. Barbosa *de Epis. allegat.* 26. *num.* 3. Jordanus *d. lib.* 5. *cap.* 9 *num.* 14.

Additur in definitione: *Vel pro majori parte restauratum*; Siquidem si tectum Ecclesiæ solummodo 31
extollatur, vel minor pars Ecclesiæ circa parietes mutetur, non perditur antecedens Consecratio: ac si major pars restaurari contingat; aut parietes decrustentur, tunc est Ecclesia iterum consecranda. *cap. Ecclesiis.* ubi Glossa. *de Consecrat. dist.* 1. *cap. de Fabrica. ead. dist. & c. Legneis. ubi DD. d. tit. de consecrat Eccl. vel Altar.* Barbosa *de Jure Ecclesiast. Univ. d. lib.* 2. *cap.* 2. *à num.* 46. *& seqq.* Jordanus *eod. tit* 9. *à num.* 67. *usque ad n.* 74. ubi pluribus quæstis, & casibus materiam restaurationis murorum Ecclesiæ prosequitur ad effectum novæ consecrationis faciendæ.

Subjungitur in definitionem: *Expurgatum ab omni immunditia.* ipsum scilicet Templum consecrandum; quæ quidem Verba denotant, quòd si fortè in 32
ipso Templo, vel ejus Cæmeterio sepulta essent corpora infidelium, hæreticorum, schismaticorum, vel excommunicatorum; sunt priùs exhumanda, & projicienda, quàm deveniatur ad Ecclesiæ consecrationem, *cap. Ecclesiam, cum seqq. & ibi Gloss. de Consecrat dist.* 1. *cap. Consuluisti de Consecr. Eccl. vel Alt.* Azorius *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 4. *q.* 5. Dummodo tamen discerni possint ab ossibus fidelium; tunc enim sunt potiùs relinquenda, ne ossa fidelium projiciantur. *cap Sacris, ubi Gloss. & DD. de Sepultur.* Jordanus. *d. lib.* 5. *tit.* 9. *à nu.* 16. *& seqq.* ubi *num.* 20 notat, quòd licèt aliqui id extendant etiam ad corpora Usurariorum, aliorumve in peccato notorio mortuorum, quibus de Jure negatur Ecclesiastica Sepultura, prohibito est de solis infidelibus, hæreticis, & excommunicatis, quia per horum cadavera tantùm polluitur Ecclesia; imò si excommunicatus ante mortem pœnituerit, non est exhumandus, sed post mortem absolvendus, & ibi relinquenda ejus ossa, *arg. cap. Cui*, 15. *De Sent. excommun in* 6. Quòd si mater moriatur, habeatque in utero fi- 33
lium, qui pariter occumbat in ventre absq; baptismo, nihil prohibet sic existentem in ventre materno sepeliri in loco Sacro. Sylvester *Verb. Consecratio.* 2. *quæst.* 2. *Vers. Quartus casus.* Jordanus *d. lib.* 5. *tit.* 9. *num.* 23. ea ratione quia fœtus in utero existens est portio ventris. *l.* 1. §. 1. ubi Glos. *in Verb. Portio. ff. de Ventre inspicien.* Zacchias *in QQ. Medicoleg. tom.* 2. *lib.* 9. *tit.* 2. *quæst. Unica de Fœtu exsecto, seu de Partu Cæsareo num.* 7. At si extractus fuerit infans è materno ventre mortuus, & non potuerit baptizari, tunc non est sepeliendus in loco Sacro, quod si fuerit illic sepultus, est exhumandus, alibique ponendus, ut notat Hostiensis *in Summa de Consecr. Eccl. num.* 8. Jordanus *d. tit.* 9. *num.* 24.

Utrùm autem Mater, quæ tempore partus illum eniti non potest, teneatur pati incisionem ventris, ut indè extrahatur infans vivus, & baptizari possit? est celebris controversia tum apud Canonistas, & Theologos; tum apud Medicos, ut innuit eidem Jordanus *d. tit 9. num. 23. vers. Obiter tamen nota.* Et quia hic non est locus eam pertractandi, videant curiosi Lectores Hostien. *in summa ubi supra.* P. Theophilum Raynaudum *in Opusc. De ortu infantium contra naturam.* P. Cassianum à S. Elia *in Decisionib. Theologicolegal. Decis. XXXV. De Prægnante secanda*, ubi allegat S. Thom. *in 4. sent. dist. 6. q. 1. art. 1. ad 4.* S. Antoninum *3 p. tit. 14. cap. 13. §. 1.* Sylvestrum *Verb. Baptismus 6. num. 2.* & alios plures Theologos, & Canonistas. Ex Medicis verò adeant Franciscum Rausletum *in libello de Partu Cæsareo.* Andream Laurentium *in Histor. Anatom. lib. 8. q. 82.* Mauritium Cordæum *in lib. 1. Hippocrat. de Morbis Mulier. Comment. 1. prope med.* Joan. Baptist. Cornelium *Miscellan. Decade 10. q. 10.* Mercurium *lib. 2. della Comarie cap. 28.* & alios plures, quos cumulae Zacchias *d. lib. 9. tit. 2. q. unica de Fœtu exsecto* per totam, in qua disputat de hac controversia, & inter cætera tria notatu digna dicit: Unum, quòd fœtus septimestris, & octimestris exsectus è ventre Matris non potest vivere, & nisi sollicitè baptizetur, vix potest esse capax baptismi. Alterum, quòd fœtus nonimestris, ut plurimùm vivit, licèt extractus per sectionem ventris materni, dummodo tamen sollicitè fiat sectio, nam ultra horam à morte matris non potest fœtus vivere inclusus in ventre ejus, quia deficit respiratio, seu transpiratio, quæ fit per motum arteriarum maternarum. Tertium, quòd sectio ventris materni, & ex eo eductio fœtus vivi non solùm fieri potest matre præmortua; sed etiam ea vivente, aliàs parere non valente; idque pluries factum fuisse, salva vita tùm ipsius fœtus, tum ejusdem Matris, ut testantur Auctores in praxi vidisse, quos citat ibidem Zacchias *num. 27. & 28.* ubi firmat, sectionem ventris, matre vivente, esse licitam; etsi advertat, opus esse celeberrimo, & versato chirurgo, complexione robusta matris, quæ neque sit minor annorum viginti, neque major quadraginta. An verò mater teneatur in conscientiam ipsam incisionem pati pro salvanda vita spirituali, ac etiam temporali suæ prolis, cum spe, vel sine spe suæ propriæ salutis? altercantur Theologi relati *ibid à num. 30. & seqq.* & à P. Cassiano à S. Elia *d. Decis. XXXV.* ad quos studiosi recurrant; est enim articulus difficilis: in quo, si fieri potest, sectio ventris differenda est post mortem matris, quæ si sollicitè fiat, fœtus vivus extrahetur, prout factum fuit de Julio Cæsare Imperatore, à quo omnes vocantur Cæsares Glossa *Verb. Cæsar in Proœmio jnstit.* Et de Sancto Raymundo Nonnato, ut legimus in lectionibus Breviarii *die 31. Augusti.*

Ponitur in definitione; *Nondum consecratum*: quia cùm consecratio Ecclesiæ non sit reiterabilis ad similitudinem consecrationis Sacerdotum, Episcoporum, ac Virginum, & in hoc comparetur baptismo; si Ecclesia fuerit semel consecrata, non debet ampliùs consecrari, *cap. Ecclesia. De Consecr. dist. 1. cap. Reposuisti. ubi Gloss. & cap. Ligneis. De Consecrat. Eccl. vel Altar.* Jordanus *d. tit. 9. num. 62.* nisi consecrator non fuisset Episcopus; vel non Catholicus, à quo forma consecrationis non fuisset adhibita; ut pluribus demonstrat Jordanus *ibid. num. 65. & 66.*

Vel de cujus (Templi) *consecratione nullum est testimonium*, ait definitio; quia in casu dubio, an fuerit, vel ne Templum consecratum? indaganda sunt testimonia vel ex Crucibus in pariete insculptis, vel ex libris, & scripturis Ecclesiæ, vel ex personis habentibus memoriam consecrationis aliàs factæ; & quamvis unus testis tantùm reperiretur, qui affirmaret, fuisse Ecclesiam consecratam, illi standum esset, & abstinendum à nova consecratione. Gloss. *in cap solemnitates. verb. Nec certè De consecr. dist. 1.* Mascard. *de Probat. conclus. 415. & conclus. 583.* Barbosa *alleg. 27. à num. 5. & seqq.* Jordanus *d. lib. 9. tit. 9. à num. 44. usque ad num. 61.* qui excepit Ecclesiam Cathedralem antiquam, nam præsumitur ab initio fuisse consecratam. Cessantibus autem legitimis probationibus, vel inditiis Ecclesia est consecranda, saltem sub conditione *si non est consecrata, &c.* Barbosa *de jure Eccles. univ. d. lib. 2. cap. 2. num. 42.* & Jordanus *ubi supra. num. 64.*

Solemni forma, ac ritu infertum est in definitione: quia Antistes ritus, ac formam præscriptos in Pontificali debet ad amussim servare; sunt enim mysteriis referti, ut probat Cardin. Turrecremata *in cap. Omnes Basilicæ. num. 4. de Consec. dist. 1.* & Durandus *d. lib. 1. cap. 6.* Alii autem ritus concernunt personam ipsius Episcopi consecrantis qui dum induit Paramenta debet recitare Psalmos Pœnitentiales; alii Ecclesiam ipsam; alii functionem, & ejus plurimas cæremonias; de quibus infra in capite tertio hujus Decisionis; inter quas circuire eamdem Ecclesiam, saltem in aliqua parte, si per omnes non possit, ut respondisse S. Congregationem refert Barbosa *in Decis. Apostol. ver. consecratio Ecclesiæ.* Et Jordanus *d. tit 9. num. 26. 31. & 80.*

Continuat dicere definitio: *Cum Reliquiis Sanctorum*, quæ hæ sunt necessariæ in hac sacra functione; cùm enim simul consecrandum sit cum Ecclesia etiam unum saltem Altare, in eo sunt reponendæ Sanctorum reliquiæ juxta Rubricam Pontificalis; quam diligenter observare debet Episcopus, ut notat Jordanus *d. tit. 9. num. 30.* Hinc D. Evodius Romam vadens, ut peteret à Papa licentiam consecrandi Ecclesiam Virginis Anicensis, obviam habuit duos Venerabiles Viros, qui sibi duo scriniola SS. Reliquiarum dederunt, affirmantes, Ecclesiam prædictam fuisse ab Angelis consecratam; & pro testimonio veritatis prodigiosa plura signa innuerunt, ut refert Bagatta *in Admirand. orb. Christ. tom. 2. lib. 5. cap. 3. §. 2. num. 1.* inter quæ campanas illius Templi de per se sonantes; januas, quæ bene erant clausa, de per se apertas, lumina accensa per totam Ecclesiam, & Altare sacro Oleo delibutum.

Et cum celebratione Missæ ait definitio; quia in Ecclesiæ consecratione Missa quoque est celebranda, *cap. Omnes Basilicæ*, & ibi Glossa. *Et cap. De fabrica. De Consecrat. dist. 1.* Sylvester *verb. consecratio. 2. num. 1.* Jordanus *d. lib. 5. tit. 9. num. 27.* Hinc Germani consecrationem Templi nominant *Kirchmess*, à *Kirch*, hoc est Templum (quod à κυριακὴ hoc est *Dominica*, quasi *Domini Domus* (& *Mess*, idest *Missa*, quæ in Templi consecratione adhiberi solet, ut notat Vossius *in Etimologic. Linguæ Latinæ. verb. Encænia.* Quamvis autem Hostien. & Goffred. *in Summa De Consecr. Eccl.* & alii DD. antiqui, quos citat Barbosa *alleg. 26. num. 10.* docuerint, Missam esse celebrandam ab ipso Episcopo consecratore; hodie tamen Rubrica Pontificalis concedit, quòd si nimio labore sit fatigatus, possit eam per alium celebrare facere; ut advertit etiam Jordanus *eod. num. 27.* subdens, quòd Missa dicitur solemniter celebrata, etsi sine cantu, & plana; dummodo Episcopus sumat Pontificalia indumenta; mitram scilicet, & baculum; ut annuatim fieri solet hùc Patavii in solemnitate Corporis

ris Christi, dum Episcopus Patavinus celebrat ; &
43 consecrat Sanctissimam Hostiam deferendam in Processione illius diei ; cui Missæ inserviunt duo Canonici, astantibus Excellentissimis Rectoribus Urbis, cum togis Ducalibus rubeis, repræsentantibus Serenissimum Venetum Dominium; nec non Magnificis Deputatis hujus Civitatis, qui dant aquam ad lavandas manus, & manutergium ad illas tergandas eidem Episcopo celebranti.

Adjungitur in definitione hoc Verbum *Gratis* ; siquidem si Episcopus exigeret pecuniam, vel aliquid aliud temporale, pro consecratione Ecclesiæ faciend-
44 da, committeret Simoniam. *cap. ult. 1. q. 3. cap. cum sit, & ibi* Innocen. Abb. & Joan. Andr. *de Simonia.* Et consecratio esset irrita ; non quò ad validitatem, sed quò ad executionem ; itaut in eadem Ecclesia non esset celebrandum, nisi prævia reconciliatione per alium Episcopum facienda. Jordanus *d. tit. 9. num. 34. & seqq.* declarans, quòd in Ecclesiis positis extra civitatem, pro iis consecrandis licitè ab Episcopo exigitur procuratio, prout facit in Visitatione
45 *cap. Cum, sit Romana.* (ubi Glossa, & Canonistæ scribunt) *De Simonia*, & hi duo casus tantùm expressi sunt in jure, in quibus Episcopus habere potest procurationem, expensas scilicet itineris, & cibaria. Jordanus *ibidem num. 39.* adeò ut in aliis functionibus Episcopus debeat abstinere à procuratione, quia habet redditus Episcopales, quibus utitur, ut officium suũ exerceat; & hinc est, quòd neque pro reconciliandaEcclesia polluta potest constringere Parochum, vel populum insontem ad præstandam procurationem, quamvis aliqui DD. pro illa concedant, actionem competere Episcopo contra delinquentes, qui polluerunt Ecclesiam; ut disserit idem Jordanus *d. lib. 5. tit 9. num. 40. & 41.* cum duobus seqq.

Sequitur in definitione *Una cum Altari Deo dedicat* ; quia juxta Rubricam Pontificalis unà cum
46 Templo consecrandum est etiam Altare majus; quòd si antea fuisset consecratum; in hoc casu poterit consecrari unum, vel plura ex aliis Altaribus; ut ex Durando *d. lib. 1. cap. 6. n. 32.* & Glossa *in cap. si motum. verb. Altare de consecr. dist. 1.* & ex Barbosa *allegat. 27. num. 27.* docet Jordanus *d. lib. 5. tit. 9. num. 75. & 76.* subdens, id non esse de præcepto, sed de consilio.

47 *Deo* autem *dedicat* Episcopus hoc ritu, & cæremoniis Templum, & Ecclesiam, *Ut sit domus Dei, & locus sacer, in quo preces, & sacrificia Deo offerantur.* Siquidem hæc dedicatio, & consecratio instituta fuit ab Apostolis ; etsi ad solemnem ritum elevata fuerit per S. Sylvestrum Papam ; reddita pace Ecclesiæ, ut legitur in Breviario Romano in festo Dedicationis Basilicæ Salvatoris *die 9. Novembris* in illis verbis : *Ritus, quos in consecrandis Ecclesiis, & Altaribus Romana servat Ecclesia, B. Sylvester Papa primus instituit, nam etsi jam ab Apostolorum tempore loca fuerunt Deo dedicata, non tamen illa adeò solemni ritu consecrabantur* : quod testatur etiam S. Clemens Papa *Epist. 2. ad Jacob. fratr. Domini*, & habetur *in cap. Ecclesias 16. q. 7.* Hic Sanctus Urbanus II. domum S. Cæciliæ in Ecclesiam consecravit, & S. Marcellus domum Lucinæ, ut disserit Durandus *d. lib. 1. cap. 24.* & Quartus *in tract. de Benedictionibus tit. 2. sect. 10. Prælud. primo.*

Vocatur autem Ecclesia consecrata *Domus Dei*, quia est antiquissimum hoc nomen, & usitatum in
48 Scriptura Sacra ; Jacob namque ita ait: *Genes. 28. 17. Non est hic aliud, nisi domus Dei.* Et ipse Deus dixit Salomoni, dum ei consecraret Templum in Jerusalem, *Elegi locum istum mihi in domum Sacrificii. 2. Paral. 7. 12.* Et ipse Salvator ejiciens profanatores de templo ajebat: *Scriptum est, Domus mea Domus Orationis vocabitur Matth. 21. 13.* in qua scilicet *preces, & Sacrificia Deo offerantur*, ut dicitur in definitione ; Deus enim adstat in loco sacro, ut audiat, & exaudiat preces orantium, & eorum sacrificia suscipiat, ut prædixerat per Isaiam prophetam in illis verbis : *Lætificabo eos in domo Orationis meæ, holocausta earum, & victimæ eorum placebunt mihi super Altari meo ; quia domus mea domus Orationis vocabitur cunctis gentibus. Isa. 56. 7.* quod latiùs declarant S. Thomas *3. p. q. 83. art. 3.* & Suarez in eandem *tom. 3. disp. 15 sect. 4. §. Addo ergo tertiò, & disp. 81 sect. 1. & 2.*

Sed objiciet aliquis verba Apostoli Pauli, quibus ad Athenienses dixit, quòd *Deus non in manufactis templis habitat. Act. 17. 24.* Quo loci sic commentatur 48
Tirinus: *Quasi in Palatiis sibi necessariis, quorum ambitu concludatur, ut solent Reges. Deus enim nulli loco alligatur, multò minus terminatur ; sed per universum orbem, & super omnes cœlos per immensa etiam vacui spatia se extendit.* Ergo non bene pronunciamus, asserendo, Ecclesiam consecratam esse domum Dei, in qua ipse habitet. Respondetur ; ita locutum fuisse Apostolùm ad Gentiles, qua ipsi existimabant, Deum corporaliter habitare in Templis manufactis, & in eis circumscriptivè claudi, atque immorari; quod falsum est; Deum enim immensum nullo loco circumscribi constat. Verùm Deus specialiter inhabitare dicitur in Ecclesia tanquam in sua domo, quia in ea cultus Divinus sibi præstatur, & sua beneficia orantibus in ipsa liberaliùs impertitur, ut docet S. Ambrosius *in Orat. Dedic. Eccl. SS. Vitalis, & Agricolæ.* Walfridus Strabo *De Ritib. Eccles. cap. 9.* & Durandus *libr. 7. cap. 48. in ration. divin. Offic.* & faciunt *texx. in cap. 2. cap. His ergo. cap. Nullus De Consecr. dist 1.* ut notat Jordanus *d. lib. 5. tit. 9. num. 3.*

Tandem dicitur in definitione : *Et annuatim Festum dedicationis celebretur* : ita enim Jus Canonicum fa- 49
cere præcipit. *cap. Solemnitates. 1. & 2.* ubi Gloss. *de Consecr. dist 1.* prout faciebant Hebræi, qui annuatim colebant memoriam Dedicationis Templi Jerosolymitani ; ut habetur *Jo 10. 22. Facta sunt Encænia in Jerosolymis, & hyems erat.* Quæ *Encænia* erant anniversaria solemnitas dedicationis Templi, ut explicuimus supra *num. 5.* Porrò, quia Templum Hebræorum ter dedicatum fuerat. Primùm à Salomone *3. Reg. 8.* Secundò post reditum à captivitate Babylonica. *1. Esdr. 6. & 8.* & Tertiò à Juda Machabæo, ut legitur *1. Machab. 4. & 2. Machab. 10.* disputant In- 50
terpretes sacri ; in cujus dedicationis memoriam essent *Encænia* supradicta? Et communior est opinio, quòd essent de ultima dedicatione, tum quia de primis duabus non legitur, factum fuisse præceptum ; sed de hac tertia tantùm, *ut in d. libr. 1. Machab. cap. 4. & lib. 2. Machab. cap. 10.* tum etiam quia Encænia supradicta dum celebrarentur, *hyems erat*; dedicatio autem facta à Salomone primùm fuit Menseseptimo, hebraicè dicto *Thisri*, nempè *Septembri*, in quo frigus præcipè in regione illa calida Judææ esse non poterat; neque in secunda dedicatione facta à Zorobabele, Mense *Adar die 23.* qui est finis nostri Februarii, ubi illic frigus cessare solet ; ideò *Encænia* erant de tertia dedicatione peracta à Machabæis, qui eam fecerunt die 25. Mensis *Caslen*, qui correspondet partim nostro Novembri, & Decembri, ut pluribus SS. Patribus allegatis firmat Barradas *in Evang. tom. 3. libr. 4. cap. 16.* tunc enim etiam in Judæa frigus erat.

52 Illud autem non omittendum, quòd Episcopus in die consecrationis Ecclesiæ concedit illam visitantibus integrum annum indulgentiæ; pro die verò anniversaria in perpetuum dies quadraginta. *cap. Cum ex eo. §. Ad hæc. De Fœnit. & Remiss. cap. ult. eod. tit in 6.* Et justa de causa in ipso actu consecra-
53 tionis potest Episcopus ipsam anniversariam diem dedicationis in aliam commodiorem diem transferre, exempli gratia, si consecratio facta fuisset in die Pentecostes, vel ejusdem celebritatis feria secunda, aut tertia, sive in festis Natalis Domini, S. Stephani, S. Joannis, aut SS. Innocentium, vel in festo Epiphaniæ, ne quotannis implicentur simul octavæ harum festivitatum cum illa Dedicationis Ecclesiæ, huic altera dies, extra prædictas octavas, erit assignanda, ut respondisse *Sacram Rit. Congregationem die* 19. *Februarii* 1585. testantur Piasecius *in praxi part. 1. cap 5. num. 8. § diem:* & Gavantus *tom. 2. in Rubic. Breviar. sect. 8. cap. 5. num. 4.* subdens, quòd extra actum consecrationis dies ampliùs mutari non potest inconsulta Apostolica sede: ex responso *ejusdem. S. Congr. anno* 1604. quod refert etiam Jordanus *d. lib. 5. tit. 9. num. 78.* & novissimè Bissus *in Hierurgia verb. Dedicatio Ecclesiæ num. 51.* ubi plura dubia resolvit concernentia Officium Dedicationis Ecclesiæ, præcipuè si concurrat cum alio festo solemni primæ classis, quæ ibi studiosus videre poterit.

Quò ad tertium. Si quærimus quot, & quibus cæ-
54 remoniis fiat Ecclesiæ consecratio? Respondetur, plures esse Sacras cæremenias, in Pontificali Romano præscriptas, & ab Episcopis observandas in Ecclesiarum consecratione, quas quilibet ibi legere potest *tom. 2 sub. Rubrica de Eccles. dedic seu consec. pag.* 497. & quas ad amussim explicat Castaldus *in Praxi Cæremoniarũ lib. 2. sect. 13. cap. 4. & seqq.* docès qua methodo, & facilitate sint practicandæ, ne ceremoniarum Magistri in functione tam solemni muneri suo deficiant; sunt autem decem pincipales, quæ sequuntur. *Prima*, est illa, quæ adimplenda venit pridie illius diei, quo Ecclesia est consecranda, nempè jejunium servandum ab Episcopo, à Clero ejusdem Ecclesiæ consecrandæ, & ab iis, qui ipsam consecrationem petunt; nec non delatio, cum processione Cleri, & Magistratus, Sacrarum Reliquiarum in Altari, pariter die sequenti, unà cum Ecclesia consecrando recondendarum, & earum repositio in loco apto præparato ante, vel prope ipsam Ecclesiam, coram quibus Sanctorum Reliquiis Clerus Ecclesiæ vigilias agere debet tota nocte, illam in orationibus consumendo; cantando Nocturnum, & laudes Matutinas in honorem eorundem Sanctorum, quorum sunt ipsæ Reliquiæ. *Secunda* principalis cæremonia est benedictio aquæ, quem facit Episcopus in principio consecrationis Ecclesiæ, Pontificalibus indutus, & triplex aspersio parietum ejusdem Ecclesiæ in parte exteriori, eandem Ecclesiam ad hunc effectum ter circumeundo, præcedentibus Acolythis cum intorticiis accensis. *Tertia* est triplex percussio ad januam Ecclesiæ, quam cum inferiori parte baculi Pastoralis facit Episcopus, dicendo; *Attollite portas, &c.* quas tertia vice Diaconus intus existens statim aperit. *Quarta* est recitatio Litaniarum, quæ fit postquam Episcopus ingressus est Ecclesiam; ipso procumbente cum Mitra supra faldistorio. *Quinta* est Alphabetum Græcum, & Latinum, quod ab Antistite consecratore formatur extremitate baculi Pastoralis, distinctis litteris super cineres sparsos in pavimento Ecclesiæ, duabus lineis in modum Crucis, latitudinis unius palmi, & longitudinis pertingentibus una ab angulo Ecclesiæ e sinistra manu per portam principalem intrantis, ad angulum transversum illius, ideſt ad caput Ecclesiæ à latere Epistolæ; quod est ad dexteram manum intrantis, & altera linea ab angulo Ecclesiæ à dextera manu intrantis ad caput Ecclesiæ à latere Evangelii, prout in libro Pontificali Romano *pag.* 314. super quarum litterarum Græcarum, & Latinarum facili efformatione legenda est norma, quam tradit Castaldus *d. lib. 2. sect. 13 cap. 4. num. 7.* ne in ipsa actione sacra confusio oriatur. *Sexta* est nova benedictio aquæ cum mixtione Salis, Cinerum, & Vini. *Septima* est consecratio unius, vel plurium Altarium in eadem Ecclesia, quam facit Pontifex formando Crucem cum pollice manus dexteræ, intincto in ipsa aqua benedicta, in medio mense Altaris, & in quatuor ejus cornibus; & aspergendo illud cum asperſorio de herba hyssopo, circumeundo septies; nec non signando ipsum Altare pollice, Sancto Chrismate intincto, in loco, ubi sunt reponendæ Sacræ Reliquiæ & in quatuor angulis, reponendo, & cemento ipsas Sacras Reliquias repositas in sepulchro Altaris, & tabula clausas firmando; aliasque Cruces, thurificationes, atque unctiones addendo, cum præscriptis precibus, psalmis, & orationibus prout in eodem Pontificali, cruciculasque ex incensi granis, & candelulis quinque, in quinque locis jam ejusdem Altaris perunctis, positas accendendo, & cumburendo. *Octava* est alia trina aspersio Ecclesiæ interioris in parietibus, scilicet primo ad parietum pedes cum aqua ex Cinere, Sale, & Vino benedicta; Secundo ad altitudinem staturæ hominis, tertiò adhuc altius, & in hac aspersione ter circuitu ipsam Ecclesiam. *Nona* est unctio duodecim crucium depictarum, seu sculptarum in parietibus Ecclesiæ, cum Chrismate Sacro. *Decima* est accensio candelarum coram ipsis Crucibus, & earum thurificatio, ut latius in eodem libro Pontificali; & apud Durandum *de Divin. Offic libr. 1. cap. 6.* atque Castaldum *d. lib. 2. sect. 13. cap. 8.* & Quartum *in Opusc. de Benedictionib. tit. 2. sect. 10.*

Quò ad quartum. Si petamus quibus de causis, ac Mysteriis tot cæremoniæ Sacræ, atque preces, orationes, ablutiones, & unctiones adhibeantur in Dedicatione, ac Consecratione Ecclesiæ; hæc quæ sequuntur mysteria, ex SS, Patribus collecta notanda, & referenda duxi. *Prima* est; ut ex his ceremoniis, 55
quibus consecratur Ecclesia materialis, discamus Sanctitatem Ecclesiæ Mysticæ quæ est omnium congregatio fidelium, quam Christus sibi desponsavit, suo pretioso Sanguine purificavit, & virtutibus decoravit, ut ait S. Thomas *3. p. q. 83. art. 3. Secunda* est, quia cùm anima cujuslibet justi sit Templum Dei vivi, & habitatio Spiritus Sancti ex *Apost. 1. Cor. 3. 6.* deducere possimus ex ritibus consecrationis materialis Templi, quid in anima justi operetur Deus multiformi sua gratia, & qualiter nos debeamus animam nostram disponere, & aptare, ut sit digna Dei habitatio, ut disserit Divus Bernardus *Serm. 1. de Dedicat. Eccles. Tertia* causa mystica est, quia ubi pax, & concordia firmanda est inter inimicos, deputandus est locus, in quo conditiones pacis concertentur. Igitur pro ineunda pace inter Deum, & peccatores, domus congrua erat eligenda, homo enim non poterat ascendere ad domum cœlestem, quia est nimis alta; neque decebat Deum descendere ad domum hominis, quia est nimis immunda; ideò conveniens fuit consecrare Ecclesiam materialem, quæ si non esset corporea,

non

non esset apta pro hominibus, & si consecrata, aut benedicta non foret, non esset apta pro Deo; & quia peccatores sunt in quacunque parte mundi; idcircò ubique oportuit Ecclesias erigere, juxta illud *Malach. cap. 1. vers. 11. in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Igitur Ecclesia consecratur, ut sit domus disposita ad reconciliandos Deo peccatores, & hoc est, quod dixerat olim Dominus Salomoni: *Elegi enim, & sanctificavi locum istum,* 56 *ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. 2. Paralip. 7. vers. 16. Quarta* causa mystica est jejunium, quod præcedit diem consecrationis, ut dictum est supra *num. 21.* quia ad placandum Deum, & ad ejus gratiam obtinendam, & amplificandam primum requisitum est jejunium; ut exemplificat de pœnitentibus in veteri testamento S. Basilius Magnus in Homilia, quæ legitur in Breviario *Dom 4. Quadrag.* quæ est *Hom. 1. de Jejunio.* In Ecclesia autem Catholica jejunium semper fuit in magna veneratione, & observantia; siquidem præter jejunium Quadrage- 57 simale à SS. Apostolis institutum, olim fideles ter in hebdomada jejunabant feria quarta, sexta, & Sabbato, ut demonstrat Eminent. Card. Baronius *Anno 388. num. 81.* & in die jejunii semel tantùm manducabant in occasu Solis *cap. Solent plures. de Consecr. dist. 1.* Magrius *in Hierolexic. verb. Jejunium,* ubi affirmat, apud Christianos Orientales vigere hanc laudabilem consuetudinem unicæ comestionis Vespertinæ in diebus jejuniorum. De Sancto Nicolao Myrensi Episcopo legitur, quo adhuc infans quarta, & sexta feria semel dumtaxat lac in Vespere sugebat, quem jejunii usum adultus semper coluit, & idem de S. Rocco confessore, atque de S. Stephano Carthusiano Episcopo Diensi refert Bagatta *in admiran. Obri Christ. tom. 2 libr. 5. cap. 4. §. 8. num. 3. & 4.* Immo de Sancto Joanne Baptista præcursore Domini testatur Evangelista Matthæus *cap. 3. vers. 4.* 58 *quod Esca ejus erat locustæ, & mel sylvestre;* quæ quidem secundùm S. Athanasius *in Scholiis novi testamenti* erant herbæ amaræ sic dictæ, quod confirmat B. Isidorus Pelusiota *lib. 1. Epist. 132.* dicens: *Non sunt locustæ animalia, ut nonnulli putant imperiti, similia Scarabæis, sed ἀκρίδεμονες (acremones) ideſt germina herbarum.* Etsi plures alii Sancti Patres opinentur, locustas fuisse bestiolas similes cicadis, quarum copia est in desertis Palestinæ; quibus ad solem assis vescebatur Sanctus Præcursor cum melle sylvestri, quod est gustui amarissimum; ut demonstrat Menochius *in Histor. Sacra tom. 1. lib. 2. cap. 1. n. 6. & 7.*

Quinta ex Mysticis causis ceremoniarum dedica- 59 tionis Ecclesiæ prodiit ex solemni delatione, thurificatione, & adoratione SS. Reliquiarum in Altari reponendarum; ut scilicet studeant fideles recondere in cordibus suis exempla virtutum, quas Sancti in hac vita exercuerunt, dicente Apostolo: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. 2. Cor. 11. 1.* & meminerint easdem Reliquias esse glorificandas in cœlis quibus in præsenti Deus, in remunerationem earundem virtutum, quas Sancti viventes coluerunt, honorem elargitur, & gratiam miraculorum; ideoque beneficia plurima reportant fideles ex veneratione SS. Reliquiarum, & Corporum Sanctorum, ut latè probat Ricciullus *Lucubration. Ecclesiastic. lib. 1. cap. 28.* ubi jucunda refert exempla.

Sexta causa Mystica est triplex circuitus, quem facit Episcopus aspergendo aqua benedicta Ecclesiam exteriùs, qui quidem triplex circuitus significat, Templum dedicari in honorem Sanctissimæ Trinitatis; vel tria tempora, in quibus Deus non cessavit circuire, ut homines purificaret, scilicet in lege naturæ, Mosayca, & Evangelica; mittendo servos suos, Doctores, ac Prophetas. Sive triplicem Christi circuitum pro consecratione militantes Ecclesiæ; videlicet de Cœlo in Mundum. De mundo ad Limbum. De Limbo ad Cœlum.

Septima est, quòd Episcopus baculo Pastorali ter percutit januam Ecclesiæ ad denotandum triplex Christi dominium merito Passionis suæ acquisitum in cœlo, in mundo, & in inferno; undè ait Apostolus *in Philip. cap. 2. vers. 10. In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.*

Octava est in recitatione Litaniarum, in qua invocantur Cœlites, ut pro nobis apud Deum intercedant; cùm enim orationes nostræ ad Deum sint valdè imperfectæ, ipsi supplent pro nobis, ut *quod fragilitas nostra non obtinet, eorum nobis intercessione donetur*, & ut desideratam nobis Divinæ propitiationis abundantiam, multiplicatis intercessoribus Deus nobis largiatur. Sunt autem Litaniæ antiquissimæ in Ecclesia, & ab Apostolis originem ducunt; ut probat Baronius *in notis ad Martyrol. Roman. die 25. Aprilis* Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 3. de Orat. cap. 9. in fin.* Justinianus *in Templo Lauretano lect. 1.* & Quartus *De Litaniis Sanctor. sect. 1. punct. 4.* ubi advertit, eas fuisse adauctas à S. Gregorio Magno, ideò plures asserunt, eum fuisse auctorem Litaniarum, quamvis multò ante essent in usu, & quia grassante peste ipse Sanctus Pontifex instituit Processiones cum Litaniis per urbem Romam, ubi super mole Adriani visus est Angelus mittere gladium in vaginam; ut narrat idem Emin. Card. Baronius *Anno 590. num. 13.* Et Emin. Card. de Lauræa *in Epitome Canonum Verb. Litania;* ubi notat, quòd deinde ordinatum est, ubique eas recitari publicè tam in tribus diebus ante Ascensionem Domini, quàm in festo S. Marci, & quòd olim fideles ad dictas Litanias procedebant nudis pedibus; prout fecisse S. Carolum Borromæum in Processione Mediolani tempore pestis legimus in ejus vita *lib. 4. cap. 4. & in Breviar. Roman. Lect. 5. die 4. Novembr.*

Cæterum etiam Hebræos habuisse certas annuas 62 Processiones cum Litaniis observat Emin. Card. Bellarminus *in Comment. super Psal. 128.* quando scilicet ter in anno ibant Jerusalem ad visitandum Templum; procedebant enim processionaliter viri cum viris; & mulieres cum mulieribus, (ut innuimus supra *Decis. XL. num. 14.* (& in via alii intonabant versiculos psalmi, puta Sacerdotes, vel Levitæ, & totus populus respondebat, prout hisce temporibus faciunt communitates, quæ veniunt cum Parocho in Processione ad Ecclesiam Divi Antonii in hac civitate Patavina. Inter alios autem Psalmos, quibus pro Litaniis utebantur Hebræi, videtur fuisse *Psalmus 135.* Incipien. *Confitemini Domino, quoniam bonus,* cujus versus sunt septem supra viginti, & finis uniuscujusque versiculi est. *Quoniam in æternum misericordia ejus:* adeò ut sicut nos in Litaniis respondemus: & semper replicamus: *Ora pro nobis*: sic ipsi repetebant, *Quoniam in æternum misericordia ejus*; & idem respondebat populus Levitis, dum cantarent in dedicatione Templi Salomonici *2. Paralip. cap. 7. vers. 3. & 7.* ut scribit Menochius *in Stor. eis part. 2. Centur 3. cap. 76* subdens in præsenti remansisse apud Judæos Litanias, ideſt supplicationes, quas cantant in festo Scenopegiæ, seu Tabernaculorum, turba respondente ad omnes *Hosanna, Hosanna*, ideſt *Salvos fac nos*, ut explicat 63 Magrius *in Hierolexic. d. Verb. Hosanna*; quod dixerunt turbæ, quæ obviaverunt Redemptori cum palmarum

palmarum ramis, intranti Jerusalem, dum ei clamarent *Hosanna*, ut legitur *in Evangel. S. Joan cap.* 12. *vers.* 12. Plura de Litaniis collegit Quartus *in Appendic ad Opusc. de Processionib, sect.* 1. & Bissus *in Hierurgia Verb. Litaniæ*, quos Lector percurrat; & præcipuè eruditissimum Pignatellum *tom.* 5. *Consult.* 54. ubi *à num.* 9. *& seqq.* probat, etiam Ethnicos Romanos habuisse in usu suas Litanias. Sed illud
64 unum hîc est adnotandum, quod est prohibitum addere Litaniis alia nomina Sanctorum; vel alias precationes, absque licentia Sedis Apostolicæ, ut statuit Clemens VIII. *in Bulla* 122. Incip. *Sanctissimus*, & declaravit S. Rituum Congregatio 22. *Martii*, 1631. referentibus Gavanto *tom.* 2. *sect.* 9. *cap.* 4. *n.* 10. Barbosa *in Decis. Apostol. verb. Litaniæ Collectan.* 454. & Bissus *eod. verb.* §. 6.

Sed & occasione Litaniarum posterorum memo-
65 riæ tradendum, quod sæculis anteactis hîc Patavii Clerus noster in tribus diebus Rogationum ducebat Processionem, Litanias cantando non ad unam solam Ecclesiam Regularem ex vicinioribus, ut fit in præsenti, sed ad plures, & eas quidem valde distantes; siquidem in antenominato antiquissimo libro Illustrissimi, & Reverendissimi Capituli Ecclesiæ hujus Cathedralis, cujus titulus est: *Ordo totius Officii Ecclesiæ Paduanæ per totum circulum anni, &c.* sub Rubrica de Litaniis pro Rogationibus, ita legitur *pag.* 109. *tergo; & pag.* 110.

Prima die Rogationum Processio vadit ad istas Ecclesias, videlicet S. Prosdocimi, S. Benedicti, S. Petri, S. Nicolai, S. Agnetis, S. Pauli, S. Jacobi, S. Mariæ de Cruciferis, S. Joannis de Viridario, Sanctæ Trinitatis (quæ tunc erat Ecclesia Præposituræ, quàm ego etsi indignus possideo, sit extra portam Caudælungæ, ubi erecta est illa alta columna) *S. Bernardi*; & hæc erat Ecclesia RR. PP. Carthusianorum, ubi (nunc videtur parva columna extra eandem portam Civitatis) *S. Firmi, S. Matthæi, S. Andreæ, S. Martini, deindè redeunt ad Ecclesiam Majorem, & ibi cantatur alta voce Antifona* Regina Cœli, &c. *& deindè cantatur Missa. In omni Ecclesia Episcopus recipitur honorificè ad portam cum incenso, & pulsatione Campanarum, & Episcopus dat Aquam Sanctam Viris, & Mulieribus.*

Feria tertia Rogationum vadit Processio ad Ecclesias S. Clementis, S. Luciæ, S. Thomæ de Arena, S. Mariæ de Porcilia, S. Marci parvi, S. Bartholomæi, S. Blasii, S. Mariæ domus Dei, S. Sophiæ, S. Euphemiæ, Sancti Spiritus, S. Mariæ de Conio, Omnium Sanctorum, S. Maximi, S. Matthiæ, S. Catharinæ, S. Margaritæ, S. Laurentii, S. Stephani, S. Georgii, S. Mariæ de Vantio, S. Lucæ, & S. Cæciliæ, deindè revertuntur ad Ecclesiam Majorem, & cantantur Missa.

Feria 4. Rogationum Processio vadit ad has Ecclesias: S. Urbani, S. Cantiani, S. Julianæ S. Ægidii, S. Danielis, B. Mariæ Matris Domini, & B. Antonii, hoc duplici nomine tunc vocabatur Templum, nunc communiter dictum *il* Santo (*S. Mariæ de Bethelem, S. Justinæ, & S. Prosdocimi*) quo in Templo Divæ Justinæ jacet corpus ejusdem Sancti) *S. Mariæ de Misericordia, S. Crucis, S. Agathæ, S. Michaelis, S. Thomæ, Martyris, S. Augustini, S. Joannis de Hospitali* (nunc à navibus) *deindè revertuntur ad Ecclesiam Majorem; ubi cantantur Missa.* Notet Lector magnitudinem laboris, & fervoris nostrorum Majorum & his publicis Litaniis, & Rogationibus. Nunc nos pauci, & tepidi ad unam Ecclesiam tantùm Litanias cantando, accedimus; eamque Cathedrali viciniorem.

Nona ex Mysticis causis, in consecranda Ecclesia, est Alphabetum Græcum, & Latinum, quod baculo Pastorali scribitur ab Episcopo in cineribus per modum Crucis sparsis in pavimento Ecclesiæ, ut dictum est supra *num.* 54. *vers. Quinta est.* Significat autem prædictum duplex Alphabetum conjunctionem utriusque populi, Judaici scilicet, & Gentilis in fide vera per Crucem Christi, tali modo factam, quod ille, qui erat dexter, (scilicet populus Judaicus) factus sit sinister; quique erat in capite, factus sit in cauda, & è converso populus gentilis; qui erat sinister, atque in cauda, factus sit dexter, & in capite; juxta id quod prædictum fuit *in Deuteron. cap.* 28. *vers.* 43. *Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior. Tu autem descendes, & eris inferior. Ipse erit in caput, & tu eris in caudam.* Vel illa Scriptura, duplici Alphabeto formata, significat Dei præcepta in duabus tabulis scripta, & ideò fit in cineribus sparsis in modum Crucis; nam ad Divina præcepta servanda, oportet æqualiter recordari tum mortem venturam, tum passionem Domini; testante S. Gregorio Magno; quod *Si passio Christi ad memoriam reducitur, nihil est, quod non æquo animo toleretur. Et valdè se sollicitat in bono opere, qui semper recogitat de extremo fine.* Sivè impressio duplicis Alphabeti significat duas Ecclesias, Latinam, & Græcam, simul unitas, & concordes in fide; ita tamen ut locus superior, qui est in parte dextera intrantis Ecclesiam consecrandam, detur Ecclesiæ Latinæ, prout in cineribus extensis à parte dextera imprimitur Alphabetum Latinum, quod ascendit usque ad cornu Evangelii Altaris majoris, quia spectat ad Romanam Ecclesiam, & Apostolicam, Sedē decidere, declarare, & terminare quascunque difficultates, & dubia in materia fidei. *cap. Quoties fidei. 24. quæst.* 1. *cap. Nec. licuit. cap. Nec multis. dist.* 12. nec non in materia morum, & Ecclesiasticæ disciplinæ. *cap. Si quis dogmata. 25. qu.* 2. *Concil. Trid. sess.* 25. *de Reform. in Decret. De delectu ciborum, &c.* Ut probat Pignatellus *tom.* 1. *consult.* 151. *num.* 27. *& tom.* 8. *consult.* 77. *num.* 13.

66 Tandem prædicta Alphabeta innuunt ipsum Templum, quòd consecratur, dedicari Christo Domino, qui mysticè demonstratur in Alphabeto, cujus caput, & finem se nominavit, dum dixit: *Ego sum Alpha, & Omega, Principium, & finis: Ego Jesus, ego radix David. Apoc. cap.* 22. *vers.* 2. quorum verborum sensus est, quod Christus Dominus res inter se valdè distantes, quales sunt Litteræ *Alpha & Omega*, unitas facit; & ideò Ecclesiam terrenam unit cœlesti; quemadmodum militantem cum triumphante; ut explicat S. Hieronymus *lib.* 1. *adverss. Jovinian.* Sive etiam, quod sicut *Alpha* denotat personam habentem principatum, & supremam potestatem, à qua reliqui recipiunt facultatem & energiam operandi, ita ipse Christus in tali consecratione est prima, & efficiens causa; prout inquocunque genere sanctificationis; ut dixerit Menochius *in Storeis part.* 2. *Centur.* 3. *cap.* 55. ubi in fine ex Ambrosio Morales *lib.* 11. *Hist. cap.* 41. notat, quòd tempore Arianorum fideles super suis sepulchris sculpebant *Alpha & Omega*; ut ostenderent, se credere, & profiteri, Christum esse verum Deum cum Patre, & Spiritu Sancto, & subinde *Principium, & Finis*, per quem omnia facta sunt.

67 Sed dicet aliquis, quare Christus in Apocalypsi non se Appellavit *Aleph, & Thau*; nempe prima, & ultima littera Alphabeti Hebraici? Et quare Ecclesia in hac sacra functione utitur Alphabeto Græco, non autem Hebraico; Respondetur ad primum dubium; non appellari Christum *Aleph, & Thau*, sed *Alpha, & Omega* in Apocalypsi, quia eam S. Joannes Evangelista scripsit græco sermone, ut notat Menochius

68 nochius *d. Centur. 3. cap. 55. in princ.* Ad secundum autem respondeti potest, quòd Ecclesia Romana in dedicatione Templorum noluerit uti Alphabeto Hebraico, attenta repudiatione Synagogæ, & abolitione rituum legalium, & cæremonialium ejusdem, qui in ipso Alphabeto Hebraico præcipuè continebantur, seu demonstrabantur. Præterquam quod tanta est adhuc perfidia Hebræorum in Catholicam Religionem, & populos Christianos; ipsique Judæi sunt adeò odiosi, & infames, *cap. Cum sit De Judæis*, Et inimici Crucis Christi. *cap. Licet universis, extr. de Testib.* ut non decuerit, eorum Alphabetum designari in ipsa Cruce, & uniri cum Alphabeto Latinæ Ecclesiæ, quam summo odio prosequuntur, ut exemplis, & historiis pluribus eruditè comprobat idem Pignatellus *tom. 4. consult 14. à num. 3. & seqq.*

Alphabetorum mysteria concludamus, advertentes, quòd Litteræ utriusque Alphabeti Hebraici & Græci sunt etiam numerales, & serviunt pro numeris; idcircò *Aleph* valet 1. *Beth* 2. *Gimmel* 3. *Daleth* 4. *He* 5. *Vau* 6. *Zain* 7. *Cheth* 8. *Thet.* 9. *Jod.* 10. Quæ verò sequuntur Litteræ multiplicant numeros de decem in decem, ita ut *Caph.* valeat 10. *Lamed.* 30. & sic de cæteris. Idē venit dicendum de Litteris Alphabeti Græci. At apud nos Latinos, etsi Valerius Probus quem allegat Calvus *Proprinomio Evangelico resol. 56.* asserat omnes Litteras esse numerales, septem tantum faciunt numerum, nempè, C. 100. D. 500. I. 1. L. 50. M. 1000. V. 5. X. 10. Est tamen verum, quod simul unitæ, & diversimodè positæ mutiplicant numeros usque ad millionem unum; ut ex sequenti formula. 70

I	indicat	1	id est Unus.
V		5	Quinque.
X		10	Decem.
L		50	Quinquaginta.
C		100	Centum.
D		500	Quingenta.
CIↃ		1000	Mille.
IↃↃ		5000	Quinque millia.
CCIↃↃ		10000	Decem millia.
IↃↃↃ		50000	Quinquaginta millia.
CCCIↃↃↃ		100000	Centum millia.
IↃↃↃↃ		500000	Quingenta millia.
CCCCIↃↃↃↃ		1000000	Decies centena millia.

Est tamen verum, quòd I. & X. sicut postpositæ L. C. & M. augent numerum; ita si sint antepositæ, eundem diminuunt. E. g. IV. dicit 4. IX. dicit. 9. XL. dicit 40. XC. nonaginta.

Decima causa mystica in cæremoniis hujus Sacræ functionis, sunt Cruces duodecim, quæ pinguntur vel in marmoreo Lapide insculpuntur per pa-
71 rietes; denotant enim dominium acquæsitum illius Templi Christo Domino; consuetum est enim apud Principes figere insignia sua in Civitatibus, quas sibi subditas faciunt; Crux autem est insigne Vexillum Christi & de ea cantat Ecclesia *Vexilla Regis prodeunt.* Fiuntque Cruces duodecim; quia totidem fuerunt Apostoli, qui ipsum Vexillum Crucis pertulerunt per universum orbem, & illum Christo subjugarunt.

Undecima, & ultima causa mystica est lumen, quod accenditur ante ipsas Cruces, & earum un-
72 ctio cum Sacro Chrismate, & oleo catechumenorum; ad denotandas obligationes Ecclesiasticorum, qui inserviunt Ecclesiæ, & in ea atque de ea vivunt; Debent enim habere lumen Sapientiæ. *Vox estis Lux Mundi. Matth 5.* Odorem bonæ famæ. *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. 1. Cor. 1.* Et oleum devotionis internæ, & externæ dum horas Canonicas recitant; dum sacrificant; Sacramentave administrant; aliasque functiones faciunt; juxta illud *Psal. 22. vers. 5. Impinguasti in oleo caput meum:* & illud *Psal. 44. vers. 8. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Corollarium addamus huic ponderosæ Decisioni, & sit; adeò esse Deo charas dedicationes, & consecra-
73 tiones Ecclesiarum, ut hæ sæpè factæ fuerint miraculosè à cælitibus; quarum exempla XVII doctissimus Bagatta refert, *in Admirand. orb. Christiani tom. 2. lib. 5. cap. 3. §. 2.* inter quæ est consecratio Templi S. Petri Londini in Anglia, facta ab Apostolorum Principe, Anno Christi 610. quam narrat etiã Eminen. Card. Baronius *ad dictum annum. 610. num. 10. & ibid.* Odoricus Rinaldi *in epitome vulgari*, quos legisse lectorem juvabit, & delectabit. His addatur consecratio Cathedralis Ecclesiæ Avenionis facta à Christo Domino, quam S. Martha erexerat in honorem Deiparæ adhuc viventis, ut probat P. Fantonus Carmelita *in Historia Civit. Avenion. lib. 3. cap. 1. num. 10.*

DECISIO XLII.

ARGUMENTUM.

Quia non omnes Ecclesiæ possunt de facili consecrari, sed solent tantùm benedici; ideò hîc agitur de earum benedictione, Hujus vocis *Benedictionis* variæ significationes, & divisiones. Definitio Benedictionis Ecclesiasticæ, & explicatio Rituum ejus, quorum præcipuum signum *Crucis*, de quo plures Theologicæ, & Historicæ eruditiones. De exorcismis in res inanimes, & animalia nociva, De Ensalmis, De fructu benedictionum SS. Virorum, De benedictionibus Rosæ aureæ, & Agnorum Dei cereorum, quas facit Papa. De aliis spectantibus ad Cardinales, ad Episcopos, ad Parochos, ad Abbates, & ad prælatos Regulares. De Parentum in filios benedictione, & maledictione, Tandem de necessariis ad benedicendas Ecclesias, Oratoria, & Cæmeteria; de quibus omnibus quæstiones plures Canonicæ, & Legales, utiles & curiosæ.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia cur non omnes consecrentur?*
2 *Benedictio, hæc vox habet quinque significationes.*

3 *Benedictio non est danda populo in Hymn.* Pange lingua &c. *ad illa verba* Sit & benedictio.
4 *Axa filia Caleb quo nomine petierit dotem à Patre?*
5 *Argi dabantur in dotem filiabus Hebræis nubentibus in sua Tribu.*
6 *Abigail quam benedictionem exhibuerit Davidi?*
7 *Antiphrasis quid sit?*
8 *Maledictio, & blasphemia exprimebatur nomine benedictionis.*
9. *Benedicere idem est ac consecrare, & sanctificare.*
10 *Oleum pro consecrando Tabernaculo Mosayco quot, & quibus aromatibus erat compositum?*
11 *Myrrha electa quænam sit?*
12 *Cinamomum Hebræorum quid esset?*
13 *Denarii valor apud Hebræos quantus erat?*
14 *Calamus aromaticus quid esset?*
15 *Casia, seu cassia odorifera quæ?*
16 *Aqua lustralis apud Hebræos ex quibus composita?*
17 *Cineres Vaccæ Rufæ exustæ distribuebantur singulis civitatibus Hebræorum.*
18 *Benedictionis Ecclesiasticæ definitio.*
19 *Actionis nomen plura complectitur.*
20 *Christus fons & auctor omnium benedictionum.*
21 *Christus concessit Ecclesiæ facultatem instituendi Sacramentalia.*
22 *Ritus in benedictionibus Ecclesiasticis tres. Et qui?*
23 *Crucis signum adhibendum in omni benedictione.*
24 *Christus quas res benedixerit signo Crucis?*
25 *Crux à cruciatibus dicta; in primitiva Ecclesia maximè honorata.*
26 *Tiberius Imperator II. Crucis venerator reperit duos thesauros.*
27 *Crucis signum in terra non est sculpendum.*
28 *Benedictiones invalidæ, si sine Crucis signo fiant.*
29 *Æthyopum, & Moscorum magna devotio erga Sanctam Crucem.*
30 *Signo Crucis aliter se signant Latini, aliter Græci.*
31 *Mysteria contenta in signo Crucis plura, & quæ?*
32 *Aquæ benedictæ, seu lustralis origo & mysteria.*
33 *Aqua benedicta quomodo deleat Venialia?*
34 *Aqua benedicta resuscitat mulierem mortuam.*
35 *Aspersio cum aqua benedicta si omittatur, irrita est benedictio.*
36 *Exorcismus quid sit?*
37 *Adjuratio quid, & quotuplex sit?*
38 *Locustæ, & animalia nociva quomodo exorcizentur?*
39 *Excommunicatio qualis in locustas?*
40 *Locustæ anno 1650. in agris Romanis.*
41 *Mures anno 1690. in iisdem agris?*
42 *Laici non possunt exorcizare energumenos.*
43 *Exorcizare nemo potest sine licentia Episcopi.*
44 *Barberina Synodus Abbatiæ Farfensis laudata.*
45 *Episcopi debent examinare exorcismos compositos à personis particularibus.*
46 *Ensalmi, & aliæ preces contra pestem, aut morbos superstitiosi.*
47 *Benedictiones aliæ Ecclesiasticæ aliæ Laicæ. Et quis Minister ipsarum?*
48 *Abbatissæ an possint benedicere Moniales?*
49 *Benedictio an requirat præsentiam rei, vel personæ benedicendæ?*
50 *Præsentia rei benedicendæ quomodo intelligatur?*
51. *Benedictionum Ecclesiasticarum causa finalis duplex, & quæ?*
52 *Laica benedictio datur etiam absentibus.*
53 *Benedictionis fructus quis?*
54 *Piscis benedictus à S. Bernardo causat conversionem Canonici de illo edentis.*
55 *Cervisia benedicta à S. Bernardo bibita à Juvenibus eos ad religionem convertit.*
56 *Ven. Vincentii Caraffæ colobii virtus.*
57 *S. Francisci Xaverii benedictio savet alearum lusori.*
58 *Benedictionum divisiones plures.*
59 *Benedictiones aliæ Constitutivæ, aliæ Invocativæ.*
60 *Benedictiones aliæ sunt propriæ Summi Pontificis, aliæ Cardinalium, aliæ Episcoporum, aliæ Sacerdotum, aliæ Abbatum, & aliæ Prælatorum Regularium.*
61 *Rosæ aureæ, & Agnorum Dei cereorum sunt Papales benedictiones.*
62 *Rosæ aureæ benedictiones mysterium, & origo.*
63 *Rosa aurea benedicta Venetiis Anno 1177. ab Alex. Tertio.*
64 *Rosa aurea Duci Venetiarum donata anno 1690. ab Alex. Octavo.*
65 *Agnorum Dei cereorum benedictionis origo antiquissima.*
66 *Agnorum Dei à Papa benedictorum virtutes plurimæ.*
67 *Agni Dei tangi non possunt à laicis; non pingendi; non videndi sed summa reverentia tenendi.*
68 *Episcopi an possint benedicere Rosas aureas, & Agnos Dei cereos?*
69 *Cardinales quos benedictiones facere possint?*
70 *Cardinales Sacerdotes, vel tantum Diaconi quas benedictiones faciant?*
71 *Episcopalium benedictionum quatuor genera.*
72 *Benedictio solemnis per verba* Sit nomen Domini benedictum, &c. *an dari possit à Simplici Sacerdote?*
73 *Benedicere populum per vivas spectat ad solum Episcopum.*
74 *Sacerdotales benedictiones sunt in triplici differentia. Et quæ?*
75 *Parochorum propriæ benedictiones quæ sint?*
76 *Mulierum post partum benedictiones à quo dandæ? Num à Regularibus?*
77 *Roma Sacrorum Rituum Magistra.*
78 *Abbates quas benedictiones facere possint? Num etiam pro rebus Ecclesiarum non suarum?*
79 *Regulares Prælati benedicunt sacram suppellectilem pro suis Ecclesiis, non pro alienis.*
80 *Laicarum benedictionum origo, & Virtus.*
81 *Maledictio parentum nociva filiis. Exempla.*
82 *Benedictio Ecclesiæ, Oratorii, & Cœmeterii quomodo fiat?*
83 *Oratoria privata an benedicenda?*

ECclesiastica consuetudo fecit, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium non solùm in Templis solemniter Deo consecratis celebraretur; sed etiam in Ecclesiis, & publicis Oratoriis simpliciter benedictis; ea ratione, quia, ut ait Riccius *in addit. ad Lancellot. lib. 2. tit. 18. §. 1.* ex Paludano, & Soto ibi citatis, Ecclesiæ consecratæ propter plures casus occurrentes sæpè polluuntur, & difficile possunt per Epi-

Episcopus reconciliari; ideò, ne divinorum celebratio retardetur, introductum est, ut simpliciter benedicantur, & sic in casu pollutionis, à simplici Sacerdote de licentia Episcopi reconcilientur. Igitur cum supra egerimus de Consecratione Ecclesiæ; nunc de ejus benedictione est differendum & pro majori intelligentia dicendorum, examinabimus,

1. *Quot significationes habeat hæc vox Benedictio?*
2. *Quid sit Benedictio?*
3. *Quot sint species Benedictionis?*
4. *Quæ requirantur ad Benedictionem Ecclesiæ? & Cœmeterii?*

Quò ad primum, Hæc Vox *Benedictio* vel sumitur tanquam duo verba, atque duæ dictiones, & significat loqui scienter, peritè, ornatè, & appositè, juxta illud Ciceronis *De claris oratoribus, Philosophia mater est omnium bene dictorum, beneque factorum.* Vel sumitur tanquam una dictio & unica Vox & habet quinque præcipuas significationes. Primò enim significat aliquem laudare, vel commendare; ideò cùm profitemur Deum benedicere, intendimus ejus laudes, & prærogativas recitare: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*; dicebat Regius Psaltes. *Psal. 33. vers. 1.* & pueri in fornace ignis ardentis; *Benedicite omnia opera Domini Domino; laudate, & superexaltate eum in sæcula. Dan. 3. 57.* Similiter Ecclesia in Hymno *Pange lingua gloriosi*, quando canit in ultimo Strophe: *Genitori, Genitoque, laus & jubilatio: Salus, honor, Virtus quoque sit & Benedictio*, &c, intendit Sanctissimam Trinitatem laudare. Unde Magrius *in Hierolexic. Verb Benedictio, col. 3.* acriter reprehendit clericos illos, qui in Processione cum. SS. Eucharistia ad illa verba benedicunt populum: non intelligentes, quòd ipsa referuntur ad laudandam SS. Trinitatem, non ad populi benedictionem, & sic ridiculè pro SS. Trinitate populus benedicitur sub illis verbis. Secundò benedicere significat, bona, & prospera alicui precari, & fausta ominari. Hinc senescenteIsaaco, vocatoque Esau filio suo majori, ei ita locutum testatur Scriptura Sacra: *Sume arma tua suo pharetram, & arcum, & egredere foras, cumque venatu aliquid apprenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer, ut comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar, Genes. 27. 3.* Tertiò benedictionem dare, significat dotem constituere; vel munera elargiri. De dote habemus exemplum Axæ filiæ Caleb, nuptæ Orthonielo, quæ ita dixit patri suo: *Da mihi benedictionem. Terram australem, & arentem dedisti mihi; junge, & irriguam, quod Caleb fecit*; ut legitur *Jos. cap. 15. vers. 19.* ubi Tirinus notat, quòd, filiabus Hebræorum, nubentibus Viris de Tribu sua dabantur agri in dotem; secus si extra Tribum nubebant ut *Num. cap. ult.* De largitione munerum est exemplum Jacobi reverentis de domo Labani, & in itinere obviam habentis Esau fratrem suum, cui munera exhibuit, & ait: *Suscipe benedictionem, quam attuli tibi, Genes. 33. 11.* Et de Abigaile, quæ iratcenti David ob denegata alimenta exercitui suo, obtulit comestibilia, vinum, & alia, & dixit: *Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo 1. Reg. 25. 27.* Hinc quia benedictiones Dei nos sunt munera gratiæ suæ vel spiritualia, vel temporalia; Deus dicitur nos benedicere, cum nobis bona concedit, ideòque ait Abrahamo *Egredere de terra tua, &c. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi. Genes. 22. 2.* idest ditabo te multis divitiis, & de homine justo, Divina præcepta servanti, ait Psalmista; *Hic accepit benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Psal. 23. 5. Et Psal. 24. 4. Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*; id est in gratiis spiritualibus, & temporalibus ut Tirinus *ibid.* commentatur. Quartò, benedicere per antiphrasim (Antiphrasis est figura, quæ continet locutionem contrariam, faciens ut sermo per contraria intelligatur. Laurentius *in Amalthea Onomastica Verb. Antiphrasis*) aliquando significat maledicere, & blasphemare. Ita Tirinus *in Idiotism. Hebræor. num. 31.* Exemplum unum est illud patientissimi Jobi, cui graviter afflicto, *dixit Uxor sua; adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere Job. 2. 9.* Verbum enim illud *Benedic.* vult dicere *Maledic.* ut observant ibi omnes Interpretes. Aliud est exemplum, Nabothi quem ob denegatam vineæ relaxationem Jezabel calumniata de blasphemia in Deum, & Regem, jussit lapedari his verbis: *Quia Naboth benedixit Deum, & Regem; educite eum, & lapidate; sicque moriatur*; prout ita mortuus fuit, ut legitur *3. Reg. 21. 10.* ubi enim *Benedicere* ponitur antiphrasticè pro *Maledicere.* Quintò tandem benedicere significat consecrare, & sanctificare, seu conferre aliquod esse Sacrum personæ, aut rei, quæ benedicuntur; ut fiant convenientes, & aptæ vel Sacramentis administrandis, vel Sacrificiis offerendis, aliisve actibus ad cultum Divinum, salutemque animarum spectantibus associandis, juxta illud Divi Pauli *in Epistol. ad Timoth. cap. 4. vers. 5. Omnis creatura sanctificatur Verbo Dei; & Orationem*: quem locum ita explicant ex doctrina S. Chrysostomi, Augustini, & aliorum Tirinus his verbis: *Per verbum Dei, & orationem, idest per benedictionem.*

Ad hunc effectum benedicendi, idest Sanctificandi Tabernaculum, Altare, & alia Moysi ordinata pro cultu Religionis, mandavit eidem Dominus compositionem olei Sacri, de quo *in Exod 30. 23.* in qua quatuor genera aromatum miscebantur, videlicet *Myrrha electa, Cinnamomum, Calamus, & Casia*; de quorum aromatum veris speciebus non levis est disputatio apud interpretes, ut differit Menochius *in Stor. eis part. 6. Centur. 12. cap 94.* ubi demonstrat *Myrrham electam* illam fuisse; quam spontè planta distillat absque corticis incisione, quæ à Græcis vocatur *Stacte*, idest *Stillatitia*, & de ea agit Plinius *lib. 12. cap. 16.* Quò autem ad *Cinnamomum* non est illud, quo nos utimur, vulgo dictum *Cannella*, sed erat quid pretiosum, & rarum, ut scribit Galenus *libr. 7. de Antidot.* Dioscorides *libr. 1. cap 13.* Theophrastus *lib. 9. Histor. Plantar cap. 5.* Plinius *lib. 12. cap. 19.* ubi asserit, quod libra cinnamomi valebat mille denarios; denarius autem erat valoris unius Julii Romani, seu unius libræ Venetæ; adeò ut, pretium unius libræ Cinamomi erant mille libræ denariorum Venetorum, quæ faciunt summam Scutorum Romanorum centum. *Colamus* secundùm veriorem opinionem erat arundo odorifera, quam Matthæolus *in Comment. ad Dioscorid. l. 1. cap. 17.* vocat *Squinantum*; & reperitur penes montem Libanum, de eaque scribunt Theophrastus *d. libr. 9. cap 7.* & Plinius *d. lib. 12. cap. 22. Casia* autem, seu *Cassia* non est illa medicinalis, qua quotidie utimur, sed quædam exigua odorifera planta, de qua præcitati Auctores, Plinius *lib. 12. cap. 26.* Isidorus *libr. 17. cap. 8.* Theophrastus *libr. 9. cap. 5.* Dioscorides *lib. 1. cap. 12.* & alii apud Menochium *d. Centur 12. cap. 94.* ubi opinatur, eam esse nostrum cinnamomum, videlicet *Cannella.* Igitur prædicta aromata jussit Deus

Deus cum oleo purissimo immiscèri; ad benedicendum, & sanctificandum Tabernaculum, Arcam Testamenti, Mensam, in qua ponebantur panes propositionis, Candelabrum septem Lucernarum, & alia vasa, & utensilia cultui suo dedicata.

Eadem de causa docuit Dominus Moysen, & Aaronem ritum aquæ lustralis, faciendæ cum cineribus
16 Vitulæ, seu Vaccæ rufæ immolatæ, ac cum bustæ extra castra; ad mundandos, & sanctificandos illos, qui quibusdam immunditiis legalibus erant inquinati; ut legitur *in lib. Num. cap.* 19. & de qua meminit Apostolus *ad Hebr. cap.* 8. *vers.* 13. his verbis: *Si enim Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis, &c.* Observat autem Tirinum *Comment. in lib. Num. d. cap.* 19. *vers.* 12. quòd Vaccæ
17 hujus, seu Vitulæ rufæ extra Castra, seu Urbem exustæ cineres distribuebantur quotannis per singulas Palestinæ urbes, & in loco ad id designato servabantur, cumque contingeret, aliquem ex contactu cadaveris, vel morticinii, vel alterius rei immundæ contaminari, pauxillo hujus cineris in quam vivam immisso, statis diebus aspergebantur, & sic mundabatur. Mysticum autem sensum illius Vitulæ, & aquæ lustralis exponit S. Thomas 1. 2. *quæst* 102. *art.* 5. *ad* 5. quem studiosus legere non detrectet. Itaque benedictio verè, & propriè significat sanctificare res, vel personas, super quibus profertur, seu immittitur benedictio; & in eis quamdam qualitatem spiritualem inferere, & in hoc sensu intelligimus benedictionem, de qua hîc agimus, circà novas Ecclesias, & Oratoria.

Quo ad secundum. Benedictio, prout in hac quinta significatione sumitur, sic definitur: *Est actio Religiosa,*
18 *per quam ritibus, & precibus ab Ecclesia ordinatis, seu permissis, à Ministro ad id deputato, res seu personæ præsentes sanctificatur, ut divino cultui inserviant; vel à quocumque fideli rebus, aut personis etiam absentibus cœlestis opis invocatur, ut saluti tam corpori, quam animæ proficiant.* Per currenda sunt breviter omnia hæc verba definitionis, à quorum explicatione tota natura, & essentia Benedictionum elucebit.

Dicitur, quòd Benedictio sit *Actio* loco generis; comprehendit enim tam operationes spirituales,
19 quàm corporales, juxta vulgatam illam orationem *Actiones nostras quæsumus Domine, &c.* & amplectitur tam actiones hominum, quàm brutorum, & tam communes hominibus tantùm, quatenùs sunt creaturæ rationales, & ab intellectu actiones prodeunt, quàm etiam hominibus, & brutis, de quibus actionibus eruditè disserit M. Aurelius Galvanus Ferrariensis, olim Præceptor meus, & in prima Sede Juris Civilis Professor in hac Universitate Patavina, in suo tractatu *de Usufructu cap.* 5. *à num.* 3. *& seqq.*

Dicitur Actio *Religiosa*; primò, quia omnis benedictio procedit à Christo Domino, qui est fons, au-
20 ctor, & subjectum omnis benedictionis, juxta Divi Petri Apostolorum Principis verba ad fideles primitivæ Ecclesiæ. *Act.* 3. 26. *Vobis primùm Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis*: à quo innumeras benedictiones provenire in totam Ecclesiam Sponsam ejusdem Christi demonstrat Carolus Bouquin *in Solis Aquinatis Splendorib.* seu in explicatione *Sequentiæ, Lauda Sion Salvatorem, lib.* 4. *tex.* 21. *num.* 232. *& seqq.* Secundò, quia benedictio quatenus sanctificat res, vel personas, ut sint aptæ Divino cultui, (prout eam sumimus in præsenti) spectat ad virtutem Religionis, ut plenè probat Emin. Card de Lauræa *in* 3. *Sent. tom* 2. *De Virtutibus in genere, disp.* 25. *art.* 2. *num.* 17 *& num.* 35. ubi in specie agit de Ecclesiarum, & Altarium ædificatione & benedictione pro cultu Divino exercendo.

Dicitur in definitione; *Per quam Ritibus, & precibus ab Ecclesia ordinatis*: quia cùm Christus Dominus concesserit Ecclesiæ Sponsæ suæ ob nimium amorem, quo eam prosequitur, ut ad quamdam similitudinem Sacramentorum ab eodem Christo institutorum, posset & ipsa instituere Sacramentalia, quibus fideles spiritualibus, & temporalibus beneficiis juventur; ut ex doctrina Caramuelis *in Theolog. Fundament. n.* 2047. ostendimus in nostris Deficionibus *anni* 1687. *de Sacramentis genere, & de Sacramentalib. ad secund. Quæst. Mensis Decembr.* propterea ipsamet Ecclesia ad imitationem Divini Sponsi destinavit rem benedicendam diversarum specierum tamquam materiam, nempe aquam cineres, candelas, palmas, comestibilia, aliaque hujusmodi; ac similiter Ritus, & preces tanquam formam; ut doctè differit Quartus *de Benedictionibus in gener. tit.* 1. *sect.* 3. *dub. primo.* 21

Porrò Ritus principui ab Ecclesia in benedictio- 22
nibus ordinati sunt tres; Signum Sanctæ Crucis; Aspersio aquæ benedictæ, & Exorcismi.

Quò ad Signum Sanctæ Crucis, hoc in quacunque benedictione adhibetur; quia, ut ait S. Leo Papa
23 *Serm.* 8. *de Passione, Crux est omnium Fons benedictionum, omnium causa gratiarum.* Et omnia Sacramenta Crucis signo perficiuntur. *cap. Numquid.* 10. *de Consecr. dist.* 5. Atque hic Ritus, & mos benedicendi per signum Crucis ab ipso Christo introductus creditur; præsertim quando ascensurus in cœlum, elevatis manibus benedixit suis discipulis; quem postea imitati sunt Apostoli, docentes hunc ritum in benedictionibus servari; ideóque ex Apostolica traditione in universa Ecclesia est receptus, ut testatur S. Ba-
24 silius *in lib. de Spiritu Sancto c.* 37. Immò signo Crucis fuisse à Christo benedictum panem, & vinum ante consecrationem in ultima cœna scribit Salmeron *tom.* 9. *tract.* 12. quem refert Barradas *in Evangel. tom.* 4. *libr.* 2. *cap.* 2. *col.* 6. his verbis: *Ex usu Ecclesiæ habetur Crucis signatio super Hostiam, quam ex traditione Apostolica proveniisse credimus: quam viderunt Apostoli primùm à Christo observatam, & in lege veteri indicatam; nam Sacrificium dictum* Tenupha, *ad quatuor orbis partes motum, signum Crucis edebat; hoc ergo Signo Crucis, quo cætera omnia Sacramenta perficiuntur, benedixit Sacrificium suum Dominus.* De prædicto autem quadruplici motu, per quem in Sacrificio *Tenuphà* legis antiquæ formabatur Signum Crucis, scripsimus supra *Decis. XXVII. num.* 38. *Ritu V.* & de eodem Sacro Signo Crucis à Christo in Apostolos, & ab Apostolis in Ecclesiam invecto concors est SS. Patrum doctrina, quos allegant Suarez *in* 3. *p. tom.* 2. *disp.* 51. *sect.* 2. Lorinus, & Cornelius à Lapide *in Act. Apost. cap.* 1. *vers.* 9. S. Hieronymus, Carthusianus, & alii apud Menochium *in Historia Sacra Act. Apostolorum libr.* 1, *cap.* 1. *num.* 6. Eminent. Card. Baronius *Anno* 34. *num.* 22. Et novissimè Quartus *d. tract.* 3. *de Benedictionib. tit.* 1. *sect.* 3. *dub.* 1. atque Magrius *in Hierolex Verb. Benedictio*

Hinc est, quòd Crux (quæ à cruciatibus dicitur. *cap. Nulli* 3. *q.* 1.) inæstimabile nostræ Redemptio-
25 nis instrumentum apud omnes nationes fuit semper in Summa veneratione, & quamvis in primitiva Ecclesia non ubique exponeretur Christi Crucifixi imago pendens in Cruce; ene gentiles à conversione retrahe-

traherentur, apud quos tunc reorum crucifixio ignominiosa erat; nihilominus ipsum Crucis signum pingebatur, & ex auro, & argento confectum, gemmisve ornatum adorabatur; ut probat Emin. Cardin. Baronius *ad Annum 395. num. 9.* & ad pedem Crucis mansuetus Agnus, Christi typus figurabatur, de quo cecinit S. Paulinus:

Sub Cruce Sanguinea niveo stat Christus in Agno.

Tantaque erat veneratio erga hoc Sacrosanctum Signum, ut illud sculpi in terra non Sacri Canones, sed etiam leges Imperatorum non permitteret; in cujus observantiæ præmium Tiberius Secundus Imperator duos thesauros meruit reperire,
26 dum jussisset tres Cruces sculptas in terra auferri, ne transeuntium pedibus calcarentur, teste Eminent. Card. Baronio *ad Annum 582. n. 7.* quam piam prohibitionem non sculpendi in solo venerabile Crucis Signum à S. Ludovico Galliarum Rege, & à Pio Papa Quarto renovatam, notat idem Magrius *in Verb.*
27 *Crux*; atque à S. Carolo Borromæo *in Concil. Provinc. 3. & Provinc. 4.* Subdit Corius in eorum Epitome *Verb. Cruces. num. 2. & 3.* Ipsaque Summa Crucis veneratio, quam professi semper sunt fideles, comprobatur ex his, quæ Tertullianus *cap. 3. De Corona militis* scripta reliquit, videlicet, quòd ipsi *ad omnem aditum, atque exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad mensas, ad lavacra ad lumina, ad cubilia, ad sedilia frontem tererent Crucis signaculo.* Quod confirmat S. Augustinus *tract. 118. in Joan.* his verbis: *Quid est signum Christi nisi Crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur, sivè frontibus credentium: sive ipsi Aquæ, ex qua regenerantur, sivè Oleo, quo Chrismate unguntur sivè Sacrificio, quo aluntur: nihil horum ritè perficitur,*
28 Quæ quidem verba ultima clarè demonstrant invalidas, & nullas esse benedictiones illas, quæ fierent omisso Crucis signo, quod tanquam pars formæ essentialis in quacunque benedictione debet intervenire, & est ejusdem necessitatis cum precibus ab Ecclesia præscriptis: quarum mutilatio, seu mutatio irritat benedictionem, ut docet Quartus *in eod. tract. de Benedictionib. tit. 1. sect. 3. dub. 1. & seqq.* Et Castaldus *in Praxi Cærem. lib. 2. sect. 11. cap. 1. num. 4.* undè eò magis benedictionem irritat omissio hujus Sacri Ritus consistentis in formando signo Crucis super re benedicenda; quod quidem in quibuscunque benedictionibus Pontificalis, Missalis, ac Ritualis Romani indicitur, præscribitur, & ordinatur.

Tandem in veneratione signi Sanctæ Crucis in-
29 ter alias notiones oris Christiani, singulares sunt Æthiopes, nam eam laici in collo appensam semper ferunt; Monachi verò, & alii Ecclesiastici illam in manu semper portant, prout etiam eorum Imperator; ut differit Magrius *in Hierolexic. d. Verb. Crux*; subdens maximam etiam esse erga sanctam Crucem Moscorum reverentiam; qui eam jugiter è collo habent pendentem; neque sinunt illam ad solum sculpi,
30 aut depingi. Non est tamen ignoranda differentia in munitione signi sanctæ Crucis, quam facit utraque Ecclesia, Latina, & Græca; nos enim Latini, dum nosmetipsos Signo crucis signamus, signum manu dextera aperta à fronte ad pectus, deinde ab homero sinistro ad dexterum ducimus, denotantes transitum à miseriis ad felicitatem. Græci autem tribus digitis unitis, pollice, indice, & medio (in symbolum Sanctissimæ Trinitatis) reliquis duobus digitis contractis se signant, à fronte quidem ad pectus; sed deinde à dextero humero ad sinistrum, dicendo *In nomine Patris, & Filii, & Sancti Spiritus*; videlicet *Sancti* in humero dextero, & *Spiritus* in sinistro; ad significandum, prædicationem Salvatoris transitum fecisse ab Hebræis ad Gentiles, ut prosequitur Magrius *d. verb. Crux, in fine.*

Sacrosancta Mysteria tum Sanctissimæ Trinitatis, & ejus individuæ Unitatis, tum Dominicæ Incar- 31
nationis repræsentari in his verbis, quæ proferimus, dum nosmet signo Crucis munimur *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, edocentur etiam pueri nostri à libello Doctrinæ Christianæ: cæterùm non pigeat studiosum Lectorem audire Alphonsum Mendesius Lusitanum Soc. Jesu, Patriarcham Æthiopiæ, eadem sacrosancta mysteria in signo Crucis declarantem *in sua Theologia Catechetica lib 1. cap. 7. n. 5.* his elegantissimis verbis: *Cùm dicentes*, in nomine Patris, *frontem tangimus, Patrem Filii, & Spiritus Sancti principium esse innuimus. Cùm pectus ad summum ventrem leviter premimus, addentes*, & Filii *æternam Verbi à Patre ex utero ante luciferum generationem connotamus. Cùm dexteram utrique humero applicamus; eosque velut in amicitiam contrahimus, dicentes*, & Spiritus Sancti; *tertiæ Personæ, quæ essentialiter amor est, à Patre, & Filio processionem indicamus*; *eamque cùm duæ aliæ Personæ simplex nomen habeant, composito vocabulo Spiritum Sanctum appellamus, quod in seipso ambarum concursum, inspirationemque collegerit.* Hæc de Ritu Signi sanctæ Crucis in benedictionibus adhibendo. De ejus autem fructu, virtute, & potentia inferiùs loquemur.

Quò ad aspersionem rei, quæ benedicitur, cum
Aqua lustrali, juxta Ritum Ecclesiæ antea benedi- 32
cta; sciendum est, hunc Ritum esse antiquissimum siquidem à D. Matthæo Apostolo institutum fuisse legitur *in Constitut. Apostol. lib. 8. cap. 29.* Et illud confirmavit Alexander Papa Primus *Anno Christi 132.* ut notat ibid. Emin. Card. Baronius *num. 3.* & legitur *in cap. Aquam Sale. de Consecrat dist. 3.* ubi ait: *Aquam Sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur.* Quod refertur etiam à Bisso *in Hierurgia, verb. Aqua, num, 431. §. 3.* Aqua enim benedicta cum mixtione Salis significat hypostaticam Christi unionem, quia Sal infusum est mysterium increatæ Sapientiæ; Aqua verò humanæ naturæ symbolum, quæ ut habetur *2. Reg. 14. 14. Ut aqua dilabitur.* Idcirco utimur Aqua benedicta, dum signamus nosmet ipsos, & alias res benedicimus, quia ejus plures sunt virtutes, & valet ad fugandos dæmones, & ad morbos pellendos; ut pluribus exemplis demonstrat Emin. Card Baronius *Anno 44. num. 60.* & *88. Anno 57. num. 110. Anno 63. num. 164. Anno 132. num. 13. & 14. Anno 389. num. 108. Anno 537. n. 11. & seqq. & An. 855. n. 24. & seqq.* Quos omnes annos ita collectos refert Magr. *in Hierolexic. verb. Aqua benedicta. col. 2.* ubi movet quæstionem, An Aqua benedicta deleat peccata Venialia *ex opere operantis*, vel etiam *ex opere operato*? Quam
nos examinavimus, rationes, & Doctores pro utraque 33
parte allegando *in Decisionib. Anni 1687. de Sacramentis in genere, & Sacramentalibus Mense Decembri casu primo*; ubi studiosus recurrat. Plura autem sanitatum exempla, virtute Aquæ benedictæ obtenta refert Henriquez *in Summa lib. 3. cap. 13. & ibi Gloss. in fin.* & Magrius *ubi supra*, nec non locustarum segetes devastantium expulsionem; quibus similia plurima narrat Daniel Bartolus *in Asia Historia lib. 4. pag. 874. 875. lib. 5. pag. 379. & 410. & lib. 7. pag. 470.* Imò S. Rioccum discipulum S. Vinvaloci
Abbatis in Britannia minori aspersione Aquæ, 34
per eumdem S. Abbatem benedictæ, suscitasse à mortuis suam genetricem, summa adstantium cum

cum admiratione scribit Hieronymus à Basilia petri *in suis Ephemerid. sacris die 12. Februarii, pag. 264.* In vita quoque Sanctæ Teresiæ, ab eadem Sancta conscripta, *cap. 31.* ostenditur virtus Aquæ benedictæ in expellendis dæmonibus, qui ipsam Sanctam aliquando insultabat. Quapropter jure optimo aspersione ejusdem Aquæ benedictæ jubet Ecclesia, ut res, quæ benedicendæ sunt, benedicantur; quæ
35 aspersio, si omitteretur, inanem esse benedictionem asseverandum venit ex doctrina Suarezii *in p. D. Th tom. 3. disp. 15. sect. 4.* Quarti *d. tit. 1. de Benedictionib. sect. 3. dub 1.* & Martii Columnæ *in Hydragiologia sect 2. c. 7. n. 8.* per eumdem Quartum allegati.

Quoad Exorcismos, eis etiam utitur Ecclesia in benedictionibus, præcipuè dum benedicit Salem, ac etiam Aquam tam per annum, quàm in Vigilia Epi-
36 phaniæ, & Sabbato Sancto in fonte baptismali. Exorcismus autem idem est, ac adjuratio, ut docet S. Thomas 2. 2. *q. 90. art. 1.* quem omnes Scholastici, & Summistæ sequuntur. Adjuratio verò *inductio est ali-*
37 *cujus personæ ad faciendum, vel omittendum aliquid per invocationem Dei, vel alicujus rei Sacræ.* Duplex pariter est Adjuratio, una deprecativa, altera imperativa. Prima fit cum submissione, & precibus ad Deum, & Sanctos, orando, & rogando illos, ut aliquod bonum nobis concedant; vel aliquod malum avertant. Secunda fit imperando dæmonis, vel creaturis irrationabilibus, ut deferant affligere populum fidelem, vel ei nocere; & ideò secundùm Isidorum *De Eccles. Offic. cap. 20. Exorcismus est sermo increpationis contra immundum spiritum.*

Sed dicet aliquis, quomodo possunt exorcizari animalia irrationabilia, quæ non habet intellectum,
38 ad hoc ut fugiant ab agris, ubi dilaniant segetes, prout faciunt locustæ, vermes, mures, & alia hujusmodi, quæ etiam dicuntur aliquando excommunicari? Respondetur, ex doctrina ejusdem Angelici Doctoris. 2. 2. *qu. 90. art. 3. in corp.* quòd Exorcismi in prædictas bestias non diriguntur directè ad ipsas, quasi ipsæ debeant connivere adjurationi, & fugere, avertendo malum; sed referuntur ad earum motorem; quo ductæ malum, & perniciem agunt in aliquo agro; idcircò duplici modo exorcizantur; uno quidem modo per deprecationem ad Deum directè; ut dignetur avertere bestias illas & damnum, quod ex eis timetur; Altero modo per compulsionem, & imperium contra Diabolum, à quo animalia, sive etiam nubes, & tempestates moventur, ut deferat eadem animalia, seu nubes mòvere, imò eas, & alia fugare debeat, ne damnum populis inferant. Ita Valentia 2. 2. *disp. 6. q. 8. punct. 2. ad fin.* Sanchez *in Summa Decal lib. 2. cap 42. n. 37.* Volpi *Resolut. 86. num. 9.* & Quartus *d. tit. 1. de Benedict. sect. 3. dub. 1.*

Hinc ex his patet, eadem animalia impropriè ex-
39 communicari (non sunt enim capacia censuræ Ecclesiasticæ; ut bene docet Suarez *in 3. p. tom. 5. disp. 5. sect. 1. in princ.*) sed adjurari, ut virtute orationum, exorcismorum, & benedictionum Agrorum, quæ à Religiosis personis fit, tempore alicujus universalis devastationis, bestiæ illæ tanquam execratæ, & maledictæ in fugam se vertant, & cessent à damnis inferendis; prout factum fuisse in agro Romano Anno 1650. testatur Carolus Septala *in Opere de Mysteriis Sacosancti Missæ Sacrificii c. 9.* his Ita-
40 licis verbis *pag. 58. Essendo io Prelato Referendario in Roma l' Anno 1650. vennero in quel contorno tante Cavalette, & altre sorti d' animali, che divorando tutta la campagna, obligorno il Sommo Pontifice Innocentio X. vestito in Pontificale sopra la Loggia del Palazzo Quirinale, à benedire l' aria, e maledire dette bestie. Seguita l' aspersione dell' Acqua Santa per tutte le quattro parti (cosa mirabile da me vista (tutti gl' animali della sopra detta Campagna di Roma per molte miglia si vennero ad attuffare, & annegare nel Tevere; a segno che per molte hore non si vedeva quasi l' Acqua del fiume; il che rese confusione anche alla dura ostinatione degli eretici.* Consimilem locustarum excidium evenisse tempore Stephani Papæ Sexti notat Magrius *in Hierolexic. verb. Aqua benedicta.* Et de
41 muribus eamdem Romanam Campaneam devastantibus, quos Alexander Papa Octavus exorcismis fugavit anno 1690. famam retulisse recordor. Vanam autem, imò superstitiosam eam praxim esse, qua in consimilibus casibus bestiæ prædictæ citantur in judicium, assignato iisdem procuratore, & advocato, easdemque nonnullis judiciariis terminis servatis, sententiando, & banniendo, testantur DD. quos cumulant, & sequuntur Sanchez *d. lib. 2. cap. 42. num. 39.* & Volpi *cit resolut. 86. num. 11.* Neque illud est omittendum circa exorcismos in Dæmones, à quibus vexantur Energumeni, quod licet in primitiva Ecclesia licitum esset etiam laicis adjurare Dæmones, & exorcizare Energumenos; ut disserit Illustrissimus Sarnellius Episcopus Vigiliar. *in Speculo Cleri secularis tom 1. lib. 4. tit. de Exorcistis;* nihilominus 42
munus hujusmodi per Concilia, & Decreta Pontificum ibidem allegata restrictum fuit ad solos clericos ordine Exorcistatus insignitos. Hodie verò ob abundantiam Sacerdotum, his tantummodò promittitur exercitium talis ministerii; ita tamen ut prius obtineant expressam licentiam, & facultatem ab Episcopo; vetant enim Concilia Provincialia, Constitutiones Synodales fere omnium Diœcesum, atque Decreta Sacræ Congregationis, ne quis Clericus, vel Sacerdos Sæcularis, aut Regularis audeat exercere Officium Exorcistæ sine permissu Ordinarii; ut legitur 43
apud Nicolium *in Flosculis verb Exorcismus num. 1.* Gavantum *in Manuali verb. Exorcista n.* Constitutiones Justinianeas *lib. 3. tit. 1. c. 139. §. 130. n. 3.* Et Synodum Diœcesanam Abbatiæ Farfer. sub Emin. & Reverendiss. D. Carolo Cardinali Barberino Abbate, 44
& Ordinario Anno 1686. in qua *Part. 1. cap. 13. De Sacramento Ordinis sub num. 4. vers. Exorcistatus*; ita decernitur: *Exorcistatus tamen Officium à nemine etiam Regulari in nulla, etiam propria Ecclesia, absque nostra speciali licentia sub gravissimis pœnis exerceatur.* Hanc Synodum me allegare delectat, quia nullam aliam vidi Sacris Canonibus ea firmiùm innixam, & decretis Sacræ Congregationis abundantiùs illa refertam.

Sequitur in definitione Benedictionis; *Precibus ab Ecclesia ordinatis, seu permissis*; quia multæ preces sunt ab ipsa Ecclesia ordinatæ, extensæ, & statutæ; quales sunt in Missali Romano pro Benedictione Candelarum, Cinerum, & Palmarum, & aliæ in ejus fine pro benedicenda Aqua, Supellectilibus sacris, comestibilibus variarum specierum, domorum, & navium, quæ etiam leguntur in Rituali Romano. Verùm aliæ preces reperiuntur, non quidem ab eadem Ecclesia immediatè ordinatæ, sed tantùm permissæ, quæ adinventæ sunt à piis personis, & impressæ in libellis privatis, præcipuè pro adjuratione nubium, & grandinum; non pro exorcizandis energumenis, & hujus generis sunt illæ impressæ per R. P. Franciscum Mariam Guaccium *Ordinis. S. Ambrosii ad Nemus Mediolani in suo Compendio Maleficarum*; in quo post librum Tertium additi sunt exorcismi, videlicet preces, ora-

orationes, & adjurationes pro exorcizandis energumenis, ac curandis febricitantibus, & hæ dicuntur
45 permissæ ab Ecclesia; nam Episcopi tenentur de eis se informare, & eosdem exorcismos approbare; ut statutum esse in Conciliis Mediolanensibus referunt Eminen. Card. de Lauræa *in Epitome Canonum verb. exorcista.* Et Corius *in Concil. Mediolanen. Epitome eod. verb. num.* 13.

Cautè igitur est procedendum in his precibus per privatas personas compositis; in multis enim etsi verbis piis, & devotis, latere solent superstitiones, vanæ observantiæ, atque etiam pacta tacita cum Dæmone, ut plenè disserit Delrius *Magicar. Disquisit. libr.* 3. *part. poster. quæst.* 4. *sect.* 7. & 8. ubi confutat scripta Malleoli Canonici Tigurini, qui tutabatur plures formulas exorcismorum, & precum, etsi evidenter Superstitione scatentium; ideóque ibidem Delrius retorquet, & resolvit decem, & septem argumenta, quibus præfatus damnatus Auctor exorcismos suos licitos esse conabatur demonstrare; & iisdem non dissimiles sunt Ensalmi recitandi contra
46 pestem; (quales est ille incipiens *Crux Christi salva me, &c.*) vel ad alios morbos sanandos, quibus nefas est uti, juxta doctrinam Mouræ *in Opuscul. de Incantat sect.* 2. *cap.* 16. Et Marchini *in tract. de Peste Problem.* 33. quos citat, & sequitur Diana Coordinatus *tom.* 8. *tract.* 2. *resol.* 6. *& resol* 7. Quæ sunt excerptæ ex antiquo *part.* 4. *tract* 3 *resol.* 43. *& resol.* 62.

Verba in definitione sequentia sunt; *A ministro ad id deputato.* Benedictiones enim non nisi à proprio Ministro sunt faciendæ. Ut autem cognoscat studiosus Lector, quis earum sit legitimus Minister, sciat principalem divisionem benedictionum, in Ecclesiasticas, & laicas Ecclesiasticarum benedictionum Ministri sunt vel Papa, vel Episcopus, vel Sacerdos, ut infra mox demonstrabimus; & in his attendenda
47 est Ecclesiæ ordinatio, & constitutio; sicut enim ad ipsam spectat ordinare Ecclesiasticas benedictiones, pari modo ejusdem auctoritatis est determinare Ministrum, à quo perficiantur; adeò ut si alius ab illo præsumat illam benedictionem facere, peccet mortaliter, incurrat irregularitatem, & benedictio sit invalida. Suarez *in* 3. *part tom.* 3. *disp.* 15. *sect.* 3. & Quartus *de Benedictionib. d tit.* 1. *sect.* 4. *dubit.* 2. Laicas verò benedictiones dispensare possunt omnes fideles, qui præeminent aliis vel gradu, ut Pater, Mater, & alii majores; vel sanctitate, quales sunt servi Dei, etsi laici, & in statu laicali viventes: hi enim omnes esse possunt ministri benedictionum, ut demonstrant acta Sanctorum, in quibus frequentia habentur exempla benedictionum ab ipsis dispensatarum, prout de S. Hilarione, de S. Simone Stilita; de S. Birgitta, de S. Hildegarde, & aliis laicis viris, & fœminis, quos recenset Gretserus *de benedi-*
48 *ctionib. lib.* 1. *cap.* 8. & Quartus *d. tit.* 1. *sect.* 4 *dub.* 8. ubi addit etiam abbatissas esse legitimas ministras benedictionum in suas Moniales; nec non *Dubit.* 9. & 10. in quibus advertit, in Ministro benedicente requiri attentionem, intentionem, conscientiæ puritatem integram precũ recitationem, & rituum ab Ecclesia ordinatorum observationem, ad ritè, & rectè ministerium illud explendum.

49 *Res, & personæ præsentes*, ait definitio; quia etsi laica benedictio impertiri possit etiam absentibus, quibus à Deo bona augurantur; Ecclesiastica tamen benedictio regulariter dari non potest, nisi rebus, vel personis præsentibus, ut patet ex sensu orationum, & precum in Missali, vel Rituali Romano præscriptarum, quæ supponunt res, aut personas benedicendas esse præsentes; super quibus etiam cadunt ritus ordinati in ipso actu benedictionis, nempè vel unctio ut in calicibus, vel aspersio Aquæ benedictæ, vel insufflationes in aliis rebus, vel personis, quæ si absentes forent, invalidè benedicerentur; ut bene
50 ratiocinatur ipse quartus *cit. tit.* 1. *De benedictionib. sect.* 2. *dub.* 4, ubi tamen advertit, præsentiam hanc esse intelligendam moraliter, & morali modo quæ in rebus inanimis verificatur, si adsint intra viginti passus, ituat aspersa Aqua benedicta super eis cadere possit; personæ verò benedicendæ si sint in loco, in quo Pontifex, vel Sacerdos stat, dum benedicit; vel penes dictum locum moraliter, ut qui non possunt ingredi Ecclesiam, stant in cæmeterio, vel in fenestris è regione positis, in quibus stantes dicerentur satisfacere præcepto de audienda Missa juxta opinionem Veteris Dianæ *per.* 10. *tract.* 14. *resol.* 49. translata in Coordinatum, & repolita *tom.* 2. *tract* 3. *resol.* 18. Excipienda est tamen benedictio cum Indulgentia, quæ in articulo mortis, ut plurimùm, mittitur à Summo Pontifice per nuncium, vel per epistolam; illa enim ex speciali privilegio, vel ob expressam Pontificis voluntatem confertur etiam in absentem.

Sanctificentur, ut divino cultui inserviant dictum est in definitione; quia benedictiones institutæ sunt ab
51 Ecclesia ob duplicem finem. Unus est Divinus Cultus, ad quem spectat major decentia, & ornatus in administrandis Sacramentis, & Sacrificio offerendo. Alter est utilitas fidelium. Igitur Sanctificantur, ut inserviunt Divino Cultui, Templa, Calices, Cruces, Suppellectilia: & alia Ecclesiastica ornamenta; pro quibus omnibus institutæ sunt ab Ecclesia suæ propriæ benedictiones. Bonanica *de Sacrament. disp.* 1. *qu.* 7. *punct. unico*; & Quartus *d. tit. & sect.* 5. *dub.* 1.

Tandem subditur in definitione: *Vel à quocunque fideli rebus, aut personis etiam absentibus cœlestis opis invocatur, ut saluti tam corpori, quàm animæ proficiant:* in quibus verbis tria scitu digna continentur. Primum est benedictio laica, quæ etiam à personis nullo clericali charactere insignitis, si in eis vel titulus Sanctitatis, vel gradus majoritatis effulgeat, potest
52 elargiri, ut dictum est supra. Secundum est, quòd hæc laica benedictio etiam absentibus dari potest, tum per litteras, tum per nuncios; tum ore, tum corde. Tertium est, quòd utraque benedictio est
53 proficua tum animabus, quàm corporibus fidelium; siquidem quò ad animam, delentur venialia, remittuntur pœnæ, dantur gratiæ excitantes, seu prævenientes, & compescitur Dæmonum audacia, & vis in tentando; ut fusius docent S. Thomas 3. *p. qu.* 87. *art.* 3. Suarez *in eamdem* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 25 *sect.* 4. Delrius *Disquis. magicar lib.* 6. *tit.* 3. Martilus Columna *in Hydragiolia sect.* 3. *cap.* 2. & Quartus *d. tit.* 1. *sect.* 5. *dubit.* 2. *& seqq.* ubi disputat de prædictis omnibus effectibus; concludens, eos ex opere operantis ex communiori opinione obtineri, & non semper omnes, & infallibiliter; sed per modum impetrationis, ex meritis ipsius Ecclesiæ.

Quò verò ad corpora proficiunt benedictiones, & res benedictæ, quia obtinent sanitatem, ut precatur Ecclesia in benedicendis rebus comestibilibus; ac etiam bona temporalia, quando saluti æternæ non sunt nocitura, & ipsi fideles utuntur rebus benedictis debita cum veneratione, fide, ac spe in Deum; ut notat Suarez *d. tom.* 3. *disp.* 16. *sect.* 4. Et Quartus *d. sect.* 5. *dub.* 7. Qui quidem effectus sequentib.

tibus exemplis ex vitis Sanctorum depromptis confirmantur.

Apud Coloniam Agrippinam, quæ est insignis
54 Metropolis Germaniæ, fuit Magister quidem Alexander nomine, Canonicus, Doctorque famosissimus in eadem Urbe; quo tempore Sanctus Bernardus Abbas Clarevallis, jussu Engenii Papæ Tertii, signis, & virtutibus innumeris coruscans ibidem Principes, & populum hortabatur ad bellum sacrum pro recuperatione Terræ Sanctæ. Cum multi nobiles, & sapientes viri, hortationibus ejusdem Sancti Abbatis; Religionem monasticam essent amplexi; ad illam excitatus fuit eam prædictus Canonicus Alexander; sed ipse juvenis, & sæcularis scientiæ typo turgens; divitiarum quoque, & transitorii honoris insulis adornatus, conversionem suam abhorrebat, & visionem in somnis habitam de habitu Monastico, & Abbatiali baculo, sibi à S. Bernardo in manibus posito, indignatus considerabat. Sequenti die beatissimus Abbas eximium Piscem sibi oblatum, *Parcam* appellatum, oculis in cœlum elevatis benedixit, & eidem Canonico Alexandro misit in domum, quo accepto cum vescceretur, Alexander ipse tanta interiore devotione motus fuit, & desiderio Religionis, ut statim ad Sanctum Abbatem accedens voluerit Monasticum habitum suscipere, & vitam claustralem profiteri; in qua eregiè, & sanctè vivens meruit Abbas fieri, & post mortem titulo Beati potiri. Ecce vis, & energia benedictionis servorum Dei. Ita *in Speculo exempl. dist. 3. exempl.* 14.

Consimilis est conversio plurium nobilium Ju-
55 venum, qui mundanis delectationibus dediti accesserunt joci causa ad Sanctum Abbatem Bernardum. Is enim, eis benignè exceptis, ad bibendum jussit cervisiam, quam prius benedixerat, propinari. Biberunt, & statim cœperunt sese mutuis inflammare sermonibus, quia cor eorum ardens factum erat in Deum: quo inspirante, & benedictione servi Dei operante, conversi à viis malis spirituali militiæ illicò dexteras dederunt, ut legitur, *in eod Speculo dist. 8. exempl* 26.

In Vita Ven. Vincentii Caraffæ Societatis Jesu per Danielem Bartoli conscripta (*lib. 1. cap. 3. §. ul-*
56 *timo*,) legitur, à Ducissa ejus Matre dono datum fuisse ejusdem filii collobium sericum cuidam domus suæ famulo, qui tres gnatos habebat. Unus post alium ex gnatis ipsis cœpit induere collobium illud; & tanto desiderio Religionis accensus quilibet fuit, ut Patre etiam reluctante, domum, ac mundum deserentes singuli Religiosi facti sint.

Jucundum omninò & exemplum benedictionis S. Francisci Xaverii, quod narrat idem Bartolus *in*
57 *Asiæ Histor. par. 1. lib.* 2. dum enim Sanctus ille navigaret ad Indias, & unus ex vectoribus aleis ludens, totam pecuniam amisisset, itaut in desperationem traheretur, S. Xaverius miserans ejus, benedixit illi aleas, hortatus, ut iterum luderet; quòd cùm fecisset, omnem amissam pecuniam recuperavit; hanc prosperitatem ex benedictione servi Dei consecutus. Habentur etiam prædicta exempla apud Hieronymum à Basilica Petri *in ejus Sacris Metamorphos. Centur. 1. conv.* 96. 97. 98. & 100. & alia plura in Sacris Ephemeridibus, ubi vitæ Sanctorum ab eodem Auctore descriptæ sunt facili, sed devoto stylo.

Quò ad tertium: Si quæritur, quot sint benedi-
58 ctionum species? Repetenda est antedicta divisio, quòd aliæ sunt benedictiones Ecclesiasticæ; & aliæ Laicales. Hæ sunt, quæ dantur etiam à personis laicis; illæ, quæ ab Ecclesia sunt ordinatæ, & institutæ, & à solis Ministris Ecclesiasticis conferuntur. Quartus *de Benedictionibus d. tit. 1. sect. 1. dub. 2.* Passerinus *de Pollut. Ecclesiæ disp. 9. cap. 38. num. 2.* ubi laicales benedictiones appellat privatas; Ecclesiasticas verò nominat publicas, & eas reponendas ait inter Sacramentalia.

Rursus benedictiones dividuntur in constitutivas,
59 & invocativas, juxta celebrem distinctionem Cardinalis Cajetani, quem omnes DD. sequuntur *in D. Thom. 2. 2. q.* 88. *art. 11.* Constitutivæ benedictiones faciunt rem sacram, & ita eam mancipant Divino cultui, ut amplius absque peccato applicari non possit ad profanos usus, & tales sunt benedictiones Ecclesiarum, sacrarum Supellectilium, Calicum, Corporalium, & similium. Invocativæ sunt, quæ tam per Ministros Ecclesiæ, quàm per laicas personas fiunt super rebus, vel personis, illis implorando Divinam opem; quamvis remaneant in suo statu laicali, & deservire possint profanis usibus, & tales sunt benedictiones domorum, navium, rerum comestibilium, ac filiorum. Quartus *d. dub. 2. Vers. Quarto.* Navarrus *in Commentar. de Spoliis Cleric. §. 18. num. 9.* Layman *lib. 5. tract. 9. cap. 13.* & Passerinus *d. disp. 9. cap. 38. num. 3.*

Ulteriùs Benedictionum Constitutivarum aliæ
60 sunt Propriæ Summi Pontificis, aliæ Cardinalium, aliæ Episcoporum, aliæ Sacerdotum, aliæ Abbatum & Prælatorum Regularium; de quibus breviter quæ essentialia sunt, explicabimus.

Ad Summum Pontificem omnes benedictiones spectant, in eo enim plenitudo Sanctitatis, & spiritualis Jurisdictionis residet; specialiter tamen duæ benedictiones dicuntur esse propriæ ipsius Papæ; nempè *Benedictio Rosæ aureæ, nec non Agnorum Dei* 61
ex cera alba. Aurea Rosa benedicitur annuatim à Papa Dominica Quarta Quadragesimæ, quæ appellatur *Dominica Lætare*, & in qua DD. Cardinales induuntur vestibus rosaceis; quæ quidem Rosæ aureæ benedictio fit in signum Lætitiæ, & ad erigendam 62
spem fidelium ad gaudia cœlestis Jerusalem, de qua eo die commemoratio habetur in Missa; ad hoc ut fatigati quadragesimali jejunio non deficiant; sed expectatione æternæ vitæ vires sumant; ut dilerit Quartus *de Benedict. tit. 2. sect. 2. Prælud. 1. & 2.* ubi ex pluribus demonstrat, Rosam esse symbolum Paradisi, & allegat Ven. Bedam *serm. 18. de Sanctis*, asserentem, quòd in Cœlo Empireo *neque Rosæ, neque Lilia desunt*; de qua quæstione videantur argumenta hinc indè per me deducta *in Opuscul. de Prima Mundi ætate serm. 2.* Hæc solemnitas benedicendi Rosam auream à Papa, antiquissima est; erat enim in usu ante tempora Leonis Papæ Noni, qui regnavit anno ML. de quo Cencius ejus Camerarius scripsit quod pensionem annuam imposuerat per redditus Monasterii S. Crucis Lotaringiæ pro expensa hujus Rosæ, ut notat Magrius in *Hierolexic. verb. Dominica Lætare.* Et de eadem solemnitate extat Sermo Innocentii Papæ Tertii, & Pii Papæ Secundi *in eadem Dominica Lætare* juxta antiquum morem Romanorum Pontificum qui loquendi intra Missarum Solemnia ad Populum, Pontifices, completa Missa, & benedictione ejusdem Rosæ aureæ; quæ fieri solebat in Ecclesia 63
sanctæ Crucis in Jerusalem, tanquam cœlestis Jerusalem figura, eamdem auream Rosam alicui Regi, seu Magnati mittebant. Hinc Alexander Papa Tertius anno 1177. celebravit hanc cæremoniam Venetiis in Ecclesia Sancti Marci, & ipsam Rosam auream dono dedit Sereniissimo Benedicto Ziani

Vene-

Venetæ Reipublicæ tunc Duci; teste Petro Blesensi *in serm.* 15. Emin. Card Baronio *ad d. annum num.* 18. & Flavio Blondo *Decad. 2. libr.* 6. cujus exemplum imitatus Alexander Papa VIII. Anno 1690. eadem
64 Rosa aurea à se benedicta Serenissimum Venetiarum Ducem Franciscum Maurocenum donatum esse voluit.

Agnorum Dei ex cera alba purissima confectorum est altera benedictio propria solius Summi Pontificis, quam facit anno primo sui Pontificatus in die-
65 bus octavæ Paschæ Resurrectionis Domini, & deindè anno quoque septimo, dum vivit, & hic Ritus est antiquissimus; adeò ut multi velint, suam originem esse coævam Cerei Paschalis benedictioni; cùm enim gentiles haberent in usu appendendi collo infantium bullas cereas cum superstitiosis signis, ad evitandas fascinationes, teste Varrone *libr. 6. de Lingua Latina*, & Calalio *de Veterib. Sacr. Christ. ritib. cap.* 48. à Christi fidelibus in primitiva Ecclesia mutata fuit superstitio in Religionem, & ex Cera Paschalis Cerei benedicti cœperunt bullas, seu formulas orbiculares cum imagine Agni significantis Christum conficere, ad reparandos Dæmonum insultus tum in infantibus, tum in propriis domibus; & adaucta Ecclesiæ majestate, & religionis pompa; per ministros Papæ ipsæ formulæ cereæ formatæ, & Agnorum Dei nomine insignitæ ab eodem Papa tantummodò, ut consecrarentur, & benedicerentur, consuetudo firmavit, de qua Alcuinus *de Divinis offic. tit. de Sabbato Sancto.* Amalarius Fortunatus *de Ecclesiastic. offic. libr.* 1. *cap.* 17. Onuphrius Panvinius *in Libello de Agnis Dei*, quem commentatus est, & eruditione plurima exornavit Joseph Maria Suaresius Episcopus Vasionensis Anno 1656. qui Corollario primo Auctores plurimos refert, de antiquitate Agnorum Dei; & eorumdem solemnis Pontificiæ benedictionis; circa quam videndus etiam Castaldus *in Praxis Cæremon. libr. 3. sect. 9. capit. 3.* ubi methodum & formam, quibus ipsi Agni Cerei benedicuntur exarat; nec non Magrius *in Verb. Agnus Dei*; ubi *col.* 3. notat, S. Gregorium Magnum binos Dei Agnos à se benedictos, auro alligatos misisse Theodolindæ Uxori Regis Agiulphi, qui adhuc in Civitate Moguntiæ conservantur. Et Quartus *de Benedictionibus tit. 2. sect. 8. per totam*; ubi plenè disserit de hac benedictione.

Virtutes horum Agnorum Dei per Papam consecratorum plures sunt: & valent præcipuè contra ful-
66 gura, & grandines; contra incendia ad extinguendum ignem; in naufragiis, in periculis parturientium mulierum; & ad repellendos alias Dæmonis, vel Dæmoniacorum astus, & insultus; juxta sequentes versus, quos Urbanus Papa V. fertur misisse ad Imperatorem Græcum unà cum tribus Agnis Dei prædictis, ut notant Quartus *d. sect. 8. Prælud.* 3. Magr. *eod. verb. Agnus Dei col.* 4. & Stephanus Quaranta *in Summa Bullarii eod. verb.*

Balsamus, & munda cera, cum Chrismatis unda
Conficiunt Agnum: quod munus do tibi magnum.
Fonte velunt natum per Mystica Sanctificatum.
Fulgura ne urant Tignum, arcet, & omne malignum;
Peccatum frangit; ut Christi Sanguis, & angit.
Prægnans servatur, simul & partus liberatur
Munera fert dignis: virtutem destruit ignis.
Portatus mundè de fluctibus eripit undæ.
Morte repentina servat, Sathanæque ruina.
Si quis honoret eum, retinet super hoste trophæum.
Parsque minor tantum, tota valet integra quantum.
Agnus Dei miserere mei;
Qui crimina tollis, miserere nobis.

Die his Agnis Dei hæc veniunt notanda ex Moralistis pro casibus conscientiæ. Primò, quòd tangi non 67
possunt, nisi ab illis, qui constituti sunt in ordine Sacro, quia Sacro Chrismate sunt delibuti, juxta *text. in cap. Sacratas dist.* 23. Et ideò neque Clerici, neque Moniales, neque laici possunt eos sine culpa attrectare. Azorius *tom. 1. libr. 9. cap. 9. qu.* 3. Bonacina *in primum Decalogi præceptum disp. 3. qu. 1. punct. 4. num* 13. Secundò prohibitum esse eosdem Agnos Dei Cereos à Papa benedictos minio pingere, vel alio colore notare sub pœna excommunicationis ex Constit. 2. Gregorii XIII. *incipien. Omni certè studio.* Bonacina *d. punct. 4. num.* 12. Lezana *in sum. tom. 3. verb. Agnus Dei num. 4. & 5.* ubi advertunt, prædictam censuram nulli esse reservatam, & non esse peccatum, eodem Agnos ab aliis forsan miniatos, vel depictos retinere. Tertiò, ipsos Agnos Cereos benedictos vendi non posse sub pœna Simoniæ; *DD. ubi supra*, & Giballinus *de Simonia quæst.* 12. *Consectar* 4. qui etsi licitam faciant venditionem ratione materiæ, vel expensarum itineris; tametsi ex decreto Cardinalis Vicarii Papæ sub nullo prætextu vendi posse testantur Ricciullus *Lucubrat. Ecclesiastic. libr. 1. cap. 9. num.* 8. Magrius *d. verbo Agnus Dei in fine.* Quarto non esse sacrilegium fornicari ab habente Agnum Dei benedictum, etsi committatur in eum aliqua irreverentia; prout etiam si donaretur Amasiæ, ex doctrina Dianæ *part. 1. tract. 7. resol. 18. & part. 3. tract. 4. res.* 67. Quæ in coordinato sunt impressæ *tom. 1. tr. 7. res.* 80. *res.* 81. *& res.* 165. §. 9. & ex Quarti *d. tit. 2. de benedict. sect.* 8. *dub.* 7. Quintò ipsi Agni Cerei non sunt gestandi in annulo, neque projiciendi in agros, neque arboribus affigendi, ramisve suspendendi: sed tantummodò in casu incendii possunt in ignem projici; atque tempore tempestatum eorum cera adoleri ad suffumigationem in agris, areis, & vineis ad depellendas diabolicas tempestates, ut ex Decretis S. Caroli colligit Corius *in Epitome Conc. Med. verb. Agnus Dei*, & Quartus *d. sect.* 8. *dub.* 6.

Quòd si quis curiosus peteret, an Episcopi in suis Diœcesibus possint benedicere Rosas aureas, nec non Agnos Cereos, illosque consecrare, prout facit Romæ 68
Summns Pontifex? Respondendum esset negativè; licèt enim non defuerint Canonistæ, & Moralistæ, qui scripserint, Episcopum posse facere in sua Diœcesi quidquid potest facere Papa in tota universali Ecclesia, nisi expressè prohibeatur, quos cumulat Diana *part. 3. tract. 6. res.* 82. §. 3. *& part. 7. tr. 10. res.* 36. quæ leguntur in coordinato *tom. 3. tr. 2. res.* 22. *& res.* 27. & Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. allegat.* 33. *num.* 17. ex quorum doctrina videretur dicendum, has benedictiones Rosæ aureæ, & agnorum Cereorum nullibi esse prohibitas, & per consequens licitè fieri posse ab Episcopo; nihilominus contrarium est omninò tenendum; quia asserta doctrina est falsa, ut probat Fagnanus *in cap. Perniciosam à num.* 29. *& seqq. De Offic. ordin.* à quo non dissentiunt Barbosa, & Diana locis citatis, ubi alios allegant, talem facultatem in Episcopo non recognoscentes, ea ratione, quia Episcopi vocati sunt ab Ecclesia Romana in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis *cap. Qui se scit, & cap. Decreto. 2. q.* 6. Et satis est, ex solo usu, vel consuetudine cognoscere esse aliquid reservatum soli Papæ, etiam ex tacita ejus voluntate, ne inferiores audeant, in eo se ingerere; inferioribus enim non licet sibi arrogare ea, quæ Papa vult, & intendit, ex solo voluntatis suæ placito sibi retinere: aliàs non esset inferior, sed par & æqualis, ut disserit Diana Coordinatus *d. resol. 27. num.* 4.

Idcircò cùm antedictæ benedictiones Rasæ aureæ, & Agnorum Dei cereorum reperiantur positæ in solo cæremoniali Papæ, satis constat, ejus voluntatem esse, ut à nullo præter eum exerceantur, prout nunquam ab aliquo Episcopo in tot sæculis factæ fuerunt; & ita concludendum, ab aliis Episcopis eas fieri non posse, tanquam propias solius Papæ, & ipsi reservatas, ut docet in puncto Quartus *d. tract. de Benedictionib. tit. 2. sect. 2. dub.* 1.

Ad Eminentissimos S.R.E Cardinales, si quærimus, quæ benedictiones spectent, & quas ipsi
69 dare, vel facere possint? distinguere oportet, an Cardinales sint Episcopi? Vel tantùm Sacerdotes? vel solummodò Diaconi? In primo membro Cardinales Episcopi, absque dubio possunt facere omnes benedictiones, quæ propriæ sunt Episcoporum, constitutivas, & invocativas, etiam cum unctione Sacra; quæ pendent ab ordine Episcopali, in cujus collatione manus Episcopi inunguntur (ut ait Innocent. III. *in cap. Unico. De Sacra Unct.*) *ut ostendatur, accipere potestatem benedicendi, & consecrandi.* Ideòque omnes benedictiones, quæ cum Sacra Unctione fiunt, spectant ad Episcopum, & per consequens ad Eminentissimos Cardinales ordine Episcopali insignitos in eorum Titulis, & Ecclesiis. In secundo membro, si Cardinales sint tantùm Sacerdotes; poterunt ex privilegio Apostolico annexo excelsissimæ suæ dignitati eas benedictiones facere etiam cum unctione Sacra, quæ ex privilegio Apostolico concessæ sunt Abbatibus Sacerdotibus, habentibus jus exercendi Pontificalia, & deferendi Mitram, & baculum, de quibus Barbosa *de Offic. Episc. allegat.* 3. *num.* 6. & Gratian. *Discept. forens. cap.* 845. Ipsi enim Cardinales vallati sunt tribus illis requisitis; ideòque non debent esse deterioris conditionis, quàm Abbates, & sic poterunt in suis Ecclesiis Titularibus, & commendatis campanas benedicere; calices, & patenas consecrare; præter alias benedictiones Sacrarum supellectilium, & collationem primæ Tonsuræ, & ordinum minorum; quos suis familiaribus, ex inveterata consuetudine conferunt. Barbosa *d. allegat.* 3. *num.* 15. ubi DD. cumulat. *Et de Jure Ecclesiast. Universi. libr.* 1. *cap.* 4. *num.* 40. Principaliter
70 autem Cardinales in Sacerdotio constituti possunt solemnem benedictionem more Episcoporum populo impertiri, cum verbis illis *Sit nomen Domini benedictum, &c.* ut docent Hostiens. & Joan. Andr. *in cap.* 1. *de Supplen. neglig. Prælat.* Fagnanus *in capit. Ne pro dilatione. num.* 42. ubi allegat Extravagantem Clementis VII. quæ incipit: *Sanctissimus in Christo Pater, &c. De Pœnitent. & Remission.* In tertio autem membro, si Cardinales sint tantummodò Diaconi, res videtur pati aliquam difficultatem, quia ad officium Diaconi non spectant benedictiones, attenta eorum origine, sed Sacerdoti sacrificanti assistere, Evangelium legere, Eucharistiam populo ministrare, & alia hujusmodi facere; non autem benedicere; ut expresè legitur *in Constitution. Apost. libr.* 8. *cap.* 28. & notat Glossa *in cap. Ecce. Verb. Benedicere. dist.* 95. ubi in specie de benedictione Solemni, quam dat Episcopus; non autem eo inferiores. Glossa *in cap. Abbates. Verb. Si Abbas. De Privileg.* in 6. Porrò dicendum est, quòd Cardinales Diaconi omnes benedictiones dare, & facere possunt, quas faciunt Abbates privilegiati, iis exceptis, in quibus necessaria est Unctio Sacra; idcircò sacra suppellectilia benedicere, & solemnem benedictionem dare populo possunt, per verba *Sit nomen Domini benedictum.* Ea ratione, quia hanc benedictionem potest impertiri, qui habet jura Episcopalia, vel quasi, *ex d. cap. Abbates, ubi DD. De Privileg. in* 6. prout & habent Diaconi Cardinales, & ita docent S. Antoninus *in Summa* 3. *p. tit.* 14. *cap.* 16. §. 9. & pluribus citatis novissimè Jacobus Pignatellus *tom.* 10. *consult.* 117. *num.* 53. *& seqq.* ubi resolvit argumenta contraria, *& num.* 59. & 60. considerat, quòd Jus benedicendi spectat etiam ad officium Diaconi, qui benedicit Cereum Paschale; & ad Evangelium, & in horis Canonicis dicit *Dominus vobiscum*, quæ verba habent rationem salutationis, & benedictionis populi. Quæ stante Pignatelli, & DD. quos allegat, opinione, non est attendendus Gavantus *in Manuali Verb. Cardinalis num.* 19. ubi scripserat, quòd si Cardinalis est tantùm Diaconus *non potest benedicere populum, neque rem aliquam, nec simpliciter, nec solemniter; nisi specialem habeat à Papa facultatem;* quia contrarium est omninò verum.

Ad Episcopos autem pertinent omnes benedictiones; Circa quos sciendum; illas esse in quadruplici 71
differentia. Primæ sunt benedictiones rerum, quæ debent esse materia Sacramentorum, ut benedictio Chrismatis, & Olei infirmorum, & hæ fieri non possunt, nisi ab Episcopis. Quartus *d. tit.* 1. *de Benedictionibus sect.* 4. *dub.* 5. *in princ.* Barbosa *allegat.* 30. *num.* 6. & Jordanus *tom.* 1. *libr.* 3. *tit.* 2. *num.* 10. quidquid dicat in contrarium Cajetanus *ibi allegatus.* Secundæ sunt illæ, in quibus intervenit Sacra Unctio, videlicet benedictiones Altarium, Campanarum, & Calicum; & hæ, licèt sint propriæ Episcoporum, possunt ex Apostolico Privilegio fieri etiam ab inferioribus, quales sunt Abbates. Tamburin. *de Jure Abbatum tom.* 1. *disp.* 23. *per totam.* Tertiæ sunt, in quibus Unctio Sacra non adhibetur, sed verbales vocantur: & ex his illæ, quæ concernunt res necessarias Sacrificio Missæ, ut benedictiones Corporalium, & Sacerdotalium indumentorum, pertinent ad Episcopum; etsi ad ejus instantiam Sacra Rituum Congregatio eas deleget Sacerdotibus, in aliqua Ecclesiastica dignitate constitutis, ut servatur in hac Diœcesi Patavina, non tamen indefinitæ, sed ad triennium, vel quinquennium, Quarto loco est benedictio Solemnis in Missa per verba su- 72
pra repetita, *Sit nomen Domini benedictum &c.* & hæc est quidem sic propria Episcopi, ut si simplex Sacerdos ea uteretur, incurreret in Irregularitatem, Glossa *in cap. Ministrare. 26. qu.* 6. Majolus *de Irregularit. lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 4. Nihilominùs ex Privilegio Papæ est delegabilis etiam inferioribus Episcopo, ut diximus supra de Cardinali Diacono, immò ex consuetudine est præscriptibilis per simplices Sacerdotes. Pignatellus *d. tom.* 10 *consult.* 117. *n.* 60. ubi notat in Ecclesia Parisiensi Parochos uti ea Solemni benedictione; prout fit in Ecclesia Græca, in qua nullum est discrimen inter Solemnem benedictionem Episcoporum, & simplicium Sacerdotum ex traditis per Isaacum Hambertum *in Pont. Eccl. Græcæ part.* 11. *Liturg. Ord. de Ritu benedictionis.*

Demum: Alia est benedictio propria Episcopi; 73
illa scilicet, quam manu aperta dat populis genuflectentibus, dum ipse Episcopus ambulat, vel equitat per suam Civitatem, vel Diœcesim, ut in *Cæremoniali Episc. libr.* 2. *cap.* 5. *in princ.* de qua scribunt Barbosa *alleg.* 27. *à num.* 63. *& seqq.* & Jordanus *d. tom.* 1. *libr.* 5. *tit.* 15. *à num.* 39. *& seqq.* ubi notat, hanc benedictionem esse ita propriam Episcopi, ut si quis absque ejus licentia eam daret, esset puniendus, ac tantæ virtutis pariter esse; ut per eam deleantur peccata venialia, ex doctrina S. Thomæ 3. *p. qu.* 87. *art.* 3.

Card.

Card. Toleti *libr. 3. cap. 3 num. 9.* de qua scripsimus *in Decisionib. Anni 1687. in Quæst. Mensis Decembris.*

Ad Sacerdotes spectant aliæ benedictiones, in quibus Sacra unctio non adhibetur, de quibus in Missali
74 Romano, & Rituali; sed cum triplici distinctione. Aliæ enim fieri non possunt, nisi ab habentibus delegatam facultatem à Sede Apostolica, & ejus nomine, à Sacra Rituum Congregatione; quæ illam concedit ad tempus limitatum Sacerdotibus in aliqua dignitate Ecclesiastica constitutis, quales sunt Præpositi, Archipresbyteri, Vicarii foranei, & hic Patavii Primicerius, & Massarius Congregationis Parochorum; & hæc facultas datur pro benedicendis Sacerdotalibus indumentis, Mappis Altarium, Corporalibus, Tabernaculis, Pixide pro asservanda SS. Eucharistia, Cruce, atque Imaginibus Christi, Deiparæ, & Sanctorum. Gavantus *in Rubric. Missal. part. 4. tit. 19. num. 23.* Vel cum facultate delegata simplici Sacerdoti per ipsum Episcopum; & sunt benedictiones primarii Lapidis pro ædificanda Ecclesia; pro benedicenda ipsa pariter Ecclesia jam ædificata; nec non Cœmeterio; ac etiam pro reconciliandis Ecclesia (quæ prius non fuisset consecrata) & cæmeterio in pollutionis casibus, de quibus Rituale Romanum *sub tit. de Benedictione.*

Secundi generis benedictiones ad Sacerdotes spectantes sunt illæ, quæ sunt propriæ Parochorum, &
75 fieri non possunt, nisi ab exercentibus Curam animarum. Hujusmodi esse censentur benedictiones Sponsorum, Fontis baptismalis in Sabbato Sancto, atque domorum in eadem die. Reliquæ omnes, candelarum, cinerum, palmarum, ovorum, aliorumque comestibilium etiam à Sacerdotibus non Parochis fieri possunt, ad quem effectum earum formulæ, & preces positæ sunt in Missali Romano; & hinc processit illa Regula, quam approbant Gavantus *in Rubric. Missal. d. part. 4. tit. 19. num. 1. & num. 20.* & Pignatellus *tom. 6. consult. 76. num. 11.* quòd benedictiones notatæ in Missali sunt communes cuicunque Sacerdoti, etiam Regularibus in suis Ecclesiis; illæ verò, quæ pronuntur in Rituali Romano, censentur reservatæ Curatis animarum.

Hinc non levis est disputatio inter Doctores; an
76 benedictio Mulierum post partum fieri possit à solo Parocho, vel etiam à Regularibus? Et ad horum favorem respondisse Sacram Congregationem *die 2. Julii* 1620. asserit Novarius *in Summa Bullarum part. 2. Commentar. 51. num. 17.* ea ratione, quia, etsi collocata existat talis benedictio in Rituali Romano, statim post Ritum celebrandi Matrimonium, nihilominus Rituale in rubrica hujus benedictionis non nominat Parochum, prout paulò ante fecit in Rubrica benedictionis nuptiarum; sed nominat simpliciter Sacerdotem; dicens: *Si qua puerpera, &c. petierit à Sacerdote benedictionem.* Cæterùm contra Regulares scripsit Genuensis *in Praxi Curiæ Archiepiscop. Neapol. cap. 72. num. 13.* cùm enim puerpera pro receptione illius benedictionis solita sit offerre candelam, ad imitationem Deiparæ, quæ obtulit par turturum, aut duos pullos columbarum, & omnis oblatio Parochianorum de Jure spectet ad Parochum; ad ipsum pariter debet pertinere benedictio puerperæ privativè quòd ab alios quoscunque, etiam Regulares; ut etiam docet Pignatellus *tom. 5. consult. 77. per totam*, addens sequentes rationes; quia hæc benedictio est accessoria benedictionis sponsorum; fit cum cotta, & stola, quæ est signum jurisdictionis, quam Regulares exercere non possunt, cùm eam non habeant in exteras mulieres; à quarum immò consortio, & colloquio eos alienos esse convenit, ut pluribus Sanctorum exemplis ibidem Pignatellus demonstrat. Ulteriùs, quia sic servatur Romæ, quæ est Sacrorum 77
Rituum Magistra. Rota coram Merlino *Decis. 657. num. 21. & Decis. 745. num. 12.* Quibus, aliisque pluribus congruentiis per eundem Pignatellum allegatis, tandem concludit, Sacram Concilii Congregationem re semel, ac iterum maturè discussa in *Una Antuerpiensi die 18. Novembris* 1662. censuisse ac declarasse, *Non licere Regularibus in propriis Ecclesiis mulieres post partum ad Purificationem admittere.* Neque obstat contraria declaratio ejusdem Sacræ Congregationis *de anno* 1620. *2. Julii*, apud Novarium, quia processit ad favorem Regularium Civitatis Bononiæ; qui habebant pro se consuetudinem, & legitimam præscriptionem benedicendi mulieres post partum, qua cessante, talis benedictio à proprio Parocho est facienda; ut diximus etiam supra *Decis. XXVII. num. 80.*

Ad Abbates autem, consecrationis munere insignitos, vel Privilegio Apostolico vallatos, spectant 78
omnes benedictiones, tam cum Sacra unctione, quàm sinè ipsa, & ideò possunt calices, patenas, & campanas benedicere, nec non Sacerdotalia Indumenta; sed pro usu & servitio Ecclesiarum sibi subditarum; non autem ad petitionem alienorum, ut supra plenè probavimus circa consecrationem Altarium *Decis. XIII. à num. 21. & seqq.* ubi plures rationes adduximus, Decreta Sacræ Congregationis, & Doctores ita tenentes, quibus addendi sunt Lezana *in Sum. tom. 3. Verb. Benedictio num. 7.* Gavantus *in Rubr. Missalis part. 4. tit. 19. num. 22.* Et in Manuale Episcoporum *Verb. Abbas num. 29. & 30.* Nicolius in Flosculis *eod. Verb. Abbas num. 5.* & Lantusca *in Theatro Regul. Verb. Benedictio, num. 2.* ubi addit, cautè esse legendos Auctores, qui extendunt hanc facultatem ad paramenta, & res aliarum Ecclesiarum, quales sunt Ascanius Tamburinus *de Jure Abbat. disp. 23. quæst. 13. tom. 1.* & Quartus *de Benedictionib. dict. tit. 1. sect. 4. dubit. 6.* qui manifestè falluntur.

Ad Prælatos tandem Religionum mendicantium spectant ex Apostolicis Privilegiis benedictiones 79
omnes, in quibus Sacrum Chrisma non adhibetur, & idcircò possunt benedicere Corporalia; Vestes Sacerdotales, & Ecclesiastica peramenta, ut docent communiter omnes Moralistæ; Quartus *d. sect. 4. dub. 7.* Diana Coordinatus *tom. 7. tract. 1. resol. 24.* quæ desumpta est ex veteri, in quo jacebat, *part. 3. tract. 2. resol. 40.* & Lezana *d. tom. 3. Verb Benedictio num. 8.* ubi ita scribit: *Hæc porrò facultas Prælatorum Regularium benedicendi ornamenta Ecclesiastica, seu alia, in quibus Chrisma non intervenit, intelligi debet ad proprios usus, & pro ipsorum Ecclesiis, non pro aliis.* Et refert declarationem Sacræ Congregationis *diei 13. Mensis Martii* 1632. de qua etiam Barbosa *in Decis. Apost. Verb. Abbas num. 1.* & Novarius *in Lucerna Regular. V. Benedicere num. 3.* Quæ omnia hucusque dicta deserviunt pro intelligentia benedictionum Ecclesiasticarum, sive sint constitutivæ, sive invocativæ tantùm, quæ fiunt à supradictis Ecclesiasticis personis.

Laicales autem benedictiones, quæ solummodo invocativæ sunt, fiunt, ut plurimùm, à parentibus su- 80
per filios suos, sive naturales, sive spirituales, & harum origo licèt in Scriptura Sacra videatur incipere à Noe post diluvium, quando data maledictione Chamo filio irreverenti, benedixit Sermo, & Japheto; nihilominus credendum est, ipsum primum Parentem Adam soli-

tum fuisse benedicere filios,& nepotes suos, ut differit Quartus *de Benedictionibus tit.* 3. *sect.* 17. *Prælud.* 1. quem postea sequuti Patriarchæ consueverunt benedicere suos filios, cùm essent morituri, ut legitur de Isaac *Genes.* 17. & de Jacob *Genes.* 48. & 49. & sic de cæteris; forma autem benedicendi filios non est certis verbis præscripta, sed pendet à pietate Parentum, qui in lege Evangelica, unà cum verbis invocantibus bona spiritualia,& temporalia filiis suis, debent adhibere signum Crucis,& illam formare manu super illos, ut advertit Quartus *d. Prælud.* 1. quia Crucis signum est instrumentum cujuscunque boni, teste Tertulliano *de Baptismo cap.* 8. Fructuosam autem esse filiis Parentum benedictionem affirmat Ecclesiastic. *cap.* 3. *vers.* 11. dicens: *Benedictio Patris firmat domos*: id est stabilit familias,ut Tirinus commentatur, & è contra *Male-*
81 *dictio Matris eradicat fundamenta*, cujus horrendum exemplum narrat S. Augustinus *libr.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8. quod refert Menochius *in sua Oeconomica Christiana libr.* 7 *cap.* 14. *num.* 5. ubi addit alios duos casus,unum Matris maledicentis filium ingratum, & obsecrantis,ut occisus sibi domum posset deferri; alterum Patris à filio percussi,& dicentis; utinam manus illa tibi abscindatur,& tu in furca suspendaris; utrumque autem successit intra tres dies; siquidem duo filii prædicti bibendo, & ludendo simul in caupona, ad rixam provocati maledictus à Patre occidit maledictum à Matre, quem ita vulneribus confossum gens ad ipsam portavit;homicidæ autem capto à satellitibus manus fuit obtruncata, & deinde ob homicidium ipsemet in furca suspensus. Hinc S. Caterina Senensis adhuc puerula Matri suæ quodam die maledicenti, sapienter dixit: Mater mea noli maledicere, quòd si ego tibi inobediens sum, verberare meipsam non desinas. Ita Frigerius in Vita ejusdem Sanctæ. *libr.* 1. *cap.* 4. *num.* 3.

Quò ad ultimum. Si quærimus, quæ necessaria
82 sint ad benedictionem novæ Ecclesiæ, vel Cæmeterii? Respondetur; delegandam esse licentiam ab Episcopo simplici Sacerdoti eam benedicturo: deinde servandas esse formulas, & preces præscriptas in Rituali Romano, quæ consistunt,& in ablutione parietum exteriùs, & interiùs cum aqua benedicta, & aspergillo ex hyssopo; recitatione Litaniarum, & Psalmorum, ac Orationum prout in eodem Rituali; de quibus Cæremoniis agit Castaldus *in Praxi libr.* 2.
83 *sect.* 11. *cap.* 6. *ubi num.* 4. advertit unum, quod non vidi observari; videlicet, etiam Oratoria privata esse benedicenda juxta eandem formam præscriptam in Rituali Romano, etsi cum minori solemnitate exequendam, quod notent Episcopi, qui viso indulto Apostolico,concedente alicui nobili personæ usum oratorii privati pro Sacrificio Missæ, & visitato ipso Oratorio quò ad decentiam loci,& ornamenta, statim relaxant mandatum de celebranda Missa, nihil dicentes de necessaria præcedenti benedictione.

DECISIO XLIII.

ARGUMENTUM.

Agitur de Ornamentis Ecclesiarum, & Altarium, quæ sunt Ecclesiastica, Regalia, Moralia, & Legalia. Prima, nempè Ecclesiastica sunt Mappæ, Pallia, Crux, Candelabra, Lucernæ, & alia prout in Rubrica Missalis, circa quæ variæ difficultates solvuntur, & eruditiones dantur, præcipuè circa Lucernas perpetuas, & inextinguibiles antiquorum. Regalia ornamenta sunt donationes Principum. De his Historiæ plures, illaque donationis Constantini Imperatoris. Moralia sunt devotio, & reverentia plebis in Ecclesia. De his multa scitu digna; & de Diaconissarum officio. Legalia tandem ornamenta Immunitas loci Sacri. Agitur de Jure Asyli pro confugientibus ad Ecclesiam juxta Bullam Gregorii XIV.

SUMMARIUM.

1 *Ornamenta Ecclesiæ, & Altaris necessaria ad Sacrificium.*
2 *Hæretici Illuminati impugnabant ornamenta Ecclesiæ, & Altarium.*
3 *Ornamenta Ecclesiastica pro Ecclesiis, & Altaribus quæ?*
4 *Tobaleæ tres lineæ super Altare, & an ex Canape? & benedictæ?*
5 *Pallium ad Altare coloris officio diei convenientis, & sine lignea coronide.*
6 *Crux in medio Altaris poni debet pro Missa. An cum imagine Crucifixi, vel sine? Et an sit in Icone sit dicta Imago? Vel sit Altare majus, & in eo recondita Eucharistia?*
7 *Candelabra cum candelis cereis accensis.*
8 *Candelæ accensæ in Missa quid significent? Earum numerus? Materia?*
9 *Candelabrorum mysticus sensus.*
10 *Tabella orationum secretarum ad pedem Crucis.*
11 *Cussinus in Altari, & ejus significatio.*
12 *Lectorile pro missali, loco cussini. Ejus nomina, & mysterium.*
13 *Ampullarum cum vino, & aqua pro Sacrificio locus.*
14 *Intorticia pro elevatione Eucharistiæ.*
15 *Campanula, seu Tintinabulum.*
16 *Tabula lignea an pulsanda fer. 6. Parasceve in elevatione Eucharistiæ?*
17 *Ornamenta Ecclesiastica non simpliciter, sed secundùm quid necessaria pro Sacrificio.*
18 *Ciboria ad Altaria quid sint?*
19 *Altaria marmorea moderna descripta.*
20 *Picturis ornandæ Ecclesiæ, & altaria. Testimonia antiquorum.*
21 *Iconoclastæ contra sacras Imagines.*
22 *Pictorum eximiorum Catalogus apud Masinum.*
23 *Vela, & Tapetes pro ornatu Ecclesiarum.*
24 *Velatum Altare tempore Missæ, cur, & quomodo?*
25 *Velum Altaris retrahebatur ab Offertorio usque ad Communionem.*
26 *Dictio verbi antecedentis, non replicata, sed omissa in sequenti.*
27 *Lucernis, ac Lampadibus ornandæ sunt Ecclesiæ.*
28 *Lampadarum formæ diversæ, & varia nomina.*
29 *Cicindelia, unde dicta?*
30 *Legata pia pro oleo Lampadarum Ecclesiæ.*
31 *Lucernæ antiquorum æternæ, & inextinguibiles.*
32 *Lucernæ æternæ quomodo fierent ab antiquis?*
33 *Floribus ornanda Altaria.*
34 *Frondes festivæ ad Ostia Ecclesiarum cur? & quando cœperint?*
35 *Ornamenta Regalia quænam sint in Ecclesiis?*
36 *Roma cum aliis Civitatibus donata Summo Pontifici per Constantinum.*
37 *Mathildis Comitissa donatio Ecclesiæ Romanæ.*

38. S.

38 *S. Inæ Regis Britannici liberalitas erga Ecclesiam Romanam.*
39 *Ementrudis piæ Matronæ testamentum, & legata pia.*
40 *Pontificum Romanorum donationes Ecclesiis Romæ.*
41 *Rugæ in Ecclesiis quid essent antiquitùs?*
42 *Patavini Cleri divitiæ, & opulentia.*
43 *Legatum pium est quod relinquitur Ecclesiæ.*
44 *Donatio facta Ecclesiæ non requirit solemnitatem.*
45 *Dagoberdus Rex Francorum liberatus à pœnis Purgatorii ob ejus liberalitatem erga Ecclesias.*
46 *Ornamenta Moralia in Ecclesiis devotio populorum. Devotionis regulæ.*
47 *Mulieres in Ecclesiis segregatæ à viris; earumque introitus per diversam januam.*
48 *Diaconissæ olim quænam essent? Et qualia earum officia?*
49 *Diaconissarum officium Mediolani adhuc durat.*
50 *Egeni prohibiti quærere eleemosynam per Ecclesias.*
51 *Venetorum pietas, & devotio in audienda Missa.*
52 *Ludi theatrales, Comœdiæve prohibitæ in Ecclesiis.*
53 *Altari vicinus populus stare non debet in Missa.*
54 *Mulier à Dæmone ditata, ut irreverentias causaret in Ecclesiis.*
55. *Diabolus scribit peccata irreverentiæ commissa in Ecclesiis,*
56 *Ornamenta Legalia Ecclesiarum quæ?*
57 *Immunitas loci Sacri quò ad res, & personas ad ipsum confugientes.*
58 *Asylum apud Hebræos Templum, & sex civitates refugii.*
59 *Asyla apud Gentiles.*
60 *Immunitas loci Sacri quo jure introducta?*
61 *Delicta, quæ non gaudent Immunitate loci Sacri.*
62 *Immunitatis violatæ loci Sacri punitio cœlestis.*

QUia satis non est, ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium dignè celebrandum, consecratio, seu benedictio Ecclesiæ, vel Altaris, nam præter illam
1 requiruntur etiam convenientia ejusdem Ecclesiæ, Altarisque ornamenta; quæ impii hæretici, Illuminati nuncupati, in principio hujus sæculi execrabantur; asserentes inter cæteros errores, quos profitebantur, *Virtuti, salutique adversari elegantem ornatum in Ecclesiis, ac propterea ab eo esse abstinendum*, ut notat
2 Gualter. *cap.* 28. *sæculo* 17. & Salelles *de S. Inquisit. lib.* 3. *Regula* 325. *num.* 488. idcircò in præsenti agendum est de ipsis ornamentis tum Ecclesiæ, tum Altaris, quæ quidem ad quatuor capita rediguntur, alia enim sunt ornamenta *Ecclesiastica*, alia *Regalia*, alia *Moralia*, & alia *Legalia*; de quibus breviter quæ potiora sunt, referemus.

Ornamenta Ecclesiastica sunt, quæ à Rubricis Missalis præparari jubentur in Ecclesia, & in Altari pro Divini Sacrificii celebratione; videlicet Mappæ sivè Tobaleæ; Pallia, Crux, Candelabra, Candelæ
3 cereæ accensæ, Tabella Secretarum, Cussinus pro Missali; locus pro collocandis ampullis vitreis cum vino, & aqua; pelvicula, & manutergio; Intorticium accendendum ad elevationem Sacramenti; & Campanula eodem tempore pulsanda, prout in Rubrica Missalis *tit.* 20. de quibus scribens S. Optatus Milevitanus, qui vivebat anno Christi 365. ita ait *libr.* 6. *Quis fidelium nescit in peragendis Mysteriis ipsa ligna* (Altaria scilicet, quæ in Africa lignea erant) *Linteamine cooperiri*? Victor quoque Episcopus Africanus Anno 530. *libr.* 1. *de Persecutione Africana* narrat; Proculum quendam ab impio Genserico in Provinciam Zeugitanam adversus Catholicos missum, manu rapaci cuncta devastasse, & de *Palliis Altaris camisias sibi, & fœmoralia fecisse*. Subdit autem Ivo Carnotensis Episcopus, qui scribebat anno 1088. *part.* 2. *Decret. capit.* 132. *Observandum est, ut Mensa Christi, id est Altare, ubi Corpus Dominicum consecratur, ubi Sanguis ejus hauritur, ubi Sanctorum Reliquiæ reconduntur, ubi preces, & vota populi in conspectu Dei à Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur; & mundissimi linteis, & palliis diligentissimè cooperiatur; nihilque super eo ponatur, nisi capsæ cum Sanctorum Reliquiis, & quatuor Evangelia.*

In primis igitur Altare debet cooperiri tribus mappis, seu tobalei., ex lino confectis. *cap. Si per* 4
negligentiam. 27. *De consecrat. dist* 1. quamvis etiam ex canape fieri possint ex Gavant. *tom.* 1. *part.* 5. *de Mensur. Sacr. Supellectil.* §. *Mappæ ex Lino.* Quartus *in Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 8. *vers. Dico Secundò*; ubi alios DD. citat. Tamburin. *de Sacrific. Missæ libr.* 1. *cap.* 5. §. 3. *num.* 3. qui id affirmat etiam de Corporali. Bissus *in Hierurgia Sacra, Verb. Altaris paramenta, num.* 283. Quarum quidem tobalearum prima, & superior debet esse oblonga, ita ut à lateribus pertingat usque ad terram, aliæ duæ possunt esse breviores, aut una duplicata, tantæ magnitudinis, ut totum Lapidem Sacrum cooperiant; & debent esse omnes benedictæ ab Episcopo, vel ab alio potestatem habente, excepto casu necessitatis, in quo non esset peccatum uti mappis non benedictis. Bissus *d. num.* 283. *& in Verb. Linteum, num.* 107. addens, quòd in hoc casu, non esset amplius eis utendum ad profanos, vel domesticos usus. Secundò Altare ornandum est pallio coloris convenientis officio illius diei, 5
Missal. in Rubric. General. tit. 20. *num.* 1. & potest fieri de quacunque materia linea, lanea, serica; etiam ex auro, & argento solido, & in ejus medio Crux depingi, vel sculpi potest; seu imago alicujus Sacti, ejus præcipuè, cui dedicatum est Altare; & quamvis possit benedici unà cum tobaleis, ejus tamen specialis benedictio non est necessaria, & ideò specifica pro palliis non habetur. Bissus *d. verb. Altaris Paramenta, num.* 283. Immò sine pallio potest esse Altare, si constructum sit Lapidibus marmoreis, ornatis varietate, & pretiositate materiæ; ut hisce temporibus frequentatur in Ecclesiis qualificatis; adeò ut sit pallium ponendum, ubi Altare compositum foret ex materia rudi; & redderet indecentiam. Quartus *d. part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 9. Pallia autem carere debent lignea coronide, quæ quidem olim erat in usu, ut vidi in adolescentia mea; sed ex reiteratis Episcoporum præceptis, in visitatione factis, desuevit, & ejus loco apponuntur fasciæ acu mirè elaboratæ; vel serico, & auro contextæ. Bissus *ubi supra num.* 282. §. 2. & hoc ne Sacerdos celebrans, dum junctis manibus jubetur in medio Altari illud digitis tangere, impediatur à coronide lignea Pallii, quæ satis ampla fieri solebat. *Cæremon. Episc. lib.* 1. *cap.* 12. Tertiò requiri- 6
tur Crux in medio Altaris, ad celebrandum, tanquam signum Regis in Regia, cujus exempla sequamur. Bissus *d. Verb. Altaris Paramenta, num.* 284. vel quia ex judicio meo, Christus Dominus usus

est Cruce tanquam Altare pro Sacrosancto cruento Scrificio à se offerendo in Calvario, ut dictum est supra *Decis. XIII. num.* 41. Sed utrùm in Cruce debeat esse imago Crucifixi? Asserendum ex communi usu Ecclesiæ; negandum verò ex præcisa necessitate; quia Rubrica Missalis *d. titul.* 20. loquitur de Cruce, non autem de ipsius Crucifixi imagine; & quotiescunque mandat, Sacerdotem se inclinare Cruci, non exprimit imaginem Crucifixi; adeò ut sit satis, in medio Altaris ponere Crucem, etsi non haberet eandem Crucifixi imaginem. Quartus *d. part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 10. Bissus *ubi ante num.* 284. §. 3. addens, asserere Gavantum, ponendam esse Crucem in medio Altaris, etsi in Icone ejusdem sit insculpta, vel depicta imago Crucifixi; negare verò Tamburinum *de Sacrific. Missæ libr.* 1. *cap.* 5. §. 6. *num.* 2. Sed Tamburini opinio non est amplectenda, quia est contra verba Rubricæ; neque illa, quæ asserit, Crucem non esse necessariam in Altari, si in eo sit Tabernaculum cum Sanctissimo Sacramento, ne ponatur figura, ubi adest figuratus; nam etiam in illo Altari Crux est ponenda ad Sacrificium celebrandum, ut manifestè deducitur ex Rubrica Missalis, *De ritu servan. tit.* 4. *num.* 4. & 6. ubi mandat si Missa solemniter celebretur in antedicto Altari, prius esse genuflectendum Sacramento ibi incluso manente; deinde ter esse Crucem incensandam; & idem in Vesperis faciendum fore. Ergo ex præcepto Rubricarum Crux est apponenda etiam in Altari majori, in quo est Tabernaculum cum Sanctissima Eucharistia. Bissus *Verb. Crux Altaris, num.* 586. ubi id limitat, si Sanctissimum Sacramentum sit solemniter expositum in eodem Altari, ex Gavanto *part.* 2. *tit.* 14. *num.* 6. & ex Bauldry *in Manual. Sacr. Cærem. part.* 2. *cap.* 9. *art.* 3. *num.* 3. & *part.* 3. *tit.* 15. *num.* 4. & *cap.* 17. *num.* 6. advertentes tamen dictis locis, non esse absque magna necessitate celebrandam Missam in illo Altari, in quo est expositum Sanctissimum Sacramentum. Quartò ab utroque latere Crucis debent esse Candelabra cum can-
7 delis cereis accensis, saltem duabus; quia nunquam licet celebrare absque lumine; *cap. fin. de Celebrat. Missar.* quia lumen significat vel expectationem æter-
8 næ lætitiæ nobis promissæ in hoc Sacrificio. Gemma *Anim. libr.* 1. *cap.* 118. vel quia Sponsus, qui Christus est, expectari debet cum lumine. S. Hieronymus *Epist.* 20. Vel quia innuit claritatem Christi in Sacrificio; vel purgationem rubiginis nostrarum culparum, ut ex SS. Patribus disserit Gavantus *part.* 1. *tit.* 20. *Rubr. Missal. Litt. Y.* In necessitate posse celebrari cum unico lumine concedit Azorius *lib.* 10. *cap.* 28. *q.* 5. & Quartus *d. part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 11. Cum pluribus autem luminibus, cessante superstitione, vel ambitione, nil prohibet litare, puta ob diem festum, vel Altaris Solemnitatem, aut assistentiam personæ in dignitate constitutæ. Bissus *d. verb. Altaris Paramenta, num.* 284. §. 7. Cereæ tamen debent esse Candelæ, non ex sevo, vel simplici oleo, neque in casu necessitatis, juxta opinionem Suarezii *in* 3. *p. D. Thom. tom.* 3. *disp.* 81. *sect.* 3. *vers. Tertiò*: esset enim magna indecentia; etsi id concedant DD. quos allegat Diana Coordinatus *tom.* 2. *tract.* 1. *resol.* 156. desumpta ex veteri *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 67. Denotant autem duo Candelabra duos populos Judaicum, & Gentilem, in-
9 ter quos stat Crux, signum lapidis angularis Christi, qui facit utraque unum, & ideò C[illegible] debet esse altior candelabris; ea ratione, quia Christus Dominus *factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter hoc Deus exaltavit illum*; *Ad Philipp.* 2. 9. id est super omnes populos. Gavantus *d. part.* 1. *tit.* 20. *Litt. V.* ubi docet, Crucem in Altaris medio esse debere ita prælatam, ut pes Crucis æquet altitudinem candelabrorum, & Crux ipsa tota candelabris superemineat; quod nimium videtur; neque est in praxi receptum; nimis enim esset extollenda Crux quando candelabra sunt magna; ideò satis puto, si medietas superior Crucis superet medietatem superiorem candelabrorum. Quintò ad pedem Crucis collo- 10
canda est Tabella orationum secretarum, Hymni Angelici, & Symboli Apostolorum, & juxta communem usum in cornu Evangelii tenenda est alia Tabella cum *In principio &c.* & in cornu Epistolæ alia cum *Lavabo*, *&c.* ad commodiorem usum Mystarum. Sextò opus est pulvinari, seu Cussino, super 11
quo requiescat Missale, per quod significari, ait Innocentius III. *libr.* 2. *capit.* 41. ministranda esse temporalia prædicanti Verbum Dei; ut absque incommodo victum habeat. Vel ex Hugone *libr.* 2. *capit.* 20. cor suscipientis Verbum Dei, debere esse tenerum, non lapideum, ut cor Judæorum. De eo ita scribit Bissus *Verb. Cussinus, num.* 612. *Fieri potest ex quacunque materia, sed decentius est, quòd sit similis planetæ, cum quatuor floccis in quatuor angulis.* Hisce temporibus invaluit usus Lectorilis lignei, 12
auro, vel argento contexti, loco cussini, super quo reponitur Missale, ut commodiùs Sacerdos legere Missam possit, ob ejus Lectorilis altitudinem; quod etiam vocatur *Analogium, Pluteus, Lectorium, Dictorium, & Lectricium*, de quibus vocibus agunt Ferrarius *de Origin. Linguæ Italicæ verb. Lectorino.* Et Magrius *in Hierolexic. verb. Ambo.* Silentibus circa illum Gavanto, Bauldry, Bisso, & aliis cæremoniistis. Commoditas legendi illud gratum reddit, præcipuè Sacerdotibus linceos oculos non habentibus; & retinet in se mysterium pulvinaris, seu cussini, suppeditat enim requiem libro; & innuit, Evangelizanti Verbum Dei, & Altari inservienti, quæ necessaria sunt ad victum, esse subministranda, ne in temporalibus laboret. Septimò locus debet esse paratus propè Altare ad collocandas in eo Ampullas vitreas cum vino, & aqua pro Sacri- 13
ficio, pelviculam, & manutergium: videlicet vel parva mensa, vel fenestella in muro Ecclesiæ; non autem Altaris. Bissus *d. verb. Altaris paramenta num.* 285. Octavò requiritur Intorticium, 14
vel cereus accendendus in elevatione Sacramenti; etsi in diebus festivis duo magis conveniant; quod si unicum intorticium adhibeatur, debet esse in cornu Epistolæ, non solùm quia est vicinius ministro, illud accensuro; sed etiam ne minister ipse ipsum accendens in cornu Evangelii causet distractionem Sacerdoti, faciem in eam partem habenti conversam, & canonem legenti. Bissus *ubi prox. d. num.* 285. §. 1. Tandem campanula habenda est, 15
vel in mensa apud ampullas vitreas, vel in muro appensam cum cordula ita longa, ut minister genuflexus in cornu Epistolæ possit illam pulsare *ad Sanctus Sanctus*, *&c.* ut excitet devotionem circumstantium: & ad elevationem Sacramenti, ob ejus reverentiam, introductumque ejus usum ait Bissus *verb. Campanula num.* 44. §. 1. vel ab Honorio Papa III. vel à Vidone Cardinali; subdens §. 2. aliquando laudabilius esse, eam non pulsare in Missis privatis, quando Missa alia solemnis celebratur, vel dicitur Officium Divinum in Ecclesia; vel populus adorat SS. Eucharistiam ibidem expositam; est enim tunc in actuali devotione, & adoratione, à qua sono campanulæ distraheretur. Quod autem scribit Bauldry *part.* 4. *cap.* 10. *art.* 4.

num.

16 *num.* 18. non esse pulsandam tabulam ligneam, dum elevatur Sacramentum feria sexta in Paraseeve, eò quia populus illud adorat attentè, tanquam mox de sepulchro eductum, mihi non arridet; facilè enim mentes hominum evagant, & ad sonum tabulæ ligneæ, colliguntur, atque elevationem Sanctissimæ Hostiæ majori cum obsequio mirantur, & venerantur. Sonus autem campanulæ, dum Sacerdos sumpturus est Sanguinem Domini, non laudatur à Gavanto *part.* 2. *tit.* 10. *num.* 6. neque à Bisso *d. num.* 44. §. 3. dicentes gratis fieri: sed ubi talis est usus, ut Venetiis, non est impugnandus, excitat enim in illo actu iterum populi devotionem, & attentionem.

Hæc sunt ornamenta Altaris Ecclesiastica, quæ 17 sunt simpliciter necessaria ad Sacrificium Missæ ritè perficiendum, tanquam à Rubricis Missalis, & ab universali usu Ecclesiæ commendata. Alia tamen sunt ornamenta Altaris necessaria secundùm quid, juxta majorem, vel minorem ministrorum Ecclesiæ devotionem, aut dierum solemnitatem; videlicet ciboria cum columnis, picturæ, vela, tapetia, lucernæ & flores. De Ciboriis, & columnis ita scribit Anastasius in Gregorio Primo. *Hic fecit beato Petro Apostolo ciborium cum columnis suis quatuor ex argento puro.* Et in Leone Tertio: *Fecit in Basilica beati Petri Apostoli super Altare majus, ciborium cum columnis suis quatuor ex argento purissimo deaurato, cum di-* 18 *versis Historiis miræ magnitudinis.* Erant autem ciboria turritæ ædiculæ, quatuor minimùm columnis innixæ, quæ tegebant Altare more Græcorum, ut ex Paulo Silentiario apud eruditissimum Cangium demonstrat Joan. Mabyllon *de Liturgia Gallicana libr.* 1. *capit.* 8. *num.* 8. Hac tempestate ornantur 19 Altaria erectione columnarum ex politissimo marmore; quarum spiræ, & stylobata faciebus Angelicis, seu inscriptionibus eruditis condecorantur. Epistylia verò scapis superimposita, astragalis, seu fasciis ornata, aut Angelos sustinent, aut triglyphos floribus, & frondibus, tanquam coronis tumentes.

Picturis quoque, sacris scilicet imaginibus, Ec- 20 clesiæ, & Altaria ornanda sunt juxta Apostolicam traditionem, quam latè comprobat Emin. Cardinalis Baronius ad Annum Christi 57. ubi *num.* 34. *& seqq.* cùm probasset in primis Vexillum Crucis potiorem locum inter picturas, in Ecclesiis fieri solitas, obtinuisse, subdit: *At non his tantùm picturis Ecclesiarum absides, sed & ipsos Ecclesiarum parietes dextra, & sinistra dispositos, diversis historiis veteris, vel novi testamenti ad pietatem aspicientes instituentibus, fuisse egregiè exornatos, idem Auctor*, (S. Paulinus Episcopus Nolanus, qui eodem sæculo vixit, quo Constantinus Magnus Imperator) *in nono & decimo Natali Sancti Felicis, quem præclaro poemate illustravit, copiosè describit.* Subindè de iisdem picturis ad ornatum Ecclesiarum, in iisdem fieri solitis, testes allegat S. Augustinum *de consensu Evangel. libr.* 1. *capit.* 10. *& contra Faustum libr.* 22. *capit.* 73. S. Basilium *Orat. in S. Barlaam*, & S. Gregorium Nissenum *Orat. in Theodoret.* Ac paulò post, confutato *canone* 36. *Concilii Eliberini*, tanquam commentitio in illis verbis: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere.* Quæ addita ab hæreticis fuisse demonstrat; subdit Prudentii Poetæ Christiani, in quarto sæculo sequentia carmina promentis circa Divi Cassiani martyrium, videlicet:

Erexi ad Cœlum faciem, stetit obvia contra
Fucis colorum picta Imago Martyris;
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri (miserabile visu)
Confossa parvis membra figebant stylis.

Et de S. Hippolito ita pariter canentis:

Exemplar sceleris paries habet illitus; in quo
Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta super tumulum species liquidis viget umbris,
Effigians tracti membra cruenta Viri.

Quod prosequitur Spondanus eodem Anno Christi 57. *num.* 34. & ad Annum 69. *num.* 6. eandem veritatem aliis testimoniis comprobans; quam corroborat etiam S. Gregorius Turonicus Antistes; qui in humanis erat sæculo sexto; scribens enim in *libr.* 1. *De Gloria Martyrum cap.* 65. de Templo S. Antoliani Martyris apud Arvernos, quod duæ mulieres perillustres construxerant, *Erectis*, inquit, *parietibus super Altare ædis illius, turrem à columnis, pharis, heracliisque, transvoluris arcubus erexerunt, miram camerafucorum diversitatibus imaginatam adhibentes picturam.* Idemque Auctor *in Histor. libr.* 7. *cap.* 36. introducit milites Gundobaldo Chlotarii filio insultantes his verbis: *Tunè es Pictor ille, qui tempore Chlotarii Regis per Oratoria parietes, atque cameras caraxabas?* id est *pingebas.* Et antea in *cap.* 22. agit de puellis, & pueris Eberulfi, qui *suspicicbant picturas parietum; rimabanturque ornamenta Sepulchri beati Martini.*

Præclari pariter sunt versus Ennodii (in initio ejusdem VI. sæculi viventis) quibus describit picturas SS. Martyrum, quorum Reliquiæ erant in Baptisterio agello videlicet:

Rapta Sepulturis animavit corpora Pictor.
Funera viva videns mors eat in tumulos.
Illorum tamen iste locus complectitur artus,
Quos paries facie, mens tenet alma fide.

Eundem ornatum Ecclesiarum è celeberrimis picturis testatur Venerabilis Beda, qui vivebat octavo sæculo *in libr.* 1. *de Histor. Monasterii sui, num.* 6. Et quamvis eodem sæculo Iconomachi, & Icono- 21
clastæ hæretici omnem impetum fecerint, suffragantibus Leone Isaurio, Copronymo ejus filio Imperatoribus Orientalibus, aliisque eorum successoribus, ut Sacras Imagines ab Ecclesiis tollerent, duraveritque persecutio contra ipsarum veneratores annos 120. ut latè Eminentissim. Card. Baronius, & Spondanus *ab Anno Christi* 726. *usque ad Annum* 842. constans fuit Catholica Ecclesia in earum Sacrarum Imaginum tutamine, & adoratione; adeò ut multò magis sequentibus sæculis usque ad nostra tempora sollicita fuerit Christianorum pietas in Ecclesiis ornandis, præcipuè Sacras imagines, & Sanctorum historias pingendo per manus eximiorum Pictorum; quorum catalogum posuit Antonius Masinus *in sua Bononia Perlustrata in fine*, ubi qua- 22
dringentos circiter Pictores, atque Sculptores recenset, qui his quatuor ultimis sæculis floruerunt, & eorum celebres picturas potissimùm in ornamentum Ecclesiarum factas narrat; quas legisse curiosum, piumque Lectorem non pigebit; nisi potiùs eundem legere delectet Plinium, de excellentia picturæ differentem *libr.* 35. *capit.* 8, 9. 10. & 11. Nec non Chassanæum *in Catalog. glor. Mund. part.* 11. *consider.* 44. ubi in laudem picturæ hæc habet: *Certè magni ingenii est, & divinam propè cognitionem attingit, varias animalium, rerumque species sic mente concipere, ut penicillo & variis coloribus adeò exprimantur, quasi in illis nihil præter Spiritus desit.*

Velis

Velis quoque, & tapetibus etiam antiqui ornabant Ecclesias; de quibus ita scribit Eminent. Card. Bona
23 *Rer. Liturg. libr. 1. cap. 25.* propè finem. *Notandum est autem Veli nomine sæpè Aulæa seu Peristromata intelligi, quibus Ecclesiæ parietes ornantur. Itemque Siparium, sive cortina, quæ ante portas Sanctuarii à Græcis appendi solet. Et ad hoc Velum referendas puto orationes Veli, seu velaminis, quæ in Liturgia Jacobi Apostoli, & in Basilii Magni Anaphora leguntur; non autem ad Velum Calicis, ut quidam existimavit. Erat olim apud Latinos aliud Velum, sive Cortina, quæ inter Chorum & Presbyterium, ubi Chorus in medio Ecclesiæ ante Altare, & Presbyterium situs es, quadragesimali tempore expandi solebat, de qua agunt Usus antiqui Cistercienses cap. 15. Et vetus cæremoniale Benedictinum cap. 31. Ejus usum adhuc vigere in quibusdam Ecclesiis Gallicanis à viris doctis, & fide dignis intellexi.*

Ex his discere licet, per multa sæcula non solùm in Ecclesia Græca, sed etiam in Latina fuisse usitata Vela, quæ Sanctuarium, id est Altare majus intra Chorum, in quo divinum Missæ Sacrificium peragebatur, co-
24 operirent. De his loquebatur S. Dionysius Areopagita *in Epistola ad Demophilum* in illis verbis: *Procedentesque benevolè ad ea loca, quæ sunt extra Vela divina.* Et S. Gregorius Nazianzenus *orat. 20.* loquens de Valente Imperatore, *Cùm quidem ille*, ait: *nescio quomodo, rursus nobiscum in Ecclesiam se contulisset, & intra Velum extitisset.* Sed de eodem Velo, quod erat in usu etiam in Ecclesia Latina disserit S. Gregorius Papa *Epist. 30. ad Constantiam libr. 3. & in libr. Sacrament.* in illis verbis: *Deinde pergunt ad Altare, & extenso Velo inter eos, & populum, &c.* Atque de illo loquitur Anastasius in Leone III. dicens: *Fecit & in circuitu Altaris alia vela alba, holoserica rosata, quæ pendent in arcu de Ciborio, numero quatuor.* Ciborium enim, ut supra dictum est, super quatuor arcubus erectum sustentabatur à quatuor columnis; in medio quarum erat Altare, quod Sanctuarium vocabatur, & tempore Sacrificii tegebatur velis appensis ad easdem columnas. Hinc S. Gregorius Turonensis *libr. 4. Hist. cap. 31.* notat, *quòd avis quædam in Sacrarium sub Velo ingressa, cicindelem extinguere voluisset, nisi ab ostiariis prohibita fuisset.*

Sed dicet aliquis, si Sacerdote litante, Sanctuarium, hoc est Altare, in quo Missa celebrabatur, tectum erat Velis, quomodo populus adstabat Missæ, neque Sacerdotem, neque Sacramentum videns?

Respondet eruditissimus Sarnellius Episcopus Vigiliarum *in sua Basilicographia cap. 32. n. 2.* quòd stabat
25 coopertum prædictis velis Altare usque ad offertorium, quia usque ad illud permittebantur stare in Ecclesiæ Catechumeni, Pœnitentes & Gentiles, ut audirent preces, divinas laudes, ac præcipuè explicationem Evangelii, sive concionem; qua completa, ab ostiariis dimittebantur ex Ecclesia, & facto offertorio, tollebantur Vela, de quibus supra, ut fidelis populus posset videre, & adorare Sacramentum in Missa oblatum; juxta verba D. Chrysostomi *serm. 3. in Epist. ad Ephes. Cùm audieris Oremus, communiter & Vela trahi videris.* Et illa *in Hom. 61. ad Popul. Cùm vela videris retrahi, tunc supernum Cœlum aperiri cogita, & Angelos descendere,* Retrahebantur enim Vela parùm ante consecrationem.

Neque obstat textus *in cap. 1. De Vita, & honest. Cleric.* ubi in fine dicitur: *Ad orandum verò, & communicandum laicis, & fœminis (sicut mos est) pateant Sancta Sanctorum.* Quibus verbis innui videtur, vela esse retrahenda toto Missæ curriculo, ut fidelis populus possit orare. Nam respondet supradictus Vigiliarum Episcopus, legendum esse cum Ivone Carnotensi, & cum Burcardo: *Ad Adorandum verò & communicandum*; 26
ea ratione quia antiqui non replicabant in verbo sequenti dictionem, quæ erat in verbo antecedenti, & ideò dicebant *Arcam eratam*, id est *Arcam cameratam.* Item *Quomodo volent*, videlicet *Quoquomodo volent.* Pariter *Dactiliotheca meam* pro *Dactiliothecam meam* Quod legitur etiam apud Virgilium Æneid. 11. *Mœni Abellæ*, pro *Mœnia Abellæ.* Ad Adorandum itaque, & ad Communicandum patebant Sancta Sanctorum, quia aperiebantur Vela in Missa tempore consecrationis, ut Sacram Hostiam fideles possent adorare, & subindè eam recipientes communicare. Porrò Vela significabant etiam, ut notavit supra Emin. Card. Bona. aulæa, peristromata, seu tapetia, quibus ornabantur parietes Ecclesiæ, ac pavimenta, præcipuè gradus Altarium, de quibus infra, dum de Regalibus ornamentis, donationibus scilicet Regum, Principum, ac Pontificum factis, quibus omni tempore ditatæ sunt Ecclesiæ loquemur.

Lucernis quoque, & Lampadibus accensis ornandæ sunt Ecclesiæ, juxta primitivorum Christianorum usum, qui Apostolorum exemplo edocti plu- 27
rimas Lucernas in Ecclesiis accendebant in signum spiritualis lætitiæ, ut latè probant Emin. Card. Baronius *ad annum Christi 58. num. 26. & seqq.* Nec non ibidem Spondanus (qui SS. Patrum testimonia cumulant) & referuntur sequentia carmina Divi Paulini in *Natali 3. & 6.* S. Felicis Martyris.

Clara coronantur densis Altaria lychnis.
Limina ceratis adolentur odora papyris;
Nocte, dieque micant. Sic nox, splendorque diei.
Fulget; & ipsa dies cœlesti illustris honore,
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.
Aut aliis pictis accendant Lumina ceris,
Multiforesque cavis lychnos laquearibus aptent;
Ut vibrent tremulas funalia pendula flammas.

Quis non miretur S. Paulini mirabile ingenium; & elegantiam metri in describendis Lampadibus, quas *multifores lychnos, & pendula funalia* appellat, quibus vibrabant tremulæ flammæ, id est accensæ ardebant. Variæ erant formæ antiquarum lucernarum in Ecclesiis, quas impressas ponit Magrius *in* 28
Hierolexic, verb. Butto, prout etiam varia earum nomina; nempè *Butto* vox Græca βυτὸς, quæ significat Scyphum, seu vas concavum, & ea usus est Anastasius in Leone III. dicens: *In venerabili Monasterio S. Sabæ fecit buttonem argenteum.* Et in Leone IV. *Obtulit in Basilica S. Petri buttonem de argento purissimo.* Item *Enosotius*, id est Lampas unius luminis ex Græca dictione ἑνὸς φοτὸς. Item *Enneasotius*, id est novem luminum ab ἐννέα, ut scripsit supracitatus Anastasius Bibliothecarius in vita Benedicti III. *Obtulit canistra enesotia ex argento purissimo.* Item *Exasotia* videlicet sex lumenum; nam ἓξ significat sex, & φῶτα lumina, seu splendores. Tandem vocantur etiam *Cicindeliæ*, vel à *Cicindela*, quæ est mu- 29
sca nocturna lucens, vulgò *Lucciola* seu *Batticesola*, vel à *Candeo*, quia candet, & lucet, ut doctè Ferrarius noster *De Origine linguæ Italicæ verb. Cesendelo.* Quare S. Augustinus *serm. 215. de Temp.* ait ad populum. *Qui possunt, aut cereolos, aut oleum, quod in Cicendelibus mittatur, exhibeant.*

Plura de Lucernis & lampadibus Christianorum congerit etiam prælaudatus Sarnellius Episcopus Vigiliarum *in Basilicograph. cap. 45. ubi num. 5.* subdit, quod vocabantur etiam *Canthara* ab earum magnitudine; nec non *Delphini*, à forma piscis illius,

dicente

dicente eodem Anastasio: *Fecit coronam cum Delphinis quatuor oleo ardentibus.* Tantaque erat sollicitudo Christianorum, ut lucernis ardentibus or-
30 narentur Ecclesiæ; quòd legata pia facere consuevissent, pro habendo oleo ad accessionem lucernarum; & hinc est, quòd descripsit S. Gregorius Papa *lib. 12. Epist. 9. Indict. 7.* Anno scilicet DCIV. donasse Basilicæ S. Pauli amplam possessionem ad aquas Salvias, cum aliis campis pro usu Lucernarum, & Lampadum; pariterque Basilicæ S. Petri ad eundem effectum triginta quinque possessiones dedisse cum olivetis.

Verùm circa lucernas antiquorum mirabilius est
31 quod tot, & tanti Auctores referunt, earum plurimas inextinguibiles fuisse, ideòque perpetuas appellatas non solùm in fanis, sed etiam, ac potissimùm in sepulchris. S. Augustinus *lib. 21. de Civit. Dei cap. 6.* ita scribit: *Si talia credenda sunt, credite & vos quod in eadem litteras est relatum; fuisse, vel esse quoddam Veneris fanum, atque ibi Candelabrum, & in eo lucernam sub dio ardentem, ut eam nulla tempestas, nullus imber extingueret.* Narrat quoque Cedrenus, quem refert Aresius *lib. 5. Impr. 133. num. 33.* Edessæ positam fuisse Lampadem ardentem coram imagine Redemptoris nostri, quæ annos quingentos absque Olei additione colluxit. In sepulchris autem tum Gentilium, tum Christianorum repertas fuisse lucernas ardentes testantur Joan. Baptista Porta *lib. 12. Magia naturalis cap. ult.* Boccacius *de Deor. genealog. lib. 12. cap. 67.* & alii, quos refert Licetus, (in hac Patavina Academia Publicus Philosophiæ Professor) *in libro De reconditis antiquorum lucernis*; quibus addendus Scardeonius Canonicus Patavinus in *sua Historia Urbis Antenor. lib. 1. Class. 3. cap. ult.* ubi narrat, propè terram Athestis territorii Patavini, in subterraneo sarcophago adinventam Lucernam ardentem, quæ ibi recondita fuerat annos supra mille & quingentos. Consimilem testatur Pancirolus *in lib. de Rebus memorabilibus deperditis*, repertam fuisse Romæ tempore Pauli Papæ III. in Sepulchro Tulliolæ filiæ Ciceronis.

Sudant Philosophi perquirentes causam harum
32 perpetuarum Lampadum? Collegium Complut. *disp. 3. q. 5. n. 50.* ita ait: *Describere autem modum, quo ipsæ Lucernæ excitantur, nostra non interest: sed remittimus Lectorem ad Prædictum Portam lib. 12. Magiæ natur. c. ult. ubi illum tandem reducit ad Principium Philosophicum receptissimum; quia videlicèt natura refugit vacuum: undè flamma vitro clausa, & omnibus occlusis Spiramentis, si momento ardet, perdurabit in æternum; ne scilicet semel extincta vas vacuum relinquat.* At quis sciverit flammam vitro includere accensam; & eam sic reserare, ut nullibi aer spirare possit?

Masinus *in Schola Christiani cap. 12. in fine* hæc habet: *la Pietra Amianto, ò Asbeste si liscia, si pettina, si fila, e si tesse in tele, delle quali gl' antichi facevano i vestimenti funebri; di cui gl' Indiani vestivano i corpi de i loro Rè morti, che abrucciandoli dentro di dette tele incombustibili, le ceneri vi si conservavano; perchè queste tele non si abrucciano; ma si fanno più nette, e risplendenti nel fuoco: e fattone un Lucignolo* (notet Lector) *ad una lucerna, mai non si consuma; nasce nell' Arcadia, e chiamasi ancora Pluma di Salamandra.*

Donatus Calvi *in Ephemerid. Bergomen. tom. 2. Append. Mensis Maji n. 19.* narrat in Veneto Dominio inventam fuisse fodinam bituminis resistentis ignis voracitati, cujus materiæ elychnia confecta semper ardent, & non consumuntur.

Mastrius *in tom. 3. Philosophiæ in libro de Cœlo, & Meteoris disp. 4. n. 64.* ita differit: *Sed longè difficilius est assignare causam diuturnitatis quarumdam lucernarum ardentium, quæ in vetustissimis quibusdam sepulchris subdus terram sæpius inventæ sunt. Sanè mirandum est quo modo, quavè ratione potuerit per tot annorum centurias flamma in illis semel accensa conservari?* Et infra: *Variæ, ac minus idoneæ responsiones ad hoc excogitatæ sunt, quas omnes refert, & copiosè refellit Licetus lib. 2. Communior, & verisimilior responsio, quam recipit Aversa quæst. 42. sect. 2. & ipse Licetus est, paratum fuisse in illis lucernis tale oleum, & talem lychnum, ut tamdiu ardere posset. Ratio est, quia quædam terrestria corpora inventuntur, quæ semel inflammata diutissimè flammam retinent ob materiæ pinguedinem, ac viscositatem; ut jam de bitumine diximus. Sed & adhuc extant alii Lapides tenacioris naturæ, ut de Amianto præsertim referunt, & Asbesto; qui flammam semel conceptam adeò constanter retinent, ut nec aqua extingui valeant; & Petrus Messias in Syl. par. 5. cap. 26. tradit, juxta Utrubam in novo Orbe esse lignum quoddam, quod semel igne accensum ad longissima tempora accensum viget. Poterit ergo arte Chymica tale oleum ex his lapidibus, & mixtis distillari, ut igne invictum semper ardeat. Simile quoddam oleum commemorat Ælianus de Histor. Anim. lib. 5. cap. 3. Et vives ad lib. 21. D. August. De Civit. Dei cap. 6. testatur, se vidisse Parisiis lychnos quosdam, qui incensi nunquam absumebantur. Ex tali ergo oleo lucernæ illæ antiquorum parari potuerunt; & ita significant Solin. loc. cit. & Albertus Magnus lib. 2. Mineral. tr. 2. cap. 1.* Hucusque Mastrius Theologus magnus, nec minor Philosophus.

Aresius *d. lib. 5. Impres. 33. à n. 31. & seqq.* examinans hanc difficultatem, refert opinionem Liceti, qui opinatus est, perpetuitatem lucernarum ardentium constitisse in materia, in qua ignis accendatur, adeò unctuosa, & viscida, ut ab ea ignis, qui jugiter aspirat ad suam evolare sphæram; se liberare non possit, & cogatur in ea ardens remanere: siquidem, (ait Licetus) ignis non eget pabulo, sed tanquam avis in compedibus, studet abire, & tunc extinguitur lucerna, quando ignis destructa unctuositate, & tenacitate materiæ, cui erat alligatus, quasi confractis vinculis aufugit, & avolat.

Porrò Aresius *ubi ante n. 38.* & Mastrius *n. 65.* irrident, & confutant opinionem Liceti; falsum est enim quòd ignis non egeat pabulo; docet enim experientia, ipsum extingui deficientibus lignis, aliave materia combustibili. Neque verum est, quòd viscositas, & pinguedo materiæ teneat ignem alligatum, ne sursum evolet; semper enim in altum evolat flamma suo motu naturali; & flatu, vento, aut alia concussione extinguitur, etsi inhæreat prædictæ viscositati. Quare Mastrius *d. disp. 4. num. 65. in fine*, adhæret opinioni ejusdem Aresii, concludens quæstionem his verbis: *Vel dicendum historias illas de lucernis Antiquorum esse fabulosas, ut demonstrant Aresius Impr. 7. lib. 2. Flavius Querengus in lib. Italico delle lucerne de Sepolcri antichi, & alii. Vel si vere Lucernæ illæ ardentes inventæ sunt, & non extinctæ, dicendum cum Jacobo Guthero lib. 2. De Jure Manium, non semper illas arsisse; sed tunc primùm, cùm effossa terra apertus est locus, accensum fuisse ignem in lucerna externi aeris afflatu, aut alio modo. Vel tandem si verum est, ab initio accensas*

fuisse, & doinceps arsisse semper, hoc referendum esse ad operam Dæmonis in Antiquorum sepulchris, & Templis, ut invuit D. Augustinus cit. lib. 21. de Civit. cap. 6. Vel ad divinum miraculum; ut piè credi potest de lucerna quadam ante Imaginem Christi, quam commemorat Majolus Colloq. 23. post quingentos annos inventam fuisse accensam intra quemdam parietem. Hæc satis de Lucernis antiquorum. Qui plura desiderat, legat auctores, quos allegat Menochius *in Storeis Cent. 9. c. 41. Et Cent. 11. c. 29.*

Flores etiam considerantur inter ornamenta Ec-
33 clesiastica, & ponendi sunt ad ornatum Ecclesiæ, seu Altarium, ut ait Gavantus *in Rubric. Missal. part. 1. tit. 20. in fin.* his verbis: *Floribus item, & exquisitis quibusdam ramulis aptè, & concinnè dispositis, seu veris, seu fictis, pro temporum varietate; sivè in vasculis elegantibus, sivè alia ratione ornari potuerunt Altaria; exemplo Nepotiani, quem hac de re perhonorificè S. Hieronymus commendat.* Ratio est, quia apud antiques florum, & frondium appositio, & effusio erat signum obsequii, devotionis, ac reverentiæ. Hinc scriptum est de Machabæis *lib. 1. cap. 4.* Quòd *ornaverunt faciem Templi coronis aureis, & scutulis*, quæ interpretantur à Lyrano ibidem *Flores, & frondes arborum*; & idem significavit Regius Psaltes *in Psal. 117. vers. 27.* dum dixit: *Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu Altaris.* Quæ verba vertuntur à S. Hieronymo: *Frequentate solemnitatem in frondosis*; & à Lorino: *Ligate Festum frondibus.* In cujus Judaici obsequii confirmationem legimus apud Emin. Card. Baronium *ad annum Christi 42. num. 18.* quòd discedente Marco Agrippa Jerosolymis; plebs, à qua magnopere amabatur, super ipsum frondes, & flores projiciebat. Igitur primitivi Christiani sic à SS. Patribus edocti Ecclesias, & Altaria ornare solliciti erant floribus, & frondibus, ut demonstrat Sarnellius Episcopus in sua *Basilicograph, cap. 11.* allegans testimonia S. Hieronymi, & S. Augustini; idemque facit Eminentiss. Cardin. Bona *Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 25.* ubi addit S. Gregorium Turonensem *lib. de Glor. Confess. cap. 50.* sic de S. Severo scribentem: *Solitus erat flores liliorum, tempore quo nascuntur, colligere, ac per parietes hujus ædis appendere.* Ulterius habentur carmina S. Paulini Episcopi *in Natali 3. S. Felicis* sic canentis, & Fideles invitantis.

Forte Deo pueri laudem; pia solvite vota;
Spargite flore solum; prætexite limina sertis.
Purpureum ver spiret hyems, sit Floreus annus
Ante diem; sancto cedat natura diei.

Quibus concordat Poema Venantii Fortunati *lib 8. carm. 9. ad Radegundem:* quod carmen de floribus super Altare inscribitur; in quo præmisso Veris edeuntis elogio subdit.

Indè Viri postes, & pulpita floribus ornant,
Hinc mulier roseo complet odore sinum.
At vos non vobis, sed Christo fertis odores:
Hæc quoque primitias ad pia Templa datis.
Texistis variis Altaria festa coronis,
Pingitur ut filis Floribus Ara novis.

Et ex his invaluit usus apud Christianos ornandi
34 fores Ecclesiarum, diebus festivis, positione frondium ex hedera, & lauris, aliisque virentibus arboribus decerptarum; immixtis foliis aureis, coloribusque compositis; quamvis enim in principio Ecclesiæ fideles hisce frondibus januas ejus non ornarent, immò abhorrerent ab hujusmodi ornatu, quo utebantur Gentiles in eorum superstitiosis, necnon inhonestis ritibus, de quibus Juvenalis *Satyr. 12.*

Et matutinis operantur festa lucernis,

Et Tertullianus *lib. 2. ad Uxor. cap. 6. Procedit de janua laureata, & lucernata, ut de novo consistorio publicarum libidinum.* Et alibi, videlicet *in lib. de Idol. cap. 15. Et de Coron. Milit. cap. 13. in fine* subdit: *Christianus nec domum suam laureis infamabit.* Nihilominus tractu temporis cùm ornatus prædicti sanctificati essent in solum usum Divini cultus, & honorem Dei, cœperunt frequentari à fidelibus, ut eruditè demonstrat Sarnellius *tom. 1. Epistol. Eccles. Epist. 20.* ubi plura adducit exempla rerum, & consuetudinum, quas adhibebant Gentiles, fueruntque à SS. Patribus, & Sacris Conciliis permissæ fidelibus ad honorem Dei, & ejus cultum prætexendum; quod latiùs ostendit etiam Em. Card. Baronius ad Annum Christi 200. *n. 5*, & extat Elogium S. Hieronymi laudantis Nepotianum *in Epist. ad Heliod. de obitu Nepotiani* his verbis: *Basilicas Ecclesiæ, & Martyrum conciliabula diversis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis obumbrabat.* Et hæc de ornamentis Ecclesiasticis.

Begalia verò Ornamenta, quibus decorandæ Ec- 35
clesiæ, Altariaque veniunt, sunt illa, quæ à Regibus, Principibus, Marchionibus, aliisvè in dignitate, sive mundana, sive Ecclesiastica, Cor Regium, munificum, & generosum habentibus donantur; & de his piissimis, ac splendidissimis donationibus plenæ sunt historiæ, quarum aliquas breviter tamen, hic duximus referendas. Prima est illa Constantini Imperatoris, qui Romanæ Ecclesiæ, præter infinita propè munera collata in Basilicas ab eo ædificatas,
donavit Urbem Romam, Palatium Lateranense, a- 36
liasque Provincias, & Civitates; de quibus *in cap. Constantinus. dist. 96.* Et quamvis contra illam insurgant tum heterodoxi, tum aliqui ex Catholicis relati per Barbosam in *d. cap. Constantinus n. 4.* ea ratione, quia Imperator videtur non potuisse tàm amplas facere donationes in damnum Imperii, attento juramento, quod in sua coronatione facit de juribus Imperii illæsis servandis; bene respondet ibi Barbosa, Constantinum totiùs Senatus, & populi accedente consensu potuisse donationes illas facere, cùm ipsi Deo in Ecclesia sua factæ fuerint: *Dei autem est terra, & plenitudo ejus*, & centuplum reddit illis, à quibus sibi aliquid datur; præterquam quòd Provinciæ, Civitates, & bona Romanæ Ecclesiæ donata per Constantinum, ab Imperatoribus antecessoribus tyrannicè fuerant occupata; & de jure erant Ecclesiæ restituenda; attentis etiam beneficiis à Deo receptis per ipsum Constantinum in Victoria contra Maxentium, & in sanatione à Lepra; ut ex Canonistis differunt Abbas *cons. 82. par. 1.* Hostiens. *in Summa tit. de Immun. Eccl. n. 12.* Ex Theologis Em. Card. Bellarm. *tom. 1. Controv. 4. De Eccl. Militan. lib. 4. c. 18.* Melchior Canus *lib. 11. c. 5.* Molina *de Justit. & jure tr. 2. disp. 25.* ex Juristis verò Marta *de Jurisdict. par. 1. c. 30.* Buttatus *l. 1. cons. 124.* Menochius *cons. 149. n. 39.* Cevallus *commun. contra com. qu. 345.* novissime Nicolius *tom. 1. Lucubrat. Civil. in Rubric. Instit. n. 17. p. 6.* Et Paulus Rubeus in addition. ad Rotam *par. 3. rec. Dec. 2. à n. 25. usque ad n. 56.* ubi plenissimè de hac donatione. Aculteriùs ex Historicis, & Annalistis Eminent. Cardin. Baronius *ad Annum Christi 324.* ubi de ejus munificentia erga omnes Ecclesias; & Spondanus *ibid.* ubi de Edicto Constantini circa eandem donationem Urbis

Romæ,

Romæ, Provinciarum, & aliarum Civitatum, ad quos curiosum Lectorem remittimus Secunda Regia quidem donatio est illa Mathildis Comitissæ,
37 quæ anno 1077. ut scribit Leo Ostiensis Episcopus *lib. 3. cap.* 48. Liguriam, & Tusciam provincias Gregorio Papæ VII. & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotissimè obtulit. Rota *decis. 69. n. 71. part. 7. rec.* Historici, & Annalistæ ejusdem temporis; inter quos Em. Card. Baronius, Spondanus, &
38 Ricciolus in Chronico Magno, & Selecto *d. Ann. MLXXVII.* Tertia est S. Inæ Regis Britannici, de quo ita scribit Spondanus *Anno* 740. *num.* 3. *Hoc pariter anno Occidentalium Saxonum in Britannia Rex Ina Sanctorum Regum decessorum suorum insignis devotionis æmulus, antequam Regno suo se abdicaret (cujus & Uxor Edilburga, non minoris fortitudinis fœmina Monasticam vitam amplexa est) perpetuo pietatis monumento fidem suam erga Romanam Ecclesiam voluit reliquisse testatam, dum Regni sui domos singulas, singulos denarios argenteos annuatim S. Petro pendere statuit: sic devincire populum suum studens, ut annui census pensitatione Dominum suum agnosceret S. Petrum, cujus & fidem firmam, illibatamque jugiter conservaret, & auxilium in necessitatibus invocaret.* Faxit Deus; ut hujus, ac aliorum SS. Regum Britannorum in illis nobilissimis populis extincta pietas excitetur, ita ut majorum suorum Religionem ne detrectent imitari. Legatur Vita ejusdem S. Inæ filii Henredi Regis Angliæ, quam Italico Idiomate ex Bollando traduxit Hieronym. à Basilica Patri *in suis Ephemerid. Sacris die 6. Februarii*; & mirabiles virtutes suscipiet tanti Principis, ejus præcipuè liberalitatem in muneribus Ecclesiis addictis, præter supradictum annuum censum Basilicæ Divi Petri, quem Angli, eorum Lingua *Romescot* vocabant. Quarta est illa, quæ legitur facta in fine sæculi VI. in testamento Illustris Matronæ Ermentrudis; quod
39 transcribit Joan. Mabilon. *in Liturgia Gallicana in Appendice Probat. n. 5. pag.* 463. in quo plura legata sunt Ecclesiis Gallicanis ad pium cultum; & præsertim sequentia, quæ non me piget referre de verbo ad verbum: ut sciat Lector defectus Linguæ Latinæ illius sæculi; ait enim: *Basellicis constitutis Parisius, idest Basilicæ S. Petri urcio argenteo, valente soledus duodece; & fibla aurea gemmata ad mento dari constituo. Basilicæ Domnæ Mariæ gavata argentea valente sol. duodece; & Cruce aurea valente sol. septe dari jubeo. Basilicæ Domni Stephani anolo aureo nigellato valente sol. quatuor dari volo. Basilicæ Domni Gervasi anolo aureo nomen meum in se habentem scriptum, dari præcipio. Basilicæ Sancti Sinsuriani, in qua bon. record. filius meus Deorovaldus requiescit freno valente sol. duodece; & caballo strato, & carruca, in qua sedere consuevi cum boves; & lectaria cum omni statura sua, pro devotione mea, & requiem Deorovaldi dari præcipio.* Et factis aliis consimilibus piis legatis aliis Ecclesiis, subdit: *Item pro remedium animæ meæ, vel ex demendatione b. r. filii mei Deorovaldi Villam, cui vocabulum est Latiniaco, sita in Territorio Meldinse, cum campis, colonecis ad eadem pertinentes, cum pratis, pascuis, silvis, vel in omni jure, & termino suo, quia in portione supra memorati filii mei Deorovaldi obvenit, cum omni integritate. Basilicæ S. Sinsuriani, ubi sepultura habere dinuscitur, pro requiem ejus dari præcipio.* Ita latinizabant Notarii illius sexti sæculi, nisi asseramus, errores prodiisse ex ignorantia amanuensium in faciendo transumpta illius testamenti. Quinto loco reflectendum amplissimis donationibus per Romanos Pontifices factis B. silicis, & Ecclesiis Almæ Urbis, quas recensetAnastasius Bibliothecarius in vitis eorumdem Pontificum; & quarum aliquas transcribit Em. Card. Bona *Rer. Liturg. d. l. 7. c. 25. n. 13.* & Ciampinus *in tr. de Azymo c. 14.* Et sunt sequentes. In Vita Stephani IV. §. *erat. Fecit tres Regulares argenteo super Rugas, per quas ingrediuntur ad Altare.* In Vita Hadriani IV. §. *Cimiterium; Fecit Laudunas duas ex argento pensantes libras octo, quas posuit super Rugas de Presbytero, ubi arcus de argento existit.* Et in §. *At vero. Fecit etiam ter Beatitudo ejus Imagines sex ex laminis argenteis, investitas, ex quibus tres posuit super Rugas, qua sunt in introitu Ecclesiæ Presbyterii.* Et prosequitur Ciampinus alias consimiles donationes ex eodem Anastasio traducere in Vita Leonis III. Paschalis I. Gregorii IV. Sergii II. Leonis IV. Nicolai I. & aliorum; & quoniam in singulis earum extat verbum illud *Ruga*; inquirit ipse, quid essent 41
Rugæ in Ecclesiis, laminibus argenteis à Pontificibus ornatæ? Et ait, Bulengerum *de Donariis Pontific. l. 2. c. 43.* opinatum eas fuisse strias, seu canaliculos, vel sulcos in columnis Altarium. Torrigium *in suis Cryptis Vaticanis part 2 pag. 442. & 471.* dixisse, Rugas fuisse januas vel Ecclesiæ, vel Presbyterii. Magrium *in Hierolexic.* notasse, eas plura significasse, nempe tum sulcos, & canaliculos columnarum, tum siphunculos, in quibus ponebantur aliquæ Virgæ pro ornamentis Altarium, laudanæ appellatæ, tum etiam argenteas laminas ad undarum figuras ornatas, quibus facies Altaris decorabatur. Octavium Ferrarium *de Origine Linguæ Italicæ Verb. Ruga*, plures pariter sensus indicasse hujus vocis, sed præcipuè; eam significare *Viam, Corrivium, Carrebium, seu Compositum*, vel *transitum*, & idem opinatum esse Du-Cangè *in suo Magno Glossario eodem Verb. Ruga*; qui subindè credit, *Rugam* fuisse viam illam, seu limen, per quod Pontifex ingrediebatur cancellos, ascendens ad Altare, quod placet Ciampino, qui *ex Ordine Romano* Hittorpii opera impresso refert ordinem Processionis finita Missa faciendæ, ubi hæc verba: *Post Episcopos Presbyteri, deindè Monachi, deindè Schola, deindè Milites Draconarii, idest qui signa portant, post ejus Bajuli, post eos Cerostatarii, post quos Acolythi, qui RUGAM conservant*; videlicet retinent populum in limine viæ, ne impediat Processionem deambulantem è Sacrario ad januam Ecclesiæ per *Rugam*, idest per viam apertam, & transitum liberum, quem Acolythi custodiebant. Quare Ciampinus, pluribus dictis de hac voce *Ruga*, concludit, verius esse, quòd significet viam, & aditum ad Sacrarium, & Altare, & allegat Boccaccium *in Novell. 15. & 26.* ubi ait: *Sù per una via chiamata la Ruga Catalana*, & Joan. Villanum *in Chron. l. 3. c. 2. Come tiene hoggi la grande Ruga, che và da S. Giovanni sino al Vescovado.* Quibus nos addere possumus consuetudinem Venetorum, qui Venetiis apud pontem Rivialti viam aurificum appellant *La Ruga degl' Orefici.* Hæc de voce *Ruga.*

Revertentes ad Regalia ornamenta, quibus Ecclesiæ decorantur, idest ad pias donationes fidelium, has in toto orbe Christiano amplissimas semper fuisse nemo ignorat, ubique enim ditissimi sunt Episcopatus, Capitula, Monasteria, Abbatiæ, beneficia, & alii tituli Ecclesiarum; nobisque satis est considerare opulentiam Cleri Patavini, provenientem ex Regia liberalitate fidelium; ipse enim simul, (Sæcu- 42
laris scilicet & Regularis) habet in annuis redditibus quadringenta quadraginta millia Ducatorum; & ex his solus Episcopatus triginta millia circiter;

Cœnobium Monachorum S. Justinæ ordinis Casinensis quinquaginta millia; Ecclesia Cathedralis quadraginta septem millia. Moniales quinquaginta septem millia. Reliquos retinent alii Claustrales, Parochi, & simplices beneficiati. Quòd si bona mobilia, Candelabra, Lampades, Vasa aurea, & argentea, pallia, tabellas, & alia ex auro, ac holoserico voluerimus considerare, & appendere in statera; quasi arena maris reperientur absque numero; nulla enim est Ecclesia, nullum Oratorium, Capellavè, quibus non sint plura ex præfatis pretiosis ornamentis; ultra insignium Basilicarum thesauros, in toto orbe celebres, veluti Sanctæ Domus Lauretanæ; Ducalis Templi Sancti Marci Venetiarum; Arcæ Divi Antonii Patavini, & similium.

Motivum verò fidelium in ditandis, & ornandis Ecclesiis fuit, & est meritum, atque remuneratio, Illud consistit respectu religionis, ac pietatis, quam exercent; datum enim, vel relictum Ecclesiæ dici-
43 tur opus, & legatum pium, *cap. Requisisti. Vers. Secus autem. Et c. fin. de Testam. l. Illud, C. de Sacrosanct. Ecclesiis*, Roman. *cons.* 235. *colum.* 2. Moneta *De Commut. Vlt. Volunt. c.* 4. *n.* 29. Et qui donat Ecclesiæ, absque dubio donat ipsi Deo; siquidem Res Ecclesiæ dicuntur res ipsius Dei. Conc. Trid. *sess.* 25. *de ref. cap.* 1. ibi: *Neres Ecclesiasticas, quæ Dei sunt &c.* Lessius *de Just. & Jur. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 47. Et non minus meritum est legare Ecclesiæ, quàm pauperibus, nomine enim pauperum comprehenduntur etiam Ecclesiæ. Bordon. *de Legatis cap.* 4. *num.* 20. Ideóque in donatione, quæ fit Ecclesiæ, nulla
44 solemnitas requiritur, sed sufficit sola voluntas donantis. Sperell. *Dec.* 100. *n.* 14. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 147. *n.* 11. Remuneratio verò resultat in remissione peccatorum, & condonatione pœnarum Purgatorii, à quibus citò liberantur, qui fuerunt munifici, & liberales erga Ecclesias, prout constat exemplo Dagoberti Francorum Regis, narrato per Em. Card. Baron. *ad Annum Christi* 647. *n.* 4. desumpto ex Amoino *de Gestis Francor. cap.* 34. quod refert etiam Spondanus *ad eumdem Ann.* 647. *n.* 2. his verbis:

Hoc item Anno, quo absolvitur Dagoberti Francorum Regis XVI. idem Rex XIX. Januarii defunctus
45 *est; cujus erga Ecclesias munificentia ex ipsius testamento superius est demonstrata. Ejus corpus (inquit Amoinus) conditum aromatibus sepultum est in Ecclesia S. Dionysii, quam ipse universis, quæ in Galliis tunc temporis erant; excellentiorem condiderat; aureisque, atque holosericis pretiosissimis ornamentis decoraverat, & ampliss imis redditibus dotaverat.* Et infra: *Quod autem ad salutem animæ ejusdem pertinet, scribit idem Auctor; ea ipsa hora, qua is expiravit, visionem divinitus ostensam esse Joanni cuidam viro Sanctissimo, in parva aliqua Insula propè Siciliam eremiticam vitam excolenti, qua apparuerant ei haud procul in pelago Dæmones vinctum Dagobertum per spatia maris agitantes, influctisque verberibus ad Vulcania loca trahentes; qui distensus cruciatibus, quorumdam Sanctorum audiebatur postulare suffragia: cum repentè aperto Cœlo, inter fulmina in fluctus cum fragore ruentia, visi sunt descendisse Sancti illi, quos Dagobertus in auxilium evocaverat; nempè Dionysius, atque Mauritius Martyres, & Martinus Confessor (quorum Ecclesias plus cæteris idem Rex ditaverat) qui arreptam à dæmonibus ipsius animam secum ad æthera levarunt, Deo hymnos concinnentes.* Alios Auctores graviss imos allegat ibidem Spondanus pro veritate hujus visionis; eamque in marmore antiquiùs sculptam in Ecclesia S. Dionysii ad monumentum ejusdem Regis Dagoberti usque in præsentem diem videri affirmat. En igitur juvamen, & levamen in Purgatorii pœnis, quod provenit donantibus Ecclesias bonis pro earum ornatu, & Divini cultus splendore.

Moralia Ornamenta Ecclesiarum devotionem fidelium respiciunt, qui illas ingressi magna reverentia, & timore orant, & Sacrificio adsistunt, juxta illud *Psal.* 5. *vers.* 8. *Introibo in domum tuam, adorabo* 46
ad templum sanctum tuum in timore tuo. Sollicitudo autem primitivorum Christianorum in custodienda reverentia, atque devotione populi in Ecclesiis consistebat in sequentibus regulis. Primò. Mulieres stabant separatæ à viris, ut testimonio SS. Patrum demonstrat Emin. Card. Baronius *ad Annum Christi* 57. *n.* 123. & 124. nec non Spondanus *eodem anno n.* 37. ubi subdit: *Eumdem distinctionis usum fuis-* 47
se in Ecclesia Romana, ut declarant Vitæ Pontificum Symmachi, Gregorii III. atque Sergii; nec non antiquiora Ecclesiæ Vaticanæ monumenta; quibus etiam constat, dexteram Basilicæ partem destinatam fuisse mulieribus, viris autem sinistram. Secundò alia erat janua, per quam ingrediebantur viri, & alia per quam mulieres in Ecclesiam; & sicut januæ virorum præsidebant Ostiarii, cujus officium erat introducere dignos, expellere indignos; & curare, ut introducti devotè starent; ita janua mulierum adstabant Diaconissæ, quæ erant mulieres annorum saltem quadraginta; promotæ ad hoc officium per 48
impositionem manuum Episcoporum; quibus diversa munia committebantur circa custodiam, & directionem mulierum tum Catechumenarum, tum baptizatarum, extra, & intra Ecclesiam; sed præcipuè ut ipsæ cum silentio starent, ut latè demonstrat Illustriss. Episcopus Sarnellius *in sua Basilicographia cap.* 17. Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 15. *in fine*, & Magrius *in Hierolex. Verb. Diaconissa*, ubi notat, hoc munere Diaconissatus insignitas fuisse S. Martinam Virginem, & Martyrem; S. Reginam, & Theosebiam uxorem S. Grenorii Nisseni, postquam ipse in Sacris fuit ordinatus; & in Ecclesia Metropolitana Mediolanensi adhuc durare hoc Diaconissarum officium, notat etiam Tamburi- 49
nus *de Jure Abbatissarum disp.* 7. *q.* 8. deputantur enim Matronæ aliquæ, quas *Vetulones* vocant, quæ in Missa cantata juxta Ambrosianum ritum, ad Offertorium ferunt panem, & vinum pro Sacrificio; alibi etiam similes vidisse ait Magr. *ubi supra.* Tertiò nefas erat pauperibus ingredi Ecclesiam, ad stipem captandam; sed cogebantur manere ad ostia, & in porticu, ut plurium SS. Patrum testimonio 50
ostendit idem Em. Card. Baronius *d. Anno* 57. *n.* 126. & Illustriss. Sarnellius *in eod. tract. Basilicograph. cap.* 8. *n.* 3. ubi observandam proponit Bullam S. Pii V. *Incipien. Cum primum &c.* editam *Cal. Aprilis* 1566. (& est in ordine Bullarii *lu V.*) in qua indicit pœnas pecuniarias contra irreverenter stantes in Ecclesiis; nec non contra pauperes per eas deambulantes, tempore Sacrificii, vel Prædicationis ad eleemosynam petendam; & contra Capitula, Rectoresque Ecclesiarum negligentes in eis expellendis, & coercendis, ut ad valvas Ecclesiarum immorentur. Quartò Exercentes Magistratus, & Præfecturas, quando ingrediebantur Ecclesiam, inter privatos se collocabant, & genuflectebant, ob Sacri loci reverentiam, quam usque in præsentem diem servant exemplari pietate Nobiles Veneti; hi enim etsi Procuratoria, vel Consulari veste induti, Sacrosan- 51

ctum

ctum Missæ Sacrificium ita devotè audiunt, ut genuflectere apud pauperes personas, non detrectent; hævè si apud ipsos se collocent, nihil curant, imitantes eximiam devotionem Constantini Magni, Theodosii, & aliorum Imperatorum, de quibus *in l. 3. & 4. C. De his, qui ad Eccl. confug.* Em. Card. Baronius *Anno* 431. *n.* 4. & Sperellus *in Pareneſi Theleturg. c.* 21. *n.* 3. ubi ex Eusebio in Vita Constantini *lib.* 4. *c.* 33. notat, eundem Imperatorem solitum fuisse stare, & non sedere ad concionem, ob reverentiam loci
52 Sacri. Quintò ejusdem reverentiæ gratia prohibitum est in jure ludos theatrales, ideſt comœdias, scenicasvè repræsentationes facere in Ecclesiis. *cap. Cum decorem, & cap. Clerici officia. De vita, & honeſt. Cleric.* quibus vel cooperantes, vel interessentes mortaliter peccare, nisi res devotæ omninò agantur, docet Baldellus *in Theol. mor. tom.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 33. *n.* 7. & 8. circa quas non sunt laxandæ habenæ; quantumvis enim actio, seu repræsentatio sit devota, vix fiet, ne aliquis contemptus ab auditoribus committatur in locum Sacrum clamoribus, tergiversationibus, confabulationibusvè; nec multi sunt anni, quod Brixiæ erecto theatro pro spirituali comœdia in Ecclesia recitanda; ignis casualiter accensus, & theatrum, & Ecclesiam consumpsit, non sine manifesto signo Divini Numinis irati. Tandem inter moralia ornamenta Ecclesiæ reputabatur distantia illa populi ab Altari; quæ legitur præscripta *in*
53 *cap. Sacerdotum. De consecr. diſt.* 2. his verbis: *Nulli Laicorum liceat in eo loco, ubi Sacerdotes, & reliqui clerici consiſtunt, (quod Presbyterium nuncupatur) quando Missa celebratur, consiſtere; ut liberè, ac honorificè possint sacra officia exercere.* Et *in cap.* 1. *De Vita, & honeſt. Cleric.* ubi hæc sunt verba: *Ut laici secus Altare, quando Sacra Mysteria celebrantur, stare, vel sedere inter clericos non præsumant.* Utinam hisce temporibus hæc Ornamenta haberentur; neque eorum defectu detur parentur Ecclesiæ. Sed non est dolendum de populis, quorum major pars ob ignorantiam peccat; sed invehendum est contra inscitiam, negligentiam, & animi vilitatem Parochorum aliorumque ministrorum Ecclesiæ, qui nesciunt, vel non audent reprehendere, monere, & instruere laicos circa antedictos actus reverentiæ per eos in Ecclesia præstandos. Paucis ab hinc diebus, me celebrante, accessit nobilis fœmina, meam Missam auditura, & se posuit penes Altare in cornu Epistolæ, adeò ut facies ejus tangebat Missale, dum ego confessionem ad gradus recitarem. Ascendi ad Altare; & dixi: discede, est locus ille Angelorum, non mulierum. Discessit illa statim; licèt enim nobilis, ignorantia laborabat. Cur ita? Quia Ecclesiarum Rectores sunt *canes muti, non valentes latrare. Isaia. cap.* 56. *vers.* 10.

Non fuerunt tales Ecclesiastici illi, quorum sapientiam narrant populi, & laudes eorum enunciat Ecclesia, & nomina eorum vivent in sæculum sæculi; inter quos Em. Card. Cæs. Baronius, de illo enim *in Memor. Hiſt. Congr. Orat. lib.* 3. *c.* 15. *ad fin.* Joan. Marcianus ita scribit: *Fù in oltre zelantiſſimo del riſpetto dovuto à Sacri Templi, nè temè di porsi ad evidenti pericoli, purchè allontanaſſe da quelli ogni ſcandaloſa azione.* Et subindè narrat ab eo acriter reprehensum fuisse virum nobilem, qui in Ecclesia insidiabatur honestati certæ mulieris; & illum expulit è domo Dei; à quo se protegendum ait, dum audivit eumdem suæ vitæ necem minantem; prout evenit; nam paulò post dictus Vir nobilis præcipitatus ab equo in terram crus sibi fregit, & à dolore, atque punitione illa illuminatus Cæsarem Baronium accersere fecit, veniam ei petiit, confessionem generalem secum habuit; & ab ejus directione de cætero in moralibus voluit pendere.

Subindè de Petro Consolino, spirituali filio S. Philippi Nerii, & Sacerdote Congregationis Oratorii Romæ subdit idem Auctor *lib.* 6. *c.* 7. *p.* 568. *Con non minore intrepideza zelava, che ſi rendeſſe à Chriſto, & alla Chieſa il riſpetto, & honore, che ſe gli deve; onde con libertà Chriſtiana, e con autorità di miniſtro di Dio correggeva coloro, che non eſibivano la dovuta riverenza alla ſua Caſa.* Et refert contentionem, quam habuit cum Juvene nobili, qui inhonesti amoris causa morabatur in Ecclesia, de qua Consolinus illum ejecit, minas ejus spernendo. Et *eodem lib.* 6. *c.* 12. *p.* 617. De Juliano Maccalupho, viro laico ejusdem Congregationis, notat: quòd *Ebbe queſto buon fratello, che zelantiſſimo era del riſpetto dovuto alla Caſa di Dio, una particolare vigilanza, acciò in eſſa ogn'uno ſtaſſe con la riverenza dovuta. Armato di ſanto zelo ſenza mirare di che ſorte foſſero le perſone; ò di minore, ò di maggiore conditione, faccia loro la correzione, ſe non oſſervavano le Leggi del riſpetto, che ſi conviene alla Caſa di Dio.* Eadem scribit de P. Antonio de Grassis *tom.* 2. *l.* 5. *c.* 6. *p.* 371. Fundabatur horum Ecclesiasticorum Zelus in cognitione magnæ offensæ Dei, quam faciunt homines, qui immodestè, & indevotè stant in Ecclesiis; de quibus Annales Sacri testantur severas punitiones; neque diabolum sollicitiorem esse, quàm in procurandis actibus injuriosis Templo Dei; ideircò legitur *in Prato Spirituali lib.* 1. *exempl.* 33. Dæmonem dixisse quamdam mulie- 54
rem, ad hoc, ut in Ecclesiis colloquia faceret, ne adstantes servarent silentium, & reverentiam debitam Loco Sacro; quod cum dicta mulier peregisset; ictu fulminis, sic Deo vindicante, obiit percussa in Ecclesia. *Et exempl.* 34. S. Martinum Episcopum vidisse 55
Diabolum apud Altare scribentem peccata illorum, qui absque devotione in Ecclesia stabant; quod etiam narrat Sperellus *in Paræneſi Theleturg. c.* 15. *n.* 11 & *c.* 21. §. 1. *n.* 9. & ex his Rectores Ecclesiarum argumentum sumant prædicandi plebibus suis modestiam, devotionem, silentium, ac reverentiam in Ecclesiis.

Ornamenta tandem Legalia Ecclesiarum est immunitas locis Sacris ab omni jure concessio Divino, 56
Naturali, Canonico, & Civili; adhuc ut bona, & personæ jus Asyli in Ecclesiis haberent ob reverentiam Divini Numinis, cui locus ille est consecratus. Hinc est, quòd Heliodoro tentanti auferre pecuniam, quæ custodiebantur in Templo Hierosolymitano, ut habetur 2. *Mach.* 3. dixit Onias Summus Sacerdos, *Decipi eos, qui credidiſſent Loco, & Templo, quod per Uni-* 57
verſum mundum honoratur, pro ſui veneratione, & ſanctitate, omninò impoſſibile eſſe. Sic apud Gentiles Phœnicem, ac Ulyssem res pretiosas è Troia abreptas deposuisse custodiæ causa in Templo Junonis cecinit Virgilius *lib.* 2. *Æneid.* his versibus.

Et jam porticibus vacuis Junonis asylo
Custodes Lecti Phœnix, & dirus Ulysses,
Prædam adservabant; huc undique Troia gaza
Incensis erepta sacris, mensæque Deorum,
Crateresque auro solidi, captivaque vestis.
Congeritur, &c.

Apud Hebræos Templum supradictum erat Asylum rebus, & personis, ut ex Philone notat Tirinus
in Comment. lib. Num. cap. 35. *Vers. Nota quinto*, ul- 58
teriusque Dei jussu erant deputatæ sex Civitates, refugii Urbes appellatæ, de jure Levitarum,

quarum tres cis Jordanem, tres ultra illum erant, ad quas Rei confugientes salvi essent, homicidis voluntariis exceptis, ut Hebræi ab effusione humani sanguinis abhorrerent, ut legitur *d. cap. 35. lib. Num. & Deuteron. c. 4. & c. 19.* Idemque servatum legimus
59 à Gentilibus; ait enim Statius *lib. 12. Thebaid.*

Sic sacrasse loco commune animantibus agris
Perfugium.

Et Florus *lib. 2. c. 12.* loquens de Xerse, ita scribit: *Absens victus fugit in maria, insulamque Samothracem, fretus celebri religione; quasi Templa, & ara possent defendere, quem nec suorum mentes, nec arma potuissent.* Romanos quoque in Templis Deorum jus Asyli constituisse notant Tacitus *Annal. lib. 3.* Appianus *lib. 1. de Bello Civ.* & Svetonius *in Tiber. Cæsar.* Immò à natura data fuisse loca, quæ tanquam Asyla ipsis brutis servirent; & ea persequentes Leones, & Ursi ingredi non possent, referunt Giraldus *De Diis gentium Syntag. 15.* Ælianus *de Animal. lib. 11. cap. 6.* quos refert Menochius *in Stor. eis p. 6. Cent. 12. c. 75.*

Porrò apud Christianos statim invecta inter ipsos religione Catholica, hoc legale ornamentum, jus scilicet Asyli concessum fuit Ecclesiis, tum à Summis Pontificibus, & Sacris Conciliis, tum ab iisdem
60 Imperatoribus, ut habetur *in cap. Reum, & cap. Definivit, 17, q. 4. & cap. Inter alia. De Immun. Eccl. l. 2. C. de his, qui ad Eccles. confug.* ut fuse probat Marius Italia *de Immunit. Ecclesiar. l. 1. c. 5. §. Unico.* Et ego docui *in Decis. Anni 1682. & in lib. Erotematum Eccles. c. 32.* ubi plenè exponuntur omnes casus circa delinquentes, qui confugiunt ad Ecclesias, à quibus ob earum venerationem extrahi non possunt sub pœna excommunicationis Papalis latæ sententiæ, exceptis criminibus, & casibus, in quibus Gregorius Papa XIV. in sua Constitutione Incipien. *Cùm aliàs nonnulli, &c. diei 23. Maii Anno 1591.* (quæ in Bullario est *la VII.*) noluit, posse Reos gau-
61 dere immunitate loci Sacri; qui quidem casus excepti sunt septem; videlicet. 1. In publicis latronibus, & grassatoribus viarum. 2. In depopulatoribus Agrorum. 3. In committentibus homicidia, vel mutilationes in Ecclesiis, seu Cæmeteriis sponte, non casualiter. 4. In homicidiis proditoriis. 5. In Reis assassinii. 6. In crimine Hæresi. 7. In crimine læsæ Majestatis tentato contra Principis personam, de quorum casuum explicatione agunt idem Marius Italia, Farinacius, Del Bene, Ambrosinus, Gambacurta, & Cuselius, qui tractatus integros de Immunitate Ecclesiæ scripserunt, præter alios Summistas, & Moralistas, quos novissimè congerit Pignatellus *tom. 9. consult. 2.* ubi plures curiosas quæstiones decidit de hac Immunitate.

Ad ornatum hujus quarti Legalis ornamenti, scilicet Asyli in locis Sacris, liceat hic referre exemplum, quod ponit Ant. Masinus *in Schola Christian.*
62 his verbis: *Il Rè di Castiglia D. Sanzio andando à caccia, e seguitando un Cinghiale, lo giunse, e quello si salvò nella muraglia della Chiesa; mà il Rè alzò il braccio per tirarli un colpo di Lancia; e Dio lo castigò subito per il suo ardire, che non rispettava la Chiesa, poichè gli restò secco, ed insensibile il braccio; e li cascò la lancia della mano. Smontato il Rè da cavallo fece oratione a Dio; chiedendogli perdono del fallo; il che fatto risanò; e lasciò libero il Cinghiale, e poi subito fece una legge, che niuno de suoi Ministri ardisse di far prigioniero alcuno nelle Chiese de' Christiani; ordinando, che si riverissero, & fossero immuni da ogni violenza.* Qui plura desiderat de antiquorum eruditionibus circa Templorum Asyla, adeat Tholosan. *Syntag. Juris part. 3. lib. 33. c. 21.* De casibus verò decidendis circa delinquentes, qui ad Ecclesias confugiunt, præter Summistas *in Verb. Immunitas*, legatur Pignatell. *tom. 1. consult. 48. & 49. Nec non consult. 93. consul. 96. consult. 98. & 99.* novissimè Anton. Conciolus *in suis Resolutionib. Crimin. Verb. Immunitas Eccles. Resol. 1.* ubi probat, hoc ornamentum Immunitatis deberi Ecclesiis etiam nondum consecratis, vel benedictis, aut perfectè non constructis, si de licentia Episcopi construi cœperunt; item Ecclesiis pollutis, seu interdictis, ac etiam ditutis; si adsit Spes reædificationis; & Ecclesiarum appellatione in hac materia veniunt ostia, & muri ejus exteriores, Sacristia, Campanile, Domus Parochi, seu Canonica, Cæmeterium, Hospitale, Oratorium, & Palatia Episcoporum.

DECISIO XLIV.

ARGUMENTUM.

Declaratur, ad quos spectet provisio ornamentorum Ecclesiæ, vel Altaris? An ad Rectorem, vel Capellanum sive ad Patronum? Aut ad populum? Regulæ octo, juxta quas decidendæ difficultates circa reparationem Ecclesiarum, & Altarium, Cæmeterii, Campanarum, Domus Parochialis, necnon quorumcunque Ornamentorum Ecclesiasticorum?

SUMMARIUM.

1 *Ornamenta Ecclesiæ à quò de jure sint providenda.*
2 *Fabricæ redditus annorum præteritorum expendendi pro ornamentis.*
3 *Fabricæ redditus venturi satisfaciunt expensis jam factis in Ecclesiis.*
4 *Constitutio Synodalis, si extet, circa Expensas Ornamentorum Ecclesiæ, est servanda.*
5 *Consuetudo est attendenda in provisione Ornamentorum Ecclesiæ.*
6 *Consuetudinis tria requisita necessaria. Et quæ?*
7 *Beneficiatus habens pingue beneficium tenetur ad ornamenta.*
8 *Expensæ pro Ornamentis Ecclesiæ quando præferendæ alimentis beneficiati? Vel è contra.*
6 *Populus quando cogendus ad expensas pro Ornamentis Ecclesiæ?*
10 *Patronus Ecclesiæ an debeat providere de novis Ornamentis?*
11 *Patronus si non provideat Altare de necessariis privatur Jurepatronatus.*
12 *Episcopus quando suis expensis teneatur providere Ecclesias de Ornamentis?*
13 *Capellanus an cessare possit à celebratione, ut emat ornamenta Altaris?*
14 *Ornamentorum Ecclesiæ nomine veniunt reparatio ejus, domus Capellani, reconciliatio, oleum pro Lampade, & aliæ expensæ necessariæ.*

15 Cæ-

15 *Cœmeterii expensæ spectant semper ad Parochianos.*

16 *Consuetudo in Diœcesi Patavina pro expensis Ecclesiarum varia.*

17 *Parochus de jure est obligatus ad expensas Altaris majoris, & unius Campanæ.*

EX firmatis in præcedenti decisione, litare non licet in Ecclesia, vel Altari, quæ non habeant sufficientia ornamenta; vel à fundatoribus, vel aliis piis personis donata. Verùm quia cursu temporis supellectilia Ecclesiastica usu consumuntur, & ad novas donationes faciendas charitas refrigescit; ideò sæpè dubitare, & litigare contingit, ad quem de Jure spectet providere de necessariis ornamentis Ecclesiæ, vel Altaris pro Sacrificio? An ad Rectorem Ecclesiæ? sive Capellanum? An ad Patronum? An ad Populum? An ad alios? Quapropter hanc quæstionem hic examinare decrevi, & materiam expensarum pro ornamentis Ecclesiæ, ac Altaris dilucidare, quæ etiam deservire poterit pro reparatione Ecclesiæ, Cœmeterii, Campanilis, & Domus Parochialis, frequentia enim sunt jurgia inter populos, & Parochos, præcipuè rurales, pro his rebus Ecclesiasticis restaurandis, renovandis, & amplificandis.

Pro intelligentia dicendorum præmittendæ, & notandæ sunt octo Regulæ in jure certissimæ.

Prima est, quòd ubi agitur de expensis faciendis in ornamentis prædictis, inspicere oportet, an Ecclesia, vel Altare habeat redditus annuos pro fabrica; 1
seu dote ab initio assignatos; ut docuimus supra *Dec. XL. à num. 27. & seqq.* quibus stantibus nullus est molestandus sed de ipsa dote, seu fabrica faciendæ sunt expensæ necessariæ, juxta Glossam *in cap. 1. & ibi DD. De Eccles. ædificand.* Capellam Tholosan. *Decis. 500. aliàs 409. & ibi* Aufrer. *in addition.* Paulum de Cittadinis *de Jurepatron. p. 6. art. 5. q. 5. n. 3.* Lambertinum *eod. tract. lib. 3. q. 7. per totam*; ac Sperellum, alios cumulantem *Dec. LXVII. num. 1.* Et casu quo pecuniæ ex ipsa fabrica, seu dote annis præteritis exactæ non sufficiant ad ornamenta prædicta renovanda; si Rector Ecclesiæ, 2
vel Capellanus Altaris voluerit expendere de suo, & supplere numerum deficientem, poterit se reimbursare de redditibus ejusdem dotis, seu fabricæ annis futuris exigendis, juxta responsum Rebuffi *resp. 123. per tot.* ad doctrinam Navarri *de Spoliis Cleric. §. 10. in fine*; nec non Cenedi *in Collect. Decret. al. collect. 153. sub num. 3.* quam approbat idem Sperellus *Decis. LXVIII. n. 23.*

Secunda Regula est: quòd cessante dote, vel redditibus fabricæ inspiciatur, an extet Constitutio Sy- 4
nodalis, seu statutum, aut lex particularis illius Ecclesiæ, vel Diœcesis circa provisionem ornamentorum Ecclesiæ, aut Altaris? ea enim esset servanda; & juxta illius dispositionem providendum: ut scribit Abbas *in cap. 1. num. 3. De Eccles. edifican.* & Berous *cons. 13. num. 3. & 4. vol. 1.*

Tertia Regula. Deficiente lege scripta recur- 5
rendum est ad consuetudinem; quæ omninò est servanda; ut nempè ii, qui ad expensas prædictas ornamentorum concurrere solent, compellendi sint, nemine excepto, Capell. Tholosan. *& ibi* Aufrerius *d. Decis. 600*, Belletus *de Cleric. debitore cap. 13. num. 3. & 4.* Genuens. *in praxi Curiæ Neapolit. cap. 109. in fin.* Rota *p. 1. recent. Decis. 627. num. 1.* & Sperell. *d. Decis. 67. num. 3.* Consuetudo autem est probanda cum illis tribus necessariis requi- 6
tis, quæ sunt, actuum frequentia, temporis diuturnitas, & voluntarius populi consensus Azor. *in Summ. Cod. Quæ sit longa consuetudo.* Abb. & alii *in cap. fin. de Consuetud.* Rota *p. 1. rec. Decis. 255. num. 4. & p. 3. Decis. 407. n. 2.*

Quarta Regula. Quòd si de consuetudine aliqua non constet; observandum est, an Ecclesia, seu Altare habeat pingues redditus pro alimentis Rectoris, seu Capellani; tunc enim reservatis necessariis 7
ad eorundem congruam sustentationem, quod superest debet expendi in provisione ornamentorum, quibus indiget Ecclesia, vel Altare. *cap. fin. 12. q. 1. c. 1. & cap. 4. & cap. De his. De Eccl. Ædific.* Surdus *cons. 62. per totum vol. 1.* Sperellus plurimos allegans *d. Decis. 67. n. 4. & 5.* ubi *n. 6.* advertit, detrahendos esse fructus pro sustentatione Rectoris Ecclesiæ, vel Capellani, dummodò actualiter resideant, & inserviant Ecclesiæ, vel Altari; quia si eo- 8
rum tituli essent simplicia beneficia absque alio onere, vel cum modica obligatione; alimenta non sunt ipsis beneficiatis reservanda; sed provisio ornamentorum est præferenda; uno excepto casu; si ad illum titulum essent ad Sacros Ordines promoti; tunc enim, ne cum dedecore clericalis status cogantur mendicare, fructus pro congrua sustentatione deberent habere. Surdus *d. cons. 62. num. 11. & seqq.* Ripa *resp. 1. de Consuetud. n. 6.*

Quinta Regula. Si autem fructus beneficii non sint pingues; sed ita tenues, ut sufficere non possint ad sustentationem Rectoris Ecclesiæ, seu Capellani Altaris, & ad provisionem pro ornamentis; in hoc casu si Ecclesia est Parochialis, & liberæ collationis, compellendus est populus ad expendendum pro rata in ornamentis; quòd si sit Juris patronatus, debet Patronus ad expensas hujusmodi concurrere, juxta decretum Concilii Tridentini *sess. 21. de Ref. cap. 7.* 10
etiamsi aliàs dedisset dotem, sed fuisset deperdita, ut ex doctrina Lambertini *de Jurepatron. lib. 3. q. 7. art. 5.* docent Genuensis *in Manuali Pastor. c. 36. n. 1. in fine.* Loterius *lib. 1. qu. 31. n. 19.* & Sperellus *d. Decis. 67. n. 10. 11. & 12.* nec non *Decis. 68. num. 11. & 12.* & ibi Leo *in Thesaur. fori Eccles. part. 2. cap. 16. num. 18.* ac etiam Barbosa *alleg. 64. n. 16.*

Sexta Regula. Quòd si Patronus coerceri non possit ad has expensas faciendas, & potius permit- 11
tat, se privari Jurepatronatus; ut sæpè accidit in Capellaniis, & Altaribus cum obligatione Missarum, quarum adimplementum parum curant hæredes, etsi cum injuria, & detrimento animarum suorum majorum, & testatorum; in hoc casu, si sit aliqua pia persona, quæ velit iterum dotare illud Altare, seu Ecclesiam; & acquirere Jus patronatus illius, est ei Jus patronatus concedendum, & ex nova dote, sive ex pecunia hujus novi Patroni sunt ornamenta, aliaque necessaria emenda, ut latiùs disserit Loterius *d. lib. 1. q. 31. à num. 20. & seqq.* & ibi Lambertin. *de Jurepatron. lib. 1. q. 6. art. 4. n. 5. & 6.*

Septima Regula. Quòd si nullus reperiatur, qui velit dotare, & jus patronatus acquirere, & constet de negligentia Episcopi in erectione jam facta Capellaniæ, Altaris, seu Ecclesiæ absque sufficienti Do- 12
te pro manutentione ejus, & ornamentorum; tunc adstringendus est ipse Episcopus, ad faciendas necessarias expensas, ut docuimus supra *Dec. 40. n. 29.* & tenet Glossa *in cap. Nemo. De consecr. dist. 1.* nec non Sperellus *d. Decis. 68. num. 13.*

Octa-

Octava, & Ultima Regula. Quòd si Episcopus detrectet, hanc satisfactionem facere, & potiùs velit in alia vita culpabilis negligentiæ suæ pœnas luere, (ut facile est in praxi apud Prælatos, qui temporalia magis curant, quàm æterna;) in hoc casu pot-
13 erit Capellanus, seu Rector Ecclesiæ abstinere à celebratione Missarum; & interim aliundè celebrando pro sui ipsius sustentatione, proventus Altaris, seu Capellaniæ, vel Ecclesiæ applicare ad provisionem ornamentorum, & aliarum expensarum, quæ sunt necessariæ pro Sacrificio, vel de licentia Ordinarii, vel ex consilio prudentis viri; ut in his terminis scribit Fraxinellus *de Obligat. Sacerd. sect. 4. conclus. 5. §. 5.* quem laudat Tamburinus *de Sacrificio Missæ lib. 3. c. 1. §. 3. n. 100. & 101.* qui loquuntur de ornamentis omninò necessariis; secùs de aliis ad pompam, nisi bona fide fuissent provisa pro aliqua vice tantùm. Et idem docet Bordonus *in tract. de Legatis, cap. 10. à n. 88. & seqq.* supposito, quòd reditus annui pro celebratione Missæ sufficiant tantùm pro solito stipendio celebrantis, & quòd iste annis præteritis non habuerit ampliores redditus; tunc enim esset obligatus ornamenta emere absque intermissione celebrationis Missarum; ut ex Sperell. *d. Decis. 67.*

Porrò supradictæ Regulæ servandæ sunt non solùm in provisione ornamentorum, quibus Ecclesia,
14 vel Altare indigeat, sed etiam in sequentibus necessitatibus ejusdem Ecclesiæ, vel Altaris; videlicet si egeat restauratione, imminente ruinæ periculo ob vetustatem; si agatur de reficienda domo Rectoris, seu Capellani; si de emendo oleo pro lampade, ut colluceat in Ecclesia, præcipuè si ibi servetur Sanctissima Eucharistia; aut reconcilianda sit Ecclesia ob pollutionem effuso in eam humano sanguine, vel semine injuriosè, & faciendæ sint expensæ in conducendo Episcopo; prout de prædictis simul omnibus casibus disserit, & DD. allegat Sperellus *d. Dec.*
15 *68.* ubi *n. 8.* advertit, expensas pro restaurando, ampliando, reconciliandove Cæmeterio semper spectare ad Parochianos. Quamvis in quocunque genere expensarum circa Ecclesias Parochiales attendenda sit consuetudo, quæ varia esse solet in Diœcesibus; prout in hac Diœcesi Patavina in aliquo loco medietas expensarum fit per Parochum, alia medietas
16 per populum, in aliis verò locis Parochus concurrit in expensis pro tertia parte, populus verò in aliis duabus tertiis; alicubi etiam tertia pars expenditur à Confraternitatibus spiritualibus in illa Ecclesia institutis. Cæterùm de Jure Rector Ecclesiæ videtur
17 obligatus ad quascunque expensas pro Capella majori, & Altare Sanctissimi Sacramenti, necnon pro manutentione unius campanæ; nam hæc sunt necessaria simpliciter pro suo Officio Parochiali exercendo; populus verò debet facere expensas pro restauranda navi Ecclesiæ, cæteris Altaribus, & pluribus Campanis; quia hæc omnia deserviunt ad meram ipsius populi utilitatem, ut bene advertit Tondut. *Resol. benef. part. 1. c. 38. & c. 39.* ubi de materia plenè agit. Barbosa *de Parocho c. 13. Et de Episcopo alleg. 64. à n. 4. & seqq.* Antonellus *de Regimine militantis Eccl. lib. 1. cap. 2. §. 4. num. 21. & seqq.* Quibus ego addo Bartholomæum Silvaticum *cons. 45. per totum*; M. Anton. Thomatum *in Decis. Rotæ Maceraten. Decis. V.* & Bellettum *Disquis. Clerical. part. 1. De Clerico Debitore §. 14. & §. 15.* & Ventrigliam *tom. 2. Annot. 18. §. Unico*, ibique Adden. Carolum Anton. de Luca *in Observat.* apud quos reperiet Lector, quomodo decidendæ sint difficultates in praxi occurrentes circa expensas pro ornamentis Ecclesiarum; earumque restauratione.

DECISIO XLV.

ARGUMENTUM.

Quia ad convocandum populum ad Sacrificium opus est Campanili, & Campanis, de his agitur historicè, mysticè, legaliter, & supernaturaliter. De Turri Babel, & David; de Pyramidibus, & Campanilibus famosis. Disseritur de origine Campanarum tum apud Gentiles, tum apud Christianos. Tureæ Campanas abhorrent. Exponuntur mysticæ significationes Campanarum. Tractatur de Horologiis solaribus, aqueis, & cum rotis. De eorum initio, usu, & commodo. De trina pulsatione ad salutationem Angelicam, & de ejus Indulgentia plenaria. Campanarum pulsandarum finis, tempus, numerus, & ministri; Quis teneatur ad expensas, & salarium pro Campanis? Utilitates ex sonitu Campanarum. Aliquæ miraculosæ Campanæ. Duæ maximè molis; *Erfordiensis, & Pekinensis.*

SUMMARIUM.

1 *Campanile, & Campanæ necessariæ ad Sacrificium Missæ.*
2 *Campanilis, & Campanarum varia nomina.*
3 *Diacodion medicamentum unde dictum?*
4 *Turris Babel omnium prima. Ejus auctor, Materia, Forma, & Altitudo.*
5 *Montium majorum altitudo quanta?*
6 *Pyramides undè dictæ?*
7 *Pyramidum genera duo.*
8 *Pyramidis plateæ Vaticanæ laudes.*
9 *Pyramidum latitudo, & altitudo.*
10 *Turris David in monte Sion altitudo.*
11 *Pinnaculum Templi Salomonis quid esset?*
12 *Campanilis Hedunen. laudes.*
13 *Campanilis S. Marci Venetiarum origo, altitudo, & laudes.*
14 *Campanilium S. Justinæ Paduæ, & Palatii Communis origo, & altitudo.*
15 *Campanæ quando adinventæ?*
16 *Campanarum parvarum usus in lege Moysis.*
17 *Campanæ an essent apud Gentiles?*
18 *Campanæ apud Christianos quando cœperint adhiberi?*
19 *Scuporum Archiepiscopus quomodo convocet fideles ad divina officia?*
20 *Sabiniani Papæ tempore an inventæ Campanæ.*
21 *S. Paulinus Nolæ Episcopus primus auctor Campanarum.*
22 *Campana dicta ab ære campano.*
23 *Campanile S. Petri Romæ quando primùm fabricatum?*

24 *Fur æris Campani occisus à malleo Campanæ.*
25 *Græci anno 865. cœperunt uti Campanis; Ursus Partecipatius Dux Venetiarum donat Campanas Imperatori Græco. ibid.*
26 *Turcæ non adhibent, neque permittunt Campanas.*
27 *Baptismus Campanarum qualis sit, & quis ejus Auctor?*
28 *Campanarum mystica significatio.*
29 *Campanæ cur non pulsentur in triduo Passionis Christi.*
30 *Gallus cur ponatur in culmine Campanilium?*
31 *Campanarum usus ob sex causas. Et quæ?*
32 *Campanilis Sipuntini carmina.*
33 *Campana non vocatur populus ad arma, nisi contra infideles.*
34 *Horologia Solaria quando, & à quo inventa?*
35 *Horologium Ezechiæ monstrabat semihoras.*
36 *Horæ unde dictæ?*
37 *Horologii usus quando receptus à Romanis?*
38 *Clepsydræ apud Romanos Horologia aquea.*
39 *Horologia ex Rotis quàm commoda?*
40 *Campanis indicantur dies festi, latitia publica, & mors privatorum, ac Principum.*
41 *Campanæ trina pulsatio ad Angelicam Salutationem Deiparæ. Ejus Auctor quis? An recitantes eam lucrentur Indulgentiam plenariam?*
42 *S. Carolus Borromæus, ad sonitum Angelicæ Salutationis, eam semper genibus flexis recitabat. Idem faciebat Ven. Card. Barbadicus.*
43 *Salutatio ad Deiparam cum Indulgentia.*
44 *Vicinus quando cogi possit ad vendendam domum pro fabrica Campanilis; & quando non?*
45 *Campanæ benedicendæ antequam ponantur in Campanili.*
46 *Campanarum pulsandarum tempora.*
47 *Abbates non possunt benedicere Campanas non suas.*
48 *Campanarum numerus pro Regularibus, An augendus?*
49 *Campanarum indiscretus sonitus prohibendus.*
50 *Stimulus Carnis, de quo 2. Cor. 12. quid esset?*
51 *Campanas pulsare ad quos de jure spectet?*
52 *Ostiarii Cottam induant pulsaturi Campanas,*
53 *Ordinum materiam an Ecclesia possit mutare?*
54 *Campanarum pulsatio quibus temporibus sit prohibita?*
55 *Sabbato Sancto Campanæ non pulsantur ante illas Cathedralis, vel Ecclesiæ Matricis. Nisi contraria sit immemorabilis consuetudo.*
56 *Cæremoniale Episcoporum habet vim legis: sed non tollit consuetudinem immemorabilem contrariam.*
57 *Humiliatorum Fratrum lis super præcedentia sonandi Campanas.*
58 *Campanis pro reficiendis ad quem pertinent expensæ? Et Salarium pro eis pulsandis?*
59 *Campanilia, neque Campanæ fieri possunt in Oratoriis privatis; nec de licentia Episcopi.*
60 *Campanæ benedictæ terrent Dæmones. Exempla.*
61 *Tempestates fugantur sono Campanarum. Exempla.*
62 *Campanarum de per se sonantium ob varias causas, Exempla.*
63 *Durlindana Ensis Orlandi ubi servetur?*
64 *Campanæ duæ inusitatæ magnitudinis, Erfordiensis una, Pekinensis altera. Pondus, & mensuræ utriusque.*

QUoniam inter ornamenta Ecclesiastica tum ad ornatum Ecclesiarum, tum ad convocandum populum fidelem ad Divina Officia, adhibentur Campanæ, & pro iis reponendis, & pulsandis necessarium est Campanile; ideò oportet agere de 1
utriusque, Campanili scilicet, & Campanis; de quibus quia sparsim multa reperiuntur apud Scriptores non solùm modernos, sed etiam antiquos; ut ordinatim, & breviter, quantum fieri potest, omnia collecta benevolis Lectoribus exhibeantur, ad quatuor capita redigam hanc decisionem de Campanis, & Campanili, siquidem de ipsis agam.

1. Historicè.
2. Mysticè.
3. Legaliter.
4. Supernaturaliter.

Quò ad Historiam videndum est de nominibus Campanilis, & Campanarum; necnon de earum origine, & quando cœperint adhiberi, & pulsari. Plura sunt nomina Campanilis, & Campanarum. Nam Campanile vocatur *Turris Sacra, Turris Campanaria*; ac etiam *Nolarium*, ut notat Magrius *in Hierolexic. Verb. Nolarium*; ubi dat auctoritatem Romani Canonici Vaticanæ Basilicæ, qui scripsit de ejus prærogativis tempore Calixti III. & adfert inscriptionem factam anno 1270. Romæ in Ecclesia S. Mariæ ad Martyres, dicentem: *Facta fuerunt Nolæ, & Nolarium*; de qua Torrigius *de Cryptis Vatican. pag. 561.* Campanæ verò adhuc pluribus nominibus gaudent; vocantur enim *Crotalum, & Crepitaculum* à verbo κρόταλον, & à verbo κροτέω quæ *strepitare*, & *pulsare* significant: Dicuntur etiam *Cloccha*, à gallica voce, de qua Bonifacius in *Epist. 9. Ensi vobis laboriosum non sit, ut Cloccam unam transmittatis.* Item *Cymbala* à sonitu, sive à forma rotunda, & concava; pariterque appellantur *Codion* à verbo Græco κώδω, quòd innuit *Papaverem*, eo quia Campana sit ad similitudinem calicis, cujus formam habet papaver dilatans suam extremitatem, ex Ruellio *lib. 2. cap. 100.* undè Medici vocant *Diacodium* medicamentum ex papavere, Plinius *lib. 20. cap. 18.* Ulteriùs Campana appellatur *Nola* à communi opinione, de qua infra, quòd in civitate Nolæ à Divo Paulino ejus Episcopo inventa fuerit; quæ civitas cùm sit in Provincia Campaniæ, distans XIV. milliaria ab Urbe Neapoli, dedit etiam huic instrumento nomen Campanæ. Walfridus Strabo *de Reb. Eccl. cap. 5.* Sarnellius *in Basilicograph. cap. ult.* & Magrius *d. Verb. Campana col. 1.* Hæc de nomine. 2 3

Quod attinet ad originem dicendum est primò de Campanilibus, seu Turribus Sacris; deindè de Campanis. Quoad Turres prior omnium antiquitate, & fama notissima fuit Turris Babel; de qua in Genesi *cap. 11. vers. 4. Venite faciamus nobis civitatem, & Turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum; & celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.* Quæ quidem Turris, cùm adhuc nullum aliud Templum esset, quàm ipsum cœlum, videbatur fore ejus Campanile. Efficiens causa hujus Turris fuit Nembrod pronepos Noe, natus enim erat de Chus primogenito Chami, filii Noe; ut notant Torniellus *ad Annum Mundi 1931. num. 4.* & Tirinus *in Chronico Sacro cap. 12.* ubi addit, eundem Nembrod vocatum fuisse etiam Belum, 4

que Jovem, & ab eo inchoasse Monarchiam Assyriorum anno 276. post diluvium; & 43. ante ortum Abrahæ. Materialis causa fuit terra satis argillosa, ac tenax, lateribusque conficiendis apta, quam invenerunt descendentes Chami profecti in illam planitiem Babylonis, cum multo bitumine, vim cæmenti habente: Formalis causa prædictæ Turris habetur ex Herodoto *lib. 1. Histor.* quòd fuerit quadratæ figuræ, crassitudinis, seu grossitiei unius stadii per omne quadrum; altitudinis verò (ex S. Hieronymo *cap. 14. in Isa.*) quatuor milliarium; siquidem finalis causa præter ambitionem; & vanagloriam illam ædificantium, fuit, ut se tuerentur à periculo novi diluvii; etenim cum aquis diluvii *operti fuerint omnes montes excelsi sub universo cœlo. Genes. 7. 19.* & altiores montes sint perpendiculariter alti quatuor milliaria, ut ait Plinius *lib. 5. cap. 22.* cogitavit Nembrod, & qui cum eo consuluerunt ædificare Turrim, eam extollere usque ad quinque milliaria, ne posset ab aquis cooperiri; in eaque ædificanda consumpserunt annos tres, & quadraginta, ut ex Cedreno scribit Tirinus *d. Chronic. Sacro cap. 12.* Hæc igitur fuit prima Turris, cujus perfectionem impedivit diversitas linguarum, quam Deus immisit in operarios, itaut unusquisque non intelligeret vocem alterius, ut habetur *in Genes. cit. cap. 11. vers.* 8.

6 Post Turrim Babel secundùm Historicos observatione dignæ sunt Pyramides Ægypti, sic dictæ à verbo πῦρ quod ignem significat, ea ratione quia *ad ignis speciem extenuantur in conum*, ut scribit Ammianus Marcellinus *Hist. lib. 22.* etsi alii opinati sint, ita fuisse denominatas ἀπὸ τῦ πυρὸς quod frumentum innuit; quia conditæ fuerint à Josepho Hebræo Vice Rege Ægypti, ut in illis reconditum servaret frumentum annis septem penuriosis; ut disserit Menochius in Storeis *centur. 4. cap. 4.* Quidquid sit, Pyramides erant in duplici differentia; aliæ factæ ex unico marmore: quarum una est illa, quam Sixtus 7 Papa V. erigere fecit in Platea Vaticana Romæ, longitudinis pedum centum, & septem, latitudinis in inferiori parte duodecim pedum; sex verò in superiori; dedicataque fuerat soli ab Ægyptiis, translataque Romam Augusto, & Tiberio Imperatoribus; deinde purgata solemni benedictione fuit imposita in ejus summitate Crux, & ipsi Christo consecrata; unde cecinit quidam Poeta:

8 *Ægyptus Soli, binis, me Roma dicavit*
Augustis Sacras tupie Sixte Cruci.

Quod fusiùs prosequitur Michael Mercatus *in lib. de Obelisc. cap, 39.* & Menochius *centur. 5. cap. 71.* Aliæ autem Pyramides fabricatæ erant 9 ex Lapidibus marmoreis, latitudinis ad pedem tercentum cubitorum; & ejusdem altitudinis, ad cujus summitatem patebat ascensus, per gradus, quibus ipsa Pyramis erat efformata, se restringens de gradu in gradum, quorum ultimus erat latitudinis quadratæ decem cubitorum; ut scribit idem Menochius *centur. 7. cap. 98.* & illas scriptores antiqui vocabant Turres, & montes quadratos, ut notat Serra *de Synonymis in verb. Obeliscus.* ubi hæc addit. *Quanti autem sumptus, & impensa fierent in Pyramidibus fabricandis docet Plinius libr. 36. cap. 12. qui scribit unam Pyramidem à 360. millibus operariorum viginti annis fuisse constructam.* Et eis utebantur Reges Ægypti tum ad reponendum triticum, tum pro sepulchris, in quibus sua corpora condiebantur, ut testatur Pierius Valerianus *Hieroglyphic. lib. 39.* ad quem curiosum Lectorem remittimus, & ad Plinium *cit. lib. 36. cap. 12.* At P. Athanasius Kircherius *in sua China illustrata part. 3. cap. 1. pag. 136.* ponit effigiem Pyramidis Sinensis, altitudinis nongentorum cubitorum.

Hinc etiam Hebræi fabricabant Turres ad grana custodienda; de quibus ait Psalmista: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in Turribus tuis. Psal. 21.* 7. Sed adinstar Campanilis fuit illa, quam erexit 10 Rex David in montem Sion, penes quàm postea Salomon ejus filius construxit Templum; & de qua scripsit *in lib. Cantic. cap. 4. vers. 4. Sicut Turris David Collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cujus altitudo tanta erat, ut nubes videretur tangere; ideóque à Michæa *cap. 4. vers.* 8. vocatur *Turris gregis nebulosa*; ad quem locum sic ait Tirinus *in Commentar. Erat hæc arx munitissima, inaccessa, & inexpugnabilis in monte Sion juxta atrium exterius Templi.* Sed dicet aliquis, si hæc Turris David erat tamquam Campanile Templi Judæorum, quid erat Pinnaculum Templi, de quo ait S. Matthæus *cap. 4. vers. 5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum Templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum?* 11 Respondetur, quòd multi multa dicunt. Tirinus *ibid.* ait, Pinnaculum fuisse Turrim vestibulo Templi; idest supra porticum anteriorem, inædificatam. Menochius *Centur. 2. in Storeis cap. 43.* refert, plures dixisse, quòd tectum Templi erigebatur, & finiebat instar Pyramidum in acutum, ubi erat pinna, ad instar alæ volucrum, volubilis quam Itali vocant *bandierola*, circumvolvenda juxta ventorum mutationem; & ab ipsa pinna summitas Templi vocabatur *Pinnaculum*; eratque tantæ latitudinis, ut in eo stare homo commode posset. At Barradas *in d. cap. 4. Matth. vers. 5. tom. 2. lib. 2.* putat, tectum Templi Salomonis fuisse planum, & ad deambulandum aptissimum, prout & scripsimus supra *Decis. XII. num. 32.* verùm quia circumcirca per quatuor latus habebat podiolus, & turriculas ad ornamentum, adinstar alarum volatilium; ab his ipsum tectum dicebatur *Pinnaculum*; à quo diabolus tentando Salvatorem proponebat, ut se projiceret. Hæc de Turribus Judæorum.

Quod si de Nolariis; seu Campanilibus, Turribusve Sacris loquamur Christianorum; brevitati stu- 12 dentes satis erit referre verba Chassanæi *in Catalog. glor. Mundi part. 12. consid. 64. de Pinnaculis Templorum*; & sunt ista: *Ex relatu non accepi* (Campanile) *excellentius fore in Europa Campanili Ecclesiæ Sancti Lazari Heduni. Quippè est valdè sumptuosum; & ultra alia extollendum ex ejus fundamentis, præcipuè verò altitudine. Fundatur enim super quatuor columnis, seu pilis, aut pilearibus lapideis in medio Chori dictæ Ecclesiæ existentibus, quæ grassitudinis sunt tantùm in omni quadratura octo pedum; altitudinis verò sex & triginta, vel ultra cubitorum fornice distincta. In sumitate verò dictarum quatuor pilarum, & super illis constabilita est Turris quadrata, altitudinis viginti cubitorum, habens deambulatoria ampla, miro artificio constructa. deinde in acutiem, & fastigium ducitur, habens formam Pyramidis quadratam octo quadraturis admirabilis structuræ, ultra omnem excelsitatem, quæ manu fieri posset, & quæque quadratura compacta est Lapidibus quadratis; artificio sumptuoso in modum cristarum factis, per quas posset ascendi ad summitatem usque, & dicta Pyramis est ferè altitudinis*

his tercentem cubitorum. In eo sunt viginti Campanæ, & ultra, quarum duæ sunt magnæ molis; una ponderis est XVIII. millium; altera verò XVI. Sonus autem dum pulsantur, est consonantiæ, & concordiæ tantæ, ut Musicam ipsam retollere videatur. Hucusque Chassaneus, qui subjungit extare aliud egregium Campanile in eadem civitate, sed ligneum, miræ altitudinis; utrumque tamen reputandum est inferiùs sublimi Campanili Sancti Marci Venetiarum, erectum Anno MCXLVIII. sub Dominico Mau-
13 roceno Duce, de quo ita eruditissimus Joannes Palatius in ejus fastis. *Turrim tam altè erexit, ut Gigantum dicerem, ni ut eam prodigioso miraculo dirutam; hanc ex aquo tam supra, quàm infra terram stare scirem. Alta superat cacumina montium; & tanquam Sydus salutiferum longè, latèque venientibus occurrit ab ortu, & occasu. Novus Nembrod fulmina pietate fulminaturus cogitavit gladio in terram projecto Deum propriùs venerari. In hac sola Ægyptus Babylon confusa recessit.* Alludit Orator iste magnis fundamentis hujus Sacræ Turris, quæ posita in aquis dicitur habere fundamenta ita profunda, ut æquent altitudinem ejus super terram. Est autem alta pedes tercentum, & sexdecim usque ad Angelum in vertice Pyramidis constitutum, à quo ait, Deum propiùs venerari gladio in terram projecto, quia gladium non habet, ut Cherubim olim in ostio Paradisi constitutus; sed volubilis ad omnem ventum manu expansa indicat, undè spirat. Ejusdem Angeli diadema, quo ejus caput tegitur, tantæ est latitudinis, ut illud ego viderim, hominem ascendere, stare, sedere, & vexillarium agere.

14 Huic, etsi valdè inferiores, addendæ sunt Turres duæ, principales tamen in hac urbe Patavina, scilicet Campanile venerandi Monasterii S. Justinæ Congregationis Casinensis, & aliud Communis Paduæ, seu Palatii Prætorii. De hoc scribit Portenarius *lib. 3. Hist. Patav. cap. 7. pag.* 103. *Appresso questa Cancellaria* (della Città) *è la Torre del Comune, la quale fu cominciata l'anno* 1214. *e finita l'anno* 1296. *ed alli nostri tempi è stata alzata; & adornata sopra le Campane con veroni intorno, & con la Cupola.* de illo hæc habet Gavatius. *Histor. Cœnobii D. Justinæ Patav. libr. 6. sub anno* 1597. *Quia Turris antiqua sub eminente novo Templo ferè latebat, nec sonus ex ea ad Urbem pertingebat, Joannes* (Abbas Patavinus) *eandem extulit, ac marmore exornavit, ut duplo elatior sit, & alia prorsus videatur.* Et hæc sufficiant de Turribus sacris; de aliis autem profanis, tum stabilibus, tum ambulatoriis, ex ligno confectis, quibus utebantur antiqui in bello ad quatiendos muros balistis, scorpionibus, arietibus, & catapultis, legatur Vitruvius *lib. 10. cap. 1.* & Salianus *ad Annum Mundi* 1909. *à num. 21. & seqq.*

De Campanis autem inextricabilis est controversia apud Scriptores Ecclesiasticos de loco, & tem-
15 pore, quibus adinventæ sunt, ut notant Barbosa *in Votis Decisivis lib. 3. Vot.* 102. *num.* 4. Casalius *de Veter. Sacris Christ. Ritib. cap.* 43. Magrius *in Verb. Campana.* Eminentiss. Cardin. Bona *Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 22.* & illustriss. Sarnellius *in Basilicograph. cap. ult.* Pro resolutione distinguere oportet tempora vel ante, vel post adventum Redemptoris. Ante Dominicam Incarnationem erat usus tintinnabulorum, quæ erant parvæ Campanæ, tum apud Gentiles, tum apud Hebræos. His præcepit Deus per Moy-
16 sem, ut in infima Pontificiæ Vestis parte apponerent mala punica, & tintinnabula ut habetur *Exod. 28. 33.* ibi: *Mixtis in medio tintinnabulis, it aut tintinnabulum sit aureum, & malum punicum.* Sicut igitur arte fusoria faciebant Hebræi tintinnabula, potuerunt facere Campanas; quamvis de illis nulla habeatur mentio in scriptura sacra; convocabant enim populum sonitu tubarum juxta aliud Domini præceptum datum Moysi *Numer. 10. 1. Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem, quando movenda sunt castra.*

Apud Gentiles autem fuisse usum tintinnabulorum, & sic parvarum Campanarum, affixarum in 17
Campanilibus, desumitur ex Plinio *lib. 36. cap. 13.* ubi ait: *Pyramides ita fastigiatæ, ut in summo orbis Æneus, & petatus unus omnibus sit positus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula; quæ longè sonitum referrent.* Plautus in Trinummo *Act. 4. Scena 2.* agit de Tintinnabulo his versibus:

Nunquam adepol temere tinnit Tiutinnabulum.
Nisi quis illud tractat, aut movet, mutum est,
tacet.

Plutarchus pariter *lib. 4. Sympos. quæst. 5.* Helluones, & obsonatores eos dici notat, qui in foro piscatorio versantur, & tintinnabulum celeriter exaudiunt; ad cujus sonitum pisces vendebantur. Strabo Geographus *lib. 14.* narrat historiam cujusdam Cytharædi, quem omnes auditores dereliquerunt, audito tintinnabulo pro venditione piscium. Porphyrius *lib. 4. de abstinent. animal.* Scribit, Samnæus, genus quoddam Philosophorum in India, solitos congregari ad preces, & ad cibum ad tintinnabuli sonum. Apollodorus *lib. de Diis* refert, Sacerdotes Proserpinæ usos tintinnabulis; idemque testatur de Sacerdotibus Deæ Syriæ Lucianus *in Dialogo de eadem;* subdens, consuetum fuisse in diriorum ædibus, familiam, & mercenarios ad opera excitare tintinnabulis, quorum ingens sonus esset, ut ab omnibus posset audiri. Ab Augusto posita tintinnabula in fastigio ædis Jovis Capitolini memorat Svetonius; & Juvenalis *Satyr. 6,* invehit contra mulierem verbosam, comparans illam tintinnabulis, sic dicens:

Verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelves, & tintinnabula dicas
Pulsari: jam nemo tubas, atque æra fatiget.

Notum est etiam Martialis distichon, quo indicat, Romanos adhibuisse Campanas in Thermis, seu balneis, dum *lib. 14. Epigram.* scripsit.

Redde pilam, sonat æs thermarum: ludere pergis:
Virgine vis sola lotus abire domum?

Intelligebat autem Martialis ly *Virgine* aquam virginem, qua se lavabant, cujus fontes adhuc Romæ copiosè emanant. Tandem Zonaras describens triumphum M. Furii Camilli Dictatoris notat, quòd è curru triumphantis pendebat tintinnabulum; ut forsan populus de illius adventu admoneretur. Alia Gentilium testimonia cumulat Eminentiss. Cardin. Baronius ad Annum Christi 58. *num.* 104. & ibid. Spondanus *num.* 41. quibus evidenter constat, usum Campanarum fuisse apud Gentiles, quamvis hoc nomine eas non appellarent, solo Tintinnabuli vocabulo contenti.

Porrò apud Christianos quando habuerint initium

18 Campanæ difficilius est demonstrare. A principio Ecclesiæ usque ad conversionem, & baptismum Constantini Magni Imperatoris, ratio dictat, nullas fuisse Campanas apud fideles, quos, ad evitandas incessantes paganorum persecutiones, latitare oportebat; & è contra se prodissent, sit tintinnabulis, aut Campanis ad divina Officia, ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & ad divinam Synaxim seipsos convocassent. Credendum est, institutum fuisse aliquod signum ad hanc convocationem; sed quale fuerit, est incertum. Strabo *cap. 5. de Reb. Eccles.* conjecturat, solam devotionem excitasse fideles ad loca, in quibus divina peragebantur. Alii opinantur in fine unius Missæ, & conventus, à Sacerdotibus indicatum locum profutura celebratione.

19 Ita practicare Archiepiscopum Scuporum sub Turcarum tyrannide, hisce nostris temporibus, mihi testatus est idem Antistes, paucis ab hinc annis hospitatus in hoc Palatio Episcopali Patavino. Alii per designatos Cursores monitum fuisse populum fidelem autumant, de loco, & tempore Sacrificii, ut ex Epistola Divi Ignatii ad Polycarpum in illis verbis: *Crebrius celebrentur conventus, nominatim omnes inquire, servos, & ancillas ne fastidias;* ut observat Eminent. Card. Bona *d. lib. 1. cap. 22. num. 1.* ubi in fine subdit, *aliquam sanè tesseram, sive signum fuisse, quo Christiani, & se mutuò agnoscerent, & loca scirent, ac tempora synaxeos peragendæ; sed quale hoc signum fuerit, ignoramus;* & dat exemplum S. Valeriani, qui latitantem reperit S. Urbanum Pontificem *signo, quod acceperat* à S. Cecilia Sponsa sua.

Porrò, reddita pace Ecclesiæ, baptizato Imperatore Constantino, & permissa Ecclesiarum ædificatione, & publico Christianæ Religionis exercitio, & credendum est; inventa fuisse signa ad convocandum populum tempore Divinorum Officiorum, & Sacrificii Missæ, sed adhuc sub lite, quando adhibitæ sint campanæ. 20 Vulgaris opinio est, eas fuisse inventas in principio sexti sæculi à Sabiniano Papa, de quo sic scribit Onuphrius Panvinius *in Epitome Sumar. Pontific. Hic Papa Campanarum usum invenit, jussitque, ut ad horas Canonicas, & Missarum Sacrificia pulsarentur in Ecclesia.* Idem affirmat Polydorus Virgilius *lib. de Inventorib. rer.* Confirmaturque ex notatis ab Auctore Ordinis Romani (qui vivebat in principio sexti sæculi, ut asserit Casalius *d. cap. 43. Vers. Æris campani*,) in titulo de Sabbato Sancto, ubi ait: *Jussi incipiunt in Ecclesia Litaniam, Tertiam, & Campanæ tanguntur, & ingrediuntur ad Missam.* Verùm errare Onuphrium, & Polydorum supracitatos asserunt Magrius *in Hierolexic. d. Verb. Campana col. 1.* & Angelus Rocchа *in Commentar. de Campanis cap. 1.* allegantes verba S. Hieronymi (qui per bina sæcula ante Sabinianum Pontificem floruerat) mentionem facientia satis expressam de campanis, dicendo in *cap. 33. de Regula Monach. Ad Matutinas excubias media nox Vos præparet. Nullum ex vobis dormientem reperiat Campa-*
21 *nilis sonitus.* Quapropter ab omnibus in hanc itum est sententiam; Campanas primùm adinventas à S. Paulino Nolæ Episcopo, contemporaneo S. Hieronymi, & quia Urbs Nolæ est in Campania, ipsa ærea tintinnabula vocata esse Campanas, necnon Nolas à civitate Nolæ. Ita Strabo *Rer. Eccles. cap. 5.* cujus hæc sunt verba: *De Vasis fusilibus, vel etiam productilibus, quæ simpliciter signa vocantur, quia eorum sonoritate quibusdam pulsibus excitata, significantur horæ, quibus in domo Dei statuta celebrantur officia, de his, inquam, hic dicendum videtur, quòd eorum usus non adeò apud antiquos habitus proditur. Eorum usum primò apud Italos affirmant inventum. Unde & à Campania, quæ est Italiæ Provincia, eadem vasa majora quidem CAMPANÆ dicuntur. Minora verò, quæ & à sono tintinnabula vocantur, nolas appellant à Nola ejusdem civitate Campaniæ, ubi eadem vasa primò sunt commentata.* His tamen non acquiescit Emin. Card. Bona *d. lib. 1. cap. 22. sub n. 5.* & potiùs credit, Vasa hæc sonora sortita esse nomen Campana- 22
rum ex ære Campano, quod omnium præstantissimum esse asserit Plinius *lib. 34. cap. 4.* atque earum usum in Ecclesia esse introductum, à temporibus Constantini Magni, statim ac reddita fuit pax Christianis, & adducit verba S. Gregorii *lib. 2. Dial. cap. 1.* qui loquens de S. Benedicto circa annum 495. in speculo sublacensi pœnitente, & solitariam vitam faciente, cui Romanus Monachus certis diebus panem portabat, ait: *Resti autem parvum tintinnabulum inservit, ut ad ejus Sonum Vir Dei cognosceret, quando sibi Romanus panem præberet.* Et idem S. Abbas *in Regula cap. 43.* jubet ut *Ad horam Divini Officii, mox ut auditum fuerit Signum, relictis omnibus summa cum festinatione curratur.* Quamvis enim ly *Signum*, quo ad instrumentum, sit vox æquivoca; cùm alii uterentur tuba, alii malleo, alii voce ad dandum signum pro Divinis Officiis decantandis, ut latè, & doctè probat ipse Emin. Bona *eodem cap. 22. n. 2.* nihilominùs antiqui Patres, signi nomine, metonymicè Campanam intelligebant, ut pluribus auctoritatibus demonstrat ipse Emin. Bona *ibid. n. 2.* inter quas illa S. Eulogii Martyris in Apologetico dicentis: *Per idem tempus graviter in nos præsidialis grassabatur insania, it aut excelsa pinnaculorum prosternere, quæ signorum gestamina erant ad Conventum Canonicum quotidie Christicoli innuendum.*

Ex his omnibus colligat Lector, usum Campanarum (saltem inferiorum) fuisse in Ecclesia introductum statim post Baptismum Constantini, etsi 23
hoc nomen Campanæ reperiatur incognitum usque ad principium sexti sæculi, in quo fabricatum fuit Campanile in Basilica S. Petri Romæ, teste Torrigio De Cryptis Vaticanis, affirmante, quòd Anno 1610. demolito veteri Campanile ejusdem Basilicæ, in ejus fundamentis repertum est numisma Heraclii Imperatoris, qui cœpit imperare Anno 610. & per quinque annos antea mortuus erat Sabinianus Papa, à quo, fertur, præceptum fuisse usum Campanarum in Ecclesiis, pro recitatione horarum Canonicarum, & celebratione Sacrificii; à quo tempore citra nomen Campanarum usurpatum frequenter legitur apud Ecclesiasticos Scriptores; quos congerit Emin. Card. Bona *d. lib. 1. cap. 22. num. 5. & 6.* referens historias, & narrationes de Campanis; inter quas illa est notatu digna, quam scripsit Monachus Sangallensis *in lib. de Ecclesiastica cura Caroli Magni cap.*
31. de quodam opifice Campanarum, qui cùm con- 24
flasset Campanam ad petitionem Caroli Magni, reddentem gratissimum sonum, obtulit se conflaturum perfectiorem, si Imperator pro stanno centum libras argenti illi daret. Sed argento accepto vir nequam illud abscondit, & pro eo stannum conflavit; factaque Campana, & posita in Campanili, quamvis à ferro pulsatorio percussa, nullum reddebat sonum; idcircò indignatus auctor operis apprehenso fune pertraxit æramentum, & ecce ferrum elapsum in verticem ipsius decidit, & occidit eum.

Quæ autem dicta sunt de usu Campanarum post Constantini Magni conversionem, admittenda veniunt in Ecclesia Latina; secus in Orientali, tardiùs 25
enim

enim Græci adhibuerunt Campanas, anno scilicet 865. quo earum usu, & dono Græci edocti fuerunt ab Urso Participatio Duce Venetiarum, per quem aliquæ Campanæ transmissæ fuerunt Constantinopolim Basilio Imperatori, ut legitur apud Blondum *lib. 2. Decad. 2.* Emin. Cardin. Baronium *d. Ann. 866. num. 101.* & notat Magrius *d. Verb. Campana sol. 3.* atque Sarnellius *in Basilicographia d. cap. ult. num. 9.* advertentes, quòd in Orientali Ecclesia ad convocandos fideles adhibebantur lignea instrumenta; quæ *Symandra*, & *Agiosymandra*, voce graja nuncupantur; atque hoc idem servant in præsentem diem Christiani viventes sub tyrannide Turcarum; qui odio habentes Campanas, eas non per-
26 mittunt tanquam signa Sacra Christianorum, à quibus abhorrent; & quia timent, iisdem Campanis excitati populum ad rebellionem, ac etiam quia superstitiosè credunt, Campanarum sonitu inquietari animas Defunctorum, ut referunt Magrius *in Hierolexic. Verb. Campana, & in Verb. Nolarium.* Casalius *d. cap. 43. Vers. Turcæ dissidentes*, & differit Glossa *in Clem. 1. De Judæis, & Saracenis in Verb. Zabazala*, ita dicens de Turcis. *Qualibet Mesquita habet unum Sacerdotem de primis, & unum Ministrum, qui vocatur Muerdem, quod sonat præco, qui supplet defectum Campanarum; ascendit Turrim Mesquitæ quadratam, in qualibet parte sui fenestram magnam habentem, & ad illarum quamlibet clamat alta voce, obturatis auribus cum digitis, ut vox fortiùs resonet, in sua lingua verba hæc sonantia: Nil aliud posse, nisi Deus, & Mahumetus ejus nuncius, Venite ad orationem, &c. Legalip, Hallà, Hallà.* Verba Arabica indicantia, *Non est alius Victor, nisi Deus solus*; ut explicat Mastrius *in d. Verb. Nolarium*; addens, hanc Musicam fieri à Turcis quinquies in die; videlicet in Aurora, quam vocant *Zalaraxophi*. Hora Tertia, in Vesperis, in Completorio, & in Crepusculo noctis, & qualibet istarum Horarum Turcæ faciunt certas genuflexiones; sicut de sero nos facimus ad laudem Deiparæ, ut scribit etiam Feburè *in Theatro Turchia cap. 25. artic. 7.* & Masinus *cap. 42. pag.* 390.

Tandem pro complemento Historiæ Campana-
27 rum non est omittendum; iisdem statutam esse Ecclesiasticam benedictionem, quam vulgus appellat Baptismum, & de qua ego egi in Decisionibus meis *Anni 1688. Mense Februario.* Hujus benedictionis Auctorem Joannem Papam XIII. scribit Emin. Card. Baronius *anno 968. num. 93.* quo tempore prædictus Papa Campanam Lateranensem miræ magnitudinis, antequam ea super Campanile elevaretur, sacris ritibus Deo consecravit, atque Joannis nomine insignivit. Nihilominus Campanarum benedictionem multò antiquiorem esse testatur Menardus *in notis ad lib. Sacramentor. pag.* 207. & docet Alcuinus, Caroli Magni Præceptor, qui in octavo sæculo floruerat, & in suis operibus de eadem benedictione Campanarum mentionem fecit; quod bene observant Magr. *in cit. Verb. Campana col. 3. in fine.* Et Emin. Card. Bona *d. lib. 1. cap. 22. sub num. 7.* & hæc satis dicta sint de primo capite, & de historia Campanilium, & Campanarum.

Quò ad secundum caput, in quo de Mysterio,
28 & mysticè agendum est de Campanili, & de Campanis; omnes Doctores in hoc conveniunt, ab eis denotari Prædicatores. Ita Albinus *de Divin. offic. cap. 100.* cujus verba refert Casalius *de Veteris Sacris Christ. Ritib. d. cap. 43. pag. 194.* ita scribens: *Prædictor perfectus hujusce signi quadam similitudine formatur; siquidem duritiam metalli fortitudine mentis; plerumque ferreum, quo sonus eliditur, constantia sermonis imitatur: ac etiam ut Campana pendet de Turri; ita & Concionator sursum cor suspendit, cujus conversatio in cœlis est. Campana ligno alligata, & fune agitata nunquam desistit personare, ita & Concionator ligno Crucis inhærendo, & charitate colligatus, non desistat die, ac nocte, os suum dilatare, instans opportunè, importunè arguendo, increpando, obsecrando.*

Hebræis in testamento veteri datæ fuerunt tubæ ad convocandum populum, in novo autem constituti sunt Prædicatores significati per Campanas, quæ altiùs resonant, quàm Tubæ veteris testamenti; siquidem eo tempore notus erat Deus tantùm in Judæa; nunc autem in omni terra, ut differit Barbos. *d. lib. 3. Voto 102. num. 12.* ex Stephano Durant. *lib. 1. cap. 22. num. 5.* Hinc in triduo Passio- 29
nis Christi non pulsantur Campanæ, non solùm in signum mæstitiæ, sed etiam ad mysticam significationem; scilicet quia Apostoli destinati Prædicatores in universum mundum, illis diebus ob timorem obmutuerunt, ut ait Rupertus Abbas *lib. 5. de Divin. offic. cap. 14.* & percutitur lignum, seu Tabula, quæ denotat Christum è ligno pendentem; & ad Patrem clamantem: *Dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt*; ut latiùs idem Casalius *d. cap. 43. pag. 192.* Qui subindè *pag. 194. Vers. Denique hoc addam* subdit; quòd in tota Germania superiore, & inferiore, nec non in Gallia, & Anglia ipse vidit in omnibus Campanarum Turribus appositum esse Gallum ex metallo in summitate, ad excitandam, & 30
significandam vigilantiam Prælatorum, quibus principaliter convenit prædicare verbum Dei, quod refert etiam Sarnellius *in Basilicograph. d. cap. ult. num. 15.* est enim Gallus vigilantiæ typus, ut cecinit Alciatus *in Emblem.* his versibus:

Instantis quod signa canens det Gallus Eoi,
Et revocet famulas ad nova pensa manus,
Turribus in Sacris effingitur.

Quamvis item Sarnellius *ibid. num. 15.* intendat ex ipsa effigie Galli in vertice Campanilis ad pedem Crucis, mysticè demonstrari, pœnitentiam Divi Petri, factam ad vocem Galli, ut & nos mirantes Crucem, & Gallum discamus peccata nostra flere, & pœnitendo veniam impetrare.

Magis autem explicat mysticam significationem Campanarum Glossa in *c. 1. Extravag. de Offic. Custodis* per hæc carmina:

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum:
Defunctos ploro, nimbum fugo, festaque honoro.

Campanarum namque sonus adhibetur ad honorandum Deum in elevatione, & delatione Venerabilis 31
Eucharistiæ Sacramenti; ad convocandum populum ipsumque Clerum ad officia Divina; ad funera fidelium, ut pro eis orationes fiant, innuenda; ad fugandas tempestates, & ad dies festivos indicendos, ut latiùs idem Casalius *d. cap. 43.* Magrius 32
in Hierolexic. d. Verb. Campana col. 5. & Sarnellius *in Basilicograph. d. cap. ult. num. 23. & 24.* ubi, eruditionem cum Ecclesiastica instructione uniens, inserit sequentes versus elegantes, inscriptos in Campanili nuper à fundamentis erecto in Cathedrali Si-

puntina à munificentia Eminentissimi ac Reverendissimi Cardinalis Ursini, tunc ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopi, videlicet.

Convoco, sacro, noto, depello, concino, ploro, Arma, dies, horas, nubila, læta, rogos.

Sunt namque sex munera Campanarum mysticè in hoc districho significata; hoc est convocare populum
33 ad arma, casu quo regionem illam Turcæ, vel Pyratæ aggrediantur, ut fecerunt Anno 1620. quo incenderunt, & consummarunt ex tribus duas partes illius civitatis; idcircò ad expellendos infideles illos licitum est pulsare Campanas ad arma; secus autem in civilibus quæstionibus, ut pluries declaravit Sacra Congregatio Cardinalium apud Nicolium *in Flosc. verb. Campana*, & apud eundem Sarnellium *num.* 26. Sacrant dies, scilicet distinguunt festos à ferialibus, Notant horas, tum per horologia solaria, quæ depicta videntur in Turribus Sacris; quorum primum Auctorem fuisse L. Papirium Censorem, qui illud apposuit Romæ ad ædem Quirini, asserit Chassanæus *in Catalog. Glor. Mundi part.* 12. *consider.* 43. tum per horologia rotis ferreis composita, & pulsantia de hora in horam super Campana; de quibus idem Chassanæus hæc habet; *Nihil jucundius, aut admiratione dignius reperiri potest (Horologio) quo nobis, etsi occultato sole, per tintinnabulum, seu Campanam, sua, ut videtur, sponte sonans, horæ nobis nunciatur.*

Cæterùm circa horologia solaria quò ad eorum inventorem discordat Plinius *in Natur. Hist. lib.* 2.
34 *cap.* 76 asserens quòd *Umbrarum rationem, quam vocant Gnomonicen, invenit Anaximenes Milesius, Anaximandri discipulus, primusque horologium, quod appellant Sciotericum, Lacedæmone ostendit.* Sed uterque fallitur, Plinius scilicet, & Chassanæus, nam in Scriptura Sacra habemus *lib.* 4. *Reg. cap.* 20. *vers.* 11. quòd, ad certificandum Ezechiam Regem ægrotantem de sanitate, & de prorogatione vitæ, Dominus *reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio de Achaz retrorsum decem gradibus.* Ergo Achaz Rex Judeæ Solarium Horologium habebat; vixit autem Rex iste per annos ducentos circiter ante Anaximenem, ut probat Menochius *in Storeis Centur.* 10. *cap.* 31. Hic autem
35 notet Lector, quòd juxta magis communem Doctorum sententiam Lineæ horologii Regis Ezechiæ monstrabant semihoras, non integras horas; quia erant lineæ viginti, nullus autem dies tam longus in Judæa esse poterat, qui haberet ab ortu Solis usque ad occasum horas viginti, sed horas decem, ut
36 differit Tirinus *d. lib.* 4. *Reg. cap.* 20. Horæ autem sic dicuntur ab *Horo*, idest Apollinæ, & Sole, qui *Horus* Lingua Ægyptiaca appellatur, ut ex Macrobio notat Polidorus Virgil. *de Inventor. R. r lib.* 2. *cap.* 5. addens, ab Hermete Trismegisto divisum fuisse diem in duodecim horas apud Græcos. At apud Ro-
37 manos ex eod. Plinio *lib.* 8. *cap.* 60. tardiùs introductus fuit usus horologii, & usque ad primum Punicum bellum apud illos vir unus deputatus erat, qui meridiem alta voce denunciaret, cùm videret ex umbra Solem attigisse lineam meridianam. Verùm quia, si dies serenus non erat, scire non poterat, neque cognoscere meridiem, subdit Plinius *ibid. Tunc Scipio Nasica, Collega Lænatis, primus aqua divisit horas æquè noctium, ac dierum, idque horologium sub tecto dicavit, anno Urbis quingentesimo, nonagesimoquinto.* Igitur Romani per annos sexcentos circiter absque horologiis vixerunt; deinde horologia aquea composuerunt, clepsydras appellata, 38
quibus etiam in judiciis utebantur, ne oratores verba facerent præter horam, ut nos facimus horologiis pulverariis, Hinc Plinius junior *in Epist. ad Pompeum Falcon.* ait de seipso: *Abstinui causis agendis, quòd deforme arbitrabar, ei qui jubere posset tacere quemcunque, silentium clepsydra indici.* Et iterum *lib.* 2. *in epist. ad Arrianum. Quia pauciores clepsydris præcipitamus causas.* Confert ad hæc gratiosum Martialis Epigramma *lib.* 6. *Epig.* 39. de quodam Advocato Cæciliano, qui cùm non haberet argumenta ad loquendum coram Judicibus usque ad finem clepsydræ, petebat aquam ad bibendum, ut vocem refocillaret, prout tunc erat in usu; ad hoc ut interim aqua clepsydræ fluens horam finiret, & judices eum dimitterent. Sic enim ait Martialis.

Septem clepsydras magna tibi voce potenti,
Arbiter invitus Cæciliane dedit.
At tu multa diu dicis, vitreisque tepentem.
Ampullis potas semisupinus aquam.
Ut tandem saties vocemque, sitimque rogamus,
Jam de Clepsydra Cæciliane bibas.

His clepsydris, & aqueis horologiis suffectæ sunt 39
Horologia ex rotis, quorum usum habuerunt etiam Romani; nam de horologio æreo portatili loquitur Ulpianus ex sententia Papiniani *in l. Quæsitum* 12. §. *Papinianus, ff. de Fund. Instruct.* Obiit autem Papinianus Anno Christi 214. Spondanus *ad eundem Annum nu.* 1. sunt autem commodiora cum rotis, in quibus die, ac nocte habemus certam notitiam horarum tum ex pulsatione malleoli super Campana; tum ex indice in signis, numerisque appositis, horas demonstrante, non solùm in privatis domibus; sed etiam super campanilibus, & Turribus; à quibus quamvis dies nebulosi sint, monemur de Solis cursu, & de quantitate horarum; quas Itali dividunt in vigintiquatuor, initiumque earum sumunt ab occasu Solis; Germani verò, Hispani, & Galli in duodecim secant; quod faciunt etiam Sinenses. Martinius *lib.* 1. *pag.* 7. reassumentes principium illarum à meridie, & à media nocte, Uter autem usus melior sit, & securior ex hac horarum sectione? docti homines olim disputabant; inter quos cùm adesset Emin. Cardinalis Bellarminus, interpellatus de sua opinione, lepidè respondit, videtur asserendum, minùs securum esse horologium Italum; dum in alio concordant nationes illæ, quæ in quocunque negotio sunt inter se discordes. Et hæc obiter de commodo horarum, quod nobis resultat ex Campanis juxta illa distichi Sarnelliani verba: *Noto horas.* Qui plura de horologiis desiderant, legant Angelum Rocchа *de Campanis cap.* 3. & *cap.* 12. Hieron. Magium *de Tintinnabulis cap.* 6. atque Panvinum *Rer. Memor. tom.* 2. *tit.* 10.

Reliqua verba ejusdem distichi, *depello nubila*, in-
dicant virtutem, & energiam Campanarum contra 40
tempestates, & fulmina, de quibus infrà in quatto capite. *Concino læta*, significant communem lætitiam populorum, quæ demonstratur in rebus prosperis, in victoriis, in electione Summi Pontificis, Antistitum urbium, in nativitate Principum; & consimilibus lætis eventibus, in quibus solitum est, plausus facere sonitu, & tinnitu Campanarum. *Ploro rogos*, ultimo loco dicit, ad denotandum fidelium populorum laudabilem usum pulsandi Campanas, dum aliquis moritur, sive de Principibus, & Ecclesiasticis; sive etiam de Laicis, atque pauperibus, tum ad renovandum, in omnibus personis,

sonis, memoriam mortis; tum ad excitandam uniuscujusque pietatem, & devotionem ad orandum pro defunctis; quòd etiam hodie servari in Anglia, & Hollandia testantur Casalius *d. cap.* 43. *pag.* 191. Præterquam quòd plorare rogos dici potest Campana, quando accenso igne in aliqua domo, jugiter pulsatur, ad convocandam gentem, quæ ignem extinguat, ut ait Jo. Andr. *in cap.* 1. *n.* 13. *de Offic. Custod.*

Tandem ad mysticam significationem Campanarum spectat etiam sonitus in crepusculo diei, in meridie, & in sero ad Angelicam Salutationem recitandam in honorem Augustissimæ Virginis MARIÆ Matris Dei, de quo triplici sonitu agit Petrus Antonius Spinellus *in Throno Deiparæ cap.* 20. *num.* 37. & Gobat *in Quinario tract.* 4. *num.* 598. ubi notat pulsus matutini Auctorem fuisse Joannem XXII. sive etiam Urbanum II. Meridiani Calixtum III. & Gregorium IX. Vespertini autem Adrianum VI. qui recitantibus orationem *Angelus Domini*, *&c.* cum triplici Ave Maria, dum pulsatur signum Campanæ, concessit Indulgentiam plenariam; ut scribunt ex Theologis Rodriquez *QQ. Regul. tom.* 1. *q.* 89. *art.* 12. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 24. Quæ in Coordinato opere ejus est *tom.* 4. *tract.* 5. *resol.* 19. ubi docet, prædictam Indulgentiam acquirit etiam ab illam ignorantibus, si existentes in gratia Salutationem Angelicam prædictam ter devotè recitent. Lezana *Verb. Indulgentia. num.* 30. *tom.* 4. & Escobar *in Summ. tr.* 7. *Exam.* 5. *num.* 54. Quos allegat, & eorum assertionem credibilem asserit Gobat *d. tract.* 4. *à num.* 500. usque *ad num.* 582. Quibus ego addo ex Canonistis Fagnanum *in cap. Custos Ecclesiæ. num.* 4. *De officio Custodis.* Certum est, quòd S. Carolus Borromæus, ut scribit Jo. Petrus Jussanus *in ejus vita libr.* 8. *cap.* 2. *pag.* 358. *Quando sentiva dare il segno dell' Ave Maria, s'inginocchiava subito à dirla nel luogo dove si ritrovava, benchè fosse stato in mezo del fango, come iosteſſo ho osservato; e quando era à cavallo, smontava per dirla in ginocchio.* Quod etiam practicatum fuisse ab Eminentissimo, & Religiosissimo Domino meo Cardinali Gregorio Barbadico Episcopo Patavino, testis oculatus sum ego per annos triginta, & ultra. Ac jure quidem; nam, ut scribit S. Antoninus 3 *part. tit.* 15. *cap.* 25. §. 2. *Statuit Ecclesia singulis diebus pulsari ter Campanas Ecclesiarum de sero, & iterum de mane, & in meridie, ad quid? nisi ut honoretur Beatissima Virgo, & laudetur ex Salutatione Angelica.* Immò Gobat *d. tract.* 4. *Quinarii n.* 593. allegat Theologos asserentes, ad instantiam Elisabeth Reginæ Hispaniarum concessam esse Indulgentiam plenariam toties, quoties quis recitat sequentem orationculam:

Ave Virgo gloriosa, Stella Sole clarior,
Mater Dei gratiosa, favo mellis dulcior:
Rubicunda plusquam Rosa; Lilio candidior;
Omnis virtus Te decorat: omnis Sanctus Te honorat
In Cœlo sublimior. Amen.

Quò ad Tertium. Legaliter differendo de Campanis, & Campanilibus notandæ sunt sequentes conclusiones.

Prima conclusio. Campanarum, & Campanilium ædificatio adeò spectat ad divinum cultum, & ad publicam utilitatem, ut si opus sit aliqua vicina domo ad Campanile ædificandum, possit cogi dominus illius ad illam vendendam; causa enim Religionis spectat ad publicam utilitatem. Gaspar Thesaur. *Quæst. Forens. lib.* 1. *q.* 64. *num.* 6. Vincent. de Franchis *Decis.* 223. *num.* 5. & 6. Maceraten. *lib.* 1. *resol.* 112. *cas.* 29. Genuensis *in Practica ab. Eccl. quæst.* 241. Joan. Marin. Novarius *QQ. Forensium. part.* 2. *quæst.* 1. *num.* 6. & 11. Maranta *Controv. Jur. part.* 2. *Resp.* 22. *num.* 17. & Barbosa alios auctores, & rationes cumulans *d. lib.* 3. *Voto CII. dub.* 1. *à num.* 40. *& seqq.* ubi tamen *num.* 46. conclusionem limitat, si vicinus esset passurus magnum incommodum; puta quia ad fabricandum Campanile, opus esset scindere unam partem alicujus Palatii, vel domus amplæ, & formosæ; prout etiamsi fenestræ illius Campanilis prospicerent interiora vicinæ domus, agi enim posset ad eas claudendas; vel si nimius sonus campanarum ex illis fenestris egrediens molestiam nimiam degentibus in vicina domo causaret; siquidem etiam in hoc casu essent claudendæ; ut ex Melchior. Phæb. Lusitano *Decis.* 73. *part.* 1. demonstrat idem Barbosa *d. Voto* 102. *num.* 53.

Secunda Conclusio. Campanæ autem non sunt collocandæ in Campanili, nisi prius ab Episcopo sint benedictæ, ut declarasse S. Rituum Congregationem *die* 5. *Julii* 1614. referunt Gavantus *in Manuali Verb. Campanæ in addit. nu.* 1. & Barbosa *Decis. Apostol. collectan.* 82. *num.* 2. *& d. lib.* 3. *Voto* 102. *num.* 36, & 37. ubi sic statuisse advertit S. Carolum Borromæum *in Conc. Prov.* 4. *tit. de Campanis*; quod scribit etiam Haymon Corius *in Epitome Concilior. ejusdem Sancti eod. verb. Campanæ*; subdens in iisdem Conciliis Mediolanensibus decretum esse, quod Campanæ pulsentur pro Divinis officiis, ad elevationem Corporis Christi in Missa; in Processionum initio, donec totus Clerus egressus fuerit, & cùm redire cœperit; necnon cùm pertransierit antè aliam Ecclesiam. Pridie Vesperi pro concione sequentis diei, & postridie manè. Ad Salutationem Angelicam in alba, in meridie, & in Vespere; ac prima hora noctis pro defunctis. Pro doctrina Christiana diebus festivis; & dum defertur Eucharistia ad ægrotos. Pro Antiphona, seu Litaniis B. M. Virginis recitandis in Sabbato sub Vesperum ante crepusculum. Imminentibus procellis. In Festo Sancti, cujus Reliquia habetur. In visitatione Episcopi; & in morte tam Prælatorum, quàm privatarum personarum juxta usum laudabilem Parochiæ, qui quidem sonitus Campanarum æquè servantur etiam in hac Civitate, & Diœcesi Patavina; etsi de eis non habeantur præcisa Decreta. Campanas autem benedicere non possunt Abbates nisi pro usu suarum Ecclesiarum; ut in puncto docet Maceraten. *Var. resol.* 112. *cas.* 3. Barbosa *d. Voto* 102. *num.* 22. & Pignatellus *tom.* 3. *consult.* 68. *n.* 8. quod ego quoque demonstravi supra *Decis. XIII. à num.* 21. *& seqq. & Decis. XLII. num.* 78. ubi Doctores hanc quæstionem tractantes, & ita tenentes adduxi; spectat enim hoc munus benedicendi Campanas ad Episcopum, à quo sunt servandi Ritus Sacri in Pontificali præscripti, quos examinat Castaldus *in Praxi Cæremon. lib.* 2. *sect.* 12. *cap.* 5.

Tertia Conclusio: Etsi olim magna fuerit altercatio inter Religiosos mendicantes ex una, & Ecclesias sæculares ex altera, circa numerum Campanarum, quas habere, & adhibere possent ipsi Regulares in suis Campanilibus, de qua scripserunt Oldradus *cons.* 228. & Albericus *in suo dictionario Verb. Campana*; & quamvis ad pacificandos eosdem Ecclesiasticos de hac re dissidentes Joannes Papa XXII. sanciverit, Regulares Mendicantes una tantùm Campana contentos esse debere, ut legitur in *Extravag. Unica. De Offic. Cust.* Nihilominus consuetudo universali

salis derogavit eidem Extravaganti, quia ferè omnes Religiosi Mendicantes, quamvis strictioris vitæ (exceptis PP. Capuccinis) lures habent Campanas, ut ubique videmus; quam consuetudinem non esse improbandam, dicunt Angelus Roccha *de Campanis tract.* 26. Durantes, & alii allegati à Barbosa *d. Voto* 102. *num.* 62. *& num.* 74. *ac* 75. ubi advertit, quòd si de præsenti Regulares vellent augere numerum Campanarum in suis Campanilibus, possent à vicinis, & ab aliis molestiam timentibus prohiberi, non obstante prædicta consuetudine, quæ licèt valeat in Campanis pluribus juxta solitum; non est extendenda ad majorem numerum; quia consuetudo tantùm habet in potentia, ut est axioma apud Jurisstas, quantum habet in actu *l.* 1. §. *Julianus, ff. De itinere, actuque priv.* Menochius *de retinenda poss. remed.* 5. *num.* 57. & quòd Sacra Congregatio *de Episc. & Regular.* sæpè prohibuerit Regularibus imponere in Turri Campanaria novam, & majorem Campanam, & jam impositam amoveri, ne turbaret Moniales vicinas, testatur Pignatellus *tom.* 5. *consult.* 54. *n.* 7. videlicet *in una Augustinia-*
nor. 21. *Januar.* 1642. & aliis vicibus; ea ratione quia immodicus Campanarum sonitus prohiberi pot-
49 est, Alciatus *lib.* 8. *Parerg. cap.* 11. Gratian. *Discept. forens. cap.* 186. *num.* 16. *&* 18. Barbosa *d. lib.* 3. *Voto* 102. *num.* 85. quemadmodum expelli potest faber, & malleator, qui obstrepens impedit, ne studeat Doctor, vel Scholaris vicinus, Menochius *de Arbitrar. casu* 237. Barbosa *d. Voto* 102. *num.* 82. 83. 84. ubi notat, de hac fabri ærarii importunitate intellexisse Apostolum, in illis verbis 1. *Cor.* 12. 7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, ut me colaphizet.* Quæ verba explicat S. Jo.
50 Chrysost. Homil. 26. in d. cap. 12 scribens: *Per Angelum Satanæ Alexandrum ærarium, Hymeneum,*
51 *Philetum, ac denique omnes, qui fidei doctrinæ adversabantur, &c.* innuebat. Quamvis communiter Scripturistæ declarent vel de infirmitatibus corporis, vel de tentationibus impudicis, quas Satana ei suggerebat, ut videre est *in d.* 2. *Cor.* 12. 7. apud Tirinum; Cornelium à Lapide, & alios.

Quarta Conclusio. Pulsare Campanas, inspecto jure antiquo, spectabat ad Sacerdotes, quia sicut in Veteri Testamento Deus præceperat, ut Sacerdotes filii Aaron tubis clangerent ad convocan-
52 dam multitudinem; ita hic ritus ad Sacerdotes Novi Testamenti transivit, & apud illos diù in Ecclesia permansit, deinde fuit ostiariis injunctus; ut scribit Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. d. lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 7. adducens exemplum S. Benedicti, qui *in Regula cap.* 47. hoc munus nuntiandi horam laudandi Deum Abbatibus imponit; & de eo ait Amalarius *lib.* 3. *cap.* 1. quòd Sacerdotes hoc officium non debent fugere; & in Capitulari Caroli Magni *lib.* 6. *cap.* 168. statuitur, ut Sacerdotes signa tangant horis Canonicis. Idcircò Ordo Romanus, & antiqua Ritualia, itemque *Concilium* 4. *Carthaginense* materiam Ostiariatus in sola clavium traditione constituunt, nulla habita mentione pulsationis Campanæ, quæ nunc adhibetur, dum ostiarii ordinantur; quia officium pulsandi Campanas justis motivis est translatum in ostiarios, quos decet cotta indutos illud exercere, tanquam rem Sacram, & pertinentem ad munus sui ordinis; prout decretum fuit *in Concilio Colonien. part.* 3. *cap.* 31. & *in Conc. Mediolanen.* S. Caroli, teste Sarnellio *in Basilicograph. d. cap.* 50. *num.* 27. & Magrio *in Hierolexic. d. verb. Campana col.* 4. *in fin.* Sicut enim Ostiarius aperiendo januas Ecclesiæ introducit fideles in illam, idem facit convocando ad divina officia populum pulsatione Campanarum. Quòd si quis petat, quomodo Ecclesia, quæ usque ad Concilium IV. Carthaginense, & aliquibus sæculis subsequentibus pro materia ostiariatus adhibebat solam traditionem clavium, potuerit hanc mutationem postea facere, addendo traditionem tintinnabuli, vel funis Cam- 53
panarum? Respondetur, Christum Dominum in hoc Ordinis Sacramento non ad omnes Ordines designasse specificam materiam, sed eam tantùm in genere, quæ haberet potestatis illius ordinis significationem; undè non est incongruum, quòd Ecclesia possit vel aliam materiam priori addere, ut in ostiariatu; vel etiam primam mutare, & aliam magis expressivam substituere, ut disserit Eminent. Cardin. de Lauræa *de Sacramento Ordinis*; nempè *in* 4. *sentent. tom.* 4. *disp.* 5. *art.* 2. *num.* 48. *&* 49.

Quò verò ad modum, & tempus pulsandi Campanas, usus uniuscujusque Ecclesiæ est servandus; non enim in jure habetur prohibitio, seu limitatio, 54
nisi in duobus casibus; primus est tempore Interdicti, in quo prohibitum est sonare Campanas. Covarruvias *in cap. Alma Mater part.* 2. §. 4. *n.* 5. *Vers.* 13. Sayrus *de Censuris lib.* 5. *cap.* 5. & Suarez *eod. tractatu tom.* 5. *disp.* 34. *sect.* 1. *an.* 15. nisi ad salutationem Angelicam in mane, meridie, & sero, ut notat Angelus Roccha *de Campanis cap.* 25. *pag.* 151. & Barbosa *d. lib.* 3. *Voto* 102. *num.* 34. *&* 35. ex doctrina ejusdem Suarezii, qui *d. sect.* 1. tenet, pulsationem Campanarum veritam esse in signis institutis ad convocandum populum ad divina officia; non etiam in aliis, qualia sunt pulsatio horarum; monitio ad laboreria, ad judicia, & his similia. Alter casus est in Sabbao Sancto; in quo nulli li- 55
cet pulsare Campanas ante illas Ecclesiæ Cathedralis in Civitate; vel Matricis in pagis, & Villis, ex *Concilio Lateranensi* (sub Leone X. celebrato anno 1513.) *sess.* 11. in quo fuit statutum: Quòd *tam ipsi Fratres* (Regulares) *quàm ipsi Clerici Sæculares, etiam super hoc Apostolicæ Sedis Privilegio muniti, die Sabbati Sancti majoris hebdomadæ, antequam Campana Cathedralis, seu Matricis Ecclesiæ pulsaverit, Campanas in Ecclesiis suis pulsare minimè possint. Contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant.* Et juxta hoc decretum pluries respondit Sacra Rituum Congregatio, referente Barbosa *in Decis. Apostol. collect.* 82. *num.* 3. & de eo tractant Frances *de Eccles. Cathedr. cap.* 24. *num.* 18. & Pignatellus *tom.* 9. *consult.* 108. *nu.* 8. & concordat Rubrica Cæremonialis Episcopor, sub Clemente VIII. publicati, ubi *lib.* 2. *cap.* 27. dicitur de Sabbato Sancto: *Cantatur Gloria in excelsis, pulsanturque Campanæ, & Organum: debentque moneri Ecclesiæ Civitatis, ne pulsent Campanas, nisi audito Signo Campanarum Ecclesiæ Cathedralis.* Quæ quidem verba habent vim legis, ut ait Rota *in Calaguritana Juris pulsandi Cam-* 56
panas 11. *Martii* 1619. coram Dunozetto, quam ponit Tamburinus *de Jure Abbatum tom.* 3. *Decis.* 37. in qua advertitur; per illam non tolli consuetudinem immemorabilem contrariam; quia stante possent aliæ Ecclesiæ inferiores pulsare suas Campanas in Sabbato Sancto ante illas Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis. Sed tota difficultas consistit in probanda consuetudine immemorabili, quæ debet fieri cum omnib; requisitis positis in Glos. *in c.* 1. *De Præsc. in* 6. quibus concurrentibus, justificataque consuetudine immemorabili, liberum erit pulsare Campanas

in

in Sabbato Sancto; ut decidit Rota coram Merlino *in eadem causa die 9. Aprilis* 1624. quæ apud Tamburinum *d. tom. 3. est Decis.* 38.

57 His casibus exceptis quælibet Ecclesia potest pro libito Campanas pulsare; neque ab alia potest impediri; nam ridicula æstimata fuit lis illa olim mota in Curia Romana, quæ diu viguit inter Fratres Humiliatos, ac alios Monachos cum multis expensis; scilicet quis primò deberet pulsare Campanas ad matutinum? In qua finaliter terminatum fuit, quòd qui primò surgeret, primò pulsaret, ut referunt Albericus in *Dictionar. Verb. Campana.* Et Barbosa *d. libr. 3. Vot. 102. num. 60.*

58 Tandem ne aliquid, quod legaliter dici potest de Campanis, omittamus; Quinta sit conclusio, expensas pro emendis, & reficiendis Campanis, ubi non sint redditus annui pro fabrica, esse faciendas juxta solitum, & ad præscriptam consuetudinem; qua non extante dicendum est in puncto Juris, Parochum teneri ad emptionem, & refectionem unius tantùm Campanæ. Surdus *cons. 62. n. 5.* Genuensis *in Practicabil. Eccles. qu. 249. num. 6.* & Tondut. *Resol. benefic. part. 3. cap 133. num. 4. & 5.* ea ratione, quia unica Campana sufficit Parochis, & Clericis, ut munus suum adimpleant in convocando populo ad divina; immò testatur Casalius *de Veter. Sac. Christ. Ritib. d. cap. 43. vers. Et Ven. Beda pag.* 191. se vidisse, & observasse, quòd in Regno Angliæ, & in Hollandia una tantùm Campana habetur in qualibet Parochia, & non plures. Idcircò, quia pluralitas Campanarum principaliter concernit utilitatem Parochianorum, quarum sonitu fugantur tempestates, & terrentur dæmones, illas excitantes, refectio ipsarum Campanarum, una excepta, de Jure spectat ad populum; prout etiam solutio Salarii, quod datur viro deputato ad pulsandas Campanas, ut doctè advertit idem Tondut *d. part. 3. cap. 133. num. 1.*

Ultima conclusio legalis est, quòd in Oratoriis privatis, existentibus vel in domibus laicorum, vel in
59 granciis, aut Conventibus Regularium, non possunt erigi Campanilia cum Campanis; quia hoc est per expressum in Jure Canonico prohibitum per textum *in cap. Patentibus* 10. & ita Barbosa & alii *de Privileg.* Lezana *in Summa tom. 6. Ad Privileg. Carmelitarum, n. 186.* Diana *par. 6. tract. 1. resol. 1.* Quæ in Coordinato est *tom. 9. tract. 1. res. 6.* Nicolius *in Lucubrationib. Canon. libr. 5. tit. 33. sub n. 7. ampl. 3.* Billus *in Hierurgia tom. 1. verb. Campana §. 5.* & Tondut *Resol. benef. part. 1. cap. 25. num. 14.* Et hujus prohibitionis evidens est ratio; siquidem inventæ sunt Turres sacræ, & in eis sunt positæ Campanæ ad effectum convocandi populum ad divina officia, & ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium audiendum. Sed hæc convocatio ad Oratoria privata non est licita; quia in illis neque divina Officia, neque Sacrosanctum Sacrificium Missæ celebratur, nisi aliquando ex Privilegio Apostolico pro personis nobilibus tantùm, aut Religiosis commorantibus in iisdem domibus, seu granciis, in quibus sunt ipsa Oratoria privata. Igitur Campanæ non sunt in eis ponendæ, seu erigendæ; quod adeò prohibitum censeri debet, ut neque Episcopus possit dare licentiam pro ipsis Campanis in Oratorio privato ad publicam pulsationem erigendis; cùm Episcopus non valeat agere contra Sacros Canones, ut docent Barbosa *de Episc. allegat. 33. num. 16. & seqq.* Jordanus *tom. 2. libr. 9. tit. 1. num.* 68. Et Fagnanus *in cap. Canonum statuta num.* 121. *De Constitut.* nec non *in cap. Dilectus à num. 2. usque ad num. 22. De Temporib. Ordinat.*

Quò ad Quartum caput Decisionis hujus, in quo de Campanis supernaturaliter est agendum; lubet referre plura exempla virtutum supernaturalium, quæ prodiere, & in diem prodeunt ex campanarum benedictarum sonitu. Primò pulsatio Campanarum 60
terret dæmones, & eos in fugam convertit. Lepida est historia, quam ex Petro Abbate Cluniacense refert Delrius *Disquisit. Magic. libr. 6. cap. 2. sect. 3. in fine*, nec non Guaccius *in Compendio Malefic. libr. 3. tit. De Sonitu Campanar.* diabolum tentasse novitium, ut discederet à Monasterio, & secum abiret; cumque multis blanditiis ad fugam hortaretur, Superior Monasterii Campanulam pulsavit; cujus sono perterritus diabolus cucurrit, ut se absconderet, & in latrinas proximas se conjecit. Subdit autem Delrius ubi suprà: *Quotidiè fatentur maleficæ; si, quando à dæmone ad conventus feruntur, signum campanæ audiatur; confestim dæmones ipsarum bajulos spurcum onus in solum dejicere, & fuga trepidos dilabi.* In hujus rei confirmationem narrat *libr. 2. quæst. 16. vers. Probatur etiam, pag.* 130. ex Paulo Grillando *libr. 2. de Portileg. q. 7.* Anno 1524. mulierem maleficam, nomine Lucretiam dum ex congregatione ludorum à dæmone deportaretur domum, audito Campanæ pulsu, statim à prædicto vectore projectam, & relictam fuisse propè fluvium in agro spinis obsito; ubi facto mane reperta fuit nuda à juvene indè transeunte. Secundò pulsatio Campanarum impedit ingruentes tempestates, fugatque 61
& aliò depellit. Testimonia plura habentur de hoc supernaturali virtute Campanarum relata à Scriptoribus Ecclesiasticis, & cumulata per Bagattam *de Admirandis Orbis Christian. tom. 1. libr. 3. cap. 2. Append.* 1. inter quæ notantur Campanæ B. Raymundi Abbatis Titerii; S. Dominici Abbatis juxta Soram, S. Genovefæ Parisiis, S. Petri Cœlestini Aquilæ in Aprutio, B. Bennonis Misnensis Episcopi, S. Francisci de Paula in Cœnobio Mylæ transfretum Siciliæ, S. Turibii Limensis Archiepiscopi, & inter cæteras mirabiles sunt Nolulæ duæ sanctæ domus Lauretanæ, quæ in ea erant appensæ, quando à cœlestibus Spiritibus illa Sacra Nazarethana ædicula fuit Lauretum portata, quoties enim aboritur tempestas, aut turbo cœlum miscet horrisonis fragoribus, statim ac ab ædituis pulsarentur, illicò nimbos compescunt; & undique serenat aer. Tertiò Campanæ de per se sæpè sonuerunt, nullo hominum 62
eas trahente, ut servi Dei honorarentur; quod constat exemplis relatis ab eodem Bagatta *d. tom. 1. libr. 5. cap. 4. §. 2.* inter quæ illud ex Ughellio *in Italia Sacra tom. 4.* quòd ingrediente Romam, ad sacrorum liminum visitationem, S. Columbano Abbate, tempore S. Gregorii Magni, omnes Campanæ Ecclesiarum Romæ, nemine tangente sonaverunt. Idem prodigium ex Torello *in Hist. Augustin. anno* 706. dum Sancta Pega Romam devotionis causa intraret. Quotiescumque B. Gundisalvus Abbas Monasterium suum intrabat, ultrò pulsabant Campanæ; prout etiam quandocunque S. Bernardus Episcopus Viquensis revertebatur in suum Episcopium; & de his plura apud Bagattam *d. §. 2.* Quartò non solùm Servis Dei viventibus honorem hunc Campanæ, de se sonantes impenderunt; sed frequenter iisdem defunctis: hinc in translatione corporum S. Martini Turonensis Episcopi; S. Isidori Agricolæ, S. Romualdi Abbatis, & plurium aliorum supernaturaliter visæ sunt Campanæ de per se sonare, ut *d. §. 2. à num. 5. 9. 10. & seqq.* ex Historiis Ecclesiasticis ipse Bagatta demonstrat. Quintò, sed non minoris prodigii sunt,

quæ narrantur de Campana in conventu PP. Prædicatorum Salerni in Sicilia, quæ de se sonat, cùm brevi aliquis religiosus ibi est moriturus, ut narrat Masinus *in Schola Christ. cap.* 43. *pag.* 396. & confirmat Antistes Sarnellius *in Basilicograph. d. cap.* 50. *num.* 29. subdens, prædictam Campanam vocari Campanam S. Thomæ de Aquino. Similes sonitus supernaturales, denunciantes proximum obitum Monialium, vel Abbatissæ haberi in Monasterio Bodkensi, & in alio Istriæ, testatur idem Masinus *ibidem*; atque Menochius in Storeis *part.* 3. *centur.* 6. *c.* 42. His similia cumulat Bagatta *d. libr.* 5. *cap.* 4. *in Appendice. Et tom.* 2, *libr.* 6. *cap.* 1. *Append.* 1. *num.* 15. & 16. Sextò ad implorandam opem orationum pro periclitantibus in mare, imminente naufragio; sonat de per se
63 Campana Collegialis Ecclesiæ S. Amatoris Christi discipuli, in Arce dicta S. Amatoris in Gallia; referente eodem Sarnellio *in Basilicograph. d. cap.* 50. *n.* 30. & Magrio *in Hierolexic. verb. Campana, col.* 5. *in fine*; ubi subdit, quòd in dicta Arce custoditur, & conservatur famosus ensis Orlandi, appellatus *Durlindana*. Scribit quoque Leonardus Vairus *libr.* 2. *de Fascino, cap.* 14. quem refert Menochius *in Stor. centur.* 6. *cap.* 42. quod in Hispania *in Celtiberiæ oppido Villa Campana est, quam vocant incolæ Campanam miraculorum, hæc per aliquot menses priusquam Respublica Christiana aliquid adversi patiatur, ex se ipsa, nemine pulsante, sonare solet*; quod ex aliis auctoribus indicat etiam Magrius *d. verb Campana col.* 5. & Barbosa *d. libr.* 3. *Voto* 102. *num.* 27. nec non Bagatta *d. tom.* 1. *libr.* 5. *c.* 4. *in Appendice num.* 7. ubi de eadem Campana subdit; quòd de se sola *insonuit anno* 1527. *cùm acciderit direptio, seu depopulatio Romæ tempore Clementis VII. Sic antequam in eodem Regno Cæsar augustano anno* 1564. *suboriretur vehementissima pestilentia. Itidem ea insonante anno* 1601. 13. *Junii usque ad* 30. *diem ejusdem mensis, interpolatis temporibus, varii eventus in diversis mundi partibus evenere. Item sonum sponte edidit pridiè, quàm capti essent Aragoniæ Reges; & iterum sonavit quo tempore composito Mediolani fœdere; Aragonius in libertatem est restitutus. Diciturque tandem insonuisse hæc campana proprio motu, dum Carolus V. Imperator, & Regina Annæ uxor filii ejus Philippi mortem obierunt.* Plura de his apud eundem Auctorem.

Gorollarii loco non est omittenda notitia duarum Campanarum immensæ, ut ita dicam, molis, ac ma-
64 gnitudinis. Una est, quæ à P. Athanasio Kirchero *in sua Musurgia fol.* 522. vocatur *omnium Campanarum Regina*, scilicet Campana *Erfordensis*, quam etiam dicit, *non solùm Germaniæ, sed totius mundi maximam.* (Est autem *Erfordia*, vulgò *Erfurd*, urbs ampla, & munita Germaniæ ad fluvium Seram, olim sui penè juris, sed ab Electore Moguntino vindicata, ipsi subest ab anno 1644.) In hac itaque urbe est prædicta maxima Campana ærea, cujus altitudo est octo cubitorum Diameter septem; Peripheria cubitorum vigintisex Crassities digitorum sex cum dimidio; pondus autem librarum viginti quinque millium quadringentarum.

Altera est Campana plus quàm maxima *Pekinensis* (*Peking*, seu *Pechinum*, aut *Pequinum*, est urbs amplissima, Imperii Sinarum caput, innumeris referta incolis, quæ nunc subest dominio Tartarorum.) De hac Campana extat Epistola *P. Ferdinandi Verbiest. ex Pequino ad P. Gruberum* data *in Siganfu anno* 1663. & impressa *in China illustrata* (erudito scilicet libro ejusdem P. Athanasii Kircherii, typis publicato Amstelodami anno 1667. cum figuris plurimis hominum, litterarum, vestium, & aliarum, multiplicium rerum Sinensium) in quo *part.* 5. *in fine pagina* 224. ponuntur effigies utriusque Campanæ *Erfordiensis, & Prkinensis.* Hæc autem superat in magnitudine *Erfordiensem*, quamvis ab illa superetur in pulchritudine. Itaque Campanæ *Pekinensis* pondus est librarum centum viginti millium. Ejus altitudo est duodecim cubitorum. Diameter orificii, sive basis decem cubitorum. Grossities corporis campanæ novem digitorum. Peripheria exterior triginta novem cubitorum. Cubitus autem Sinicus dividitur in decem digitos, quorum novem æquivalent pedi nostro geometrico; adeò ut prædicta Campana in altitudine sit ultra tresdecim pedes nostrates cum dimidio. Quàm utilis, & delectabilis est Lectio Historiarum; Et hæc sufficiant de Campanis, & Campanilibus pro ornatu Ecclesiarum, & pro convocandis fidelibus ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium.

DECISIO XLVI.

ARGUMENTUM.

Quia non licet Sacrificium Missæ peragere in Ecclesia profanata, violata, seu polluta: agitur de Ecclesiarum profanatione, violatione, & pollutione. Docetur, quid sit Pollutio Ecclesiæ, Quæ loca sint pollutionis capacia? Quæ actiones Ecclesiam polluant? & latè disseritur de homicidio facto in Ecclesia, de effusione sanguinis & seminis humani, & de sepultura infidelium, atque excommunicatorum. Declarantur effectus pollutionis, & quæ functiones sint prohibitæ in Ecclesia polluta? Reconciliare Ecclesias polluras quis possit? Quidquid disputant DD. de Ecclesiis pollutis, hic recensetur; additis historiis, & eruditionibus multis.

SUMMARIUM.

1 *Missæ Sacrificium non offerendum in Ecclesia violata.*
2 *Ecclesia quot modis violetur?*
3 *Profanatio Ecclesiæ quæ, & quotuplex sit?*
4 *Excommunicatio Papæ reservata contra fractores Ecclesiarum.*
5 *Sententia in Ecclesia dari non possunt.*
6 *Actiones quæ licitè fiant in Ecclesia, & quæ non?*
7 *Congregationes, & Capitula artificum non sunt facienda in Ecclesia.*
8 *Ludi theatrales, & saltationes in Ecclesia prohibitæ.*
9 *Profanare Ecclesias quando liceat?*
10 *Præpositura SS. Trinitatis de Padua quando diruta Ecclesia.*
11 *Villæ Turris, & Altichierii Rectores cur exigant annuam Pensionem Duc.* 24. *à Præpositura SS. Trinitatis?*
12 *Moniales Eremitæ de Padua translatæ de Ponte curvo ad locum in Vantio.*
13 *Ecclesiæ profanatæ ligna & lapides cui applicandi?*
14 *Execratio Ecclesiæ quid sit? & quomodo fiat?*
15 *Benedictionis Ecclesiæ, & Consecrationis differentia.*

16. *Pol-*

16 *Pollutione quomodo profanetur Ecclesia?*
17 *Pollutio Ecclesiæ quid sit?*
18 *Macula moralis cur appelletur Pollutio Ecclesiæ?*
19 *Oratoria privata num pollui possint? & num. 34.*
20 *Publica injuriosa actio polluit Ecclesiam, non occulta.*
21 *Publicum quid dicitur sex modis.*
22 *Publicum fit tripliciter.*
23 *Notorium quid sit? & Quotuplex?*
24 *Notorium quot personarum notitiam requirat?*
25 *Manifestum quid sit?*
26 *Famosum quid sit?*
27 *Occulta quando dicatur pollutio Ecclesiæ?*
28 *Pollutio Ecclesiæ à quo jure sit introducta?*
29 *Tabernaculum & Templum Hebræorum quoties pollutum?*
30 *Effectus pollutionis loci Sacri qui sint?*
31 *Differentia inter Censuras, & Pollutionem Ecclesiæ.*
32 *Loca Sacra capacia pollutionis, quæ & quot sint?*
33 *Cæmeterium quando polluatur ex pollutione Ecclesiæ?*
34 *Oratoria etsi privata, in quibus litatur, sunt capacia pollutionis.*
35 *Pollutio Ecclesiæ an sit, si fiat in capellis, aliisvè locis contiguis, & unitis Ecclesiæ?*
36 *Sacristia polluta, an polluatur Ecclesia?*
37 *Pollutionis lex an sit odiosa, vel favorabilis?*
38 *Lex pœnalis quando latè interpretetur? & dicatur favorabilis?*
39 *Eucharistia olim servabatur in Sacristia.*
40 *Pastophorium quid sit?*
41 *Sacristia est locus Sacer, & pars integralis Ecclesiæ; capax pollutionis Ecclesiasticæ.*
42 *Pollutio Ecclesiæ ex quibus actionibus fiat?*
43 *Publicitas requiritur actionum pollutivarum loci Sacri.*
44 *Homicidium quoquomodo commissum in Ecclesia eam polluit.*
45 *Glossæ opinio præfertur opinioni aliorum Doctorum.*
46 *Vulnus illatum extra Ecclesiam vel in ostio Ecclesiæ an polluat illam?*
47 *Homicidium inculpabile non polluit Ecclesiam.*
48 *Dubius pollutionis Ecclesiæ casus decidendus arbitrio Episcopi.*
49 *Homicidium cum moderamine inculpatæ tutelæ in Ecclesia an eam polluat?*
50 *Homicidium in Ecclesia ex sententia Judicis illam violat.*
51 *Homicidium in Ecclesia ad defensam bonorum, vel honoris utrùm illam polluat.*
52 *Occisio Martyris in Ecclesia eam polluit.*
53 *Sanguinis modica effusio in Ecclesia an causet pollutionem?*
54 *Sanguis è naso percusso an polluat Ecclesiam?*
55 *Semen humanum effusum in Ecclesia quando eam polluat?*
56 *Copula carnalis prohibita in Templis etiam ab infidelibus.*
57 *Coitum exercentium in Ecclesia punitorum à Deo exempla.*
58 *Sepultura infidelis, aut excommunicati in Ecclesia eam polluit.*
59 *Puer non baptizatus è parentibus Christianis sepultus in Ecclesia an illam polluat?*
60 *Excommunicatorum cadavera divinitus ejecta è sepulturis.*
61 *Ecclesia consecrata ab Episcopo hæretico an sit polluta?*
62 *Missa non potest celebrari in Ecclesia polluta.*
63 *Horæ Canonicæ non recitantur in Ecclesia violata; neque Sacramenta administrantur, excepto Baptismo, Pœnitentia, & Viatico.*
64 *Processiones, benedictiones, aliævè publicæ functiones an in Ecclesia polluta sint faciendæ?*
65 *Sepeliendi non sunt fideles in Ecclesia, pollutione ejus durante. Et num. Clerici, & Religiosi?*
66 *Pollutionem Ecclesiæ non servantes, quas pœnas incurrant?*
67 *Reconciliatio Ecclesiæ tollit pollutionem ejus. Et à quo faciendæ?*
68 *Regulares an reconciliare possint suas Ecclesias pollutas?*
69 *Reconciliatio Ecclesiæ pollutæ an omitti possit jussu Episcopi?*
70 *Reconciliata an sit Ecclesia polluta, si in ea quis celebraverit Missam?*
71 *Cæmeterii reconciliatio semper committi potest simplici Sacerdoti.*
72 *Procuratio an debeatur Episcopo reconcilianti Ecclesiam pollutam?*

QUoniam prohibitum est à Sacris Canonibus, ne violetur Ecclesia, in ea Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, *cap. Ecclesiam. 1. & 2. de Consecrat. dist. 1. cap. Is, qui de sentent. excommun. in 6.* Violatione enim sequuta, organa divinæ laudis suspenduntur, ut dicitur *in cap. fin. De Consecrat. Eccles. vel Alt.* Et officia Divina ante reconciliationem non sunt in ipsa persolvenda, *cap. Duarum. De Privilegiis.* Neque corpora fidelium ibidem sepelienda. *Cap. Unic. De Consecrat. Eccles. vel Altar.* Idcircò antequam ad ulteriora procedamus, agendum est de Ecclesiæ violatione; & sex circa illam sunt examinanda. 1

1. Quibus modis violetur Ecclesia?
2. Quid sit pollutio Ecclesiæ?
3. Quæ loca sacra sint capacia pollutionis?
4. Quibus actionibus polluatur Ecclesia?
5. Qui sint effectus hujus pollutionis?
6. Quibus remediis pollutio Ecclesiæ tollatur?

Quò ad Primum. Pluribus modis Ecclesia potest violari, sed potissimùm tribus, Profanatione, Execratione, & Pollutione. Profanatio est duplex, una à jure prohibita; altera permissa. Prohibita Ecclesiæ profanatio est, quæ fit per quamcunque actionem loco Sacro injuriosam, & ipsius Dei, qui in eo loco, tanquam in propria domo, dicitur habitare, offensivam. Hujusmodi sunt furta cum fractura murorum, vel januæ, & incendia, contra quorum auctores lata est excommunicatio Summo Pontifici reservata *cap. Tuanos*, ubi Glossa *Verb. Publicati. De Sentent. excommunic.* nec non actus irreverentiales, quales sunt indecentes, vel mondanæ confabulationes, negotiationes, actus forenses, & consimiles; qui omnes prohibiti sunt fieri in Ecclesia. *cap. 1. & cap. Cum Ecclesia. De Immunitate Eccl.* Sperellus *Decis. LI. per totam.* Adeò ut sententia Judicis laici prolata in Ecclesia sit ipso Jure nulla. *cap. Decret. §. fin. de Immunit. Eccles.* Quòd si esset criminalis, & in causa sanguinis, Judex incurreret in excommunicationem. *d. cap. Ecclesia, eod. tit.* Barbosa *de Jure Eccles. Univers. libr. 2. cap. 3. num. 10.* ubi advertit, quòd è contra actus voluntariæ jurisdictionis, & alii, qui sunt de re spiri- 2 3 4 5

6 tuali, vel Ecclesiastica, possunt haberi in Ecclesia, ut disputationes Theologicæ, & Litterariæ, Doctoratus, & similes. Sylvest. *Verb. Immunitas.* 1. *num.* 3. At qui concernunt res profanas, vel laicales, non sunt liciti, quales sunt consilia, seu capitula confratrum, vel artificum laicorum, qui in Ecclesiis se congregant,
7 pro electione officialium, aut computis faciendis. Abb. *in dict. cap. Cum Ecclesia num.* 10. Sperell. *d. Decis. Lt. num.* 20. & 21. Quod malè servatur hìc Patavii, præcipuè in Ecclesia S. Rochi, ad quam tanquàm vicinam plateis solent se reducere confratriæ artificum pro terminatione suorum negotiorum, non sine gravi irreverentia loci sacri, ob strepitus, & contentiones, quas inter se habent contra textum *in cap. Decet. De Immunit. Eccl, in* 6. ubi Glossa notat, actus prædictos in Ecclesia habentes mortaliter peccare; quod eò magis procedit, attenta Bulla S. Pii Quinti incipien. *Cum primùm, &c. Calendis Aprilis* 1566. circa reverentiam Ecclesiis præstandam, cujus tenorem exscribit Barbosa *d. lib. 2. cap. 3. num.* 36. Idcircò etiam ludi theatrales, monstra larvarum, ludicræ festivitates, chori sæcularium, musicæ cantiones profanæ, & saltationes omninò vetitæ censentur in
8 locis sacris, *cap Cantantes*, 92. *dist. cap. Cum decorum. De Vit. & honest. Cleric.* S. Thomas 2. 2 *qu.* 91. *art.* 2. Barbosa *d. cap.* 3. *num.* 16. referens ex approbatis auctoribus, quòd olim accidit in Saxonia nonnullis saltatoribus in Ecclesia S. Magni; qui in pœnam suæ irreverentiæ non potuerunt abstinere in saltatione per integrum annum, & coacti fuerunt absque cibo, & somno jugiter per annum saltare. His igitur actibus in Ecclesia commissis, ipsa dicitur profanari, & violari; non ita tamen, ut iis remotis & ablegatis, non liceat, celebrare Missam, vel officia Divina; ut bene notat Passerinus *de Pollutione Ecclesiæ disp.* 1. *cap.* 3.

Profanatio Ecclesiarum permissa est, quando dirutæ sunt; & ob nimiam egestatem nullus est, qui
9 velit, aut possit, illas restaurare; in hoc enim casu concessum est Episcopis à Concilio Tridentino *sess.* 21. *de ref. cap.* 7. eas destruere, locum sacrum profanare, & ad usus profanos, non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertere. Et quod statutum est ob egestatem, locum habet ob aliam publicam causam; qualis fuit anno 1509. in quo obsidente Maximiliano Primo Imperatore hanc Patavinam urbem octoginta millibus militum, Venetus Senatus pro tantæ Urbis defensione jussit omnia ædificia extra mœnia demoliri ad unius milliarii latitudinem, cumque extra portam Caudæ longæ esset Ecclesia Parochialis meæ
10 Præposituræ, tituli Sanctissimæ Trinitatis, diruta remansit, & fundus ejus nunc aratorius est penes columnam cum Cruce ibi erectam; tituluſque, & jura ejusdem Præposituræ translatus fuit in Ecclesiam S. Jacobi; assignata per Summum Pontificem perpe-
11 tua annua Pensione Ducatorum Venetorum viginti quatuor ex redditibus Præposituræ tum Archipresbytero Villæ Turris, tum Parocho Alticherii, pro regimine animarum degentium extra guastum Civitatis, & eorum Ecclesiis Parochialibus respectivè suppositarum, & annexarum; ut constat ex historia Portenarii *de felicitate Paduæ lib.* 3. *cap.* 4. & *lib.* 9. *cap.* 22. *pag.* 438. & aliis publicis scripturis, Porrò etiam publica causa cessante; & extra casum vetustatis permissum est Episcopis ob aliquod justum motivum locum Sacrum profanare, & Ecclesiam demoliri, ut disserit Eminent. Card. de Luca *in Annotat. ad Conc. Trid. discurs.* 17. *num.* 3. quod practicatum fuit
12 hìc Patavii paucis ab hinc annis in translatione Monialium Eremitarum ad novum Monasterium in Vantio de angusta, & infelici domo, quam habitabant in contracta Pontis Curvi; ubi Ecclesia, quam officiabant, diruta & destructa fuit, ipsaque domus cum loco, ubi erat Ecclesia, sæcularibus personis vendita. Sed utrum in casu demolitionis Ecclesiæ, cæmenta, & lapides ejus adhiberi possint pro profanis ædificiis? De Jure est negativè respondendum per 13
text. in cap. Ligna. De Consecr. dist. 1. *& cap. Ad hæc. De Religios. domib.* Navarrus. *De Spoliis Cleric.* §. 18. *in fin.* quamvis & hoc malè in praxi servari affirmet. Facta autem hac profanatione Ecclesiæ per ejus destructionem, extra dubium remanet, quòd in eodem loco Missæ Sacrificium celebrari non possit; neque locus ille gaudeat immunitate. Barbosa *d. libr.* 2. *cap.* 3. *n.* 62. Diana Coordinatus *tom.* 9. *tract.* 1. *resol.* 6. *num.* 8. quæ in veteri est *part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 1.

Execratione profanatur Ecclesia, quando ipsa priùs fuerat consecrata, deindè ejus muri vel casu, vel violentia hominum destruuntur; aut vetustate 14
decrustantur; cùm enim consecratio Ecclesiæ inhæreat parietum crustæ interiori, in qua fiunt unctiones, & Cruces, ut docuimus supra *Decis. XLI. num.* 26. si hæc crusta parietalis pereat, etiam consecratio tollitur, & Ecclesia ipsa execrata dicitur, & profanata. Azor. *tom.* 2. *libr.* 9. *cap.* 7, *quæst.* 3. Passerin. *de Pollut. Eccl. d. disp.* 1. *cap.* 4. ubi *num.* 4. bene advertit, quòd licèt execratio hujusmodi auferat consecrationem Ecclesiæ; ita ut opus sit, iterum illam consecrare, nihilominus non est prohibitum in execrata Ecclesia celebrare, si Altaria intacta, & firma consistant; siquidem Ecclesiæ execratio non profanat Altaria, ut etiam docuit Abbas *in cap. Proposuisti num. ult. De Consecrat. Eccl. vel Altaris.* Layman. *libr.* 5. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 17. & Jordanus *tom.* 1. *libr.* 5. *tit.* 12. *num.* 1. & 2. Quòd si Ecclesia à principio consecrata non fuerit, sed solummodò benedicta, per dejectionem parietum, aut eorum decrustationem, non tollitur benedictio, & ratio est, quia benedictio inhæret solo. Suarez *in* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 81. *sect.* 4. 15
casu 6. Passerinus alios allegans *d. disp.* 1. *cap* 4. *num.* 2. & ideò benedictio semper durat; & quamvis Ecclesia per violentiam, aut injuriam hominum circa parietes, solumvè profanetur, aut deturpetur; (ut factum fuit à Maxentio Imperatore, qui in Ecclesiam, quam S. Marcellus in beatæ Lucinæ ædibus dedicaverat, catabuli bestias transferri jussit, & ibi ab eodem S. Marcello custodiri, ut in *Brev. Rom. die* 16. *Januarii*, litare tamen, & Divina persolvere non est prohibitum;

Pollutione autem profanatur Ecclesia, quando in 1
ea injuriosè effunditur aut sanguis, aut semen humanum; vel inferuntur cadavera infidelium, ut infra explicabimus; quia cùm hæ actiones materialiter sumptæ deturpent, & maculent locum, super quo cadunt; ita moraliter consideratæ dicuntur habere vim polluendi, maculandi, & deturpandi sanctitatem loci sacri; quamvis enim Ecclesia, quæ benedicta, & sanctificata est, coinquinari vere, & propriè non possit. *cap. fin.* 15. *qu. ult. cap. Quod quidam* 1. *qu.* 1. *& cap. Vestra. De Cohabit. Cleric. & mul.* nihilominùs per quamdam metaphoram dicitur pollui, coinquinari, & deturpari; propter abominationem, ac horrorem resultantem ex illa turpi, & injuriosa actione, commissa in loco Sacro, quæ causat terrorem in humanis mentibus, ut disserit Glossa *in c. Unico verb. Pollui. Et Consecr. Eccl. vel Altar. in* 6. Barbosa *de Episc. allegat.* 28. *num.* 20. & Passerinus *d. disp.* 1. *c.* 7. *per totum.*

Quò

Quò ad Secundum. Pollutio Ecclesiæ est *Macula moralis, qua locus Sacer ex publicis actionibus ibi Ecclesiastico jure peculiariter vetitis, ita quodammodo afficitur, ut ibidem jure ipso Divinorum celebratio, & fidelium sepultura, ante reconciliationem, interdicantur; nulla tamen eodem jure lata pœna in transgressores.* Petr. Franc. Passerinus *de Pollut. Eccl. disp.* 1. *c.* 2. *num.* 4 Singula definitionis verba sunt breviter explicanda. Dicitur *Macula* tanquam genus; nam maculæ appellatione comprehenditur omnis deturpatio, & coinquinatio, potissimùm quæ fit in anima per peccatum, quod ab effectu *Macula* à Theologis nuncupatur. Beccanus *de Peccatis qu.* 1 *cap.* 7. *num.* 1. nam peccatum maculam facit in anima, deturpando ejus pulchritudinem, quæ consistit in justitia, & sanctitate. Verùm quia Ecclesiæ sanctitas, & pulchritudo intrinseca, & essentialis non est capax maculæ, à qua inquinetur physicè, & realiter; ideò additur in definitione ly *Moralis*, ad denotandum, quòd per pollutionem maculatur, & coinquinatur Ecclesia, & locus Sacer moraliter tantùm, vel per relationem ad maculam, & coinquinationem, quam contrahit ille, qui actionibus peccaminosis, & turpibus polluit Ecclesiam, vel per opinionem hominum, quibus videtur, maculam ejusdem peccatoris infixam remanere in loco Sacro; vel melius, quia deturpatur pulchritudo loci Sacri posita in summo respectu, & reverentia ob exercitium Sacramentorum, Sacrificii, & divinarum laudum, quod habetur in ipso; undè factum est, quòd sicut macula peccati dicitur tolli ab anima per aquam vel baptismi, vel lachrymarum in pœnitentia, juxta illud: *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor. Psalm.* 50. 9. ita macula pollutionis Ecclesiæ auferatur per ablutionem cum aqua benedicta, ut infra demonstrabimus. Dicitur in definitione *Qua locus Sacer*, ut sciamus; Oratoria privata, existentia in domibus laicorum, vel ædificata in viis publicis non esse pollutionis capacia, quia loca sacra non sunt. Gavantus *in Manual. Verb. Ecclesia reconciliatio, num.* 16. Passerin. *disp.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. 4. *ac* 5. qui loquitur etiam de Oratoriis privatis, in quibus ex Indulto Apostolico Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebratur; ait, enim, quia ipsa Oratoria ab Episcopo visitantur, sed non benedicuntur, ideò cessante benedictione non censentur loca Sacra; & non sunt capacia pollutionis. Porrò huic doctrinæ ego non acquiesco; licèt enim ab Episcopis talia Oratoria non benedicantur; sunt tamen benedicenda, ut notavimus supra *Decis. XLII. num.* 83. ex Castaldo *libr.* 2. *sect.* 11. *cap.* 6. *num.* 4. & esto quòd dicta benedictio deficiat, sufficit, immò prævalet, Divini oblatio Sacrificii, quæ sanctificat locum ipsum; saltem donec, & usquequò ibi servetur Altare, & duret Privilegium Pontificium in eo celebrandi Missam; quare mihi videtur magnum esse absurdum asserere, quòd si quis paulò post auditam Missam in eodem loco se carnaliter polluat; vel alium injuriosè percutiat, & humanum Sanguinem effundat, non committat Sacrilegium; & licitum sit statim ibidem Hostiam litare, & Sacrificium offerre absque loci reconciliatione; nulla enim differentia est quò ad horrorem in mentibus hominum, & quò ad irreverentiam loci ad Divina peragenda destinati, inter hunc locum, quem Oratorium privatum appellamus, & Ecclesiam publicam; & ideo quotiescunque publicaretur actio immunda, vel violentia commissa in Oratorio privato, in quo ex Apostolico Privilegio celebratur Missa, censeo, opus esse reconciliatione ob rationis paritatem; ubi enim est eadem ratio, ibi debet esse eadem Juris dispositio *l. Illud ff. Ad leg. Aquil. cap.* 1. ubi Glossa *in Verb. Italia de Temporib. Ordin. in* 6. Sicut enim genus continet omnem speciem, ita generalis ratio continet omnem casum. Cravet. *cons.* 183. *num.* 3. Et ubicumque ratio habet locum, debet habere locum Lex. Thomasetus *regul.* 299. Siquidem lex non extensivè, sed comprehensivè existit, ubi est eadem ratio. *l. Illud. C. de Sacrosanct. Eccl.* Gratian. *discept: for. cap.* 818. *num.* 66.

Sequitur in definitione *ex publicis actionibus, &c.* quia ut locus Sacer pollutus dicatur, oportet publicam esse injuriam ei factam per effusionem sanguinis, vel seminis humani; aut illationem cadaveris infidelium; si enim sit occulta, non censetur pollutus. DD. quos cumulat, & sequitur Passerinus *de Pollut. Eccles. disput.* 4. *cap.* 1. ubi notat, sex potissimùm modis aliquid publicum dici, ac denominari. Primò à causa efficiente, eò quòd aliquid à persona publica factum sit; & hoc modo Instrumentum dicitur publicum, quando factum est à Notario, qui est persona publica. *l. Comparationes, & ibi Gloss* 3. *C. de Fide Instrum. cap. Scripta. eod tit.* Secundò à causa finali, & tales sunt leges, quæ publicæ appellantur, tanquam ad bonum publicum directæ. *l.* 1. *ff. de Judic. public. l.* 2. *ff. Ne quid in loco publ.* Tertiò ab administratione rerum spectantium ad Principem; unde earum ministri dicuntur agere publica ratiocinia. *l. Officiales. C. de Episc. & Cleric.* Quartò à locis publicis, qualia sunt viæ, plateæ, & forum. *l.* 1. *ff. de Loc. & itiner. publ.* Quintò ab usu omnibus communi, ut in pascuis, ripis fluminum, piscationibus. *l. Inter publica ff. de verb. signific.* Et Sextò à notitia alicujus rei, diffusa ad multitudinem hominum; quæ propterea publica appellatur; & fit tripliciter, vel per Notorietatem Juris, aut facti; vel per manifestationem transeuntem de una persona in aliam; vel per delationem famæ, seu à fama; adeò ut illud dicatur esse publicum, quod vel est Notorium, vel Manifestum, vel Famosum. Glossa *in capit. Manifesta* 2. *cap.* 1. Abbas *in cap. Vestra num.* 11. *& cap. Tua num.* 2. *De Cohabit. Cleric. & Mulier.* & Passerin. *d. disp.* 4. *cap.* 1. *num.* 3. Materia Notorii est satis difficilis, & involuta, quia ut ait Glossa *in capit. Manifesta* 2. *quæst.* 1. quotidiè de Notorio loquimur, & quid sit notorium ignoramus. Et in rei veritate legantur Fagnanus *ubi infra*; nec non Pignatellus *tom.* 10. *consult.* 115. conantes explicare materiam Notorii, qui post impletas multas paginas, confundunt, & non instruunt Lectorem. Notorium *est jus vel factum transiens in notitiam omnium, vel majoris partis eorum.* Ita Fagnanus *in c. Vestra n.* 68. *de Cohab. Cleric. & Mul.* qui *num.* 69. subdit triplex esse Notorium, nempè Juris, Facti, & Præsumptionis. Notorium Juris *est evidentia proveniens vel ex judiciali confessione, vel legali probatione, aut ex legitima sententia.* Notorium facti *est publica vox proveniens ex evidentia rei, quæ nulla tergiversatione potest celari.* Triplex est autem factum, nempè permanens, deficiens, & rediens. Notorium ex facto permanente, ut in concubina cum filiis publicè domi retenta. Ex facto deficiente, ut in homicidio, blasphemia, furto. Ex facto redeunte, ut in Usurario, qui hodie, deindè cras, & successivè mutat pecuniam. Ita Fagnanus citatis DD. antiquis *à num.* 79. *usque ad num.* 83. Notorium Præsumptionis *est veritate acceptum.* Ut quod filius natus, & educatus in domo alicujus sit verus filius ejus. Vel tenentem mensam apertam cum pecunia ad mutuandum esse usurarium. Fagnanus *ibid.*

num. 84. *& seqq.* subdens post *num.* 78. discordes esse Doctores circa numerum personarum, quæ notitiam
24 rei habeant, ut sit notorium; alii enim requirunt majorem partem vicinæ, alii quòd saltem sint decem personæ, quæ factum viderint; alii etiam tres, vel quatuor tantùm; sed verior opinio est, remitti ad arbitrium Judicis ipsum numerum personarum, majorem, vel minorem juxta circumstantias facti, loci, aut temporis. Manifestum dicitur, quod notum est
25 minori parti vicinæ, dummodo hæc minor pars constet saltem ex decem personis. Butrius *in d. cap. Vestra num.* 33. & Fagnanus *num.* 62. ubi quòd talis numerus relinquitur arbitrio Judicis. Famosum est, quod
26 proclamatur à multitudine populi, & habetur pro veritate ob solam suspicionem. *cap. Sicut nonnulli.* 46. *dist. cap. Sanctum in fine. de Consecr. dist.* 4. *cap. Cum insinuante. De Purgat. Canon.* DD. quos cumulat Fagnanus *in d. cap. Vestra à num.* 38. *De Cohabit. Cleric. & Mulier.* Ex quibus omnibus colligere licet, pollutam censeri Ecclesiam, quando effusio sanguinis, vel seminis humani in ea vel est notoria, vel manifesta, vel famosa, cum supranotatis circumstantiis; secus si sit occulta; tunc autem occulta reputanda
27 est, quando probari non possit; ut (dimissis tot, & tantis subdivisionibus) concludit Fagnanus *in cap. Dilectum n.* 38. *de Temporib. Ordinat.* & Rota coram Ludovisio *decis.* 395. *num.* 15.

Alia definitionis verba sequentia hæc sunt; *Ecclesiastico jure peculiariter vetitis:* ex quibus deprehendi-
28 mus, pollutionem loci Sacri, & ejus reconciliationem indictam esse à jure Canonico; licèt enim velit Passerinus eam incœpisse in lege naturæ à Caino, qui polluit terram, & forsan Altare, per effusionem Sanguinis fratris sui Abelis; & in Lege Mosayca; quando in *Levitic. cap.* 15. moniti sunt Hebræi, ut caverent ab immunditiis Legalibus, ne cum ipsis intrantes Tabernaculum illud polluerent, nihilominùs gratis id asserit; nam Sacri Canones decreverunt, servandam esse pollutionem, & tollendam reconciliationem, ut habetur *in cap. Si motum, & in cap. Ecclesiis De Consecr. dist.* 1. *in cap. Proposuisti, cap. Consuluisti. cap. Aqua. cap. Si Ecclesia. De Consecrat. Eccl. vel Alt. & in cap, Unico eod.*
29 *tit. in* 6. Undè fit, quòd licèt Joab occisus fuerit apud Altare Tabernaculi, ad quod recurrat. 3. *Reg.* 2. 29. nulla mentio fit in Sacro textu de Tabernaculi reconciliatione; & eò minùs quando in Templo Salomonis occisus fuit Zacharias Summus Sacerdos, de quo 2. *Paralipom.* 24. 22. neque post commissum fratricidium à Joanne, affectante Pontificiam dignitatem, effundendo Sanguinem fratris sui in eodem Templo, ut scribit Joseph *Judaicar. Antiq. libr.* 11. *cap.* 7. & Torniellus *ad Annum Mundi* 3690. *num.* 3. quamvis Machabæi ob nimiam profanationem Templi per indignas actiones in eo commissas à ministris Regis Antiochi, (de quibus *in libr.* 2. *Machab. cap.* 6. *num.* 4. & apud eundem Torniellum *Anno* 3887. *num.* 5. *& Anno* 1890. *num.* 2.) voluerint priùs illud purificare, & reconciliare; & de hujusmodi purificatione futuris temporibus memoriam annuam recolere, ut scripsimus supra *Decis. XXVII. num.* 46. *& num.* 63.

Additum est in definitione: *ut ibidem jure ipso Di-*
30 *vinorum celebratio, & fidelium sepultura ante reconciliationem interdicantur.* Hi enim sunt effectus pollutionis loci Sacri, de quibus infra *in cap.* 5. quòd scilicet statim ejus pollutione sequuta per unam ex actionibus injuriosis pariter *cap.* 4. infra explicandis, statim vetitum sit Sacerdotibus Divina officia celebrare, Sacrosanctum Missæ Sacrificium offerre; & alia Sacramenta distribuere, ut infra latiùs demonstrabitur.

Tandem dicitur: *Nulla tamen eodem jure lata pœna in transgressores*; ad differentiam Ecclesiasticæ censu- 31
ræ per quam Ecclesia, aut locus Sacer Interdicto supponitur: tunc enim qui transgreditur Interdictum, ultra peccatum incurrit Irregularitatem. *cap. Is, qui de Sent. Excom. in* 6. at qui non observat pollutionem; & in Ecclesia polluta celebrat ante reconciliationem; peccat quidem mortaliter, (nisi legitima excusatio eum tueatur, ut mox dicam) sed nullam incurrit censuram, aut irregularitatem. Passerinus *d. tract. disp.* 9. *c.* 3. *n.* 3. *&* 4.

Quò ad Tertium; in quo quæritur *Quæ loca Sacra sint capacia pollutionis?* Respondetur, loca Sacra, quæ sunt capacia pollutione, sique polluuntur, egent 32
reconciliatione, duo esse, Ecclesiam consecratam, saltemvè benedictam de mandato Episcopi; & Cœmeteria, pariter benedicta, & ad corpora fidelium sepelienda destinata. *cap. Unic. de Consecrat. Eccles. in* 6. Pax Jordanus *tom.* 1. *libr.* 5. *tit.* 11. & Passerinus *de Pollut. Eccles. disp.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. nec non *cap.* 46. *num.* 5. ubi bene advertit, quòd si Cœmeterium sit immediatè contiguum Ecclesiæ, si Ecclesia polluatur, remanet pollutum etiam Cœmeterium, secus è contra; quia si pollutio accidat in Cœmeterio 33
unito Ecclesiæ, nequaquam Ecclesia censetur polluta; & multò minùs si cœmeterium sit ab ipsa Ecclesia disjunctum, & separatum. Nicolius *Lucubration. Canonicar. libr.* 5. *tit.* 39. *num.* 255. ea ratione, quia magis dignum trahit ad se minus dignum, sed non vice versa majus dignum trahi potest à minus digniore. *cap. Quod in dubiis. De consecrat. Eccles. cap.* 1. *eodem titul. in* 6. Quòd si duo cœmeteria essent ad invicem conjuncta; sed realiter muro, aut sepe separata, polluto uno, non polluitur aliud, licèt per unum ingressus pateat in alterum; quia unum ab altero non trahitur, neque dependet. Nicolius *dict. num.* 255. *Vers. Item si sunt duo.*

Ecclesiæ autem appellatione venit etiam Oratorium publicum, de licentia Ordinarii benedictum, 34
& approbatum pro Missæ celebratione. Oratoria verò privata non comprehenduntur sub nomine Ecclesiæ, illa scilicet privata, quæ deputata sunt tantummodò ad orationes privatorum; secus autem de illis Oratoriis privatis, in quibus ex Apostolico Indulto Sacrosanctum Missæ Sacrificium peragitur; hæc enim capacia sunt pollutionis; ut dictum est supra *num.* 19. & multò magis Oratoria illa, in quibus ex consuetudine immemorabili litatur, posita in Palatiis Principum, & Proconsulum, seu Rectorum Civitatum, & Arcium; prout in hoc Dominio Veneto Sereniſſimo; nec non in aliis Oratoriis concessis, ut carcerati, & præsentati in fortiis justitiæ Missam audiant, prout hìc Patavii in utroque Foro, Prætorio, & Præfectitio; in iis enim omnibus censeo, si pollutio contingat per injuriosam humani sanguinis, vel seminis effusionem, opus esse reconciliatione, tanquam statuta, & à Sacris Canonibus requisita ob reverentiam Sacrificii, & ad favorem loci Sacri, tanquam in satisfactionem injuriæ ipsi illatæ; unde discedendum esse omninò dico doctrina Passerini, asserentis in prædictis omnibus Oratoriis non dari pollutionem, nec requiri reconciliationem, ut ipse scribit *d. tract. de Pollut. Eccles. disp.* 2. *à cap.* 5. *usque ad cap.* 12. non obstante Doctorum multitudine per eum allegatorum, qui videntur loquuti de Oratoriis privatis, in quibus Missa non celebratur.

Porrò

Porrò nomine Ecclesiæ, ubi agitur de pollutione, veniunt etiam capellæ, quæ sunt Ecclesiæ unitæ, in
35 quas per Ecclesiam ingreditur, Baptisterium, Solarium superius ejusdem Ecclesiæ, in quo sunt Altaria, & ubi solitum est, Missam celebrari, ut in Ecclesia S. Joseph, S. Rochi, & aliarum hìc Patavii; Confessiones, seu Sacella subtus Chorum; ut in hac Ecclesia Cathedrali Patavina, Campanilia habentia situm intra Ecclesiam; fenestræ Ecclesiæ, & scalæ interiores; Mesaula, Androneve, scilicet remotæ viæ, per quas de Sacristia sit transitus ad Capellas, & Altaria, ut in pluribus Regularium Ecclesiis conspicimus; Confessionaria existentia in Ecclesiis, etsi muro insita; Podiola ad ornamentum Ecclesiæ à parte interiori posita, ut in Ecclesia S. Thomæ Martyris hujus Civitatis; Cellulæ ad audiendam Missam, si intra muros principales Ecclesiæ existant; Chorus, Organorum locus, Pulpita, seu Sugesta stabilia ad prædicandum in Ecclesiis posita, Rotæ in Ecclesiis Monialium; per quas dant, & recipiunt calices, & paramenta; Armaria ad hæc condenda, sive mobilia, sive in parietis concavitate constructa, aperibilia in interioris Ecclesiæ ambitum; ac tandem foveæ sepulchrales in ipsa Ecclesia; siquidem si contingat effusio injuriosa humani seminis, vel sanguis in aliquo ex prædictis locis, semper intelligitur Ecclesia polluta, & opus est reconciliatione; ut docent Jordanus *d. tom. 1. libr. 5. tit. 11.* Nicolius *d. tom. 2. libr. 5. tit 39. à num. 249. & seqq.* & Passerinus *d. disp. 2. à cap. 24. usque ad cap. 45.* à quo excipitur Sacristia, si in ea non sint sepulturæ; assé-
36 rendo, quòd si in ipsa committatur delictum pollutivum; Ecclesia non dicatur polluta ex auctoritate Doctorum, quos allegat *d. disp. 2. à capit. 28. num. 4.* quamvis asserat *num. 3.* antecedenti, non deesse Doctores docentes, delicto in Sacristia commisso, pollui totam Ecclesiam.

Et equidem his in sensu veritatis cogor adhærere, atque ejusdem Passerini, & aliorum contrariam opinionem impugnare; cùm ipsi innitantur falso fundamento, nempè legem pollutionis & reconciliationis Ecclesiæ pollutæ esse legem pœnalem, odiosam, & onerosam; utpotè prohibitivam Divino-
37 rum Officiorum; derogativam libertatis Sacerdotum in ea celebrandi Missam, & quæ privat Christi fideles multis Spiritualibus commodis, ac etiam usu Ecclesiasticæ sepulturæ; ut disserit idem Passerinus *disp. 1. cap. 19.* deducens ex hoc principio, supradictam legem non esse extendendam, sed strictè interpretandam juxta regulam juris *in cap. Odia. De Regul. Jur. in 6.* dicentem, *Odia esse restringenda, favores ampliandos*, quod prosequitur Suarez *de Legibus libr. 5. cap. secundo.*

Cæterùm à veritate multum aberrant, qui sic ratiocinantur, falsum est enim, quòd sit lex odiosa illa, quæ promulgata est in obsequium, & reverentiam Divinorum Mysteriorum, qualis est ista circa pollutionem, & reconciliationem Ecclesiæ. Hæc si odiosa dicenda esset, tanquàm restrictiva libertatis Mystarum, vel spiritualium consolationum Christianorum; eò magis odiosæ appellandæ forent leges de jejunio naturali servando à celebraturis, & communicaturis, de vestibus Sacris induendis, de lumine adhibendo, de non celebrando, seu communicando feria sexta in Parasceve, & his similes; quas tamen nullus fidelium nuncupabit odiosas, sed favorabiles; tanquam directas ad reverentiam, pietatem, religionem, & Divinum cultum in rebus Sacris. Eritne odiosum, onerosum, & pœnale præceptum Maternum, quod jubeat filio abstinere per aliquot dies ab usu pallii, seu vestimenti oleo, luto, aliave spurcitia ab insipiente, vel temerario servo maculati, ut interim layari, expurgari, & à sorde mundari possit? Nonnè Mater ita præcipiens filio, facit ei præceptum favorabile, tendens in ejus decus, & honorem; si enim sordidam vestem indueret, irrideretur ab amicis? Ita quidem: & idem affirmandum est de præcepto Ecclesiastico non celebrandi in loco Sacro polluto, & non sepeliendi fideles in eo; donec à sorde sanguinis, vel seminis humani, indecenter in eo effusi, lavetur, & per reconciliationem mundetur; tanquam emanato ad ejus cultum, & reverentiam custodiendam, & ignominiosam injuriam reparandam, ne verificetur de ipsa Ecclesia Catholica *viderunt eam hostes* (infideles scilicet, & hæretici) *& derisérunt Sabbatha ejus. Thren. 1. 7.* Est igitur lex hæc favorabilis, & non odiosa; utilis, necessaria, & expediens pro Divinorum Mysteriorum cultu tecto, sartoque servando; & per consequens amplianda, & extendenda etiam ad Sacristiam: prout illam jus ipsum ampliavit, & extendit ad cœmeterium contiguum Ecclesiæ, ut legitur in *d. cap. Unic. De Consec. Eccl. vel Altaris in 6.*

Sed esto, quòd sit lex pœnalis tanquam restrictiva 38
libertatis Sacerdotum circa celebrationem, & Laicorum circa participationem rerum spiritualium; nonnè est regula certa, & principium Legale apud Canonistas, & Juristas; quòd lex pœnalis est extendenda, & largo modo interpretanda, quando emanavit in honorem Dei; ad impedienda peccata, & animarum pericula avertenda? Ita in puncto docent Joannes Andreas *in cap. Extenore, num. 6. Qui filii sint legitimi*: Abbas Panormitanus *ibid. num. 5.* dicens, hanc Jo. Andreæ doctrinam esse singularem, & nunquam tradendam oblivioni. Comitolus, utrosque commendans, *in Respons. Moralib. libr. 6. q. 11. num. 7.* ubi alios concordantes adducit; quibus ego addo Fagnanum *in cap. Ne innitaris. num. 223. De Constit.* ubi tenet, quòd lex quamvis pœnalis dicitur favorabilis, & extendenda, ubi agitur de securitate animæ. *Et in cap. Statutum. num. 51. de Regularib.* scribentem; quòd lex etiam exorbitans, & pœnalis extenditur ad casum similem, ad quem si non extenderetur, esset frustratoria. *Et in cap. Quanto, num. 24. de Privilegiis* demonstrantem, quòd lex pœnalis est latè interpretanda, quatenus patitur verborum proprietas.

Modò Antiqui Canones per verbum Ecclesiæ intelligunt locum Sacrum, & dicatum Deo, ubi loquuntur de reconciliatione faciendâ ex causa pollutionis, 39
cap. Ecclesiis. 20. de Consecrat. dist. 1. ibi *ita nec locus Deo dicatus.* Hinc Sacristiam esse locum Sacrum asseverat Decianus *tom. 2. tract. criminal libr. 6. cap. 24 num. 33.* nec absque fundamentali ratione, nam antiquitùs in Sacristia conservabantur Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, ut legitur in Apostolicis Constitutionibus S. Clementis, in quibus *lib. 8. cap. 21.* hæc sunt verba: *Postquam omnes sumpserunt, accipiant Diaconi reliquias, & portent in Pastophoria.* Erant autem *Pastophoria* Sacristiæ; quia *Pastophorium* est ver- 40
bum græcum παστοφοριον, quod interpretatur à S. Hieronymo *in Ezechiel. cap. 42. thalamus, & interius cubiculum*, ut advertit Sarnellius *in Basilicograph. cap. 41. num. 2. & 3.* subdens, vocari etiam *Secretarium, Cimelia, Vestiarium, Penus venerada, Scevophylacium*; & de eodem verbo *Pastophorio* ita legimus in iisdem Constitutionibus Apostolicis *cap. 57. libr. 2. Sit ædes oblonga* (id est Ecclesia) *ad Orientem versa, navi similis. Utrinque Pastophoria in Orientem;*

tem; quorum unum continebat Sacros libros, aliud supellectilia Sacra; ideóque dictum Secretarium *cap. Non liceat, il.* 2. ubi Glossa *in Verb. Secretario dist.* 24. & hoc erat Sacristia, quæ semper tanquàm pars
41 necessaria, & integralis Ecclesiæ reputata fuit locus Sacer, & comprehensa sub nomine Ecclesiæ ad instar capellarum, & aliorum locorum, unum corpus constituentium cum ipsa Ecclesia, tum materialiter ob intimam adhæsionem, & ingressum per Ecclesiam; tum ministerialiter, ob conservationem Sacrarum Supellectilium, & Vasorum; sine quibus sacrificare non licet; undè S. Paulinus in ostio Sacristiæ hæc carmina apposuit.

Hic locus est veneranda Penus, qua conditur, & qua
Promitur Alma Sa ri Pompa Ministerii.

Igitur cùm sit manifestum, Sacristiam esse locum sacrum, à Deo dicatum; ipsamque, cùm sit contigua Ecclesiæ, facere partem integralem ejus, sicut brachium cum corpore humano, & proram, seu puppem cum Navi, concludendum venit, esse capacem pollutionis Ecclesiasticæ; ita ut si in ea fiat injuriosa, & publica effusio sanguinis, vel seminis humani, de qua infra, totam Ecclesiam censeri pollutam, & opus esse reconciliatione; prout tenent, & docent Zerola *in Praxi Pœnitent. cap.* 12. *q.* 27. & Selva apud Dianam, quos nominat idem Passerinus *dicta disp.* 2. *cap.* 28. *num.* 3. Et hæc pro intelligentia locorum, in quibus cadere potest pollutio.

42 Quò ad Quartum. Si quærimus, quibus actionibus polluatur Ecclesia? Respondendum est, verè, & propriè esse quatuor actiones illas, quibus polluitur Ecclesia, videlicet: I. Homicidium *cap. Proposuisti, de Consecratione Eccl. cap. Si motum, de Consecrat. dist.* 1. II. Vulnus, cum humani sanguinis effusione *d. cap. Proposuisti. cap. Si Ecclesia. de Consecrat. Eccl. cap. Ecclesiis, de Consecrat. dist.* 1. *& cap. Unico, de Consecrat. Eccles. in* 6. III. Seminis pariter humani effusio, *eod. cap. Unico, cap. Ecclesiis, de Consecrat. dist.* 1. *d.c Si Ecclesia, cap. Significasti, de Adulter. & d. cap. Si motum.* Et IV. Sepultura excommunicati, vel non baptizati. *cap. Consuluisti, de Consecrat. Eccl. & cap. Ecclesiam*, 1. *&* 2. *de Consecrat. dist.* 1. Non desunt tamen Auctores, qui prædictas quatuor actiones restringunt ad tria capita, ut facit Jordanus *tom.* 1. *libr.* 5. *tit.* 12. *num.* 4. & alii, qui illas extendunt ad majorem numerum, ut Lezana *in Summa tom.* 3. *verb. Ecclesia, num.* 12. Sed verè, & propriè sunt supradictæ quatuor, ut bene notat Passerinus *d. tract. de Pollut. Eccl. disp.* 3. *cap.* 2. *num.* 4. Verùm, quia valdè conferunt circumstantiæ supradictarum actionum ad inducendam, vel excludendam pollutionem, quæ potiora, & magis scitu necessaria sunt, breviter hìc adnotabimus, per sequentes conclusiones.

Conclusio prima. Prædictæ actiones, ut Ecclesiam
43 pollutam reddant, debent esse publicæ; si enim secretæ, & occultæ sint, non causant pollutionem, ut dictum est supra *num.* 24. *& seqq.* & diffusè tractat Passerinus *tota disp.* 4. per capita sexdecim, in quibus firmat, publicitatem prædictam sufficere ad pollutionem inducendam, sive sit famosa, sive manifesta, sive notoria de Jure, aut de facto dummodo sit cum animadvertentia populi, & cognitione earumdem actionum; numerus autem populi, & personarum pendet ab arbitrio Judicis, ut concludit idem Passerinus *d. disp.* 4. *cap.* 5. *num.* 8. & DD. ibi allegati; prosequendo plura alia quæsita circa publicitatem, ibi à curiosis Lectoribus videnda; sunt enim vel obsoleta, vel ferè inutilia; uno excepto, de quo *in d. disp.* 4. *cap.* 16. scilicet, si Superior Ecclesiasticus parvipendat pollutionem verè publicam; nihilominus Ecclesiam remanere pollutam, & opus esse reconciliatione; super cujus reconciliationis omissione nullus dispensare potest, nisi Papa.

Conclusio secunda. Homicidium pollutivum 44
Ecclesiæ debet esse proprium, & corporale, commissum in Ecclesia, quamvis non intervenerit effusio Sanguinis; ut si homo fuerit suffocatus, aut baculo, vel lapide in pectore percussus, vel simili violentia è vivis sublatus. Passerinus *disp.* 5. *cap.* 1. *& cap.* 7. *num.* 4. Quòd si mors non sequatur in Ecclesia licèt percussio facta sit in ea, non videtur polluta, deficiente effusione sanguinis, ut pluribus DD. citatis docet Passerinus *ibid. cap.* 2. *num.* 4. & Diana Coordinatus *tom.* 9. *tract.* 1. *resol.* 136. quæ in veteri est *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 26. ubi scribit, quòd cùm olim quidam ita acriter contusus fuisset in Ecclesia sacculis arenæ, ut post tres dies extra Ecclesiam mortuus sit; & alius sumpto vino in Ecclesia mixto veneno, rediens domum expiraverit, Ecclesias non fuisse pollutas ex doctrina Abb. *in d. cap. Proposuisti, num.* 14. *de Consecrat. Eccl.* Suarezii *in* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 81. *sect* 4. *cap.* 1. & aliorum, quia necesse est; inquit, ut mors sequatur in Ecclesia, etsi contrarium teneant Marchinus *de Ord. tract.* 3. *cap.* 10. *num* 7. & Layman. *libr.* 5. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 8. Jordanus *tom.* 2. *libr.* 11. *tit.* 3. *num.* 330. Antonellus *de Regimine Eccl. libr.* 1. *cap.* 16. *num.* 6. cum quatuordecim aliis quos cumulat, & sequitur ipse Passerinus *d. disp* 5. *cap.* 4. *num.* 3. *&* 4. novissimè Persicus *de officio Sacerd. libr.* 1. *cap.* 6 *dub.* 1. ubi loquitur de veneno; & Emanuel Gonzalez *in Comment. cap.* 7. *de Consecrat. Eccl.* quibus cogor adhærere ob auctoritatem Glossæ tenentis in his casibus, licèt mors sequatur extra Ecclesiam, eam remanere pollutam, ut legitur *in cap. Unico, Verb. Sanguinis, de Consecrat. Eccles. in* 6. Siquidem in conflictu Doctorum regu- 45
la est, quòd prævaleat opinio Glossæ. Calcaneus *cons.* 6. *num* 5. *&* 6. latè Fagnanus *in cap. Cum vos, in fin. De offic. Ordin. tom.* 2. & ratio est manifesta, quia percussio, & contusio homini illata in Ecclesia est cum horrore omnium, & cum maxima injuria loci Sacri.

Conclusio Tertia. Inflicto vulnere extra Ecclesiam, si mors sequatur intra Ecclesiam, hæc non remanet polluta; quia non censetur injuria affectus locus Sacer. Ita eadem Glossa *in cit. cap. Unico*, & DD. 46
plurimi congesti ab ipso Passerino *d. disp.* 5. *cap.* 5. *num.* 4. *& seqq.* ubi duo colligit notanda. Unum, quòd si quis existens extra Ecclesiam, exoneret sclopum contra hominem existentem in Ecclesia, & illum occidat, Ecclesia est polluta. Alterum, quòd si existens in Ecclesia pilas plumbeas ignitas immittat in hostem morantem extra Ecclesiam; hæc non remanet polluta; quia homicidium dicitur factum in loco, in quo erat homo occisus. Jordanus *d. libr.* 5. *tit.* 12. *num.* 15. 47
& 16. quamvis vulneratus configeret in Ecclesiam, ac in ea effunderet sanguinem, & moreretur. Barbosa *allegat.* 28. *num.* 26. *&* 27. Quòd si vulneratio fieret in ostio Ecclesiæ, hæc non esset polluta, quia totum concavum muri factum pro ostio, dicitur esse extra Ecclesiam, ut probat Passerinus *dict. disputat.* 2. *cap.* 31.

Conclusio Quarta, homicidium absque culpa, sed ex accidenti commissum in Ecclesia, illam non polluit; debet enim esse factum cum culpa mortali; ut demonstrant DD. apud Passerinum *d. disp.* 5. *cap* 8. *num.* 4. *&* 5. *cap.* 10. *&* *cap.* 11. *itidem num.* 4. Ideò homicidium Ecclesiam polluit, factum cum culpa.

culpa, etiamsi factum sit per errorem ut si quis voluisset occidere Petrum, & occidisset Paulum; ut bene sustinet Bardi *Discept. 6. de Conscientia. cap.* 8. §. 2. *n.* 3. confutatis contrariùm sentientibus, quos allegat, & male sequitur Passerinus *d. disp.* 5. *cap.* 3. *n.* 4. Est enim homicidium injustum, culpabile, & Ecclesiæ injuriosum; immò si sit homicidium factum in Ecclesia ex joco, vel ludo eam polluit, si culpa non careat, Idem Passerinus *d. disp.* 5. *c.* 14. *n.* 5. & multò magis si patratum sit animo deliberato, Culpa verò cessante, non intrat Ecclesiæ pollutio, ut si homicidium fiat à puero, ab amente, à furioso, seu ex inculpabili inadvertentia. Barbosa *alleg.* 28. *n.* 6. & Jordanus *d. lib.* 5. *tit.* 11. *n.* 14. Quid si in prædictis omnibus casibus versaremur in dubio; num culpa intercesserit, nec ne? Alii DD. tenent, pronunciandum esse pro pollutione; alii pro non pollutione, ut refert idem Passerinus *d. disp.* 5. *c.* 9. Tutior opinio est, arbitrandum esse ab Episcopo inspectis facti circumstantiis; & præcipuè si ageretur de abortu procurato in Ecclesia; & dubitaretur, an fœtus esset, vel non esset animatus? medicamenta, seu potiones habuissent energiam necandi infantem, nec ne? ut disputant Passerinus *d. disp.* 5. *c.* 25. & DD. ibi per eum citati. De abortu videat Lector mea *Erotemata Eccles. cap.* 59.

Conclusio Quinta. Non polluit Ecclesiam homicidium patratum in ea cum moderamine inculpa-
49 tæ tutelæ, idest ad necessariam defensionem ipsius occidentis. Glossa *d. c. Unico in princ. De Consecrat. Eccl. in* 6. Abbas *in cap. Propesuisti. eod. tit. num.* 2. Passerinus, qui innumeros DD. numerat *d. disp.* 5. *cap.* 29. In quibus autem consistat moderamen inculpatæ tutelæ, idest licita aggressoris occisio? videnda mea Erotemata prædicta *c.* 131. *n.* 38. ubi docui tria requiri: 1. Æqualitas armorum, quia non licet pugione ferire illum, qui percutit pugno. 2. Ut incontinenti fiat repercussio, nam si post moram,
50 dicitur vindicta. 3. Ut aliter aggressus non possit salvare vitam suam; aut, si nobilis laicus sit, etiam suum honorem. Bordon. *Decis.* 81. Si tamen homicidium fieret in Ecclesia jussu Judicis, etsi cum sententia justa, nihilominùs Ecclesia remaneret polluta, Gonzalez *in Comment. d. cap.* 7. *de Consecr. Eccl. num.* 6. quia sententiæ executio est Ecclesiæ injuriosa ob irreverentiam loci Sacri.

Porrò homicidium commissum in Ecclesia cum moderamine inculpatæ tutelæ non solùm ob defensionem propriæ vitæ, propriorum bonorum, & honoris, sed etiam ad tuendam vitam,
51 bona, & honorem proximis, non polluere Ecclesiam, concludit idem Passerinus, plures cumulans Doctores ita sentientes *d. disp.* 5. *cap.* 31. 32. 33. & etiam si fiat per duellum, seu disfidam; sed circa hoc cautè est procedendum in casu supradictico; & diligenter discutienda materia cum suis circumstantiis, tam circa qualitatem personæ occidentis, quàm circa quantitatem bonorum defensorum. Certum est autem, quòd ubi sit excessus moderaminis inculpatæ tutelæ, Ecclesia remanet polluta. Sylvester *Verb. Consecratio Ecclesiæ.* 2. *num.* 5. Barbosa *allegat.* 28. *num.* 19. & Jordanus *d. lib.* 5. *tit.* 12. *n.* 30. Idem Passerinus *disp.* 5. *cap.* 36. *& seqq.* in quibus alios consimiles casus examinat, Ecclesiæ pollutivos; inter quos si ibi occidatur à Marito mulier deprehensa in adulterio, vel bannitus, aut delinquens non gaudens immunitate loci Sacri; hi etenim sunt ab Ecclesia extrahendi, sed non in ea occidendi; item si quis seipsum occideret in Ecclesia, eam pollueret, Passerin. *cap.* 45. *ibid.*

Conclusio Sexta. Occisio Martyris, in Ecclesia illam polluit; quia quo mors est injustior, eò ma- 52
gis est injuriosa, ut de S. Thoma Cantuariensi, & de S. Stanislao. Jordanus *d. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 8. *Passerinus d. disp.* 5. *cap.* 50. ubi notant, in tali sacrilego casu, Sanguinem martyris esse devotè colligendum, ac servandum; locum verò, in quo Sanguis cecidit, minimè lavandum esse, quamvis contrarium præcipiatur in homicidiis, vel vulneribus aliorum hominum. At si quis feriret Sacratissimam Hostiam, & ex ea Sanguis miraculosus flueret, non pollueret Ecclesiam, Passerin. *disp.* 6. *c.* 12.

Conclusio Septima. Quòd si modica esset effusio sanguinis ob leve vulnus inflictum in Ecclesia, non induceret pollutionem. Layman. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 53
5. *num.* 8 Passerinus *disp.* 6. *cap.* 2. *n.* 5. In dubio autem an vulnus sit leve, vel mediocre; aut grave? standum est arbitrio Episcopi Passerin. *ibid. cap.* 8. *n.* 4. ubi Doctores. Neque pollueretur, si vulnera etsi gravia infligerentur cadaveri existenti in Ecclesia, ut contra plures contrarium docentes firmat Passerinus *d. disp.* 6. *cap.* 7. *num* 4. Barbosa *allegat.* 28. *n.* 32. & Jordanus *d. lib.* 5. *tit.* 12. *n.* 53. Utrùm 54
autem magna sanguinis effusio è naribus percussus in Ecclesia, eam polluat? non modica est Casistarum disputatio apud eundem Passerinum *d. disp.* 6. *cap.* 9. *n.* 3. *& seqq.* ubi utraque opinione relata adhæret affirmativæ, si percussio esset violenta, & injuriosa nimis, attenta præcipuè qualitate personarum; secùs si inter pueros, vel alio modo modicùm injurioso. Et affirmativam amplexus fuit Maceraten. *Var. resolut. lib.* 1. *resol.* 112. *casu.* 6. omninò videndus.

Conclusio Octava: Circa effusionem seminis humani, omnis humani seminis peccaminosa, & pu- 55
blica effusio polluit Ecclesiam. *d. cap. Si motum. c. Ecclesiis, de Consecr. dist.* 1. *cap. fin. de Consecrat. Eccl. c. Unico, eod. tit. in* 6. *cap. Significasti,* 5. *de Adulter.* Gonzalez *in Comment. cap. Cæmeteria, n.* 7. *de Consecr. Eccl.* Passerinus *De Pollut. Eccl. disp.* 7. *cap.* 1. Per humani seminis effusionem, excluditur semen brutorum, ac mulierum menstrua; sed includitur semen tam virile, quàm fœmineum, quocunque modo effusum, sive per carnalem copulam, sive per voluntariam pollutionem, aut peccando contra naturam, etsi non cadat in terram; dummodo sit voluntaria, & peccaminosa effusio cum publicitate. Passerinus, qui DD. cumulat *d. disput.* 7. *à capit.* 2. *& seqq.* præcipuè *cap.* 11, *& cap.* 12. ubi ajunt sufficere quantulamcunque seminis effusionem; non etiam solam aliquam humectationem, vel distillationem penis. Idem Passerinus *ibid. cap.* 13. *num.* 4. Bonacina *de Matrim. quæst.* 4. *punct. ult. n.* 19. qualis est illa Spadonum, & Eunuchorum utroque teste carentium. Sanchez *de Matrimonio lib.* 7. *disp.* 92. *num.* 17. Passerin. *c.* 16. *n.* 4. Et quamvis de copula conjugali habita in Ecclesia, an per eam polluatur locus sacer disputent Doctores? Concludunt omnes, Ecclesiam pollui ob irreverentiam loci Sacri, nisi conjuges ibi copulentur ex nimia necessitate ad incontinentiæ periculum effugiendum, Gonzalez *ad d. c. Cæmeteria n.* 7. *De Consecrat. Eccles.* Passerinus plurimos DD. numerans *d. disp.* 17. *c.* 17. *n.* 4. *& c.* 18. *n.* 4. Et jure quidem; nam luxuriosos actus maximè Deus odit; & patrati in loco sacro gravissimè Majestatem Divinam offendunt. Hinc etiam gentiles carnalem copulam fieri in Tem- 56
plis

plis Deorum non permittebant, ut pluribus exemplis ostendit Tiraquellus *in leg. Connubial. XV. à n.* 107. *& seqq. subdens num.* 109, etiam Mahometem, alioqui infandissimum legislatorem, in suo Alchorano hanc legem tulisse: *In templis nullus sit cum fœminis coitus.* Et tarda non fuit Divina justitia vindicare tantam injuriam luxuriæ tentatæ in loco sacro; ut ex Spondano *ad Annum* 874. *num.* 2. sic scribentem: 57 *Eodem anno cùm Abdila Sacracenorum Princeps ex Africa cum magno exercitu in Italiam veniens, Salernum obsidione cinxisset, Ecclesiamque SS. Martyrum Fortunati, Caii, & Anthes, sibi in habitaculum deligens super ipsum Altare stratum parasset. dum illic reluctantem Virginem comprimere conaretur, trabs è tecto delapsa, licèt procul ab Altaris perpendiculo distans, impurissimum Arabem extinxit, illæsa penitus Virgine.* Juvenem libidinosa furentem insania, coiturum in loco Sacro cum cadavere puellæ, quam ardenter adamaverat, ingens serpens momordit, & necavit, teste Abdia *in Hist. Apost. lib.* 5. Sanctam Mariam Ægyptiacam, adhuc libidini vacantem, ne Templum ingrederetur, Divina Virtus impedivit, ut *ex Vitis PP.* refert Bagæta *in Admirand. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3. §. 3. *num.* 2. addens *ibidem* §. 4 *num.* 9. quòd anno 1630. operarius quidam in Templo Divi Petri in Vaticano impuras cantiunculas recitans, ex altissima machina lapsus, miserabiliter elisus, & comminutus occubuit.

58 Conclusio Nona. Polluitur Ecclesia, si in ea sepeliatur infidelis, seu excommunicatus excommunicatione majori, & publicè denunciatus. *cap. In consilium. De Consecrat. Eccles. cap. Eccles. De Consecrat. dist.* 1. Gonzalez *in d. cap. Cæmeteria, num.* 8. *eod. tit.* Diana *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 22. Quæ in Coordinato residet *tom* 9. *tract.* 1. *resol.* 131. Murga *Disquisition. moral. tom.* 1. *tract.* 2. *disquisit.* 4. Passerinus *d. tract. de Pollut. Eccles. disp.* 8. *cap.* 1. 2. *& seqq.* qui *cap.* 3. *num.* 4. putat, per solum depositum factum de cadavere hæretici, vel infidelis in Ecclesia eam non pollui; sed malè, quia talia deposita sunt veræ sepulturæ, etsi temporales, & per ea infertur injuria loco Sacro; & ideò violatur, & polluitur, & quod dicitur de cadavere, procedit etiam de cineribus, vel de ossibus; omnia enim tanquam execranda sunt indè auferenda, & Ecclesia reconcilianda. Oportet autem excommunicatum esse publicè denunciatum, vel publicum clerici percussorem ad polluendam Ecclesiam; secus si sit occultus, vel minori excommunicatione ligatus. Passerin. *d. disp.* 8. *cap.* 7. *&* 8. vel si fuisset quis tantummodo ab Ecclesia interdictus, hæc enim censura non causat pollutionem, quia Canones de ea non loquuntur. Passerin. *cap.* 10. *num.* 4. Jordanus *d. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 131. etsi illum sepelientes in loco Sacro peccent mortaliter ob prohibitionem, de qua *in cap. Is cui, de sent. Excom. in* 6. Quòd si Excommunicatus publicè denunciatus ante mortem signa contritionis dederit, est absolvendus statim, si reperiatur Sacerdos, vel saltem post mortem, & deindè in loco sacro sepeliendus; secus si non habita absolutione; ea enim non data, polluitur Ecclesia. *cap. à nobis il, 2, & ibi Glossa de sent. Excom. cap. Sacris. De Sepult.* Samuellius *de Sepult. tract.* 2. *Controvers.* 9. *num.* 21. *&* 22. Passerinus *d. disp.* 8. *cap.* 18. *n.* 4. 59 qui *cap.* 21. opinatur, non pollui Ecclesiam, si in ea sepeliatur puer non baptizatus, filius parentis Christiani; at contrarium tenet Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. D. Thom. disp.* 81. *sect.* 4. *Casu quinto*, nisi fœtus ante sepulturam matris esset mortuus in ejus utero, quia tunc reputaretur pars matris; & non pollueret Ecclesiam, prout neque eam polluunt Catechumeni, vel alii baptizati solo baptismo flaminis. vel sanguinis, si in Ecclesia sepeliantur. Passerinus *d. disp.* 8. *cap.* 23. *& cap.* 24. *& cap.* 25. Qui tandem notat *cap.* 26. censeri pollutam Ecclesiam, & egere reconciliatione, prævia avulsione, & ejectione ossium infidelium, hæreticorum, & excommunicatorum, quamvis essent sepulti in illo solo, vel situ, in quo fabricatur Ecclesia, ante fabricationem; & jure quidem, nam cùm talia ossa, & cadavera sint abominabilia, retineri in Ecclesia non possunt; 60 ut pluribus miraculis comprobant Historiæ Ecclesiasticæ; de quibus Bagatta *d. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. §. 9. *n.* 8. ubi de quodam milite excommunicato in Diœcesi Caturcensi, quinquies sepulto in loco sacro, & toties divina virtute ejecto in publicam viam; donec in profana terra fuit reconditus, *& num.* 10. De quodam Monacho Apostata, anathematis vinculo constricto, qui, cùm incognitus navigans ad Indias obiisset in navi, projectus in mare, ab aquis rejectus, & à nautis sepultus in littore, postridiè super ipsum sepulchrum inhumatus apparuit; cui impensa absolutione a censuris, ossa tandem in tumulo quievre.

Conclusio Decima. Altercantur Doctores, an censenda sit polluta Ecclesia, quam consecravit, seu benedixit publicus excommunicatus, sive clerici percussor? Negat Suarez *d. tom.* 3. *disp.* 81. *sect.* 4. 61 *casu quarto.* Giballinus *de Censuris Disquisit.* 5. *quæst.* 5. *Proposit* 1. *consect.* 4. Henaus *tom.* 2. *De Sacrific. Missæ, disp.* 23. *sect.* 4. & Gonzalez *in d. cap. Cæmeteria num.* 8. ea ratione, quia talis pollutio non est expressa in jure; ergo non admittenda. Affirmant apud Barbosam *de Jure Eccl. Univ. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 25. Abbas, Jo. Andreas, & Hostiensis *in cap. Consuluisti. De Consecrat. Eccles.* & alii Casistæ relati *d. num.* 25. & per Jordanum illis adhærentem *d. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 132. & opinantem opus esse reconciliatione; de quo casu, qui rarus est, judicabunt Episcopi; vel à S. Congregatione Concilii petent resolutionem, expositis circumstantiis, & præcipuè, an consecrator fuerit hæreticus, servaveritve formam, & ritus ab Ecclesia Catholica præscriptos, ut aliàs petitum fuisse, testatur Nicolius *Canon. Lucubrat. lib.* 5. *tit* 39. *num.* 254. *vers. Quintus casus.*

Quò ad Quintum. Plures sunt effectus Pollutionis Ecclesiæ. Primus est, quòd durante pollutione, & nondum facta reconciliatione, non possit in ea 62 celebrari sacrosanctum Missæ Sacrificium sub pœna peccati mortalis. *cap. Is qui*, ubi Glossa. *De Sent. excommunic. in* 6. imò si Ecclesia polluatur, dum Sacerdos celebrat; si nondum cœperat Canonem, debet discedere ab Altari; si verò peracta consecratione, debet Missam prosequi ob integritatem Sacrificii; sed ea completa, non est amplius celebrandum; nisi Ecclesia reconcilietur. Jordanus *d. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 153. Secundus est, quòd in eadem Ecclesia polluta horæ Canonicæ non sunt recitandæ. *cap. fin.* 63 *de Consecrat. Eccl. cap. Tuarum*, & ibi Abbas *n.* 4. *De Privileg.* Tertius est prohibitio administrationis Sacramentorum, *d. cap. Tuarum*, Passerinus *de Pollut. Eccl. disp.* 9. *cap.* 7. *num.* 4. Excepto tamen Sacramento baptismi tam parvulis, quàm adultis infirmis, & sanis. *cap. Quoniam. De sent Excom. in* 6. Passerin. *ibid. c.* 12. *& c.* 13. & excepto Sacramento Pœnitentiæ. Idem Passerinus alios cumulans *c.* 19, *n.* 4 Quartus

est,

est, quod non liceat sanis administrare Eucharistiam in Ecclesia polluta; sed solummodo infirmis per Viaticum dari; quandocunque enim concessa est Pœnitentia, concessum censetur etiam Sacrum Viaticum. *cap. Quod in te. De Pœnitent. & Remission. Clem. Cum secundum, eod. tit.* Passerinus *d. disp. 9. cap. 20.* Sed utrùm deficientibus particulis, liceat celebrare in Ecclesia polluta, & consecrare pro Viatico administrando? Affirmat Passerinus *c. 24. num. 4.* qui citat Jordanum hoc idem asserentem *d. lib. 5. tit. 12. num. 147.* Sed ibi non ita largè loquitur, sed conditionatè, nisi alia esset Ecclesia, in qua posset celebrari; subdit enim: *ubi alia reperiretur Ecclesia non violata, celebrandum esse in ea.* Quintus pollutionis Ecclesiæ effectus est, ut in ea non liceat administrare Sacramenta extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii; quia de facili extra illam dantur vel differri possunt; quidquid dicat Passerinus in contrarium *cap. 21. cap. 22. & cap. 23.* siquidem cùm in jure concedatur administratio Baptismi, Pœnitentiæ, & Viatici, cætera censentur prohibita; juxta Regulam, quòd de uno conceditur, de alio denegatur. Glossa *in cap. Non-*
64 *ne, verb. Tacendo, de Præsumpt.* Barbosa *Axiom. 196. num. 20.* Sextus effectus est, non esse licitum, in Ecclesias pollutas ducere processiones publicas, exercere actus ordinum. Passerinus *d. disp. 9. cap. 32. & seqq.* Qui minùs bene permittit *cap. 36. 37. & 38.* in Ecclesia polluta concionari, cantare publicè Te Deum, & Ecclesiasticas benedictiones facere; nam destruit horrorem illum, ac mœstitiam, quam sacri Canones intendunt incutere in cordibus hominum ob irreverentiam commissam, & tam gravem injuriam illatam loco Sacro per actiones pollutivas Ecclesiarum; quapropter prohibita spirituali lætitia, quæ habetur in Ecclesiis per decantationem Divinorum Officiorum, & celebrationem Missæ, censendæ sunt prohibitæ quæcunque aliæ Ecclesiasticæ functiones, tendentes ad eamdem spiritualem lætitiam; nam prohibito uno, sunt etiam prohibita omnia, per quæ pervenitur ad illud unum. *c. Cum quid prohibetur. 39. de Regul. Jur. in 6.* Mascardus *de probat. concl. 102.* aliàs fieret per indirectum, quod directè fieri non potest, contra juris regulam *in l. Sejus, & Augerius*, ubi Bart. *ff. ad leg. falcid.* & docet Barbosa *Axiom. 193. num. 5.* Decet igitur in casu violatæ Ecclesiæ per pollutionem, eam clausam tenere, à sono Campanarum, & à quacunque celebritate vacare, præter supradictas omninò necessarias, ut in praxi servari vidi in hac civitate, Patavinaque Diœcesi à Religiosis Rectoribus Ecclesiarum. Septimus effectus pollutionis est, ut ea durante fideles defuncti non sint sepeliendi in cœmete-
65 rio, vel Ecclesia polluta. *cap. Unico. De Consecrat. Eccles. vel. Altar. in 6.* Passerinus *de disp. 9. c. 1. n. 2.* & Barbosa *allegat. 28. n. 54.* idem Passerinus *d. disp. 9. c. 47.* ubi disputat, an saltem clerici, & aliæ personæ religiosæ possint sepeliri in Ecclesia polluta? & relatis quatuor diversis opinionibus Doctorum, tenet affirmativam opinionem, dummodo non sit alia Ecclesia; in qua tales personæ privilegiatæ possint sepeliri; & nititur *text. in cap. Quod in te. De Pœniten. & Remiss.* in quo conceditur tempore interdicti localis, clericos sepeliri in loco sacro; sine tamen Campanarum pulsatione, recitationevè divini officii, & sub silentio. Quòd si de facto laicorum corpora sepelirentur in Ecclesia polluta, peccarent quidem illa ibi sepelientes; sed non essent exhumanda; nisi essent excommunicati. Thesaurus *de Pœnis Eccl. part. 2. verb. Sacrilegium 5, vers. illud ad-* 66
verte. & Passerinus *d. disp. 9. c. ult. n. 4.* Octavus, & ultimus effectus est; ut non servantes Præceptum, & exercentes, quæ prohibita sunt in Ecclesia polluta, peccent mortaliter, & sint graviter puniendi ab Episcopo; quamvis nullam incurrant suspensionem, vel irregularitatem. **Abbas** *in cap. Si Ecclesia n. 4. de Consecr. Eccl.* Comitolus *Resp. Moral. lib. 6, quæst. 50. n. 4.* Bellochius *in praxi Meral. Theol. part. 2. q. 4. n. 211.* & Passerinus, plures cumulans *disp. 10. c. 1. & seqq.* ubi examinat, an deri possit levitas materiæ excusans à peccato mortali illos, qui pollutionem Ecclesiæ contemnunt? ad quem Lectores remitto.

Quò ad Ultimum. Si quærimus, quibus remediis pollutio Ecclesiæ tollatur? Respondetur, unico remedio tolli, scilicet reconciliatione. *c. Aqua.* 67
De Consecrat. Eccl. altisque *text.* de quibus supra *n. 28.* quæ quidem reconciliatio, si Ecclesia erat priùs consecrata, à solo Episcopo est facienda. *c. Propositi eod. tit.* Nisi ipse Papa hanc facultatem simplici Sacerdoti committeret. Rituale Rom. *sub, Rubric. de Reconciliat. Eccl. in fine pag. mihi* 187. vel à Sacra Congregatione Episcoporum alicui Sacerdoti in Dignitate constituto eam delegaret, usuro tamen aqua, vino, & cinere ab aliquo Episcopo benedicta. Nicolius *Lucubrat. Can. d. lib. 5. tit. 39. sub n. 257.* Quod si Ecclesia fuisset non consecrata, sed benedicta, ejus reconciliatio de mandato Episcopi à simplici Sacerdote, aqua simpliciter benedicta, fieri potest. *c. Si Ecclesia, & ibi Glossa. De Consecrat. Eccles.* Barbosa *allegat. 28. n. 57.* ubi *DD.* congerit; & Jordanus *d. lib. 5. tit. 12. n. 160.*

Cæterùm hic tria dubia occurrunt. Primum est, an Superiores Regulares possint suas Ecclesias pollutas reconciliare, si fuerint consecratæ? Et responsio 68
est affirmativa; si Episcopus distet per duas diætas, (idest per duorum dierum iter, quadraginta scilicet saltem millitaria) vel sit mortuus, aut infirmus, vel impeditus, & hoc vigore Privilegiorum Apostolicorum ipsis Regularibus concessorum, de quibus testantur Marchinus *de Sacram. Ordin. tract. 3. p. 3. c. 11. n. 14.* Diana Coordinatus *tom. 9. tract. 1. resol. 143.* desumpta ex veteri *part. 6. tract. 6. resol. 22.* Barbosa *d. allegat. 28. n. 64.* Jo. Ant. Novarius *in Summa Bullar. part. 1. Commentar. 101.* Nicolius *d. lib. 5. tit. 39 n. 257.* & novissimè Augustinus à Virgine Maria *de Privilegiis Regularium Verb. Benedicere. n. 13. & n. 16.* qui omnes addunt, sufficere in prædicto casu absentiæ Episcopi, aquam lustralem ab ipsis Superioribus Regularibus benedictam adhiberi; sed ab ipsis hanc facultatem non posse alteri delegari, notat idem Novarius *ubi supra n. 8.*

Alterum dubium est, utrum Episcopus concedere possit, omissa reconciliatione, ut in Ecclesia polluta celebretur? & affirmativè respondent Moralistæ, 69
longa manu recensetPasserinus *de Pollut. Eccl. disp. 9. c. 26. n. 1.* urgente aliqua necessitate; veluti, si nulla alia esset Ecclesia, in qua populus, vel Moniales diebus festivis possent Missam audire; sive esset consecrandum pro communione infirmi. Contrarium tamen mihi videtur dicendum, & omninò negandum id licere Episcopo; siquidem certum est, eum non posse operari contra dispositionem Sacrorum Canonum. Fagnanus *in c. Dilectus à n. 1. & seqq. de Tempor. Ordin.* At in præsenti casu pollutionis Ecclesiæ sacri Canones præcipiunt, eam esse reconciliandam per lavacrum cum Aqua benedicta. *cap. Proposuisti. cap. Cæmeteria, & cap. fin. De Consecrat. Ec-*
cl.

cl. Item *cap. Unico, eod. tit. in 6.* Et preces sunt adhibendæ, quæ statutæ sunt tum in Pontificali, tum in Rituali Romano. Idcircò, si solo verbo, aut nutu Episcopo liceret mandare, ut in Ecclesia polluta celebraretur in ejus facultate esset evertere, ac destruere Sacros Canones, & independenter operari à sanctionibus Pontificiis, & à decretis Conciliorum generalium; quod nullus Catholicorum asseverabit. Dicendum est itaque, quòd Episcopus celebrationem in Ecclesia polluta præcipere non possit; quòd si urgeat gravis aliqua necessitas, vel ipse satagat per se, vel per alium Ecclesiam reconciliari; vel potiùs concedat, ut celebretur in loco aliquo honesto, licèt non sacro; quod ei permissum est à jure; ut meliùs reflectentes suggerunt Barbosa *d. allegat. 28. n. 62.* Gavantus *in Manuali verb. Ecclesiæ reconciliatio num. 9.* Jordanus *d. lib. 5. tit. 12. num. 152.* Et Passerinus *d. disp. 9. cap. 26. num. 4.*

70 Tertium dubium est, numquid Ecclesia polluta censeatur reconciliata; si quis Sacerdos de facto in ea Missam celebraverit? Cui dubio respondet affirmativè Diana Coordinatus *d. tom. 9. tract. 1. res. 140.* quæ residet in veteri *part. 11. tract. 2. res. 59.* ubi hujusce nimis laxæ opinionis assecias citat. Sed contrarium docent Layman. *lib. 5. tract. 5. de Sacrific. Missæ cap. 5. num. 13.* Thesaurus *de Pœnis part. 2. de verb. Sacrilegium 5. vers. Adverte etiam*; Emin. Card. de Lugo *De Sacram. Euchar. disp. 20. n. 91.* Et novissimè Nicolius *de Lucubrat. Can. lib. 5. tit. 39. n. 268.* Subdens ex Sayro *lib. 5. cap. 16. num. 11.* opinionem Dianæ esse omninò falsam, & erroneam; ideóque sivè bona, sivè mala fide quis celebrasset in Ecclesia polluta, opus esset subindè reconciliatione, juxta ritum præscriptum in Pontificali, & in Rituali Romano.

71 Corollarii loco duo sunt notanda. *Unum*, quòd Cœmeterii reconciliatio potest semper delegari simplici Sacerdoti; quia cœmeterii nunquam consecrantur, sed tantummodò benedicuntur. Nicolius *d. lib. 39. n. 258.* dummodò ipsum solùm fuerit pollutum, non autem Ecclesia; tunc enim per reconciliationem Ecclesiæ censetur reconciliatum etiam

72 Cœmeterium. *Alterum*, est quòd Episcopus vadens extra Civitatem pro reconcilianda Ecclesia, potest recipere procurationem; prout eam recipit, dum vadit, ad eam consecrandam. *cap. Cùm sit Romana 10. De Simonia*; nisi Ecclesia ipsa, & populus nimia paupertate laboraret; tunc enim propriis expensis ire debet ad eam reconciliandam, ut ex responsis Sacr. Congregationis firmat idem Nicolius *d. lib. 39. num. 259.* Vel nisi auctor pollutionis esset dives, quia ipse esset condemnandus ad dictas expensas. Maceraten. *Var. res. d. lib. 1. res 112. cas. 12.*

DECISIO XLVII.

ARGUMENTUM.

Post ornatum Altarium, & Ecclesiarum, agitur de Sacerdotum ornamentis, quæ triplici sunt, Interiora, Exteriora, & Mystica. Ornatus interior Sacerdotis stat in conscientia pura, sobrietate, & castitate. Cur, & quando Uxores prohibitæ Ministris Sacris? Milites in castris an expediat, ut habeant uxores secum? Rationes tam contra, quàm ad favorem cœlibatus Sacerdotum. Quare Græci habeant Uxores, & ex quo tempore? Exempla Ministrorum Altaris incontinentium punitorum. Cautelæ tres pro servanda castitate. Lapsus Virorum Sanctorum ob familiaritatem cum mulieribus. Eruditiones, & monitiones plurimæ pro hoc interiori ornatu Sacerdotum.

SUMMARIUM.

1 *Ornamenta Sacerdotum quænam sint?*
2 *Conscientia pura primus ornatus Sacerdotalis.*
3 *Sobrietas, & pudicitia sunt Sacerdotis ornamenta.*
4 *Matrimonia vetita Ministris sacris. Et quo jure? num. 5.*
6 *Apostoli cælibes fuere.*
7 *Milites Romani sine uxoribus usque ad tempora Severi Imperatoris.*
8 *P. F. Marcus de Aviano Capuccinus laudatus.*
9 *Uxores militum in obsidione Budæ, & Tauruni commendabiles.*
10 *Sacerdotes Aaronici quo tempore sacrificabant, ab uxoribus abstinebant.*
11 *Sacerdotes Gentilium castitatem servabant.*
12 *Sacerdotibus in lege naturæ, & Mosayca concessæ uxores.*
13 *Cælibatus Sacerdotum quibus rationibus impugnetur?*
14 *Paphnutius in Nicæna Synodo an impugnaverit cælibatum Clericorum?*
15 *Græci etsi ordinati in sacris habent suas Uxores.*
16 *Subdiaconi olim tenebant Uxores.*
17 *Uxores semper prohibitæ Ministris Sacris in Ecclesia Latina.*
18 *Cælibatus clericorum quibus rationibus defendatur, & laudetur?*
19 *Castitas servata à Ministris sacris per tria prima sæcula.*
20 *Concilium Quinisextum Anno 692. concessit Uxores Ministris Sacris Ecclesiæ Orientalis.*
21 *Quinisextum Concilium cur sic dictum?*
22 *Subdiaconi, & Diaconi aliquando Uxores ducebant prætextu non promissæ castitatis.*
23 *Votum solemne castitatis, ubi, & quando adjunctum Ordinibus sacris.*
24 *Melchisedech fuit cælebs, & continens.*
25 *Exempla Sacerdotum incontinentium punitorum à Deo.*
26 *Cautelæ tres pro castitate servanda à Ministris Sacris. Et quæ?*
27 *Jejuninm necessarium pro castitate, & maceratio carnis.*
28 *Otium nocivum est castitati.*
29 *Ludi, & Venationes clericis prohibitæ.*
30 *Mulierum conversatio fugienda.*
31 *Sancti, qui soli neque cùm sororibus loqui volebant, aut habitabant.*
32 *Lapsus in Luxuriam Virorum Sanctorum.*
33 *Mulierum cohabitatio cum clericis prohibita.*
34 *Gemellorum fratrum in utero Matris, si unus sit masculus, alius fœmina, medicorum observatio.*

Egi-

EGimus in præcedentibus Decisionibus de ornatu Ecclesiarum, & Altarium; demonstravimusque horum, & illarum ornamenta alia esse Ecclesiastica, quæ proveniunt ex præcepto Rubricarum; alia Regalia ex liberalitate fidelium; alia Moralia ex eorumdem devotione, & obsequio: & alia Legalia ex reverentia erga loca sacra; verùm quia etiam ministri Ecclesiæ, & Altaris, nempè Sacerdotes, egent ornamentis, ut ritè, ac rectè possint hostias offerre, ac sacrificare pro populo; ideò in præsenti breviter differendum est Sacerdotum ornatu; qui quidem triplex est: videlicet

1. *Ornatus interior,*
2. *Ornatus exterior,*
3. *Ornatus mixtus.*

Et de singulis, quæ potiora sunt ad Cleri instructionem, hæc quæ sequuntur, sunt agnoscenda.

Quò ad primum Ornatus interior Sacerdotis consistit in conscientia pura, non habente remorsum culpæ mortalis; si enim Concilium Tridentinum *sess. 13. cap. 7.* de quocunque communicaturo ait: *Nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere audeat*: multò magis ornatus esse debet gratia Dei Sacerdos, non tam communicaturus, sed Sacrificium facturus, attento ejusdem Sacri Concilii præcepto *sess. 22. de observ. & evitand. in celebr. Missæ* Scilicet in hoc sacrosancto Sacrificio peragendo; *Omnem operam, ac diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis specie peragatur.* Et de hoc necessario ornatu gratiæ duplex est ratio; una, quia etiam in Lege Mosayca imposita erat pœna mortis contra Sacerdotes agentes Sacra, si mundi non essent; ut legitur in *Levit. 22. 3.* ibi: *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Altera, quia Sacerdos ad Altare est mediator inter Deum, & populum; prout de se dixerat Moyses *Deut. 5. Ego sequester, & medius fui inter Dominum, & vos, in tempore illo*; ad placabilem nempè reddendum Deum erga populum: at sit mediator si odibilis Principi, illum non placat, sed ad iracundiam magis provocat: *c. In gravibus. 3. q. 7.* ubi hæc sunt verba: *Cùm is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati ad deteriora animus provocatur.*

Supposita autem in Sacerdote litaturo existentia actualis gratiæ Dei; ornatus interior præcipuè consistere debet in sobrietate, & in pudicitia, juxta monitionem S. Syricii Papæ *Epist. 1.* ita scribentis: *Nos Sacerdotes omnes, atque Levitæ insolubili lege constringimur, ut à die ordinationis nostræ Sobrietati, ac Pudicitiæ, & corda nostra mancipemus, & corpora; dummodo per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus Sacrificia, placeamus.* Itaque per sobrietatem manifestum est, denotari jejunium, quod est omninò necessarium Sacerdoti Missam celebraturo; si quis enim ausus esset non jejunus celebrare, deponendus foret ab officio, *Conc. Bracharen. 2. can. 10. cap. A crapula. De Vita, & honest. Cleric.* Sarnellius *tom. 1. Epist. 19.* casus autem celebrandi sine jejunio docuimus in Decisionibus *de Ven. Eucharistiæ Sacramento Decis. 3, & Decis. 52.* Porrò per pudicitiam significatur continentia, & castitas, qua prorsus fulgere debet Sacerdos, cui post susceptos ordines Sacros non solùm vetitum est fornicariam copulam habere; sed ulteriùs neque Matrimonium inire; aut, si ante forsan iniisset, eo uti. *cap. Diaconi c. Presbyt. dist. 28. cap. Qui Cleric. cap. Siquis De Cleric. Conjugat. cap. Unico De voto, & Voti redempt. in 6. Extravag. Antiquæ. eod. tit. & Conc. Trid. sess. 24. can. 9.* Et quamvis hæc prohibitio Levetis, & Sacerdotibus facta de non contrahendis nuptiis post susceptos ordines Sacros; vel de eis non exercendis, si antè ordines uxores duxissent, non sit de Jure Divino, sed tantùm de Jure Ecclesiastico; ut bene probat. Eminentiss. Card. de Lauræa. *in 4. sent. tom. 3. De Sacram. Ordinis disp. 9. §. 5. & §. 6.* Barbosa *de Jure Eccl. lib. 1. c. 37. num. 27. & 28.* ubi DD. cumulat. Novissimè Gonzalez *in Commentar. ad d. cap. Si qui Clericorum n. 3. De Clericis Conjug.* adeò ut Papa possit dispensare cum habente ordines Sacros, ut matrimonium contrahat; prout pluries dispensasse refert idem Eminent. Card. de Lauræa, octo casus, seu dispensationes in hoc præsenti sæculo concessas referens *d. disp. 9. art. 9. §. 5. num. 204.*) nihilominùs hæc ipsa prohibitio fundata est in sequentibus validissimis causis, rationibus, & auctoritatibus. Primò in exemplo Apostolorum; quos omnes vel absque uxoribus fuisse, excepto Petro; vel, si quis priùs uxorem duxisset ante Apostolatum, deindè ab usu conjugii abstinuisse demonstrat Eminent. Cardin. Baronius *Ann. 57. n. 59.* Barbosa *de Jure Eccl. lib. 1. cap. 38. n. 21.* Gonzalez *ad. d. cap. 1. sub. num. 3. ubi DD. De Cleric. Conjug.* undè *in lib. 6. constit. Apost. c. 17.* sic est statutum: *Episcopum, & Presbyterum, ac Diaconum ordinari præcipimus, qui sint monogami &c. Post ordinationem tamen, si uxores non habent, præcipimus, ut non liceat amplius ducere*; & Sanctus Clemens Papa 1. in Epistola prima, in qua protestatur, quòd omnia, quæ ibi refert, acceperit à Sancto Petro, inter alia hæc habet: *Ad Domini autem ministeria tales eligantur, qui ante ordinationem suam conjuges suas noverint: quòd si post ordinationem suam ministro Altaris contigerit proprium invadere cubile uxoris, sacrarii non intret limina; nec Sacrificii portitor fiat.* Secundò, cœlibatus clericorum fundatur in doctrina Divi Pauli, qui scribens *ad Timoth. Epist. 2. capit. 2. vers. 3.* ait: *Labora sicut bonus miles Christi Jesu: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Ex quibus verbis desumunt Interpretes, Sanctum Apostolum loquutum fuisse de matrimonio, à quo milites abstinebant, ut testantur Tacitus *Annal. lib. 14.* ubi plura Lipsius, & Dios. *lib. 6.* nec non Tertullianus *in exhortatione ad castitatem*, demonstrans, omnes milites fuisse cœlibes, quod etiam docuit Cornelius à Lapide *in 2. Timoth. d. cap. 2. vers. 4.* & novissimè Gonzalez *ad d. c. Si qui clericorum. 1. clericis conjugatis num. 8.* ubi pluribus eruditionibus hanc assertionem illustrat; subdens, quòd hanc laudabilem castrorum disciplinam Severus Imperator lata lege ex asse sustulit ex Herodiano *lib. 6. Histor.* & ideo Papinianus, (qui floruit temporibus Severi) asserit, posse milites matrimonia contrahere *l. Filius 35. ff. de Ritu nuptiar.* Et esse problema disputabile habens hinc indè rationes, utrùm expediat, milites in castris habere uxores suas? ostendit mihi religiosissimus Pater Marcus de Aviano Capucinus, qui Cæsareos exercitus tanquam Missionarius Apostolicus comitatus fuit decem ab hinc annis in obsidione Budæ, atque Tauruni; ajebat enim, quòd revertentibus militibus à pugna uxores cibum præparatum ministrabant, undè vires colligebant;

1 2 3 4 5 6 7 8 9

bant; & sanitatem tuebantur magno cum Imperatoris, ac totius Reipublicæ Christianæ emolumento. Et ubi iidem milites de Turcis reportarent victoriam in campis, uxores christianorum militum sollicitæ erant in spoliis carpendis ad maritorum utilitatem. Sed hæc obiter sint dicta. Tertiò continentia Cleri in lege gratiæ adhæret præcepto, quod Deus fecerat in lege scripta, jusserat enim *Exod.* 19. 10 22. quòd *Sacerdotes, qui accederent ad Dominum Sacrificentur*, ideſt abstinerent ab uxoribus, ut declarant expositores, & Tirinus *d. c.* 19. *vers.* 10. Quare Abimelech, ut daret David, & militibus ejus manducare Sanctificatum Panem, requisivit, si mundi essent à mulieribus; 1. *Reg.* 21. hinc scripsit S. Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovinian. longè post med.* hæc verba: *Nam & in veteri lege, qui pro populo Hostias offerebant, non solùm in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab uxoribus separati; & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem provocare.* Et de Matathia Summo Pontifice refert Josephus *lib.* 17. *Antiquit. Judaic. c.* 8. quòd ei non licuit Sacrificare, sed illi una die substitutus datus fuit ad Sacrificandum; quia nocte somniasset, se rem cum uxore sua habere; & de hac munditia, & continentia Aaronicorum Sacerdotum dictum est supra *Decis. XXIII. num.* 34. & antea quid agendum esset, si Summus Pontifex ante festum Hippurim passus esset pollutionem? *Decis. XXII. n.* 28. Quartò fulcimen præstat continentiæ nostrorum Sacerdotum exemplum Gentilium, apud quos lege XII. Tabularum ita cavebatur: *Divos castè adeunto*; 11 immò & conjugio usos arcebant à suis Sacrificiis, teste Tibullo *lib.* 1. *Eleg. prima:*

Vos quoque abesse procul jubeo, discedite ab aris,
Quies tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Et de paganorum Sacerdotum requisita castitate disserunt S. Clemens *lib.* 1. *Stromat* S. Hieronym. *lib.* 2. *in Jovinian. S.* Augustinus *serm.* 37. *ad fratres in Eremo.* Et plura tradunt Alex. *lib.* 4. *gen. cap.* 17. Tiraquellus *in leg.* 5. *Connub. ex n.* 76. Pamelius *ad Tertullianum de exhort. cast.* & Gonzalez *ad d. c.* 1. *De clericis conjug. num.* 8. concludens; *Si hæc observabatur in Sacerdotibus tam Judaicæ, quàm Gentilitiæ religionis, quantò magis Sacerdotes legis gratiæ, qui quotidie vero, & omnipotenti Deo Sacrificium offerunt, debent continenter vivere, à conjugioque arceri?* Quod adeò verùm est ut pluribus Sanctis Patribus visum fuerit, ex sola nocturna illusione absque culpa eveniente, non esse licitum die sequenti celebrare, ut ex S. August. *serm.* 244. *de Temp.* & ex Cassiano *Collat.* 22. probat Eminent. Card. Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 2. *c.* 1. *sub. n.* 4.

Verùm huic continentiæ, & castitatis legi, qua 12 nos adstringimur sequentia videntur obstare. Primò, quòd in lege Naturæ Sacerdotes habebant uxores, ut vidimus *Decis. VII. & seqq.* De Adamo, Noe, Abrahamo, ejusque posteris, qui Deo litabant, & eorum Sacrificia grata erant. Secunda, quia conjugium etiam in lege Mosayca Levitis, Sacerdotibus, & Pontificibus concedebatur; immò ipse Deus præscripserat qualitates uxorum ducendarum ab eis, ut *in Levit. c.* 21. non igitur interdicendum Sacerdotibus Evangelicis, ne ponderosior sit lex gratiæ, quàm lex Moysis. Tertiò, quia Matrimonium 13 est Sacramentum, conferens gratiam. Concil. Trid. *sess.* 24. *can.* 1. Ergo nulli denegandum; non enim causat dedecus, sed honorem; & ab omnibus videtur suscipiendum, dicente Apostolo *ad Hebr. c.* 13. *vers.* 4. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Quartò, quia ab eodem Apostolo censetur concessa uxor non tàm clericis in sacris constitutis, atque Presbyteris; sed etiam Episcopis; ait enim in *Epist.* 1. *ad Timoth. cap.* 3. *vers.* 2. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, filios habentem subditos cum omni castitate.* Et in Epistola prima ad Corinthios *cap.* 7. *vers.* 2. subdit: *Propter fornicationem autem unusquisque propriam uxorem habeat.* Quintò, quia in Canone sexto Apostolorum ordinatum est, ut *Episcopus, aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu Religionis abjiciat.* Quod repetitum legitur in Decreto Gratiani. *cap. Si quis docuerit. dist.* 29. Sextò, quia in tribus primis sæculis ordinati in sacris utebantur conjugio; siquidem cùm illud prohibere vellet Nicæna Synodus prima, Paphnu- 14 tius Confessor contradixit, suasitque Concilio, ne talem ferret legem, quæ occasio existeret fornicationum: ut legitur *in cap. Nicæna, dist.* 31. & refert ex Theologis Eminent. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. d. disp.* 9. *num.* 210. Gasp. Invenin *in Commentar. Histor. & Dogmat. de Sacramentis, Dissertat. X. de Matrimon. quæst.* 7. *cap.* 8. *art.* 2. Septi- 15 mo, quia Græci Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, & Episcopi suas habent uxores, & cum eis copulantur. *cap. Diaconi, dist.* 28. *cap. Aliter, dist.* 31. *& cap. Cum olim, de Clericis conjugat.* Idcircò in correctione, & reformatione abusuum Orientalis Ecclesiæ facta ab Innocentio IV. *in sua Constit.* 14. incipit: *Sub catholicæ*, nulla extat prohibitio circa usum mulierum Sacerdotum, neque in Concilio Florentino *in Decreto Unionis Græcor.* Immò Clemens VIII. *in sua Constit.* 34. scribens, quæ licitia sunt Græcis Sacerdotibus, *in* § 4. tantùm præcipit, ut Sacerdos Græcus, antequam celebret, ab uxore abstineat per hebdomadam, vel saltem per triduum. Igitur sicut licitus est usus uxorum in Ecclesia Græca clericis, sacros ordines habentibus, & exercentibus, non deberet esse prohibitus iisdem in Ecclesia Latina. Octavò, tantò minùs, quia primis sex sæculis, & ultra etiam clerici Latini in sacris constituti uxoribus suis utebantur, videlicet usq; ad tempora S. Gre- 16 gorii Magni; qui moderatus fuit prohibitionem factam à Pelagio Papa ejus Prædecessore, ne Subdiaconi copulam haberent cum suis uxoribus. *cap. Aute triennium. dist.* 31. *& cap. Multorum.* 27. *q.* 2. Regebat autem Ecclesiam S. Gregorius Papa in fine quinti sæculi, & in principio sexti: ergo per annos sexcentos circiter etiam in Ecclesia Latina Subdiaconi ab uxoribus non abstinebant.

His tamen minimè obstantibus certissima est Juris conclusio, & irrefragabilis; quòd in Ecclesia Latina ministri sacri semper, & pro semper prohibi- 17 ti fuerunt matrimonium contrahere, vel contracto ante ordines sacros uti; adstrictique fuerunt à die susceptí sacri gradus à propriis uxoribus abstinere, & continentiam, atque castitatem servare. *cap.* 2. *cum pluribus seqq. dist.* 31. *cap.* 1. *cap.* 5. *Si quis verò. cap. Si quis eorum, & cap. Erubescant, cum aliis seqq. dist.* 32. Et legitur *lib.* 6 *Constit. Apostol. cap.* 17. & in Decretalibus *tot. tit. de Vita, & Honest. Clericor.* nec non *tit. De Clericis conjug. & tit. Qui clerici. vel vovent.* Et omni tempore id sancitum fuit Conciliis, quæ longa manu referuntur ab Eminent. Card. de Lauræa *de Sacramento Ord. d. disp.* 9. *art.* 9. per plures §. §. & in Epitome Canonum. *Verb. Clericus habens Uxorem.* Et *Verb. Clerici quoad habitationem cum mulierib. p.* 154. Novissimè Gonzalez *ad d. c.* 1. *n.* 6.

De

De Clericis conjugat. Qui ibidem *num.* 3. observat, contrariam doctrinam processisse antiquitùs à Vigilantio, contra quem scripsit S. Hieronymus, & in præterito sæculo à Wiclefo, à Luthero, à Calvino, & aliis Novatoribus, castitatem in Clero proscribentibus, quos confutat Eminent. Card. Bellarminus *tom.* 1. *controvers. lib.* 1. *De Clericis c.* 28. ita ut in Concilio Tridentino, damnata sit, ut hæretica prædicta doctrina, & lata excommunicatio contra asserentes, posse Clericos in Sacris Ordinibus constitutos matrimonium contrahere, ut *in sess.* 24. *can.* 9. Neque subsistunt objectiones suprascriptæ.

Non prima de Sacerdotibus in lege naturæ; ipsi
18 enim ex vi primogenituræ sortiebantur illam dignitatem, & non erant obligati ad continentiam perpetuam eo tempore, quo opus erat, ut crescerent, multiplicarent, & replerent terram, juxta Divinam ordinationem, de qua *Genes. cap.* 1. *vers.* 28.

Non secunda de conjugio Sacerdotum legis Mosaycæ; magnum est enim discrimen inter illos, & Sacerdotes Legis gratiæ. Illi alligati ad Tribum Leviticam debebant initis Matrimoniis successores progignere, & ideò eorum Sacerdotium transmittebatur in posteros carnali propagatione; nostrum verò consecratione divina. Illi offerebant belluinas carnes; nos Corpus, & Sanguinem unigeniti Filii Dei. Illi rariùs accedebant ad Sacrificandum, ut diximus supra *Decis. XXIII. num.* 25. *& seqq.* nempè tempore vicis suæ; nos verò quotidie, & lex illa erat rudior, lex verò gratiæ tota spiritualis, quam præcipuè continentia, & castitas decet, ut demonstrat idem Gonzalez *d. c.* 1. *num.* 9. *de Clericis conjugat.* & legitur *in cap. Plurimos dist.* 82.

Non tertia; quia Sacerdotes, & ministri Sacri Latini non abstinent à Matrimonio tanquam à Sacramento; sed quoniam continentia, & castitas in rebus Sacris, & in Sacrificio magis arridet, ut ait S. Leo Papa *in cap.* 1. *dist.* 32. Quòd autem dixit Apostolus, *Honorabile connubium in omnibus*, non est trahendum ad omnes personas, etiam ad Sacerdotes, & Monachos, atque Moniales, ut fecere Lutherus, Beza, & alii Novatores; siquidem posset secundùm hanc interpretationem trahi etiam ad fratres, & sorores; nec non ad Matres & filios; ad Patres, & filias; quasi inter eosdem honorabile esset connubium, quod horrendum est etiam ipsis hæreticis; sed Apostoli mens fuit, dicendo *Connubium honorabile in omnibus*, scilicèt quòd in omnibus ad illud spectantibus sit honorabile; in fide mutua servanda, in pace, & charitate custodienda; & in ipsius matrimonii usu, sanctè, & omni cum modestia habendo; ut differit Cornelius à Lapide *in Comm. ad d. Epist. D. Pauli ad Hebræos c.* 13, *vers.* 4. ubi probat Apostolum loquutum non dogmaticè, sed moraliter, ut omnes fideles servarent thorum suum immaculatum in usu Matrimonii.

Non quarta ob Verba illa Apostoli, Episcopum oportere esse *unius uxoris virum*; nam significabat per illa, non posse ordinari bigamos; sed eos, qui unicam uxorem habuissent, à cujus consortio, si viveret, abstinerent; adeò S. Ambrosius *lib.* 3. *epist.* 5. *ad Vercellen. Episcop.* subdit de prædictis verbis: *Neque iterum ut filios in Sacerdotio creare Apostolica invitetur auctoritate, habentem dixit filios, non facientem.* Reliqua verba 2. *ad Cor.* 7. 2. *Propter fornicationem unusquisque propriam uxorem habeat*: dicta sunt ad Laicos, legitimè conjugatos, & præcipuè ad fideles noviter conversos, qui dubitabant, an cum suis uxoribus possint habitare, ut ex Theophilacto, & S. Hieronymo notat Casalius *de S. Ritibus cap.* 54. *in fine.*

Non quinta; siquidem ut legitur *in cap. Omninò, dist.* 31. non licebat Ministris Sacris uxorem, quam ante ordines habuerant, prætextu religionis abjicere, *scilicet à cura sua, ut ei victum, & vestitum largiantur; non ut cum illa ex more carnaliter jaceant*; quod notat etiam Eminentiss. Cardinal. de Lauræa *d. disp.* 9. *n.* 268. & Casalius *d. cap.* 54. *in fin.*

Non sexta; quia, quidquid sit de resistentia Paphnutii in Synodo Nicæna: (illam enim potiùs fabellam reputant Emin. Card. Baronius *ad Annum Christi* 58. *n.* 20. Sotus *lib.* 7. *de Just. & Jur. q.* 6. *art.* 2. Canus *de Locis Theolog. lib.* 5. *cap. ult. ad* 6. & alii apud Barbosam *in collect. DD. ad d. cap. Nicæna Synodus dist.* 31.) certum est, in primis tribus sæculis, 19
à tempore scilicet Apostolorum usque ad eandem primam Nicænam Synodum, fuisse in præcepto castitatem Ministris Sacris. Ut eruditè demonstrat Pignatellus *tom.* 8. *consult.* 81. *num.* 17. In canone enim Apostolorum 27. sic habetur; *In nuptiis autem, qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint uxores, accipiant, sed Lectores, cantoresque tantummodò.* Faciunt verba epistolæ primæ S. Clementis Papæ, & discipuli S. Petri, relata supra *n.* 6. Et pluribus auctoritatibus probat Spondanus *ad Annum Christi* 58. *à num.* 7. *& seqq.* Et faciunt Verba S. Calixti Papæ, & Martyris anno 221. relata *in cap. Presbyter. dist.* 28. In ipsa verò prima Nicæna Synodo sic fuit statutum in *can.* 3. *Interdicit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem: nisi fortè aut Matrem, aut Sororem, aut Amitam, vel eas tantùm personas, quæ suspicionem effugiunt.* Ergo multò magis uxores, ut deducit Caspar Invenin. *d. dissert. X. de Matrim. quæst.* 7. *c.* 8. *art.* 2. ubi ostendit, nullum reperiri Canonem, qui neque in Ecclesia Orientali concedat, Sacris ordinibus insignitis copulam habere cum uxoribus. Sed neque tribus sequentibus sæculis hoc idem concessum fuisse, demonstrari potest, nisi *in Concilio Quinisexto*, celebrato, *Anno* 692. in quo Patres Græci, relato usu contrario Ec- 20
clesiæ Romanæ, cœlibatum in Clero proscripserunt *can.* 3. transcripto *in c. Quoniam d. dist.* 31. & quamvis canon iste cum aliis hujus Concilii Quinisexti, (sic appellati, quia cùm in Concilio Generali Quinto 21
facti non fuissent Canones, in sexto editi fuerunt, habita relatione ad Quintum, & ad Sextum Concilium, ut doctè memorat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *cit. disp.* 9. *De Sacram. Ord. num.* 193.) non fuerit expressè confirmatus ab Ecclesia Romana; nihilominùs fuit toleratus, & indè factum est, ut Græci ad ordines Sacros promoti, si uxorati sint, utantur uxoribus, idque à Romanis Pontificibus pet tolerantiam concedatur, ut dictum est supra *n.* 15. *ex Constitut.* 14. Inconcentii IV. *& Const.* 34. Clementis, VIII. & ex his tollitur.

Septima objectio; atque Octava, nam quoad Græcos, hi utuntur conjugio, contracto ante susceptos ordines Sacros, sed eis non licet post ordinationem Uxores ducere, quòd si de facto eas ducant, matri- 22
monium est nullum. Pignatell. *d. tom.* 8. *consult.* 81. *n.* 2. *& seqq.* sic Ecclesia tolerante ad servandam charitatem, & schismata impedienda; quò verò ad Latinos, etsi usque ad tempora S. Gregorii Magni in

ali-

aliquibus locis Subdiaconi, & Diaconi retinuerint Uxores sub prætextu, quòd in sua ordinatione non voviſſent continentiam, ut advertit Eminentiſs. Card. de Lauræa *d. disp. 9. §. 4. num. 188. & seqq.* ab illo tempore citra nullus admittitur ad ordines Sacros; qui solemni voto non se adstringat ad castitatem, itaut uxorem ducere non valeat; aut si antea habuisset, ea ampliùs uti non possit. *cap. 1. cum plurib.* 23 *seqq. dist. 32. cap. Proposuisti distinct. 82. capitulo primo, & toto tit. De Clericis conjugat. capitulo primo & secundo. Qui Clerici, vel voventes. cap. Unico. De voto, & Vot. redempt. in 6. Clement. Unica. De Consanguin. Extravag. Antiquæ. de Voto, & Concilium Trid. d. sess. 24. canon 9. De Matrimon.* quod inter Scholasticos latissimè probat Eminent. Card. de Lauræa *d. disp. 9. de Ordine, toto art. 9.* Inter Annalistas Eminent. Cardin. Baronius *ad Annum Christi 58. & Ann. 591.* Inter Dogmaticos Gasp. Inveninus *d. differt. 10. q. 7. cap. 8. art. 2.* Inter Canonistas Gonzalez *in Commentar. ad d. cap. 1. De Cleric. conjug.* Inter Moralistas Thomas Tamburinus *de Triplici jure lib. 7. de Ordine cap. 3. §. 3.* inter Forenses Jacobus Pignatelius *d. tom. 8. consult. 83.* ubi ex Patribus, & ex Historiis eruditiones plurimæ circa inviolabilis castitatis ornamentum Sacerdotibus necessarium. Et inter Cathechistas Alphonsus Mendezius Æthyopiæ Patriarcha, è Soc. Jesu, *in suo Bran Haymanot.* seu *Luce fidei lib. 12. cap. 16.* ubi *num. 1.* redarguit Æthyopicos, & Alexandrinos in Sacris ordinibus constitutos, hærentes latere mulierculas, ceu peregrinos baculis, aut Zonis cucurbitas cir-
24 cumgestantes; & *num. 2.* infert, Sacerdotium Evangelicum esse secundùm ordinem Melchisedech, qui fuit sine genealogia, non solùm passiva, de qua Scriptura non meminit, sed neque activa; nam cœlebs fuit, ut scribit Cedrenus *in Comment. Histor.* Et tandem *seqq. num.* usque in fine colligit dicta SS. Patrum, & Conciliorum primi, secundi, tertii, sequentium sæculorum, in quibus Castitas, & continentia in Ministris Sacris astruitur, & ipsi ab uxorum complexu interdicuntur.

Cùm igitur pudicitia, castitas, & continentia sit præcipuus, immò necessarius ornatus Sacerdotum; solliciti esse debent in hujus Angelicæ virtutis custodia; *nè fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum. Ps. 68.* 23. memoria recolentes, quòd *Qui manducat, & bibit indignè* Sacramentum Eucharisticum, *judicium sibi manducat, & bibit, 1. Cor. 11. 27.* juxta comminationem Divinam, de qua *Levit. 6. 20. Anima polluta, quæ ederit de carnibus Hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis.*

Et equidem tremendi sunt casus, qui in Ecclesia-
25 sticis Historiis, & in Sanctorum vitis leguntur, de punitione Sacerdotum incontinentium, & in cæno luxuriæ involutorum. Inhonestum Mystam à Divinis per suum Episcopum suspensum, temerè ad Altare Progressum, apoplectico accidenti percussum, subitanea morte obstrictum ex approbatis auctoribus refert Sperellus *in Paræneſi Theleturgica c. 27. n. 6.* Presbyterum Concubinarium Romæ, de Ecclesia S. Ceciliæ Transtyberim, monitum à Stephano Papa X. sed monita spernentem, improvisa morte obiisse in lecto ex Card. Baronio *Anno 1057. n. 16. & 17.* narrat Matthæol. *in Sylva Histor. tom. 2. lib. 8. cap. 2. tit. 29. exempl. 10. in fine.* Hoyæ, (quæ est urbs Germaniæ, in Westphalia, ad Visurgim fluvium, sub Ducatu Brunsuicensi) Sacerdos Sacrista Ecclesiæ Matris Dei carnalem copulam cœpit habere cum quadam muliere. B. Ivetta tunc vivens inclusa ex divina revelatione sacrilegum facinus intellexit, fœminam corripuit, & ad pœnitentiam induxit. Mox ipsum Sacristam monuit reprehendit, rogavit, ut pœniteret; ille flocci hæc monita fecit: paulò post maligna febris eum aggressa, absque Sacramentis impœnitentem ad orcum transmisit, ut latiùs differit Bolland. *in Vita B. Ivettæ die 12. Januarii cap. 26.* Scribit Joan. Diaconus *in Vita S. Gregorii Papæ cap. 17. n. 79.* Superiorem Monasterii ejusdem Sancti raptam Virginem Deo sacram, nomine Euphrasiam, in privata domuncula detentam sibi concubinam fecisse, non multò post vidisse in somnis Sanctum Pontificem ministris suis dicentem: *Extendite eum in terris, & quadragintis rubricis*, scilicet percussionibus rubra signata in carne relinquentibus) *ventrem, totidemque dorsum fornicatoris, atque sacrilegi Presbyteri verberate.* Ita actum; & expertectus à somno, vi doloris, ac vehementi febre oppressus, absque pœnitentia occubit. Plura hujus generis habentur exempla tum apud ipsum Sperellum *d. c. 24.* apud Matthæol. *d. tit. 29.* & Nicol. Laghium *de Ven. Euchar. Sacram. tract. 4. dist. 1* ubi de punitione Diaconorum incontinentium. *& dist. 6.* de Sacerdotibus carnalibus immunditiis maculatis, severè punitis.

Cæterum ad effugienda hæc pericula, & ad sartum tectum servandum Castitatis ornatum tres sunt cautelæ adhibendæ à Sacerdotibus, Ministrisque Sa- 26
cris. Una est, castigare corpus suum jejuniis, pœnitentis, & disciplinis. Castitas enim, secundùm Divum Thomam Aquinatem, dicitur à castigando; ideò testabatur Apostolus ita: *Castigo corpus meum, & in servitutem rediga; ne forte cum aliis prædicaverim, ego reprobus efficiar, 1. Cor. 9. 27.* Et S. Ambros. faciendum ajebat, quod docet *Ps. 68. 11. Operui in-* 27
jejunio animam meam, & posui vestimentum meum cilicium. Legitur in Chronicis S. Francisci *par. 1. lib. 7. cap. 7.* B. Egidium cuidam religioso de re venerea tentato, & remedium poscenti dixisse; quid ageres, si canis mordere te vellet? Respondit, baculo eum percuterem. Secunda cautela attendenda est, fugere otium. Notum est proverbium: *Otia si tol-* 28
las, periere Cupidinis arcus. Mystis igitur vel est orandum, vel studendum, vel laborandum, juxta præceptum S. Hieronymi *ad Rusticum de vivendi forma: Ama scripturarum studia; & carnis vitia non amabis:* scriptum est enim: *Vigilia honestatis tabefacit carnes.* Cavendum est tamen, ne ad fugiendum otium, assumantur exercitia à Sacris Canonibus 29
vetita, quales sunt alearum ludi. *cap. Episcopus. dist. 35.* & strepitosæ venationes. *cap. Quorundam dist. 34. cap. Qui venatoribus. cap. Esau. cap. Episcopum. De Clerico Venatore.* Tertia cautela est, abstinere à conversatione mulierum, quamvis honestarum, 30
quamvis spiritualium, quamvis sanctarum; scriptum est enim, *In medio mulierum noli commorari. Eccles. 42. vers. 2.* Siquidem earum familiaritas semper est nociva viris, præcipuè religiosis; juxta illud *d. c. 42. Eccl. vers. 14. Melior est iniquitas Viri, quam mulier benefaciens.* Quæ verba ita commentatur Tirinus. *Idest, tibi magis proderit, minusque nocebit injusta vexatio per virum illata, quam blanditiæ mulieris tibi benefacientis. Vir enim vexando te, tuam exercebit patientiam, & multarum virtutum materiam objiciet; sed periculo castitatis amittendæ, vel famæ lædendæ non te exponet. Mulier verò munusculis suis, & osculis tibi blandiendo, venenum libidinis, & ignem concupiscentiæ te succendet, atque ita confundet in opprobri-*

brium, ideſt præcipitabit in pudendam infamiam fornicationis, vel adulterii. Quapropter Sacri Canones monitos faciunt Clericos ut *Fœminam, quam viderint bene converſantem, mente diligant, non corporali frequentia. cap. Hoſpitiolum diſt.* 32. ſubdendo, quòd *ſolum ad ſolam accedere nulla Religionis ratio*
31 *permittit. cap. In omnibus. diſt.* 81. Hinc S. Carolus Borromæus neque cum ſorore ſua ſolus volebat alloqui; idemque faciebat S. Franciſcus Saleſius; & Magiſter Joannes de Avila, ut legitur in ejus vita *lib.* 3. *cap.* 10. Ita S. Thomas de Aquino, ita S. Philippus Nerius, & omnes ſancti, inter quos S. Auguſtinus, teſte S. Gregorio Papa *lib.* 7. *epiſt* 39. relatus *in cap. Legitur. diſt.* 81. interrogatus, quare nollet cum ſorore ſua habitare, reſpondit, quia *Quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt*: ſubdens ibidem S. Gregorius *Docti ergo viri cautela, magna nobis debet eſſe inſtructio.*

Non me piget hic notare lapſus aliquos Sanctorum Virorum, quorum conſideratio timorem,
32 & temorem gignit in cujuslibet ſenſati hominis corde. Primus ſit illius, cujus meminit Martyrologium Romanum *die* 28. *Januarii*, his verbis: *In Paleſtina S. Jacobi Eremitæ, qui poſt lapſum diù in ſepulchro pœnitentiæ cauſa latuit, & clarus miraculis migravit ad Dominum.* Lapſus ejus fuit in peccatum ſtupri, poſtquam in deſerto annis ſexaginta Deo ſerviviſſet in ſumma auſteritate, atque miraculis; & dum eſſet juvenis quadam nocte tentatus à meretrice, quæ ſub ſpecie pietatis hoſpitium petierat ab ipſo; tentationem ſuperaverat, manum in igne tenendo, & comburendo, ne uteretur à ſpiritu fornicationis. At factus ſenex, puellam vexatam à diabolo, & ejus orationibus liberatam, quæ apud eus Eremum remanſerat, carnaliter cognovit; deindè quaſi in deſperationem adactus, dum ad pejora rueret, confortatus à quodam Monacho, ut pœnitentiam ageret, & in Dei miſericordia confideret, ingreſſus ſepulchrum, in eo per decennium degit, lacrymis, inedia, afflictationibus corporis veniam à Deo flagitans; meruitque non ſolùm petitam peccati ſui obtinere remiſſionem; ſed iterum miraculis illuſtrari, ut fuſiùs narrant ex Metaphraſte Lippomanus, *tom.* 7. Surius *tom.* 1. *in ejus Vita*; quam Italicè exſcripſit P. Segala *in Catena aurea, die ſexto Menſis pag.* 199.

Conſimilis lapſus habetur in Hiſtoria Joannis Guarini Eremitæ de Monferato, quam narrant P. Stephanus Bertal Soc. Jeſu; & ex eodem P. Roſignolius in ſuis Opuſc. Italico ſermone conſcriptis, quorum titulus *Le Meraviglie di Dio ne ſuoi Santi*, *par.* 1. *Meraviglia* 50. cùm enim prædictus Guarinus in Eremo Orationi, ac pœnitenti vitæ vacaret; ad eum ducta fuit Cichildis pulcherrima Juvenis energumena, ut liberaretur à diabolo; prout eam liberavit, ſed ipſam apud eum relictum per aliquot dies, ne iterum eam Dicbolus obſideret, eodem tentante, Guarinus ſtupravit; deindè nimia confuſione perfuſus; prolapſurus in baratrum deſperationis ad interceſſionem Deiparæ ſe vertit, & ejus ope benigna, ac auxilio in ſpeluncam redactus pœnitere cœpit, & tanquam bellua manibus, & pedibus innixus quadrupedum more incedere, bene cogitans, quòd *cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis. Pſal.* 48. 21. Hanc per multos annos agens vitam, adeò piloſus, hiſpidus, hirſutus, ferosus, & horridus evaſit, ut à venatoribus tanquam urſus comprehenſus, in domo Comitis Barcellonenſis ligatus ſervaretur; patienter ferens ipſe Guarinus inediam, vigilias, & injurias; donec, Deo miſerante, infans quidam miraculosè loquens dixit: *Surge Guarine, tibi Deus peccatum pepercit.* Quibus verbis cognita ejus perſona, libertate donatus ad eremum iterum conſolatus refugit. En quantam pœnitentiam pro lapſu in luxuriam?

Joſeph Manſius in Opuſculo *Il vero Eccleſiaſtico part.* 1. *lib.* 2, *c.* 7. refert ex Volater. *in Antr. lib.* 21. *ad min.* Robertum de Licio inſigne Concionatorem, cujus monitis trecenti, & ultra viri ad Religionem Seraphicam Divi Franciſci convolarunt; jam ſeneſcentem in lutum carnalitatis ruiſſe, magno cum ſtupore, & dolore fidelium; dolentes tam præclarum hominem factum eſſe unum de illis, contra quos exclamabat Apoſtolus: *Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini? ad Galat.* 3. *verſ.* 3.

Scribit idem Manſius, ubi ſupra, ex Cantipratan. *lib.* 2. *Apum cap.* 30. *num.* 46. Parochum quendam uſque ad ſexaginta annos piè, ac caſtè vixiſſe, ſed ex converſatione devotæ mulieris, utrumque caſtitatis lilium conſpurcaſſe; verum eſt enim Divinum Oraculum aſſeverans, quòd *Mulieres apoſtatare faciunt. Eccl.* 19. 2. Idcircò, ſi Sacerdotes voluerint ornatum hunc pudicitiæ, & caſtitatis illibatum ſervare, opus eſt, ut hac tertia cautela jugiter utantur, abſtinendo ſcilicet à mulierum familiaritate, & convetſatione; & ſemper meminerint, atque crediderint, ſibi ipſis dictum eſſe quod legitur in *cap. penult. De Cahabit. Clerie. & mulier.* hoc eſt: 33
Cum Clericis non permittas mulierculas habitare: & quod præcipitur *in cap. Clericus* 20. *diſt.* 81. his verbis: *Clericus ſolus ad fœminæ tabernaculum non accedat: nec ſolus Presbyter cum ſola fœmina fabulas miſceat.* Elegans eſt obſervatio, quam ex Fernell. *lib.* 7. *cap.* 12. colligit Segnerius *in Chriſtiano inſtructo part.* 3. *ſerm.* 28. *num.* 12. ſcribens vulgari idiomate non vulgarem eruditionem, his verbis: *Che oſſervano i Medici, che quando una Madre porta due gemelli ad un' hora dentro il ſuo ventre, ſe ambidue* 34
ſono maſchi, non v'è trà loro verun riparo di mezzo; ma ſe l'uno è maſchio, o l' altra è femina, v'è una membrana, che quaſi muro diviſorio diſtingue l'uno dall' altra, e non permette loro toccarſi inſieme; come ſe la Natura voleſſe darci ad intendere, che la compagnia dell' Uomo, e della Donna è coſa tanto pericoloſa, che non è ſicura nè pure trà fratelli, e ſorelle, non ſolo quando ſon grandi, mà inſin quando ſpono nell' utero della Madre, non anche nati. Utinam Eccleſiaſtici frequenter legerent; quæ de hoc ornatu tradunt ipſe P. Joſeph Manſius *d. par.* 1. *c.* 7. *& ſeqq.* P. Segnerius *in Parocho inſtructo, cap.* 17. 18. *&* 19. necnon Illuſtriſſimus Epiſcopus Sarnellius *Epiſt. Eccleſ. tom.* 1. *epiſt.* 18.

DECISIO XLVII.

ARGUMENTUM.

De Tonſura Clericali, quæ eſt ornamentum exterius Sacerdotum, agitur in hac Deciſione Oſtenditur in quibus conſiſtat, quibuſve de cauſis ſit introducta? Ejus antiquitas, & privilegia. Sacerdotes intonſi mortaliter peccant. De uſu tonſuræ apud Hebræos, Græcos, Romanos, & Eccleſiaſticos Latinos, ac Græcos; Quid de Barba antiquarum nationum, & miniſtrorum utriuſque Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ? Plures eruditiones de Barba; & exempla non injucunda de mulieribus barbatis.

SUMMARIUM.

1 *Tonsuræ Clericalis appellatione duo veniunt, Clerica, & resciſſio capillorum ſaltem uſque ad aures,*
2 *Tonſuræ Clericalis cauſæ quinque.*
3 *Adoptio filiorum fiebat per reſciſſionem capillorum.*
4 *Tonſuræ Clericalis antiquitas.*
5 *Tonſuræ Eccleſiaſticæ Privilegia.*
6 *Tonſuram Clerici non deferentes peccant mortaliter.*
7 *Chriſti omnis actio debet eſſe inſtructio noſtra.*
8 *Chriſtus capillos longos portavit. Et cur?* num. 16.
9 *S. Jacobus Apoſtolus habuit cæſariem.*
10 *Sacerdotes Hebræi non tondebant ſibi capillos. Et cur?* num 17.
11 *Coma ſignum auctoritatis, & excellentiæ.*
12 *Comam radere ſignum ſervitutis, & ignominiæ.*
13 *Criminoſis raduntur capilli.*
14 *Comæ depoſitio ſignum mœroris.*
15 *Tonſura Eccleſiaſtica inſtituta eſt Apoſtolica traditione.*
16 *Chriſtus Dominus uſus eſt coma, ne à Judæis illa utentibus abhorretur.*
17 *Siſoen, ideſt capillitium calamiſtratum.*
18 *Tonſura capitis apud Clericos eſt ſignum honoris.*
19 *Duces Veneti cur olim abſque coma?*
20 *Tonſura Laicorum in capite varias habet ſignificationes*
21 *Tonſura Clericalis ubi neglecta?*
22 *Conſuetudo contraria Tonſuræ Clericali nihil valet.*
23 *Tolerantia ſuperioris in rebus prohibitis nullum jus tribuit.*
24 *Sacerdos comatus punitus ab Epiſcopo Patavino Anno 1656.*
25 *Edicta Rom. Pontific. contra comas Clericorum.*
26 *Hæretici odio habent tonſuram clericalem.*
27 *Græci Clerici intonſi nunc, non etiam olim.*
28 *Barbæ uſus varius apud homines.*
29 *Barbam Sacerdotes Hebraici ferebant.*
30 *Barbam habebant Philoſophi.*
31 *Romani ab initio intonſi.*
32 *Abbas Papadopoli laudatus.*
33 *Duces Veneti alii barbati, alii non, & cur?*
34 *Barba an delata, vel reſciſſa in Eccleſia Latina?*
35 *Barbam in ſe S. Carolus depoſuit, & in aliis Clericis proſcripſit.*
36 *Barba ut deferatur à Clericis, Epiſcopus præcipere non poteſt.*
37 *Barbatarum mulierum exempla.*
38 *S. Wilgefortis Virgo, & Martyr barbam emiſit.*
39 *S. Paulæ barbatæ prodigium.*

POſt ornatum interiorem, de quo ſupra, ſequitur exterior Sacerdotum ornatus; quem innuit textus *in cap. penult. diſt. 23.* his verbis: *Nec oportet Clericos comam nutrire, & miniſtrare; ſed attonſo capite, patentibus auribus, & ſecundùm Aaron talarem veſtem induere, ut ſint in habitu ornato.* Undè fit, conſiſtere exteriorem ornatum Sacrorum miniſtrorum in Clericali tonſura, in Veſte talari, & in rejectione vanitatum circa ordinaria eorum indumenta.

De Clericali Tonſura egi in Deciſionibus hujus Cleri Patavini *Anno 1683.* ad caſum prudentialem Menſis Januarii, ubi in primis probatum fuit; appellatione Clericalis tonſuræ duo venire, Clericam ſcilicet rotundam in ſummitate capitis, & reſciſſionem capillorum, ſaltem uſque ad aures; itaut hæc duo ſimul concurrere debeant ad implendum præceptum tonſuræ, & unum ſine altero non ſufficiat; ut malè credunt Eccleſiaſtici illi, qui portant clericam, ſed non reſcindunt capillos longos; utrumque enim exigitur à Sacris Canonibus, ut *in cap. Clerici 15.* ibi: *Coronam, & Tonſuram habeant congruentem. De Vita, & honeſt. Clericor.* & *in cap. ult. De Cleric. conjug.* ibi. *Tonſuram tantùm, & coronam Clericalem aſſumpſit.* Itaque ad Tonſuram ferendam, ultra clericam in vertice, oportet crines auferre, & comam non nutrire; ut infiniti propemodum Canones, & Concilia præcipiunt, *cap. Prohibete, cap. Clerici, cap. Non liceat. 23. diſt.* Gloſſa *in cap. Unico, de Clericis conjugat. in 6.* quæ ſic ait: *Propriè Tonſura eſt illa abſciſſio capillorum, quæ eſt in parte inferiori, ut aures pateant: ſed Clerica eſt abſciſſio capillorum in parte ſuperiori:* Gonzalez *in Commentar. ad cap. Si quis ex Clericis, 4. num, 2.* ubi Decreta Conciliorum de coma abſcindenda cumulat, *de Vita, & honeſt. Clericor.* Et facit Pontificale Romanum *part. 1. tit. 3. de Clerico faciendo*; ubi Epiſcopus daturus primam Tonſuram Clericis excitat ſe, & aſſtantes ad Deum orandum his verbis: *Oremus Fratres chariſſimi Dominum Noſtrum JESUM CHRISTUM pro his famulis ſuis, qui ad deponendum comas capitum ſuorum pro amore ejus feſtinant.* Et adſtipulantur auctoritates SS. Patrum, & exempla congeſta à Gaſtone Chamillard: *in lib. de Corona, Tonſura, & Habitu Clericor. cap. 5.* Et ab illuſtriſſimo Epiſcopo Sarnellio *Epiſtolar. Eccleſiaſt. tom 1, epiſt. 10. pag. 65. & ſeqq.* Barboſa *de Jure Eccl. lib. 1. c. 46. n. 13.* & de Poteſt. Epiſc. *alleg. 9. n. 10.* Caſalio *de Sac. Ritib. cap. 49.* & Gonzalez, *ubi ſup.* & ibi DD. 1

Porrò Tonſura eſt à Clericis deferenda tanquam pretioſus ornatus, & ab eis non ſunt crines longiores auribus ferendi; ſed omninò tondendi ob quinque cauſas. Prima eſt ob moralitatem; nam Tonſura Eccleſiaſtica ſignificat excellentiam vitæ Clericalis, juxta illud Apoſtoli 1. *Pet. 2. Vos eſtis genus electum, Regale Sacerdotium.* Et ſicut olim filiis, qui adoptabantur, capillos Pater reſcindebat, juxta quod ſcribit Paulus Diaconus *lib. 6. de Geſt. Longobard. c. 53.* Pipinum filium Caroli Regis Francorum fuiſſe adoptatum à Luitprando Longobardorum Rege prævia capillorum abſciſſione; quod etiam teſtatur Aimonius *de Geſt. Francor. lib. 4. cap. 57.* & Serlogus *in Cantic. tom. 3. c. 5. Veſtig. 52. pag. 286.* Ita tonſura Clericalis, & abſciſſio capillorum ſignificat adoptionem in Chriſti familiam, cum ſpe, & vocatione ad hæreditatem ejus gloriæ; facit *text. in cap. 1. diſt. 21,* Secunda eſt ob conformitatem tum Redemptori noſtro, qui in capite ſuo portavit ſpineam coronam. Beda *lib. 5. hiſt. c. 22.* Petr. Bleſenſis *in c. 4. Jobi* tum Apoſtolorum Principi, qui cùm detonſus fuiſſet à paganis ad ignominiam, deinceps tonſuram ſervare voluit ad gloriam; Beda *ubi ſupra*; & Germanus Patriarcha Conſtantinopolit. *in Theoria Rer. Eccleſ.* Tertia eſt ob Antiquitatem; nam Tonſura cum capillorum reciſſione habuit originem à Sanctis Apoſtolis. Caſal. *d. c. 49.* Emin. Card. de Lauræa *in epitome Canonum Verb.* 2 3 4

Ton-

Tonsura, & singulis sæculis, jugiter præceptum de rescindendis capillis in utraque Ecclesia Latina, & Græca est renovatum. Illustris. Sarnellius *d. Epist. 10. pag. 64.* ubi hoc memorabile dictum, quòd nulla Provincia reperitur suscepisse Catholicam fidem, quæ etiam non sit amplexa Tonsuram Clericorum. Gonzalez *ad d. c. Si quis ex clericis. De Vita, & Honest. Clericor. n. 5.* ubi exempla plura; & distichum Aratoris Subdiaconi Ecclesiæ Romanæ, ordinati *Anno* 545. de se dicentis *in Epist. ad Parthenium:*

Namque ego Romanæ caulis permixtus amœnis,
Ecclesia, tonso vertice, factus ovis.

Quarta causa est ob utilitatem; nam ex hoc ornatu Sacerdotali, consistente in Clericali tonsura, Clericis ipsis proveniunt quatuor privilegia, scilicet Canonis, Fori, Immunitatis, & habilitatis ad beneficia, atque pensiones; *toto tit. De Vit. & Honest. Cleric.* tam *in Decretalibus*, quàm *in lib. 6. ac Clement.* 5 Quæ omnia Privilegia amittunt Clerici, si comam deferant, & tonsuram spernant, ut ex Concil. Trid. *sess. 23. de ref. cap. 5. & sess. 15. c. 20* Hinc responsum fuit ab Alexandro III, *in cap. Si verò 4. De Sent. Excomm.* non incidisse in excommunicationem illum, qui percusserat Clericum nutrientem comam; quod docuerunt Covarruv. *in c. Alma mater. part. 1. §. 10. n. 15.* & Azorius *lib. 5. cap. 20. in fine*; & habetur Constitutio XCII. Sixti Quinti auferentis privilegia prædicta Clericis relaxantibus crines. Quinta verò causa est ob necessitatem; attento quòd Clericalis Tonsura, & rescissio capillorum in Clericis 6 est de præcepto, eamque non observantes non excusantur à culpa mortali, ut desumitur, tum à prohibitione comæ, quam faciunt Sacri Canones sub pœna excommunicationis. *c. Si quis. dist. 23. & c. Si quis, De Vit. & Honestat. Cleric.* Est enim regula certa in jure, quòd excommunicatio non infligitur, ubi culpa non est mortalis. Emin. Cardin. Toletus *in Summa lib. 1. cap. 8.* tum quia sic asseverant gravissimi Doctores. Abbas *in d. c. Si quis. De Vita, & Honest. Cleric.* Diaz *in praxi criminali c. 79. n. 1.* & ibi Lopez *in addit.* Bonacina *de Sacrament. Ord. Quæst. Unic. punct. ult. n. 3.* Navarrus *in Manual. c. 25. n. 110.* Layman. *libr. 5. tr. 9 c. 12. n. 3.* Et Bauny *disp. 12. De bis, ad quæ beneficiarii obligantur*, ubi ita scribit: *Lethalis est ergo culpa comæ ad cervices relaxatio, cùm anathema nulli dicatur, nisi reo mortalis peccati.* Concordant alii plures relati à Gastone Chamillard. *de Tonsura d. c. 7.*

Cæterùm contra prædicta fieri posse videntur sequentes objectio.

Primò. Quia quælibet Christi actio debet esse vi- 7 tæ nostræ instructio. *Clement. 1. De Magistris* Sed Christus Dominus comam portabat, & capillos longos deferebat; sic enim ejus Divinus aspectus describitur à Lentulo Judaici populi Præside apud Malonum *in notis ad capit. 3. Archiep. Palæotti*: *Capillos habens colore nucis avellanæ præmaturæ, & flavos fere usque ad aures; ab auribus verò concinnos, crispos, aliquantulum crueleos, & fulgentiores ob oculos* 8 *ventilantes; discrimen habens in medium capitis juxta morem Nazaræorum; frontem planam, & sereniss imam, cum facie sine ruga.* Concordat Nicephorus Calixtus *lib. 1. c. 40.* ita dicens: *Capitis capillos tulit prolixiores; novacula enim in caput ejus non ascendit.* Ergo non debet esse prohibitum Ministris Sacris imitari Redemptorem, & ad ejus exemplum longos capillos portare.

Secundò. Quia etiam S. Jacobus Apostolus, Je- 9 rosolymorum Episcopus, Cæsariem habebat; sicenim legimus de illo in Breviario Romano *Calend. Maii lect. 5. Jacobus frater Domini, cognomento justus, ab ineunte ætate vinum, & siceram non bibit, carne abstinuit, nunquam tonsus est, nec unguento, nec balneo usus.* Ergo neque Clerici sunt tondendi.

Tertiò. Quia prohibitum est à Deo in Scriptura Sacra Sacerdotibus capillos scindere, & capitis co- 10 mam tondere; ut *in Levitic. c. 19. Vers. 27. Non attondebitis in rotundum comam, nec radetis barbam,* & idem *c. 21. vers. 5. & nu. cap. 6. vers. 5*, Ergo.

Quartò, quia comam nutrire auctoritatis, & gloriæ est, ut ait S. Ambros. *lib. 6. Hexamer.* ubi eam erudito stylo commendat: subdens: *Tolle arboris co-* 11 *mam, arbor ingrata est, tolle hominis capillum, tota pulchritudo flaccescit.*

Hinc etiam Ovidius cecinit:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus:
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

valde autem decere videtur: quod Sacerdotes habeant *coronam decoris in capitibus suis*; ut ait: *Ezech. 16. 12.*

Quintò, quia comam radere est signum captivitatis, servitutis, & ignominiæ; ut idem Ezechiel de- 12 plorat de servitute populi Judaici apud Nabuchodonosorem, *c. 29. vers. 18.* dicens: *Omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus est*; unde & Aristoteles dixit, comam esse libertatis argumentum.

Sextò, quia abscissio comæ, & capillorum est pœ- 13 na statuta in criminosos, & damnatos ad metallum. *l. Vestem ff. de Injuriis.* Et Tacitus de Moribus Germanorum ait, hanc esse pœnam Uxorum adulterium committentium, *ut scissis crinibus nudatam coram propinquis maritus expellat è domo uxorem ipsam.*

Septimò: quia comam dimittere fuit signum apud antiquos magni mœroris; & luctus, ut demonstrat Seneca *de Consolat. cap. 36.* Herodotus *in Euterpe*, 14 ibi:

Aspice demissos lugentis more capillos

Et de hoc effectu plurima sunt Exempla in Sacro textu, ait enim Jeremias *cap. 7. Tonde capillum tuum, & projice, & sume directum planctum*, Job, cùm audisset funestos nuncios deperditorum gregum & filiorum, *Scidit vestimenta sua & tonso capite corruens in terram adoravit. Job. 1. 20.* Et Michæas *c. 1. vers. 16.* ait: *Decalvare, & detondere super filios delitiarum tuarum, dilata calvitium tuum, sicut Aquila; quoniam captivi ducti sunt ex te.* Idem servabant gentiles; nam Svetonius *in Caligula de morte Germanici cap. 4.* scribit: *Regulos quosdam barbam posuisse, & uxorum epitaphasisse ad indicium maximi luctus.* Quare Clerici, & Ministri Sacri, qui debent servire Domino in lætitia, non videntur adstringendi ad depositionem Comæ, & ad capillos rescindendos: ut pluribus cumulatis disputando differit Gonzalez *ad d. c. Si quis ex Clericis. 4. De Vita, & honest. Cleric. n. 3.*

His tamen minimè obstantibus verissima est doctrina de Clericali Tonsura, tanquam ornamento necessario Ministrorum Dei supra relata; quam totis viribus sustinere, venerari, & obsequio prosequi quilibet Catholicus Ecclesiasticus debet, tanquam institutam ex Apostolica traditione ab initio Ecclesiæ; à quâ omnes Clerici exordiebantur vitam 15 Clericalem; ut exemplis pluribus comprobat d. Gonzalez *ubi proximè n. 5.* addens quòd per antonomasiam Clerici vocabantur coronati; quod etiam prosequitur Emin. Card. Baronius *Anno 50. n. 27. & num. 141.* Eminent. Card. Bellarminus *lib. 2. de Monachis cap. 40.* Sausay *in Panoplia Clericor.*

lib. 2. per totum, & Chamillard. *de Tonsura à cap. 1. cum plurib. seqq.*

Ad primam verò, & Secundam ex propositis objectionibus respondetur, Hebræos longam comam deferre usos fuisse, ut probat Pineda *libr. 1. in Job cap. 1, vers. 20. n. 11.* Serlogus *in Cantica tom. 3. cap. 5. Vestig. 32.* Unde Christus Dominus longis capillis utebatur, ut se conformaret aliis nationalibus suis, sic enim expediebat, ne Redemptorem ipsi abhorrerent, ut infert Serlogus *ubi supra*; & ex eadem ratione S. Jacobum ejus discipulum idem fecisse est credendum.

Ad Tertiam plures sunt responsiones. Alii dicunt in Levitici, & Numerorum libro prohiberi 17
tonsionem capillorum, quam ab Ægyptiis, in honorem Idolorum illam facientibus, Hebræi didicerant. Alii, quòd prohibitio illa fuit præceptum cæremoniale, & cessasse in lege gratiæ adinstar circumcisionis, & aliorum. Alii, inter quos Hesychius Episcopus Jerosolymitanus *in Comment. super Levit.* quod non prohibetur ibi comam rescindere, sed in rotundum non tondere, idest ornare, nam LXX. Interpretes verterunt. *Non facietis Sisoen ex coma vestra*, idest *ornatum cincinnum:* Suidas enim ait *Sisoen* significare capillum plicatum; quem Latini vocant capillitium calamistratum; sive calamistris in cincinnos reflexum; quos Apostolus inhibuit mulieribus Christianis 1. *Timoth* 2. 9. dicens: *Mulieres in habitu ornato; cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus*, & Divus Petrus 1. *Epist.* 2. 3. *Quarum non sit extrinsecus capillatura.* Ideò etiam Hebræi vertunt, *non cincinnabitis extremitatem capitis vestri*; quia capilli cincinnati, & calamistrati significant animum mollem, & effœminatum. In *cap. 21. Levit.* prohibet Dominus Levitis *ne radant caput, aut barbam*, scilicet in morte parentum, aut amicorum; ut faciebant Hebræi; conveniebat enim Sacerdotibus esse conformes Divinæ voluntati etiam in obitu charorum, ut fusiùs demonstrat Gonzalez *ad d. cap. Si quis ex Clericis. num. 7. de Vita, & honest. Cleric.* Tandem S. Hieronymus *in Ezechiel lib. 13. cap. 42.* advertit, prohibitos fuisse Levitas radere caput, & barbam, ne imitarentur Sacerdotes Isidis, aut Serapidis, qui talem usum habebant.

Ad Quartam respondetur, esto quòd apud Laicos 18
coma fuerit signum honoris, nobilitatis, & auctoritatis; Clerici tamen debent esse contemptores humani fastus, & tanquam Deo dicati deponere comas, quod fuit semper signum apud omnes nationes militiæ sacræ, & obsequii Divini; ut latè probat Serlogus in *Cantic. d. tom. 3. Vestig. 32.* Magrius *in Hierolexic. Verb. Tonsura.* Et hinc factum esse arbitror, quòd Serenissimi Duces Venetiarum per omnia præterita sæcula absque coma incederent, ut constat 19
ex Iconibus eorundem *in Fast. Ducalib. ab Anafesto I. ad Silvestrum Valerium*, studiò Joannis Palatii impressis; siquidem ipsi Duces, prout omnes Senatores, ac Nobiles religiosissimi sunt; & nativam pietatem, ac obsequium in Deum tum toga nigra talari, tum capillorum contemptu innuere voluerunt.

Ad quintam demum, & Sextam objectionem re- 20
spondetur, secundùm varietatem temporum, & regionum, depositionem comæ, & rescissionem capillorum significasse captivitatem, ignominiam, & reitatem: at per hoc non sequitur; non potuisse adhiberi etiam in signum sanctitatis, honoris, & lætitiæ, ex traditis per Alexandr. ab Alex. *lib. 1. Dier. genial. cap. 16. & lib. 3. cap. 27.* & per Lælium Bisciolam *lib. 7. Horar. Succisivar. cap. 5.* Et vice versa aliquando permissio prolixæ comæ, & longioris capillaturæ facta fuit in pœnam impœnitentiæ, & ob punitionem præcedentium culparum, ut legitur *in can. 21. Synod. 6.* & explicat Gonzalez *ad d. cap. si quis ex Clericis, in fin.*

Major omnium prædictarum objectio Clericorum tonsuram negligentium est contraria consuetu- 21
do. Hanc certè inficiari non possumus, cùm ubique in præsenti sæculo invaluerit, non absque religionis detrimento, & hæreticorum gaudio: & præcipuè Romæ, quam Emin. Card. de Luca *in Annotat. ad Concil. Trid. disc. 24. n 25. & 26.* conatur excusare, quòd ob universalitatem crinitorum non sit ibi scandalosa. Porrò dicere non possumus, eam peccaminosam non esse, attenta prohibitione ejus, quam indesinenter fecit, & facit Ecclesia in tot, & tantis Conciliis Generalibus, Provincialibus, & Diœcesanis, & eam damnaverit Concilium Tridentinum *sess. 22. de refor. cap. 1.* ita statuendo: *Statuit S. Synodus, ut quæ alias à Summis Pontificibus, & à Sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, &c. copiosè, ac salubriter sancita fuerunt: eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur, &c. Si qua verò ex his in desuetudinem abiisse compererint, & quamprimùm in usum revocari, & ab omnibus accuratè custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscunque.* Igitur non subsistit fundamentum consuetu- 22
dinis, cui derogavit Concilium; tanto minùs, quia consuetudo Comæ, & capillaturæ in Clericis est contra Ecclesiasticam disciplinam, & honestatem Clericalem; comati enim, & capillati Clerici, deposita veste talari, absque rubore miscent se inter fœminas in choreis, in ludibus, in bacchanalibus, ut experientia docet; & ideò talis consuetudo, quamvis foret immemorabilis, nihil valet, Sperellus *Decis. 179. num. 61.* est enim abusus, & corruptela, quæ nullo tractu temporis, etsi longissimi, vires capit. Idem Sperellus *Decis. 182. num. 33. 57. & 60.* Gonzalez. *ad Reg. 9. Cancellar. gloss. 33. n. 10. & 11.*

Nec dicant delatores capillaturæ, quòd Episcopi 23
vident, sciunt, & tolerant; quod etiam videtur facere Romæ Summus Pontifex. Nam respondetur primò, tolerantiam Superiorum in rebus prohibitis nullum jus tribuere utentibus illis, *cap. fin.* ubi Glossa *in verb. approbare. De Senten. Excomm.* Ludovisius *Decis. 162. n. 10.* & ibi Adden. *litt. C.* Pignatellus *tom. 10. consult. 95. n. 15.* Respondetur Secundò, non esse tolerantium in Episcopis, qui per sua Edicta, & Synodales Constitutiones detestantur comas, & crines auribus longiores in Clericis, quos etiam castigant; ut fecit hic Patavii Anno 1656. vigilantissimus Episcopus Georgius Cornelius, qui Presbyterum satis divitem, sed vanum, comam de- 24
gentem carcere mancipavit, mulctavit, & tondere fecit, ipsamque comam appendere jussit in Cancellaria ad aliorum terrorem. Romæ Summi Pontifices frequenter renovant prohibitiones capillaturæ in Clericis. Ita fecisse Urbanum VIII. Anno 1624. testatur Chamillard *de Tonsura cap. 3. in fine.* Eandem fecit Clemens Nonus Anno 1667. & Anno 1681. Innocentius XI. & de præsenti prohibuisse comas, 25
& capillos longos in Clericis Romanis Sanctissimum Innocentium XII. feliciter regnantem fama ubique facit fidem; adeò ut frivolæ sint excusationes eorum, qui volunt quidem vitam Clericalem pro habendis redditibus Ecclesiasticis; sed non eam assumunt, ut serviant Deo abstracti à mundi vanitatibus.

tibus, & depositis capillis; ignorantes, excellentiam Ministrorum Dei consistere in hoc ornatu detonsi capitis, quem tanti SS. Patres, & majores nostri æstimabant, ut si quid præmurosè petituri essent ab aliquo Ecclesiastico, eum per *Coronam suam*, id est *Tonsuram Clericalem* rogarent: ut legitur *in Epist.* 26. S. Hieronymi ad Augustinum; ibi: *Dominum meum Alipium, & Dominum meum Evodium, ut nomine meo salutes, precor coronam tuam*; Nec non *in Epist.* 147. Divi Augustini ad Episcopum Proculianum, ibi: *Per Coronam nostram nos adjurant vestri,* 26 *& per Coronam vestram vos adjurant nostri.* Et ex hac inobservantia sequitur magna delectatio hæreticorum, qui odio habentes Ecclesiasticam disciplinam, valdè desiderant contemptum Sacrorum Canonum; & specificè Tonsuræ Clericalis, prout suis temporibus retulit Innocentius III. *lib. 2. contra hæretic. sui temp. cap. 2.* ita scribens. *De hac forma Regali, de hoc signo Jesu Christi hæretici quæstionem faciunt; maximè illi, qui à Clero deciderunt, & ad hæresim transierunt. Undè, inquiunt, corona hæc accepit initium? Quid nobis, & coronæ huic?* Utinam criniti Clerici, & eorum Confessarii seriò considerarent, delationem comæ in Ministris sacris esse peccatum mortale, ut probat Navarrus *in Manuali cap. 25. num. 110.* & Illustrissim. Sperellus *in Parenæsi Teleturg. cap. 39. num. 6.* hi enim non impenderent ipsis Sacramentalem absolutionem; & illi melius consulerent animabus suis; abjectio namque Tonsuræ per relaxationem capillorum est quædam species Apostasiæ à vita Clericali; ut deducitur ex verbis S. Augustini *De Contemp. Mundi tom. 9.* ita scribentis: *Quisquis Clericus ad sortem Domini vocatus, qui comam nutrit, & capillos radere, vel tondere erubescit, profectò se non de Dei; sed de mundi sorte esse testatur.* Et novissimè hunc abusum in Clericis deplorat, & eis timendum esse de æterna salute probat Magrius *d. verb. Tonsura* omninò legendus.

Nec dicant in Ecclesia Græca comam esse permissam ministris Sacris. Respondet enim Chamillard, *de Tonsura cap. 10. Opposit. 4. pag. 584.* ad causam 27 nostram non pertinere Græcorum exemplum; quippè in pluribus ritibus ipsi à nobis sunt segregati; ab initio tamen Ecclesiæ, & per plura sæcula etiam Græci comam deponebant, & tonsuram Clericalem profitebantur, teste S. Gregorio Nazianzeno *Orat. 28. adversus Maximum*, quem cùm malis artibus Episcopi provinciales ad Ecclesiam Constantinopolitanam promovissent, quia comam habebat, eumdem totonderunt, quod refert etiam Magrius *d. Verb. Tonsura:* In sexto sæculo Eutychii Antistitis Constantinopolitani tonsionem ex Metaphraste narrat Surius 6. *April. num. 11.* & Tarasii in eadem Sede successoris, intrepidi adversùs Iconomachos confessoris, capillorum tonsuram scribit idem Surius *die 25. Februarii num. 12. 13. & 14.* ac aliorum consimilem comæ depositionem in sacrorum ordinum susceptione in Ecclesia Græca refert Chamillard *ubi supra pag. 589.* prosequendo relationem Historiarum, è quibus constat, etiam Sacerdotes Græcos à relaxatione capillorum abstinuisse usque ad sæculum nonum; quo inclinante, Græci, sub Photio Patriarcha Constantinopolitano intruso, orto magno schismate, se ab Ecclesia Romana subtraxerunt, cœperunt comas admittere, etsi subtus illas in rotundum crines radant; de qua methodo se tonsurandi subtus, relaxandi autem desuper capillos usque ad humeros, ita concludit Chamillard *d. cap. 10. Opposit. 4. in fine, pag. 599. Ut dicam igitur quod sentio, Græcorum comam in latinos dumtaxat odium laxavit, & nutrivit; nec illa dimidiata capitis detonsio, nisi Schismatici ingenii portio jure nuncupari potest.* Et ex his omnibus apparet, Ornatum hunc eximium Clericalis Tonsuræ, consistentis in rescissione capillorum, ne sint auribus longiores; & in Clerica rotunda in summitate capitis, esse à Sacerdotibus Latinis avidè custodiendum, & devotè portandum juxta Sacrorum Canonum præscriptum, quod efficaciter inculcant Sperellus *in Paræsi d. cap. 39. à num. 4. & seqq.* Chamillard. *toto Tract. de Tonsura:* in quo *c. 1. 2. & 3.* colligit Concilia, Pontificum Constitutiones, & Synodos Nationales illam præcipientes, in sequentibus autem capitulis cumulat Synodalia Decreta Diœcesana, SS. Patrum testimonia, Antiquitatis exempla, Doctorum sententias, Principum edicta; & plures hujus Ornamenti non negligendi rationes; & demum decem oppositiones à profanis, seu à Novatoribus factas resolvit. Inter canonistas autem de ipsius Tonsuræ necessitate, & præcepto agunt Carolus de Grassis *de Effectibus Cleric. Prælud. num. 280. & seqq.* & Bellettus *Disquisit. Clerical. part. 1. de Disciplin. Cleric. §. 17.* quos Auctores Ecclesiastici intonsi legerent, eos puderet, à proprio debito tam animosè distare.

Tandem quia *in cap. Clericus 5. De Vita, & honestate Clericor.* ita dispositum legitur. *Clericus nec* 28 *comam nutriat, nec barbam*, sciendum est, quoad culturam barbæ varios fuisse usus tam in antiquissimis temporibus, quàm in mediis, & successivis usque ad Evangelicam legem; ut doctè demonstrat Gonzalez *in Commentar. ad d. cap. Clericus.* Hebræi lon- 29 gam barbam nutriebant, juxta illud *Psal. 132. Vers. 2. Sicut unguentum, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Apud Græcos tempore Alexandri Magni barbæ tondebantur, ut ex Athenæo *lib. 13. cap. 6.* etsi Philosophi barbam nutrirent, de quibus ludens Poeta græcus cecinit. 30

Si promissa facit sapientem barba, quid obstat,
Barbatus possit quin caper esse Plato?

Quæ carmina sic traduxit Marinus:

Se la barba, chi hirsuta al petto pende,
Filosofo altrui rende;
Chi dirà, che un Castrone
Non possa esser Platone?

Romani ab initio nec capillos, nec barbam rescindebant; sed deinceps cœperunt eam tondere anno 31 454. ab Urbe condita, ut ex Varrone *de Re Rustica lib. 11.* & ex Plinio *lib. 7. cap. 39.* demonstrant Gonzalez *ad d. cap. Clericus. num. 2.* & eruditissimus, nostrique Gymnasii Publici Sacrorum Canonum Professor Abbas Nicolaus Papadopoli *in Prænotion. Mystagogic. Responsi. 4. sect. 1. §. 3.* ubi doctè advertit, 32 quòd is mos, isque barbæ contemptus, neque Romæ perpetuus, neque planè communis; nam gravissimos quosque, & sapientiam professos pilis pepercisse notum est ex illis versibus Juvenalis *Satyr. 2.*

Horrida membra quidem, & duræ pro brachia Setæ
Promittunt atrocem animum.

Et idem dicendum venit de Venetis Senatoribus, quorum plurimi ad Ducale fastigium evecti raso mento, & absque barba, ante, & post millesimum sæculum conspiciuntur; non pauci verò barbati, ut ex eorum Iconibus apud Joan. Palatium *in fast. Du-* 33

cal. ipsosque Duces cultores barbæ fuisse credo ex præcedenti eorum navigatione, & expeditione in Græciam; ubi sapientibus barba semper placuit; cum dicat de Socrate *Pers. Sat.* 4.

——— *Barbatum hoc crede magistrum*
Dicere, &c.

Quod verò attinet ad ministros Sacros legis Evangelicæ; sicut Christus Dominus, & Sancti Apostoli barbam portabant, ut ex Nicephoro ostendit Gon-
34 zalez *ubi super n.* 3. ita Pontifices Romani eam retinuerunt usque ad Anicetum; id etiam attestantibus eorum imaginibus in Bullario Cherubini, & apud Ciaconium; ab Aniceto tamen, & deinceps cœperunt Pontifices, & Ecclesiæ Latinæ Episcopi, ac Clerici non solùm tondere barbam, verùm & radere, & ita apud eosdem Cherubinum, & Ciaconium eruuntur Icones Pontificum absque barba; & in hic mos radendi barbam in Clericis occidentalis Ecclesiæ commendatus fuit, deinde præcepto firmatus Epistolis Pontificiis, & Conciliaribus Decretis; usu barbæ firmo remanente in Ecclesia Orientali; ut fusiùs disserunt idem Gonzalez *loco supra cit. num.* 3. & 4. & Abbas Papadopoli *d. resp.* 4. *sect.* 1. §. 3. concludens, quòd cùm abrasio, aut nutritio barbæ sit adiaphorum quid, & indifferens. tam Græci, quàm Latini peculiaribus rationibus moti potuerunt barbam dimittere, aut radere.

Igitur quò ad huc barbæ ornatum in Ecclesia Latina, si usum consideramus, fuit varius in præterito, & in præsenti sæculo juxta varietatem regionum, ac morum hominum. Si Sacros Canones attendamus,
35 non est à Clericis Latinis barba nutrienda; quorum Sacrorum Canonum vi motus S. Carolus Archiepiscopus Mediolanensis hortatus fuit primùm universos de Clero suo ad deponendam barbam; deindè ipse mento raso in publicum venit; ac exemplo suo nonnullos, quos pulchra, & decora barba delectabat, ita suasit; ut, depositâ mentis duritie, eam rescinderint; quod latè narrat Giussianus *in ejus vita lib.* 4. *c.* 10. & refert Illustris. Sarnelius *d. tom.* 1. *Epist.* 12. *pag.* 93. & 94. addens, à Sacra Congregatione *E-*
36 *pisc. & Regular.* responsum fuisse; *che se il Prete vuole, si può radere tutta la barba; ne il Vescovo glielo può probire* 1580. *Matera* 3. *Maii*, apud Nicolium in M. SS. Ea ratione quia prohiberet observantiam supracitati *cap. Clericus.* 5. *de Vita, & Honest. Cleric.* desumptum ex *Conc.* 4. *Cartaginen. can.* 44. In præsentiarum, aliqui Clerici, & Sacerdotes Regulares barbam deferunt, quibus ipsa conciliat gravitatem. Monachi, ac Sacerdotes Societatis Jesu, & plures ex mendicantibus eam radunt, & sunt venerabiles; idcircò nullus reprehendendus, omnes commendandi; illi tantùm censurandi, qui promixæ barbæ adeò studiosi essent, ut pectine, & odoribus eam nimis colerent ad pompam, ac vanitatem; hoc enim esset barbam nutrire, quod vetant Sacri Canones, non illam mediocrem habere; vel absque cultura, prout faciunt PP. Capuccini portare.

Corollarii loco non me piget hic referre, quæ leguntur de mulieribus barbatis apud Historicos. Scot-
37 tus in Physica Curiosa *lib.* 3. *cap.* 32. §. 2. ita scribit; *Variis temporibus, ac locis visæ fuerunt mulieres barbatæ: nam teste Vuolfio apud Aldrovandum c.* 1. de Monstris *in Gynæceo Alberti Ducis Bavariæ mulier barba nigra, & promissa, insignis versabatur. Et in Musæo illustrissimi Senatus Bononiensis conspicitur Icon mulieris Germanæ, quæ olim Bononia transiens barbam duos palmos longam gestabat. Ipse ego in Sicilia mulierem vidi, quæ barbam sat longam, ac densam ostentabat, nisi identidem eam præscinderet* (Ego quoque hic Patavii, cùm adolescens essem, vidi consimilem mulierem barbatam.) *Visa Lutetiæ fœmina, mystace nigro* (vulgò con mostacchi negri) *& incano justæ magnitudinis, mento etiam piloso mediocriter, teste Jonstano in Thaumatol. Class.* 10. *cap.* 7. hucusque Scottus.

De Galla vidua, amore castitatis barbata, differit S. Gregorius Magnus *lib.* 4. *Dialog. cap.* 13. Et Antonius Masinus Bononien. *in Schola Christiani c.* 47. §. 110. *pag.* 494. notat ex Donato Calvo *in Ephemerid. fol.* 508. *part.* 3. Bergomi repertas fuisse anno 1596. duas mulieres barbatas, habentes barbam longam, adinstar Patrum Capuccinorum. Sed hæc sunt opera solius naturæ. Exempla, quæ sequuntur, sunt supernaturalia.

In Martyrologia Romano *die* 20. *Julii* ita legitur. *In Lusitania S. Vvilgefortis Virginis, & Martyris, quæ pro Christiana fide, ac pudicitia decertans, in Cruce meruit gloriosum obtinere triumphum.* Hæc Regis 38
Portugalliæ filia formosissima, clam Christiana, nescio parente ethnico, ab eodem post primæ uxoris obitum, ad incestuosas nuptias secum ineundas electa, & coacta fuit. Ad orationem pia Virgo confugit, & una nocte ita eam Deus deformavit, ut die altero non fœminæ, sed viri speciem præseferret; barba enim hispida, & prolixa mentum illius, genasque undique contexit. Iratus Pater illam in Crucem clavis affixam crudelissimè interemit, ut ex Molano ad *Usuardum*, ex Abbate Anhusano *in Stemm Christi* 20. *Julii*, & ex Bartholommæo Riccio *in triumpho Christi Crucif.* narrat P. Scottus *in Physic. curiosa d. lib.* 3. *c.* 32. §. 2.

S. Paula cognomento Barbata, Virgo Abulensis in Hispania, ob egregiam pulchritudinem ab insolenti juvene sæpius tentata; cùm eam solam repertam in agro esset violaturus, fugit in proximam ædiculam Divo Laurentio dicatam, ubi orans statim ejus facies deturpata est, & agrestis barba ita in ea enata, ut Amasius introgressus ipsam non agnoverit. Ita ex Bollando *tom.* 3. *in Actis SS. Februarii* refert Begatta *de Admirand. orbis Christiani tom.* 3. *lib.* 1. *c.* 3. §. 2. *n.* 5. addens *num.* 6. ex Ughellio *in Italia Sacra to.* 7. *Amalphen. Archiepisc.* Joannem ephebum, nepotem Ven. Petri Eremitæ annorum undecim, ab iniquo homine ad turpia expetitum, Deo auxiliante, in facie ejus statim tam longam barbam emisisse, ut apud procacem prædictum incognitus remaneret.

DECISIO XLIX.

ARGUMENTUM.

Agitur de alia parte Ecclesiasticæ Tonsuræ, consistentis in Habitu ad formam Sacrorum Canonum. Tres conditiones Vestis Clericalis, ut sit Talaris, Nigri coloris, & Lanea. Plura de Origine, & usu Vestis Talaris. De colore albo, ac violaceo ejus-

jusdem; atque de prohibitione Vestium sericarum. Sed accessoria habitus Clericalis, Zona, Collaria, Manicæ; Calcei, Pileus, & Annulus, quæ omnia quomodo Clerici deferre possint? Annulorum plures usus, & Mysteria, præcipuè in conjugiis, & Sigillis. Papæ Sigilla tria; Annullus Piscatorius, Plumbeum, & subscriptio cum aliquo versu Sacræ Scripturæ. Digitorum nomina, & cur in quarto digito Annulus ponatur? De Annulis sponsalitiis S. Annæ, ac Deiparæ. Quibus Ecclesiasticis licitus sit Annulus aureus, & quibus prohibitus? Quid sit Vestis dicta Birrus? Qui infantuli olim Lectores? Et cur Regularibus detur habitus solemni ritu; non etiam Clericis sæcularibus? & laici sepeliantur induti Habitu Regulari Sancti Francisci.

SUMMARIUM.

1 *Vestis talaris, ultra Tonsuram, est Clericis necessaria.*
2 *Marcus Cornelius Episcopus Patavinus in Conc. Aquilejensi Provinciali fuit anno 1596.*
3 *Vestis Clericalis tres conditiones requirit. Et quæ?*
4 *Talus quid sit?*
5 *Vestis talaris ex præcepto Apostolorum.*
6 *Antoninus Caracalla Imperator auctor vestis talaris apud Romanos.*
7 *Vestes talares Clausæ ante, & retro.*
8 *Pallium, seu Mantellum Clericorum sit talare.*
9 *Vestes Clericorum non talares in Villis, & itinere; at nunquam in Missa.*
10 *Vestis Clericalis sit nigri coloris.*
11 *Vestes Clericorum albæ in primitiva Ecclesia.*
12 *Novatinai hæretici cur vestes albas portabant?*
13 *Violacei coloris olim vestes Clericales.*
14 *Color viridis, & rubeus prohibitus Clericis in vestibus.*
15 *Vestis talaris, & nigra induenda à Clericis etiam domi.*
16 *Vestes è Serico prohibent Clericis Synodi Patavinæ.*
17 *Vestibus sericis induuntur Nobiles.*
18 *Episcopi debent induere vestes laneas, non sericas.*
19 *Accessoria Vestis Clericalis sex. Et quæ?*
20 *Cincturam habeant Clerici supra vestem.*
21 *Collaria Clericorum alba simplicia, non diffusa; nec manicæ.*
22 *Subucula reflexa ad manus sit parva.*
23 *Calcei Clericorum nigri, non ad formam mundanam.*
24 *Pileus Clericorum non sericus, nec fastigiatus.*
25 *Annulus undè dictus?*
26 *Annulus erat fibula pallii, & pluvialis.*
27 *Annulus pro sigillo.*
28 *Papæ sigilla tria; Annulus piscatoris; Plumbeum, & signum cum versu aliquo Scripturæ Sacræ.*
29 *Chorda serica quando in Bullis Papæ? & quando è canape?*
30 *Plumbeum sigillum Veneti Ducis.*
31 *Christi nomen in Annulis primitivorum Christianorum.*
32 *Annulus in digitis signum honoris.*
33 *Romanorum usus circa Annulos aureos, argenteos, ferreos.*
34 *Scholaribus; dum doctorantur, cur Annulus aureus detur?*
35 *Annulus cur in Sponsalibus, & in Matrimonio?*
36 *Annulus cur in quarto digito Sponsæ manus sinistræ?*
37 *Digitorum manus hominum nomina?*
38 *Digiti grossiores ante cibum, quàm post.*
39 *Annulus S. Annæ Matris Deiparæ qualis, & ubi sit?*
40 *Annuli Sponsalitii Deiparæ duo; & ubi sint?*
41 *Annulus Sponsalitius soluto Matrimonio an sit Uxoris?*
42 *Annulus cur Episcopis datur in consecratione? Ejus mysteria.*
43 *Græci Antistites abstinentes ab usu Annuli aurei.*
44 *Annulum aureum Abbates ferunt ex Privilegio. Item Abbatissæ.*
45 *Annulum Moniales habent ut Sponsæ Christi.*
46 *Annuli aurei prohibiti Clericis, exceptis Prælatis, & Doctoribus.*
47 *Doctores, neque alii in dignitate Ecclesiastica constituti tenent Annulum in Missa.*
48 *Protonotarii non participantes an teneant Annulum in Missa?*
49 *Habitus domesticus Clericorum, & Sacerdotum qualis? Et quando peccent mortaliter ob vestes vanas?*
50 *Clericalis dignitas servanda.*
51 *Clericorum puritas interna.*
52 *S. Basilii, & S. Ephrem visio.*
53 *Clerici ne sint contemptibiles.*
54 *Lectores an habitum mundanum possint deferre?*
55 *Birrus quid sit?* Et num. 62.
56 *Modestia in vestitu Clericorum.*
57 *Vestales Virgines damnatæ ob vanitatem indumentorum.*
58 *Vestes Sacerdotum in Sacrificio debent esse splendidæ.*
59 *S. Sabbas honoratus ab Anastasio Imp. ob vestem humilem.*
60 *Musici laici in Ecclesiis S. Marci Venetiar. & S. Antonii de Padua.*
61 *Lectores infantuli Martyrio coronati die 13. Julii, qui sint?*
63 *Sordes in vestibus Clericorum cavendæ.*
64 *Vestis Clericalis cur non detur solemniter, sicut habitus Regularium, & Monialium.*
65 *Laici cur sæpè sepeliantur induti habitu Regulari S. Francisci?*

PRo adimplendo præcepto Clericalis Tonsuræ, satis non est Ecclesiasticis ministris capillos, & barbam rescindere, tondereque, ut probatum est supra; sed oportet, ut etiam vestem Clericalem, ad normam Sacrorum Canonum deferant; utrumque enim requiritur, ut quis dicatur Tonsuram servare; ut definitum fuit in Concilio Aquilejensi diœcesano anno 1595. *de Vita, & honest. Cl.* 1 in illis verbis: *Habitum Clericalem declaramus eum esse qui veste talari, & tonsura constat. Si ex duobus alterum desit, dicimus Clericalem habitum integrum non esse.* Et in eodem Concilio Provinciali Aquilejensi celebrato Utini *anno* 1596. (in quo, inter alios Episcopos suffraganeos illius amplissimi Patriarchatus, intervenit, & subscripsit etiam Illustrissimus, & Reverendissimus Marcus Cornelius Epi- 2 scopus Patavinus) sub *eod. tit. de Vit. & Honest. Cleric.* reiteratò dicitur: *Habitum verò Clericalem declaramus eum esse qui veste vel talari, vel breviore in itinere, ut paulò ante dispositum est, ac tonsura constat. Si ex duobus alterum desit, habitum Clericalem dimidiatum declaramus, ac dicimus, ut Constitutionibus de habitu Clericali deferendo disponentibus satisfactum non sit.* Quibus decretis conformis est declaratio S. Congregat. *Concil. Trid. ad sess. 23. cap. 6,* quam refert Illustris. Episcopus Sarnellius *d. tom. 1. Epistolar. Eccles. Epist. 16. pag.* 120. hisce Verbis: *Non sufficit Corona, seu Tonsura sine habitu; sed computativè requiritur utrumque.*

Ut igitur Sacerdos in exteriori, debito ornatu indutus compareat, opus est, eum vestri Vestes à Sacris canonibus præscriptas; & quia Vestis Clericalis dupliciter considerari potest, vel in se, vel in accessoriis; primùm de conditionibus ipsius Vestis in se consideratæ loquemur; deindè de accessoriis eandem vestem concomitantibus.

3 Vestis Clericalis considerata propriè principaliter, & in se, ut Juri Canonico sit conformis, debet tres conditiones habere, unam in forma, alteram in colore, tertiam in materia.

Forma Clericalis vestis est, ut sit oblonga, & 4 demissa à collo usque ad talos (Talus autem est pars pedis; idest illud os, quod exuberat penes calcaneum. Laurent. *in Amaltheæ Onomastica Verb. Talus.*) & à contractu prædicti ossis Tali, quem vestis oblonga facit, dicitur Talaris; estque hæc forma 5 antiquissima; ordinata à SS. Apostolis, ut notat Sarnellius *d. Epist. 16. pag. 111.* quam utebantur etiam Hebræi ad exemplum suorum Patrum, & Patriarchatum; siquidem Jacob vestiverat filium suum dilectum Joseph veste Polymita. *Genes.* 37. 3. quæ quidem vestis erat talaris; ut subdit ibidem Scriptura Sacra *Vers.* 23. in illis verbis: *confestim igitur, ut* (Joseph) *pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talaris, & polymita; miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.* Et ideò usus vestis talaris magni æstimatus semper fuit apud viros sapientes; conciliat enim ejus forma non 6 mediocrem decorem, & gravitatem, & eadem utebantur Romani; præcipuè sub Antonino Caracella Imperatore; qui hanc formam, & longitudinem vestium usque ad talos præscripsit Romanis, & ab ipso Imperatore vestes talares vocari cœperunt *Caracallæ*, ut tradit Ferrarius *de Re Vestiaria part. 2. c. 28.* Et Magrius *in Hierolexic. verb. Caracalla*, ubi refert verba Eucherii *de Veste* sic dicentis: *Est veluti in Caracallæ modum, sed sine cucullo; qua in primitivo Ecclesia statu Clerici cœperunt in signum decoris uti.* Quare omina Concilia, & omnes Canones Ecclesiæ, ac Sanctorum Patrum monita inculcant Clericis, & ministris Sacris, ut vestem talarem deferant; atque à brevibus tunicis abstineant; ut habetur *in c. penult. 23. dist. cap. Clerici officia*, ubi Gonzalez *num.* 15. & 16. *De Vita, & honest Cleric.* Glossa *in Clem. 2. Can. Videatur. eod. tit.* Cœpola *cons. 11. num. 31.* Belletus *Disquisit. Clerical. par. 1. §. 16. n. 13.* Barbosa *de Episc. alleg. 9. & de jure Univers. lib. 1. cap. 40. num. 19.* Enim. Card. de Lauræa *in Epitome verb. Verb. Clericus quo ad habitum pag. 151.* & Sarnellius *d. tom. 1. Epist. 16. pag. 126. & 127.* ubi Synodales constitutiones multorum Episcopatuum refert, quæ ulteriùs advertunt, easdem vestes talares clausas esse 7 oportere, non autem apertas antè, vel retrò; & (ut ajunt plures Canones) non expectoratas; itaut neq; caligæ, neque femoralia videri possint; & ejusdem longitudinis, atque talaris formæ debet esse pallium; (quod etiam in Conciliis vocatur cappa, tabarrum, mantellum, toga, & ferrajolum,) quo utuntur Clerici supra vestem; ut differit idem Gonzalez *in Com-* 8 *ment. ad d. cap. Clerici officia num. 15. De vita, & honest. Cleric.* & Sarnellius *d. Epist. 16. pag. 121.* ubi refert S. Epiphanium, qui *Hæres. 69.* describit physonomiam hæresiarchæ Arrii, & d o dicit, *dimidium pallium semper indutus, & stolam*; videlicet quòd Arrii usus erat procedere vestitus veste, & pallio previbus usque ad genua, non autem talaribus, ut Sacri Canones etiam eo tempore decreverant; non solùm in civitatibus; sed etiam per itinera; quamvis post decimum sæculum indulserint Ecclesiarum Prælati, ut in Villis, ob vias lutosas, Presbyteris sa- 9 tis esset deferre vestes medietatem crurium attingentes; itinerantibus verò, si genua cooperirent; ut ibidem ex Conciliis firmat idem Sarnellius; ita tamen ut pro celebratione Missæ, & in Divinis officiis Sacerdotes induti esse debeant semper Veste talari, & longa usque ad tolas; quod est ex Lege Diœcesana semper servatum in hac exemplarissima Diœcesi Patavina. Et hæc de prima conditione vestis Clericalis.

Altera ejus conditio respicit colorem; videlicet quòd sit nigra. Talis enim est universalis consuetudo Ecclesiæ conformis Canonibus Sacris, per quos 10 prohibiti sunt omnes colores in vestibus Ministrorum Dei. *cap. ult. in fin. 20. qu. 1. cap. 1. 21. q. 4. Clement. ult.* & ibi Glossa *in Verb. partita. De Vita, & honest. Cleric. d. cap. Clerici officia.* & ibi Gonzalez *num. 6. & 7. eod. tit.* Sarnellius *d. Epist. 16. pag.* 112. & *pag.* 128. ubi adducit Simeonem Thessalonicensem ita de veste talari Clericorum sui temporis allocutum: *Episcopus vestem nigram, quæ humilitatis, & religiosi timoris symbolum est, benedicit, & consecrandum jubet eam induere.* Et dictum Urbani Papæ Octavi, in quo sic legitur: *Non vestiano* (i Petri) *da Prelati, ne portino veste d'altro colore, che nero.*

Porrò ignorandum non est in primitiva Ecclesia non fuisse in præcepto hunc nigrum colorem s & 11 licuisse Clericis, uti quocunque colore voluissent in vestibus; liberum enim habebant vestitum, ut ait Decianus *lib. 4. cons. 50. num. 18.* & Zerola *part. 1. Verb. Clericos. §. 14.* sed præcipuè utebantur colore albo; vel quia eundem adhibebant Sacerdotes Aaronici, ut probavimus *supra Decis. 23. n. 12.* vel quia apud antiquos color albus in vestibus gratissimus erat, ut demonstrat Ferrarius *d. part. 1. de Re Vestiar. lib. 1. cap. 35. & lib. 3. cap. 10.* & ad vestem albam,

qua

qua suo tempore religiosi viri utebantur, videtur allusisse S. Hieronymus *lib.1. contra Pelagianos* in illis verbis: *Quia serica veste non utimur, Monachi indicamur; si tunica non carduerit, statim illud è trivio, impostor, & Græcus est.* Confirmatur usus coloris albi in vestibus apud primitivos Christianos etiam ex cohortationibus Clementis Alexandrini ad Ægyptios *Pædagog. lib.2.* & ex S. Athanasio *in vita S. Antonii Abbatis*, de quo narrat, adeò desiderasse martyrium, ut vestibus albis procederet indutus; ad hoc ut à persecutoribus cognosceretur esse Christianus. Porrò tam Ecclesiastici, quàm alii fideles tempore S. Augustini coacti fuerunt dimittere vestes albas; ne viderentur sectatores Hæreticorum Novatianorum; qui illas adhibebant ad ostendendam, seu defendendam hæresim, quam prædicabant, esse scilicet mundos à quacunque labe
12 peccati; prout referunt Eminent. Cardinal. Baronius *anno 254. num.100. & 127.* & Salelles *de S. Inquisit. lib.3. cap.7. regul.231. n.142.* ita scribens: *Novatiani voluerunt nominari Cathari, idest mundi, seu puri, & suam munditiam, seu prætensam puritatem ea majorem affirmabant, quam habuerunt Apostoli: hinc illi candidis sese vestibus induebant, ut quales se prædicabant, tales exteriùs apparerent*, undè de illis acutè dixit S. Augustinus *libro de Agon. Christ. cap.31. Nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potius, quàm mundos vocarent.*

Igitur color albus in vestibus cessare cœpit, & violaceus adhiberi, ut deducit Sarnellius *d. Epist.*
13 *16. pag. 113.* allegans illa verba S. Hieronymi *Epist. 3. ad Nepotianum: Vestes pullas aquè devita, ut candidas*; & prædicto colore violaceo Clerici sæculares usi sunt usque ad quintum circiter sæculum, in quo Monachi cœperunt Sacros Ordines suscipere, & functiones Ecclesiasticas facere sacrificando, populum docendo, & Sacramenta administrando, & quoniam ipsi Monachi nigras vestes consueverant induere, ut colligitur ex S. Hieronymo *in Epitaph. S. Marcellæ*; etiam Clerus sæcularis ex conversatione cum Clero Regulari, & Monachis prædictis amplexus est colorem nigrum in vestibus suis quotidianis; & retentus fuit color violaceus in vestibus à Prælatis, & Episcopis, à Familiaribus Summi Pontificis ad distinctionem inferiorum Clericorum; & ab Alumnis Seminariorum Ecclesiasticorum, quibus permittitur vestis coloris violacei in memoriam antiquissimi usus, qui viguit in toto Clero sæculari circa eundem colorem,

Igitur hisce temporibus ornamentum Sacerdotum, & Clericorum proprium est vestis talaris ni-
14 gri coloris; & per consequens iisdem prohibitus esse censetur alius quicunque color in vestibus, & præcipuè viridis, & rubeus juxta plura Conciliaria decreta, quæ hujusmodi colores in vestibus Clericorum damnant, & quæ referuntur ab Eminent. Card. de Lauræa *in Epitome Canonum. d. Verb. Clericus quo ad habitum, pag. 151.* ex quibus colligitur, abstinendum esse Clericis à prædictis coloribus in vestimentis, & eis utendum fore vestibus nigris, modestis, non fulgidis, aut odoriferis; quod etiam præcipitur in *cap. Omnis jactantia. cap. Nullus eorum. cap. Episcopi, & cap. Sine ornatu. 21. q.4.* Quæ autem hucusque dicta sunt de Veste talari, & nigri coloris induenda à Clericis, & ministris Sacris, locum debent habere, non solùm quando egrediun-
15 tur domo, & per vias incedunt; sed etiam quando domi sunt, & inter domesticos parietes morantur,

ut bene probat Conciliorum auctoritate idem Sarniellius *d. Epist. 16. pag. 128. & 129.* ubi meritò reprehendit Ecclesiasticos illos, qui domum ingressi, statim talarem, nigramque vestem deponunt, & ornatas more laico, coloratasque induunt, vel tanquam mundani in femoralibus remanent, magno cum dedecore Clericalis dignitatis; & quod pejus est; eorum multi æstivo tempore, in habitu laicali stant, & sedent in ostio domus, vel deambulant in porticu, ac via publica sine rubore; non absque scandalo gentis transeuntis, quæ ministros Christi intuetur tanquàm illos de populo, sola camisia, & bracchis, ad instar bajulorum vestitos.

Tertia conditio Clericalis habitus versatur circa materiam, de qua conficitur; videlicet, ut sit lanea, non serica; ut latè probat prælaudatus Episc. Sarnel- 16
lius *de Epist. 16. pag. 124.* ubi duodecim Concilia vestes è serico compactas prohibentia adducit, quibus ego addo Diœcesanam Synodum Patavinam, *Anni* 1580. sub Eminentissimo & Reverendissimo Federico Cardinali Cornelio Episcopo, *sub tit. de Vestitu Clericorum pag.4.* ita loquentem: *Sit Clericorum vestis interna similiter, atque externa simplex, & talaris; non serica; non pretiosis pellibus associata &c.* Et aliam habitam *Ao.* 1624. ab Illustrissimo, & Reverendissimo Marco Cornelio Antistite paritet Patavino; confirmatam ab ejus successoribus in Episcopatu, Illustrissimo, & Reverendissimo Georgio Cornelio *Anno* 1647. ac ab Eminentissimo, & Reverendissimo Gregorio Cardinali Barbadico *Anno* 1681. quæ *part.2. tit.1. De Vita, & honestate Clericorum* §. *Vestes*, ita jubet: *Vestes, ut diximus, externæ sint talares, atri coloris, simplices, non sericæ &c.* Igitur debent Clerici adhibere Vestes talares. nigras, laneas; non autem holosericas, seu ex serico, juxta præfatas Constitutiones; & universalem sensum Ecclesiæ; de quo testantur Doctores à Barbosa *in Collect. ad d. cap. Parsimoniam. num.3. dist.41.* Et *de jure Eccles. Univ. libr. 1. c.40. n.18.* ubi refert à S. Pio V. fuisse prohibitas Clericis vestes ex holoserico; & idem docent Pacian. *in tract. Cui incumbat onus probandi negativam. lib.2. c.34. n.38.* Menochius *tom.10. cons.912. n.23.* Novarius *in Summa Bullar. p.2. Comment.72.n.2.* & Carolus de Grassis *de Effectibus Clericat. n.156. in Prælud.* Et quamvis de jure personæ nobiles possint pretiosioribus vestibus indui, prout scribit Tiraquel-
lus *de Nobilit. c.20. n.188.* Et hac ratione Clerici 17
gaudentes hac prærogativa, vel quia nati ex nobili familia, vel quia Ecclesiasticam dignitatem sunt consequuti, præsumant se vestibus sericis vestire; puto, eos hoc non posse licitè facere; siquidem inter nobiles Ecclesiasticos nobilior est ipse Episcopus, cui in- 18
terdicuntur à Cæremoniali Romano *lib.1. c.1.* ibi: *Vestes autem* (Episcopi) *hujusmodi erunt, vel ex lana, vel ex Cameloto coloris violacei; nullo autem modo sericæ.* Quapropter laneas debent omnes Clerici sibi vestes conficere; saltem ex tenuissimis filis compositas, seu subtilissimas, quales sunt illæ, quæ ex stamine Mediolani, ac etiam Bergomi fiunt; & apud nos sunt in usu; quibus vestiuntur Clerici nobiles, modestiæ Clericalis amantissimi. Hæ sunt condi-
t iones vestis Clericalis in se, ac propriè consideratæ.

Accessoria verò ejusdem Vestis debent & ipsa regulis Ecclesiasticis conformari; ut pro ornatu Clericorum deserviant, non autem pro ignominia. Sex sunt, quæ accedunt Vesti clericali, nempe Zo-
na, Collaris. Manicæ, Calcei, Pileus, & Annulus, 19

Debent Clerici, se ad lumbos *Zona* præcingere ; ut habetur in Evangelio *Luc.* 12. 35. *Sint lumbi vestri præcincti* ; & non mediocris defectus est illorum, qui absque zona, cincturave incedunt ; extant enim
20 Proverbium : *Discincta vestis, discinctus animus* ; & secundùm Juvenalem deridendi sunt, qui discincti sunt. *Satir.* 3.

Non pudet ad morem discincti vivere Nactæ ?

Ideircò frequentes sunt Synodales Constitutiones, quæ Clericis præcipiunt zonas, & cincturas supra vestem habere, ut ostendit Sarnellius *d. Epist.* 16. *pag.* 130. ubi memorat Decretum magni Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani. *Anno* 784. de quo Surius in ejus vita 25. *Februar.* jubentis Clero suo, ut quisque uteretur *cingulis contextis ex pilis caprarum.* Cæterùm quo ad materiam cincturæ, servandum fore ab omnibus Decretum Synodi Mediolanensis anni 1514. prohibentis, *Ne cingula serico, retisve instar contexta, aut confecta è corio*, ac proindè adhibenda essent ex stamine nigri coloris ; juxta laudabilem consuetudinem Sacerdotum hujus Seminarii Patavini. *Collaria* debent esse simplicia, alba, non lata,
21 seu diffusa more Laicali, de quibus ita præcipit Concilium nostrum Provinciale Aquilejense Anni 1596. *Collaria Camisiarum, quocunque modo crispata, seu laticinata damnamus, rejicimus*, & personis Clericalibus minimè convenire pronunciamus Manicæ ejusdem Vestis, *itidem sint atri coloris, non ad ornatum incisæ, acu pictæ*, ait Synodus ultima Patavina *par.* 2. *c.* 1. *vers. Vestes.* Et cavendum est à nimia longitudine, vel latitudine manicarum ad laicorum imitationem.
22 Subuculæ verò albæ, quæ reflexæ supra nigram vestem ponuntur, debent esse non lactucatæ, non pinnatæ, nimiæve latitudinis ; sed parùm inversæ, ac simplices, ut legitur in Synodo Florentina Anni 1619.
23 Calcei sint nigri coloris non ad formam mundanam ; sed juxta modestiam Clericalem ; nam Summus Pontifex *in cap. Clerici officia. De Vita, & Honest. Cleric.* decernit, quòd Clerici, *Sotularibus consutitiis aut rostratis non utantur.* Et Synodus Senonensis *can.* 24. vetat : *Ne Clerici lunatis, seu cornutis, aut nimis fenestratis calceis utantur.* uno verbo, ut legitur *in cap. Clericus. dist.* 42. *Clericus professionem suam, & habitu, & incessu probet* ; *& nec in vestimentis, nec*
24 *in calceamentis decorem quærat.* Pileus sit ex lana simplici, non ex serico ; *non aculeatus, non turbinatus, non fastigiatus, non nimis latus, vel restrictus* ; ut loquuntur Concilia, quæ cumulat idem Sarnellius *in d. Epist.* 16. *pag.* 132. Et quoniam sæculares instabiles sunt circa pileorum formam, eamque de die in diem immutant ; cordi Clericorum esse debet monitio à S. Caroli *in Concil. Mediolan. Ann.*
25 1565. *Omnem habitus, & ornamenti novitatem Clerici fugiant.*

Quò verò ad Annulum, ultimum ex ornamentis exterioribus Clericorum, plura veniunt notanda. Primò, quòd Annulus ita dicitur à rotunditate, quasi diminutivum à Verbo *Annus*, composito &, *Am* idest *circum*, & ex *No*, nempè *fluo* ; videntur enim annus circum fluere, & circulariter redire in seipsum, juxta illud Poetæ.

Atque in se sua per vestigia volvitur Annus,

unde Ægyptii ad illum significandum formabant Draconem, caudæ suæ extremitatem mordentem ;
26 & sic figuram rotundam formantem. Secundò : Annulus aliquando significat fibulam, quam ponebant antiqui ad pallium conglutinandum ante pectus, prout nunc in usu est in Ecclesiasticis pluvialibus ; & ita videtur intellexisse Apostolus Jacob *in sua Epist. cap.* 2. *vers.* 2. ubi dixit : *Si introierit in conventum vestrum Vir, aureum annulum habens in veste candida* ; idest ansulam, qua insibulabatur candida vestis, ut ex Josepho Hebræo *lib.* 13. *Antiquit. cap* 9. autumat Emin. Cardin. Baronius *ad Annum.* 34. *num.* 80. Et ex libro Exodi *cap.* 28. *vers.* 28. in illis verbis : *Stringatur Rationale annulis suis*, confirmat Magrius *in Hierolexic. Verb. Annulus* ; ubi addit Virgilii versum *Æneid.* 1.

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Tertiò. Apud antiquos Annulus idem erat ac Sigillum ; vel quia sigilla vocabantur hoc nomine ; vel 27
quia in Annulis insculptum erat signum, quo eos deferentes Litteras sigillabant ; & ideò Rex Assuerus ad instantiam Esther Reginæ sic pronunciasse fertur : *Esther cap.* 8. *vers.* 8. *Scribite sicut vobis placet, Regis nomine, signantes Litteras Annulo meo* ; & in libro *Daniel cap.* 6. *& cap* 14. habetur : *Rex claude ostium, & signa Annulo tuo.* Hinc Sigillum Romani Pontificis vocatur *Annulus Piscatoris*, ut advertit Magrius *d. verb. Annulus column.* 2. quo
loco eruditè docet, Papam adhibere tria sigilla, u- 28
num est *Annulus Piscatoris*, quo signantur Brevia in cera Rubra, ut videmus in Brevibus pro Indulgentiis, pro Oratoriis privatis, pro dispensatione ad Ordines, & similibus ; & sic vocatur à figura Divi Petri in actu piscationis. Aliud Papæ sigillum dicitur *Plumbum*, quo in cancellaria Apostolica signantur Bullæ ; in una parte cujus plumbi extant capita amborum Apostolorum Petri, & Pauli ; & in altera nomen regnantis Pontificis, ut quotidiè videmus in Bullis Apostolicis in materia beneficiorum ; quæ quidem Bullæ beneficiorum si sunt in forma 29
gratiosa, plumbum, seu sigillum supradictum est in eis appensum chorda serica rubei, croceique coloris ; quando verò sunt in forma *Dignum*, appenditur sigillum plumbeum cum chorda canapis. Tondut. *de Benefic. part.* 2. *c.* 4. *num.* 1. *&* 2. Thomas de Rosa *de Exequutorib. Litt. Apost. p.* 1. *cap.* 2. *num* 71. & per appositionem plumbi Litteræ censentur expediæ. Rotæ coram Ludovis. *Decis.* 440. *num.* 5. & hoc sigillum plumbeum frangitur statim sequuta morte Pontificis ; & illicò post novi Pontificis creationem formatur novum Plumbum cum suo nomine. Pyrrhus Corrad. *in Praxi Dispens. Apostol. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 11. Hic autem usus signandi Litteras Apostolicas cum plumbo est antiquissimus, siquidem viguisse etiam tempore S. Sylvestri Papæ, S. Leonis primi, & Sancti Gregorii Magni probat Magrius *in Hierolexic. Verb. Bulla,* 30
col. 2. *in fine* Serenissimum quoque Dominium Venetum, Litteras suas plumbo obsignat ex Indulto Alexandri Papæ III. ut testantur Historiæ, & Palatius *in Fastis Ducalib. ad Vitam Sebastiani Ziani Ducis.* Sed etiam alios Principes tum Ecclesiasticos, tum Laicos consuevisse signare Litteras plumbo demonstrat Sarnellius *tom.* 2. *Epist.* 33. per totam. Tertium Sigillum Papale est illud, quod ponitur in Bullis Pontificiis Consistorialibus, quæ manu ipsius Papæ, & à cunctis Cardinalibus, seu à majori eorum parte firmantur ; & consistit in formatione signi Crucis cum aliquo præclaro dicto, seu aliqua Sacræ Scripturæ sententia, ad libitum ipsius Pontificis subscribentis, ut subdit ibidem Magrius *d. Verb. Bulla col.* 4. *&* 5. adducens ipsa 31
dicta, & motus Scripturales diversorum Pontificum, à curiosis videndos. Primitivi Christiani

ni sculpebant in Annulis, pro signandis Epistolis, nomen Christi abbreviatum ;)quod etiam hisce temporibus apud aliquos servatur, cum his Litteris IHS.) vel solam Crucem, ut de Annulo S. Macrinæ agit *in ejus vita* S. Gregorius Nyssenus, vel imaginem alicujus Sancti, ut S. Jo. Chrysost. ait in *Oratione de Laud. S. Meletii.*

Quartò Annulus apud antiquos in digitis portabatur in signum honoris, & ingenuitatis. *l. Etiam, & per tot. ff. de jure aureor. annulor.* qua de causa, ut plenè honoraretur filius prodigus reversus ad patrem, is *Dixit ad servos suos : Citò proferte stolam primam, & induite illum ; & date Annulum in manu ejus. Luc.*15. 22. Et de Annulo aureo agit Tiraquell. *de Nobilit. cap.*37. *sub num.*150. atque inter antiquos Plinius *lib.*33. *cap.*1. quem refert Sarnellius *d. Epist.*16. *pag.*136. & 137. advertens, quòd apud Persas nulli licebat Annulum deferre, nisi à Rege sibi dono datum, ut scribit Cœlius Rodigin. *lib.*18. *cap.* 18. quod fuisse in usu etiam apud Ægyptios est credendum ; nam *Genes.*41. *vers.* 42. ob interpretatum Somnium Pharao *tulit Annulum de manu sua, & dedit eum in manu Joseph.* Apud Romanos autem Annulus aureus portabatur à nobilibus, & ingenuis ; argenteus à libertinis ; at ferreus à servis ; insculpebant autem in iisdem annulis varia stemmata, ut refert Menochius *in Storeis Cent.*2. *cap.* 25. ubi ex Gregor. Thosan. *lib.*2. *de Republ. c.*16. quod in annulo Regis David insculpta erat effigies Leonis, quia ipse Rex descendebat è tribu Juda, de qua scriptum est *Vicit Leo de Tribu Juda. Apoc.*5. 5. vel quia cùm Pastor esset, Leonem occiderat. Item Annuli continebant amicorum imaginem ; unde Ovidius *de Tristibus lib.*1. *Elegia*6. cecinit :

Hæc tibi dissimula, sentis tamen omnia dici,
In digito qui me fersque, refersque tuo.
Effigiemque meam fulvo complexus in auro,
Cara relegati, quæ potes, ora vides.

Concordat S. Ambrosius *lib.*1. *de offic. cap.*49. scribens quòd plures è Romanis habebant in annulis imagines Bruti, & Cassii interfectorum à Cæsare ; qua de causa fuerunt supplicio damnati ; Ex his sequitur, ideò dum Scholares doctorantur, inter insignia in eorum digito Annulum areum imponi ; quia scilicet Doctor dicitur nobilis. Bart. *in l. Judices. C. de Dignit.* Et in dignitate constitutus. Abbas *in cap. Quarto. num.* 1. *de Magistris.* Menochius *lib.*2. *consil.*126. *num.*7. Et censetur contrahere Matrimonium cum scientia. Jordanus *lib.*4. *tit.*1. *n.*309.

Quintò Antiqui dabant Annulos pro arrha in contractibus, & promissionibus suis ; exemplumque extat *in Genesi c.*38. *num.*18. ubi Judas ait nurui suæ Thamar : *Quid tibi vis pro arrhabone dari?* quæ respondit, *Annulum tuum.* Et hinc factum est, quòd in contrahendis sponsalibus, in quibus fit promissio de futuro Matrimonio Sponsus det Sponsæ annulum aureum. Plinius *d. lib.*33. *cap.*1. scilicet in signum fidei, & in arrham promissionis. *cap. Nostrates.*30. *qu.*5. atque in suscipiendo Sacramento Matrimonii, annulum à Sacerdote benedictum Sponsus imponit in digito annulari sinistræ manus Sponsæ ; ut præcipit Rubrica Ritualis Romani *de Ritu celebrandi Matrim. Sacrament.* nempè in digito quarto, ut erga Sponsum admoneatur Sponsa affectum cordis præstare ; siquidem in eo annulari digito venula quædam extat, seu nervulus, cordi conterminans ut ait *text. in cap. Fœminæ*, 30. *quæst.*5. Magrius *in Hierolexic. d. Verb. Annulus, col.* 1. *in fin.* & Serra *in Synonim. Appar. d. Verb. Annulus, vers. Fidei symbolum.* Nomina digitorum manus hominum sunt, primi *Pollex*, à pollendo, quia in eo consistit tota vis manus humanæ. Secundi *Index*, quia cum eo indicantur res, & demonstrantur. Tertii *Medius*, quia in medio aliorum consistit. Quarti *Annularis* à supradicta annuli impositione, & delatione, & Quinti *Auricularis*, quia cum ipso aurem prurientem homines scalpere solent. Joannes à S. Geminiano *in Summa, de exempl. & rerum Similitud. lib.*6. *c.*48. ubi notat, quòd annulus in digito est fortitudo in opere, quæ necessaria est in perseverando ; est enim annulus sicut corona digiti, quia sola perseverantia coronatur. Ulteriùs advertit, digitos esse grossiores, ante cibum, quàm post ; unde annulus, qui vix ante cibum de digito trahitur, facile post cibum egreditur : ex quo discimus, quòd sicut digitus jejunus fortiùs tenet annulum, quàm refectus ; ita homo abstinens, & sobrius fortior est ad perseverandum in bono, quam gulosus, & delitiosus. Annulus Sponsalitius S. Annæ Matris Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Dei fuit argenteus cum gemma è Chrystallo, & servatur à Monialibus S. Sylvestri Romæ, teste Masino *in Schola Christiani, cap.*1. *pag.*4. A quo ulteriùs narratur *cap.*4. *pag.* 29. ipsam Deiparam duplici Annulo fuisse desponsatam, uno à Sancto suo Sponso Joseph sibi exhibito, qui servatur in civitate Semurii, vulgò *Semur*, in Burgundia ; altero à Sacerdotibus Templi, in quo fuerat educata ; & custoditur Perusii in Ecclesia Cathedrali S. Laurentii ; & de his plures Auctores cumulat. Sed utrùm Annulus sponsalitius, soluto Matrimonio, sit ipsius Sponsæ, vel hæredum Mariti ? Ad favorem Sponsæ respondent Addentes ad Bart. *in l.*1. §. *Nec Castrense, sub. num.*10. *Litt. C. ff. de Collat. bonor.* per textum *in l. Cum te*, cum duabus seqq. *C. de Donatione ante Nuptias.*

Sextò in Ecclesia Latina Annuli aurei usus concessus est Episcopis, in signum spiritualis conjugii cum Ecclesia, ad quam assumuntur ; & ideò in eorum consecratione, dum Episcopus consecrator dat eis annulum benedictum, dicit : *Accipe Annulum, fidei scilicet signaculum ; quatenus Sponsam Dei, Sanctam videlicet Ecclesiam, intemeratâ fide ornatus, illibatè custodias.* Et de Annulo Episcoporum agit S. Optatus Milevitanus, (qui floruit Anno Christi 365. *in lib.*1. *contra Parmen.* Et S. Augustinus *Epist.*162. & multa sunt Annuli Episcopalis mysteria præter Symbolum prædicti spiritualis Matrimonii, nam significat Dignitatem Episcopalem ; ideò Annulus debet esse aureus, gemmaque pretiosa ornatus ; ferebatur olim in digito indice ; quia Episcopus doctrinis cœlestibus debet indicare populo viam salutis ; & attento veterum usu signandi res cum Annulo, hic denotat in Episcopo, quòd debet obsignare fideles imagine Christi, & ex ejus rotunditate in rerum æternarum contemplatione insistere ; ut ex doctrinis SS. Patrum colligit Magrius *in Hierolexic. d. Verb. Annulus, col,*1. Bissus in Hierurgia *eod. Verb. n.* 372. Gavantus *ad Rubric. Missal. par.* 2. *tit.*1. *n.*6. ubi advertit, Episcopum in Missa tenere Annulum in digito annulari, non autem in Indice ; ne eo coronato tangat sacrum Corpus Christi, cùm sit tangendum ab humilibus ; Et Sarnellius *d. Epist.*16. *pag.*137. *tom.*1. ubi notat, Episcopos Græcos olim abstinuisse ab usu Annuli ;

quan-

quandoquidem Latini de eodem usu irridentur à Petro Patriarcha Antiocheno *in Epist. ad Michaelem Patriarcham Constantinopolit.* ita dicens: *Quid enim nostra interest, quòd illorum Sacerdotes barbam radant? Quid etiam, quòd Annulos gestent, in symbolum contracti cum Sancta Ecclesia Connubii?* Abbates
44 etiam, & alii inferiores Prælati habentes usum Pontificalium, deferunt Annulum ex Privilegio Apostolico ad ornatum suæ Dignitatis. *cap. Indemnitatibus. De Elect. in 6. cap. Ut Apostolicæ, de Privileg. eod. lib.* ut fusè disputat, Tamburin. *de Jure Abbat. tom. 1. disp. 20. Quæs. 1. à num 5. & seqq.* Et per participationem ejusdem Privilegii Abbatissæ quoque habent jus deferendi Annulum aureum. DD. apud Lezanam *tom. 6. in Marc. Magne Carmelit. n. 385. & 386.* ipsæ verò Moniales illum portant tanquam Sponsæ Christi; de quibus verificatur id, quod de se profitebatur S. Agnes: *Annulo
45 suo subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus,* Notat id de Virginibus Magrius *d. Verb. Annulus col. 1.*

His delibatis ad eruditionem circa usum Annulorum aureorum, perstringendo ea, quæ spectant ad ornatum, & modestiam Sacerdotum; sciendum
46 est, Clericis, Sacerdotibus, ac aliis Ministris Ecclesiasticis non esse licitum Annulos aureos in digitis deferre; nisi sint Episcopi, vel Prælati, vel in dignitate Ecclesiastica constituti, vel Doctores. *d. cap. Clerici officia. De Vita, & Honest. Cleric.* Jon. Andræas *in d. cap. Ut Apostolicæ. De Privileg. in 6.* ubi dicit: *Clericus annullatus vel Episcopus, vel fatuus.* Naldus *Verb. Clericus n. 4.* Pax Jordanus *tom. 1. lib. 4. tit. 1. num. 309.* & Sarnellius *d. Epist. 16. pag. 138. & 139.* hac utens distinctione; quòd (exceptis Episcopis, & Prælatis usum Pontificalium habentibus) constituti in Ecclesiastica dignitate, quales sunt Præpositi, Archidiaconi, Canonici Ecclesiarum Cathedralium, Prothonotarii Apostolici, & Doctores in Theologia, in utroque jure, seu in Philosophia,
47 possunt deferre in digito Annulum aureum extra Missam: at in celebratione Missæ nullus eorum annulum tenere potest, ut pluries declarando prohibuit, & prohibendo declaravit Sacra Rituum Congregatio, cujus decreta referunt Gavantus *d. part. 2. tit. 1. num 6.* & in Manuali Episcopor. *verb. Annulus.* Bissus *de Verb. num. 373.* Magrius *eod. Verb. col. 2.* Jordanus *d. lib. 4. tit. 1. n. 309.* Barbosa *Decis. Apostolic. verb. Annulus.* ubi firmat, quòd Annuli usus in Missa prohibetur omnibus etiam Doctoribus, & Prothonotariis non participantibus, *ex S. Congr. Rit. 13. Februar. 1623.* Et etiam Canonicis Ecclesiarum Cathedralium. *ex eadem S. Congr. 10. Novemb. 1628.* Ceccoperius *de Canonicis, lib. 3. num. 33.* Quibus Decretis attentis cavendum est ab eodem Barbosa *Decis. Apost. verb. Prothonotariatus Titularis n. 6.* ubi ex Decreto *S. Congreg. ejusd. 21. Augusti 1601.*
48 asserit, dictos Prothonotarios posse habere annulum, dum celebrant, sed sine gemma; quia supradicta posteriora decreta id vetant; & ipsemet Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib. 1. cap. 23. num. 29.* dicit, ex eodem Decreto 21. *Augusti 1601.* eis non licere in Missa Annulum gestare.

Est igitur conclusio, quòd Sacerdotes, & Ministri Sanctuarii ad eorum exteriorem ornatum debent induere vestes talares, nigri coloris, laneas, non
49 sericas, eas zona præcingere; abstinendo à collaribus, manicis, calceis, pileis ad formam mundi elaboratis; annulos in digitis non deferre, & ab omni jactantia & vanitate vestimentorum esse alienos; ut præcipiunt Sacri Canones longa manu congesti à Menochio *de Arbit. Judic. casu 392.* à Belletto *Disquisit. Clerical. p. 1. De Disciplin. Cleric. §. 16.* à Carolo de Grassis *de Effectib. Cler. in Prælud. à num. 270. & seqq.* à Gonzalez *in d. cap. Cler. officia. 15. de Vita, & honest. Cler.* & novissimè ab Illustrissimo Episcopo Sarnellio *d. tom. 1. Epist. 16. per totam.* Siquidem Clerici contrarium temerè facientes non sunt immunes à peccato mortali, ut ex Card. Turrecrem. & aliis notat Carol. de Grassis *de Effectibus Clericat. n. 150. in Prælud.*

Cæterùm contra hucusque allegata nonnulli Clerici, quos vestes mundani ritus delectant, sequentes faciunt objectiones.

Primò: Clerici tenentur servare dignitatem sui ordinis. Sed ad dignitatem servandam valdè con- 50
fert vestitus nobilis, & vestis pretiosa; ut docet Tertullianus *lib. de Pallio* & Quintilianus *lib. 8. in Proœmio.* Ergo Vestes sericæ, & cum eleganti forma non sunt Clericis prohibendæ.

Secundò: in Clericis non est attendenda Vestis, sed puritas cordis; ut ait S. Hieron. *in Epist. ad Oceanum,* relatus *in Concil. Aquisgran. can. 98.* Igi- 51
tur si bonus est Clericus, parùm interest si induat splendidas Vestes.

Tertiò facit exemplum S. Basilii Magni, quem (ut scribit Amphilochius *in ejus vita,*) S. Ephrem 52
vidit sic splendidè vestitum, ut in corde suo hæsitaverit de ejus sanctitate; sed Deus fecit faciem S. Basilii splendescere tanquam ignis; Ergo non implicat, Sanctum esse, & splendidas vestes deferre.

Quartò: Clerici non debent se contemptibiles 53
reddere, dicente Apostolo *ad Titum cap. 2. vers. ult. Nemo te contemnat.* Sed si vestes laneas, humiles, ac laceratas induant, à laicis contemnentur, prout contemptus fuit S. Martinus à tribus Episcopis in ejus electione ad Episcopatum ob vilitatem vestimentorum, ut narrat Sulpitius Severus *in ejus vita.* Ergo

Quintò in Concil. Bracharen. primo, *in can. 29.* 54
ita est statutum: *Placuit, ut Lectores in Ecclesia ordinati in habitu sæculari non psallant.* Ergo extra Ecclesiam habitus sæcularis non est prohibitus Clericis, quales censentur fuisse prædicti Lectores.

Sextò tandem *in cap. Si quis Virorum. dist. 30.* definitur; quòd si quis reprehendat, vel judicet alios 55
Clericos, qui *birris utuntur, & alia veste communi, quæ in usu est, anathema sit.* Sed *Birrus* seu *birrum* est vestis pretiosa, & rubri coloris, ut demonstrat Magrius *in Hierolexic. Verb. Birrus* ubi allegat S. Augustinum *serm. 50.* dicentem: *Aliquando tamen offeratur mihi birrum pretiosum:* Ergo Clericis licitum erit uti vestibus pretiosis, & coloratis.

His tamen minimè obstantibus, non est recedendum ab observantia Sacrorum Canonum; & Synodalium Constitutionum, prohibentium Clericis, & Sacerdotibus vestes sericas, pomposas, mundanas, & variegatas; ut probatum est supra; respondetur enim.

Ad primam objectionem; quòd dignitas Sacerdotalis est servanda per modestiam in vestitu, non 56
per vanitatem juxta tex. *in cap. Clericus dist. 32.* ubi dicitur, quòd *Clericus professionem suam & habitu, & incessu probet; & nec in vestitu, nec in calceamentis decorem quærat;* ut dictum est supra.

Ad secundam; puritatem quidem internam in Ministris Sacris requiri; sed ad illam tuendam, & demonstrandam opus esse abstinere à vanitate vestium, quæ 57
indicant malitiam cordis. Hinc Livius *lib. 4. c. 44. & lib. 8.* refert, Posthumiam, & Minutiam, Virgines,

Ve-

Vestales damnatas de incestu ob amœniorem cultum vestimentorum. Hinc S. Hieronymus *Ad Eustoch. de custodia Virginit.* describens Clericos vanis vestibus indutos, subdit: *tales cùm videris, Sponsos magis existimato, quàm Clericos.*

Ad Tertiam; non officere exemplum S. Basilii Magni, cujus vestes splendidæ erant in Sacrificio Missæ, & in functione Pontificali; non autem in
58 usu quotidiano, & domestico; de quo ipsemet Sanctus *in Regula cap. 22.* ait: *Studendum est nobis, ut omnium infimi simus, & quod in genere indumentorum infimum est, id summoperè nobis est amplectendum.*

Ad Quartam respondetur, tantùm abest, Clericos per vestes humiles, ac modestas à laicis contemni; quòd immò per easdem valdè honorari. Sit
59 exemplum S. Sabbæ Abbatis, qui cùm Legatus accessisset cum multis Patribus ad Imperatorem Anastasium, & à Cubicularijs ob paupertatem vestis rejectus fuisset ab ingressu Imperialis Aulæ; vocatus postea jussu Imperatoris, ut vidit illum humili veste, ac cilicio indutum, è throno descendit, & tanquam virum Sanctum honore summo recepit, fecitque sedere, ut ex Cyrillo Monacho *in Vita S. Sabbæ* notavit Emin. Card. Baronius *ad Annum Christi* 512. *num.* 13. Quòd si S. Martinum contempserunt tres illi Episcopi; erant de illis; de quibus ait Scriptura: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei. Sapient. 5.5.*

Ad Quintam respondetur; canonem Concilii Bracharensis loqui de Lectoribus, qui non erant Clerici; sed Laici admissi ad cantandum in Ecclesia ob vocis amœnitatem; ut hic passim plures Musici Laici in Ecclesia Divi Antonii Confessoris, & Venetiis in Ducali Basilica Divi Marci; qui quidem dum cantant in Ecclesia, non apparent in habitu sæculari, sed induti sunt superpelliceo; quamvis extra Ecclesiam vestibus laicis induti procedant.
60 Confirmatur hæc responsio ex annotationibus Eminent. Card. Baronii *ad Martyrologium Romanum die* 13. *Julii*, ubi dicitur martyrio coronatos *plurimos Lectores infantulos*; explicat enim Emin. Card. Baron. quod illi Lectores infantuli non erant Clerici, neque ordine Lectoratus insigniti, *sed pueri ob vocis*
61 *elegantiam ad canendas res Ecclesiasticas modulis musicis imbuti*: & allegat Venantium Fortunatum *libro secundo in Carmine de Cler. Paris.* ita scribentem.

Hinc puer exiguis attemperat organa cannis,
Inde senex largam ructat ab ore tubam.
Cymbalicæ voces calamis miscentur acutis,
Disparibusque tropis fistula dulce sonat.
Tympana rauca senum puerilis fistula mulcet.
Atque hominum reparant verba canora Lyram.

Ad ultimam respondetur; vestem, quam antiqui Birrum vocabant, modò pretiosam, modò vilem, & vulgarem fuisse; ut bene explicat Octavius Ferrarius *de Re Vestiar. part. 2. lib. 1. cap. 26.* ita dicens: *Birri igitur Lacernæ fuerunt rufi coloris; & quemadmodum Lacerna materia, & colore aliæ aliis pretiosiores,*
62 *ita, & Birri. Quare falli eos necesse est, qui vestem semper pretiosam dixerunt; meritoque Zonaram, & Balsamonem reprehendit Salmasius, quòd ad canones βίρρους σιελικὰς σὺν ὄνυξι exposuerunt sericas vestes, nam licèt fuerint Lacernæ, & Birri serici, non tamen omnes tales fuerunt.* Et paulò post, relatis verbis *d. c. Si quis Virorum dist. 30.* subdit: *Birrus enim, sivè Lacerna communis vestis erat.* Concordat Albericus *in Dictionar. Utriusque Jur. verb. Birrus*; dicens; *est vestis Rusticorum. C. Neminì licere vel in frænis lib. 11. super verbo chlamidibus, quasi vestis grossa, & vilis. 30. dist. Si quis Virorum per Archidiac.* Idcircò nihil concludit objectio: & quòd ad verba S. Augustini, dicendum est, eum locutum de veste Pontificali; quam decebat esse pretiosam; Birrus namque, ut probat Magrius *d. verb.* erat *Mozzetta*; quam portant Episcopi supra tunicam, seu supra Rocchettum.

Corollarii loco non est ignorandùm, quòd sicut reprobatur in Clericis omnis jactantia, & ornatus vanus corporis, suffitus, odores, ac unguenta; ita non laudantur sordes, seu immunditiæ in 63
vestimentis, ut scribit S. Hieronymus *Epist. 21. ad Eustoch. Et serm. de Ascens.* §. 1. Et ideò legitur, D. Augustini vestes, calceos, atque omnem lecti apparatum confectum fuisse ex honesta materia; & de Divo Bernardo, cui semper placuit paupertas; sordes illi numquam placuisse; quod prosequitur Abb. *in d. c. Clerici officia num. 17. De Vita, & Honest. Cler.* & Belletus *d. part. 1. §. 16. a n. 18. & seqq.* Quæ de S. Philippo Nerio scribit Petr. Jacob. Baccius *in ejus Vit. lib. 2. cap. 14. num. 8 Amava la polizezza, e gli dispiaceva sommamente la sordidezza; & in particolare ne' vestimenti: onde spesso dicea quel detto di San Bernardo: Paupertas mihi semper placuit, sordes verò nunquàm.*

Postremò si quis petat, qua de causa Regulares novitii, atque Moniales cùm solemnitate vestian- 64
tur à suis Superioribus habitu Regulari; at Clerici sæculares de per se assumant, & induant Vestem Clericalem? Triplex datur responsio: Una, quòd olim, dum minor esset numerus Clericorum sæcularium, hi quoque recipiebant vestem talarem de manu Episcopi cum solemni ritu; prout legimus in Vita S. Germani *apud Surium die 3. Julii*, & S. Tarasii *die 25. Februarii.* Altera responsio est, dari habitum Regularibus, & Monialibus solemniter, quia in eo debent Deo servire, atque divinas laudes celebrare; non etiam Clericis sæcularibus, quia hi non exercent sua ministeria in Ecclesia sola veste talari induti, sed super ea imposita cotta, quæ dicitur Superpelliceum; quod quidam solemni ritu datur iisdem Clericis ab Episcopo, orante, ut in Pontificali: *Induat te Dominus novum hominem cum actibus suis, &c.* Tertia est, quòd in Curiis Episcopalibus bene directis nullus induit vestem Clericalem, nisi de licentia Episcopi, prævio examine de ejus studio, indole, moribus, & aptitudine ad Ecclesiasticam militiam; ut servatur in hac Diœcesi Patavina. Porrò licentia ipsa supplet antiquam solemnitatem tradendi Vestem Clericalem; quia licentia est gratia, per quam alicui licet, quod priùs non licebat. Cardin. *in Clement. fin. num. 9. de Elect.* & Fagnanus *in cap. Non amplius num. 64. de Institutionib.* Qui plura desiderat, legat Franciscum Hallier *de Sacris Ordinationib.* Et Episcopum Sarnellium *Epist. Ecclesiastic. tom. 2. Epist. 30.* ubi hoc quæstium examinat.

Sed nec illud tacendum, quod docet idem Sarnellius de Habitu Religioso *tom. 1. Epist. 29.* olim scilicet fuisse in usu apud fideles laicos, ut instante 65
eorum morte, peterent, & obtinerent vestiri habitu Regulari in signum pœnitentiæ, undè factum est, ut nostris temporibus sæpè videamus laicos defunctos habitu pœnitentiali S. Francisci indutos sepeliri.

DECISIO L.

ARGUMENTUM.

Mysticum ornatum, quo Sacerdos litaturus indutus esse debet, continet præsens Decisio: & est, recitare Matutinum cum Laudibus ante celebrationem, ac Sacras Vestes induere. Mortale esse non recitare Matutinum, ac Laudes ante Missam, (justa causa cessante) juribus, atque rationibus contra Neotericos probatur, ad mentem antiquorum Doctorum. Sacrarum vestium numerus, nomina, mysteria, ususque necessarius in Sacrificio ostenditur. Pileolus, ac Peruccha celebrantibus Missam proscripti. Color in Vestibus Sacris variandus juxta Rubricas. Clerici sepeliendi cum Vestibus sacris suorum ordinum. Calix ad manus Sacerdotis mortui non ponendus. Vestes lugubres, vulgo di *Scorruzzo* à Clericis in morte parentum non induendæ.

SUMMARIUM.

1 *Matutini, ac laudum recitatio ante Missam de præcepto?*
2 *Rubrica Missalis bis præcipit recitationem Matutini ante Missam.*
3 *Rubricæ Missalis habent vim legis.*
4 *Decretum S. Congregat. Rituum de servandis Rubricis Missalis est Lex.*
5 *Ritus, & Rubricas Missalis asserens posse sperni est excommunicatus.*
6 *Contemptus Legis est peccatum mortale.*
7 *Contemptus Legis est eam frangere ex consuetudine.*
8 *Consuetudo antiquissima recitandi officium ante Missam.*
9 *Consuetudines Ecclesiæ antiquissimæ sunt obligatoriæ.*
10 *Synodales Constitutiones præcipientes recitare Matutinum ante Missam.*
11 *Synodales Constitutiones obligant Diœcesanos sub pœna peccati.*
12 *Doctores XLV. affirmantes esse mortale celebrare Missam non recitato Matutino cum Laudibus.*
13 *Doctoribus antiquis adhærendum potiùs, quàm modernis.*
14 *Rubricæ Missalis num directivæ tantùm?*
15 *Rubricæ Missalis omnes Præceptivæ; & servandæ sub mortali.*
16 *Matutinum non recitare ante Missam, an sit res levis?*
17 *Matutini recitatio, ac Missæ celebratio an connexæ?*
18 *Missæ celebratio est renovatio Sacrificii cruenti facti à Christo in Cruce?*
19 *Consuetudo non recitandi Matutinum ante Missam an alicujus sit valoris?*
20 *Consuetudo damnata ut abusus semper est peccaminosa.*
21 *Celebrare non recitato Matutino ob justam aliquam causam, non est mortale.*
22 *Amictus nomina, & Mysteria.*
23 *Albæ, vulgò* Camiso, *nomina, usus, mysteria.*
24 *Alba S. Bonifacii Episc. & Mart. in Cathedrali Viterbiensi.*
25 *Singulis nomina, & significationes.*
26 *Subcingulum quid esset?*
27 *Manipuli nomina, ac mysteria; & ejus usus.*
28 *Manipulus non portatur in Processionibus.*
29 *Stolæ Mysticæ significationes; ac usus diversus apud plures, ut hic.*
30 *Planetæ, seu Casulæ nomina, forma antiqua, moderna, significatio.*
31 *Historicus, Allegoricus, Tropologicus, ac Anagogicus sensus, qui sint?*
32 *Missa an celebranda sine vestibus sacris.*
33 *Missa vestibus non benedictus an dicenda?*
34 *Orationes in induendis vestibus sacris non dicere, an peccatum?*
35 *Celebrare nudis pedibus, an peccatum?*
36 *Pileolus an licitus in capite Celebrantis?*
37 *Pileolus in choro an licitus Clericis, & Canonicis?*
38 *Peruccham habens, an cum ea Celebrare possit?*
39 *Peruccha prohibita Sacerdotibus Romæ.*
40 *Colorum variatio in vestibus sacris an servanda de præcepto?*
41 *Debent, Verbum est præceptivum.*
42 *Colorum in vestibus sacris varietas mysteriosa.*
43 *Planeta auro texta valet pro omnibus coloribus, nigro excepto.*
44 *Vestibus sacris qui utitur ad profana, mortaliter peccat.*
45 *Vestibus sacris vetustis, quid de eis agendum?*
46 *Clerici, & Sacerdotes quibus vestibus sepeliendi?*
47 *Rituale Romanum habet vim Legis.*
48 *Cerei accensi semper adhibitis in funeribus fidelium.*
49 *Calix, & patena non ponendi in manibus mortui Sacerdotis.*
50 *Vestibus luctus, vulgò di* Scoruzzo, *non sunt induendi Clerici in morte propinquorum.*

POst ornamenta interiora, & exteriora Sacerdotis, quibus indutus esse debet, ut dignè accedat ad eximium opus Sacrificandi in celebratione Missæ, explicanda remanet ornamenta mixta; ut proposuimus supra *in Decis. XLVII. num.* 1, quæ quidem duo sunt videlicet; alia quæ ab ipso Sacerdote sunt sibi exhibendæ, nempè recitatio Horarum Canonicarum, saltem Matutini, & Laudum, antequam celebret; & alia, quæ ab ipsa Ecclesia ipsi Sacrificanti exhibentur, & sunt Vestes Sacræ; & de his in præsenti Decisione est agendum.

Quo ad recitationem Matutini cum Laudibus ante Missam; magna est quæstio inter Doctores; an ea sit de præcepto, ita & taliter, ut si à Sacerdote omittatur, & accedat ad celebrandam Missam, Matutino, & Laudibus illius diei non recitatis, peccet mortaliter? in qua quidem quæstione tres sunt opiniones; Una Doctorum antiquorum, affirmantium esse peccatum mortale. Altera modernorum, asserentium, nullum esse peccatum. Tertia aliorum, dicentium, esse tantummodò pec-

ca-

catum Veniale. Ita Quartus *in Rubric. Miss. t. part. 2. titul. 1. sect. 1. dub. 1.* Castropalaus *tom. 2. tract 7. disp. 2. punct. 8. num. 6.* Tamburin. *de Sacrificio Missæ lib. 1. c. 7. §. 2.* ubi assecias dictarum opinionum allegat Barbosa *de Offic. & pot. Episc. allegat. 24. nu. 15.* Comitolus *in Resp. Moral. lib. 1. quæst. 30. num. 2. & 3.* Pax Jordanus *tom. 1. lib. 4. titul. 1. numer. 66. cum seqq.* Francolinus *De Horis Canonicis cap. 42.* ubi plenè hanc quæstionem examinat. Cenedus *Canonicar. QQ. qu. 31. num. 7. & 30.* & Ceccoperium *de Canonicis lib. 3. num. 26.* ubi alios DD. cumulat, & rationes earundem trium opinionum examinat.

In hac quæstione primam opinionem, affirmantem esse culpam lethalem celebrare, non recitato Matutino, & Laudibus illius diei (legitima causa cessante (amplectendam, & defendendam dico ex sequentibus fundamentis:

2 Primò, quia habemus duas Rubricas Missalis hanc recitationem ante Missam præcipientes. Primam sub Titulo *De Ritu servan. in Celebrat. Missæ cap. 1.* ibi. *Sacerdos celebraturus Missam, prævia confessione Sacramentali, quando opus est, & saltem Matutino cum Laudibus absoluto, &c.* Alteram, sub titulo *De Defectibus in Celebrat. Miss. occurren. cap. 10. num. 1.* ubi relatis nonnullis defectibus, qui possunt occurrere in ministerio ipso, nominat et-
3 iam istum: *Si Celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit.* Porrò Rubricas Missalis habere vim Legis, & esse servandas, ut diximus supra *Decis. 9. num. 43.* & tradunt Fagnanus *in cap. Cum creatura. num. 29. de celebrat. Miss.* Gavantus *in comment. ad ipsas Rubric. Missal. part. 3. tit. 11. num. 14.* & Pignatellus *tom. 3. consult. 40.* quis audebit negare.

4 Secundò: Tantò magis attento Decreto S. Rituum Congregationis impresso in principio Missalis; ita præcipiente: *Demum renovando Decreta alias facta, mandat Sacra Congregatio, in omnibus, & per omnia servari Rubricas Missalis Romani; non obstante quocunque prætextu, & contraria consuetudine, quam abusum esse declarat.* Deindè subdit relationem factam SS. Urbano VIII. & ejus approbationem; ideòque nefas esset, asserere, supradictum Decretum Sac. Rituum Congregationis non habere vim Legis, & non obligare omnes ministros Sacros ad servandas Rubricas Missalis in omnibus; & per omnia; ac consequenter in recitando Matutino, ac Laudibus ante Missam; ex traditis per Gotonium *Controversiar. lib. 3. c. 3. Controvers 8. num. 50.* & Bordonum *Var. Resolut. part. 2. Resol. 72. num. 2.*

Tertiò; Quia asserere, quòd non obstante utraq; Rubrica Missali, præcipiente antecedentem Matu-
5 tini, ac Laudum recitationem Missæ celebrationi; hanc posse ad libitum omitti, & licitam esse consuetudinem, absque prædicta recitatione Matutini, & Laudum celebrandi; & ita impunè negligi, sperni, & mutari posse hunc Ritum; subjacet excommunicationi latæ *in Conc. Trid. sess. 7. can. 13.* his verbis: *Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Prælatum mutari posse, Anathema sit.* Porrò Rubricas Missalis esse Ritus receptos, & approbatos ab Ecclesia Catholica, nemo est qui dubitet eosque concernere Sacramentum Eucharistiæ, quod conficitur, & consecratur in Sacrificio Missæ. Reginaldus *in Praxi tom. 2. lib. 26. n. 28*

Quartò; quia non excusatur à peccato mortali ille, qui operatur contra Legem ex contemptu. S. 6
Thomas 2. 2. *q. 89. art. 9. ad. 3.* Covarruvias *in Regul. Peccatum part. 2. §. 7. num. 6,* Baldellus plurimos cumulans *in Theolog. Morali lib. 5. disp. 24. n. 1.* Tunc autem quis dicitur ex contemptu Legis operari, quando agit contra dispositionem Legis ex consuetudine, & per actuum frequentiam destruit 7
finem Legis, Salas *de Legib. disp. 10. sect. 10. n. 73.* Bonacina itidem *de Legib. quæst. 1. punct. 7. §. 4. n. 16.* idem Baldellus *d. disp. 24. num. 3.* Sed finis Rubricarum Missalis, requirentium in celebrante Missam Matutini, ac Laudum antecedentem recitationem, est reverentia erga Sacrificium tanquam Divinum opus; quam quidem destruunt illi Sacerdotes, qui de cubili surgunt & neglecta Horarum Canonicarum recitatione se portant ad Altare, & litant, quasi aliquod vile opus exercentes, & sic agunt, non semel, aut bis ob aliquam justam causam; sed quotidie ex prava consuetudine, absque ulla devotione. Ergo non sunt immunes à peccato mortali.

Quintò, nam antiquissima, & semper observata consuetudo in Ecclesia fuit, ut ante celebrationem 8
Sacrosanctæ Missæ Sacrificii recitarentur preces divinæ, ad quas audiendas etiam populus conveniebat, ut advertit Emin. Card. Bona *Rerum Liturgic. lib. 2. cap. 1. num. 4.* ubi adducit Socratem. *lib. 2. Histor. Eccles. cap. 8.* de fuga S. Athanasii sic scribentem: *Vespera quidem erat, populus autem per totam noctem vigilabat, quia Synaxis futura erat.* Et Giorgium Pachymerem *lib. 1. Histor. Michael. Palæologi, cap. 11.* ità dicentem: *A Vespera nocturnæ decantatæ sunt preces, postera quippe die sacrum facere Præsul decreverat.* Unde idem Emin. Bona subdit: *Nec aliena fuit ab hoc instituto Romana Ecclesia, nusquam enim legimus vel in ordine Romano, vel in libris Sacramentorum Missarum solemnia peracta fuisse, nisi priùs in Ecclesia Vigiliæ nocturnæ cum Laudibus persolutæ essent. Quem Ritum etiam nunc servandum esse docent Regulæ Missali Romano præfixæ; quibus horam celebrandi determinant.* Et quamvis hæc dicta videantur de celebratione Missæ solemnis; Idem tamen servabatur; antequam celebrarentur Missæ privatæ; ut testatur Divus Antoninus *3. p. titul. 13. c. 6. §. 4.* qui floruit anno 1400. & allegat testes ejusdem consuetudinis Guilielmum, & Hostiensem celebres Canonistas ejus magistros, cujus vigore consuetudinis, quæ erat generalis, & ab Ecclesia approbata, scripsit idem Sanctus, quòd *qui nondum dictis Matutinis celebrat, mortaliter peccat;* per text. *in cap. In his rebus. dist. 11.* Et meritò quidem, nam consuetudines universales antiquissimas esse 9
obligatorias, & eas processisse vel ex traditione, vel ex præceptis Sanctorum Patrum plenè probat doctissimus Vir Joannes Cardenas *in Crisi Theologica tract. 3. disp. 23. cap. 5. artic. 5.*

Sextò, quia ferè in omnibus Episcopatibus prohibent Synodalia Diœcesana Decreta mystis rem sacram facere, nisi saltem Matutinum cum Laudi- 10
bus recitaverint. Ita statutum esse in Ecclesia Parisiensi testatur Gonzalez *in cap. 1. num. 4. de Celebrat. Missar.* Synodus Farfen. *anni 1685,* Eminentissimi, ac Reverendissimi D. Caroli Cardinalis

Bar-

Barberini *de Sacrificio Missæ c.* 10. *n.*7. antequam Sacerdos celebret, eidem injungit, *juxta Rubricas Matutino, & Laudibus saltem recitatis.* In Synodo Diœcesana Concordiensi Anno 1697. Illustrissimus. ac Reverendissimus Paulus Vallaressius Episcopus egregiæ pietatis, ac sollicitudinis, *in tit. de Cæremoniis in Missa observandis pag.*175. ita mandat: *Sacerdos jejunus rem facturus divinam, si criminis alicujus conscientia postulet, peracerbo animi sensu, Sacerdoti priùs crimina confiteatur; necnon recitet saltem Matutinum unà cum Laudibus.* Synodus Spalatensis sub Illustrissimo, ac Reverendissimo Stephano Cosmo, eruditissimo, ac vigilantissimo Archiepiscopo, Anno 1688. *tit.*10. *de Sacrificio Missæ num.* 6. sic suis Sacerdotibus præcipit: *Antequam ad celebrandum se accingunt, Matutino, & Laudibus saltem recitatis, sacras preces in genuflexorio fundant.* Sed aliis omissis nostra Diœcesana Synodus Patavina Anno 1624. confirmata annis 1647. & 1681. *p.*1. *c.*11. *de Cæremoniis in Missa observandis*; dat in præcepto eandem præcedentem Sacrificio Matutini, ac Laudum recitationem; dicens inter alia: *Nec non recitet saltem Matutinum unà cùm Laudibus.* Idemque fuit injunctum in antecedenti Synodo Patavina Anno 1580. sub tunc Illustrissimo, ac Reverendissimo Federico Cornelio Antistite, postea S. R. E. Cardinali, *de Missæ celebratione, pag.*20. ibi: *Sacerdos jejunus, matutinis, precibus saltem persolutis, semel tantùm in die divinum Sacrificium offerat.* Constitutiones autem Synodales Diœcesanas esse leges habentes vim obligandi omnes, & quoscunque de
11 Diœcesi; & illos teneri ipsis Diœcesanis legibus sub mortalis culpæ reatu obedire, docent omnes Canonistæ *in Rubric. de Constitutionib. & in c. Cum omnes. c. Cum accessissent, eod. tit.* Et omnes Theologi, quos citat, & sequitur Baldellus *d. lib.*5. *de Legibus, disput.*5. *num.*13. *& seqq.*

Septimò tandem, peccatum grave esse ex malo habitu, & ex consuetudine, nulla legitima causa interveniente, Missam celebrare non persoluto debito Matutini, & Laudum; confirmatur multitudine Doctorum, sanctitate, ac doctrina illustrium; quos
12 hic alphabetico ordine referre non me piget; ut qui huic malo habitui sunt assueti, resipiscant, & melius consulant conscientiæ suæ; sciantque, esse magnam irreverentiam accedere ad Altare, & tremendum Sacrificium offerre absque præparatione ista in Rubricis Missalis, & in Synodalibus Constitutionibus præscripta, & præcepta. Doctores ita affirmantes sunt sequentes:

S. Antoninus 3. *p. tit.*13. *cap.*6. §.4.
Angelus *Verb. Missa, num.*42.
Armilla *eod. Verbo. num.*31.
Astensis *lib.*4. *tit.*14. *num.*3.
Albericus de Ferraria *in tract, de Horis Canonicis super cap.* 1. *de celebrat. Missar. num.* 23.
Alvarez *in Speculo c.*33. *vers. Quid de Scholaribus.*
Antonius Bernard. *in Summa, cap.* 27. *n.*6.
Azorius *tom.*1. *lib.*10. *cap.*28. *qu.*17.
Beja *de Casib. Conscient. p.*1. *casu* 54.
Bartolomæus ab Angelo *Dialog.*5. §.10.
Bellarminus *lib.*1. *De bonis operibus cap.*28.
Biel *super Canone lect.*13.
Burchard. *in Ordine Missæ in princ.*
Cavalerius *in Statera Sacra tit.*2. *n.*30.
Cenedes *Q. Q. Canonicar. qu.*3. *n.*30. 7. *&* 30. mordicus defendens hanc opinionem.
Durandus *de Ritib. Eccl. lib.*3. *c.*24. *num.*13.
Francolinus *de Horis Canonicis c.*16. *num.*28. ubi fortiter tuetur hanc sententiam,
Gavantus *in Rubric. Missal. part.*2. *tit.*1: *litt, B.*
Graffius *Decis. lib.*2. *cap.*40. *n.*5.
Henriquez. *in Summa lib.*9. *c.*24. *n.*7.
Hostiensis *in Summa, de Consec. Eccl. dist.* 2. §. *& qualiter, n.*14.
Homobonus *de Exam. Eccl. tract.*4. *c.*16. *q.*148.
Jordanus Episc. Tragur. *tom.*1. *lib.*4. *tit.*1. *n.*66.
Joannes Baptista Antonuccius *in Catechesi Neapolit. lib.*1. *c.*47.
Ledesma *quæst.*16. *art.*4. *dub.*6.
Laurentius Perez Seco *in Tractatu an liceat celebrare non recitato Matutino.*
Majolus *de Irregular. lib.*3. *c.*24. *n.*1.
Melchior. de Huelem *in Epitome Cæremoniar. & Myster. Missæ*
Michael Timot *de Sacrificio Missæ tract.*1. *q.*2.
Manipulus Curatorum *in tract. de Euchar. c.*6. *in fin.*
Michael Florentinus Servita *in Dilucidario super Reg. S. Augustin. c.*22. *qu.*4.
Navarrus *de Horis. Canonic. c.*3. *n.*70. *& cap.*21. *num.*30. *& in Manuali cap.*25. *n.*83.
Petrus Bollo *in Oeconom. Canon. Class.*1. *cap.*5. §.6.
Pitigianus *disp.*13. *q.*2. *art.*10.
Pisanella *verb. Missa* §.4.
Paludanus *in* 4. *Sent. dist.*13. *q.*2. *art.*2, *concl.*2.
S. Raymundus *in Summa lib.*3. *tit. de Sacram. iteran. in Gloss.*5. *pro defunctis. pag.*326.
Rofella *verb. Missa* §.4.
Setala *de Mysteriis Missæ cap.*6. *num.*37.
Sylvester *verb. Missa q.*6. §.4.
Summa Confessor. *lib.*3. *tit.*24. *quæst.*130.
Tabiena *verba Missa num.*7.
Viguerius *Instit. Theolog. cap.*5. §.5. *vers.*4.
Zanardus *in Director. Theolog. part.*1. *De Euchar. cap.*9. *q.*7.
Zecchius *de Sacram. in tract. de Missa c.*16.

Hi sunt quadraginta quinque Doctores, sentientes, gravem culpam esse celebrare passim, & ex consuetudine. non recitato Matutino, & Laudibus; & ex ipsis plurimi sunt antiqui, pii, ac Sancti, videlicet S. Antoninus, S. Raymundus; quapropter ipsis potius adhærendum est, quàm modernis secundùm illud Job *c.*12. *vers.*12. *& 13. In Antiquis est Sapien-* 13
tia, & in multo tempore prudentia. Et Ecclesiast. *c.* 39. *vers.*1. *& 4. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens.* Et *cap.*8. *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus suis.* Temporis enim diuturnitas eis auctoritatem attulit. Jo. Andreas *in cap. Unico num.*40. *& 41. De Sacr. Uncl.* Sylvester *in verb. opinio n.*2. *in fine.* Everard, *in Loco ab Auctoritate n.*16. *vers. ad unum tantùm adverte.* Fagnanus *in cap Ne innitaris à num.*349. *& seqq. De Constitutionibus.* Maximè quia plures ex modernis, qui excusant à mortali celebrantem, non recitato Matutinali officio, affirmant contrariam opinionem esse communem, & probabiliorem; immò Sententiam Soti *De Just. & Jure lib.*10. *q.*5. *art.*4. *concl.*2. qui primus recessit à communi, non esse omninò tutam, & ulteriùs non esse ita absolutè intelligendam de omnibus celebrantibus non soluto penso Matutini ex consuetudine, & malo habitu, ut in præsenti supponimus; sed aliqua justa causa subsistente. Riccius *in Praxi Rer. Quotid. Resolut.* 362. *Incipien. Respon-*

deo

deo non esse. Card. Toletus *in Summa lib. 2. cap. 1. num. 3.* Pax Jordanus *d. lib. 4. tit. 1. num. 67.* Quare non sunt audiendi moderni Moralistæ, qui laxant habenas, & fovent irreverentiam erga Sacrosanctum Sacrificium Eucharisticum, & est omninò amplectenda Doctrina antiquorum; quam fatentur plurimi etiam Neoterici tutiorem, & probabiliorem, & ex hoc inferunt, contrariam esse rejiciendam. Jo. Andreas *in cap. Litteras col. 2. in Verb. Melius*, & ibi Glossa *in cod. verb. De Restitut. Spoliator.* Fagnanus *in cit. cap. Ne innitaris. n. 273. De Constitutionib.*

Neque vim habent rationes, seu resolutiones eorundem modernorum Doctorum contrarium asserentium.

Non prima: Quòd Rubricæ Missalis, quò ad
14 anteferendam Missæ Sacrificio recitationem Matutini, cum Laudibus, sint directivè tantùm, non autem præceptivæ, & ita non obligent transgressores ad culpam. Quartus *d. part. 2. tit. 1. sect. 1. dub. 1. vers. Probatur.* Nam respondetur, secundùm veriorem opinionem, quam validissimis rationibus amplexus sum in Decisionibus *Anni 1683. Mense*
15 *Julio ad Casum Prudentialem*; omnes Rubricæ Missalis sunt præceptivæ, & illas transgredi non licet absque culpa vel gravi, vel levi secundùm materiæ qualitatem, & casuum circumstantias relativas ad reverentiam Sacrificii, & ad obedientiam, quam Sacrificantes exhibere debent iisdem Rubricis; quæ sunt leges Ecclesiæ, ac Summorum Pontificum, à quibus per Litteras Apostolicas in Missali impressas sunt confirmatæ. Idcircò ob Bullam S. Pii Quinti, in eodem Missali positam, omnes Rubricas servandas esse sub mortali, juxta probabiliorem Doctorum opinionem, affirmat Bonacina *tom. 1. De Sacramento Euchar. disp. 4. q. ult punct. 7. §. 3. num. 3.* Et Cotonius *lib. 2. Controv. 5. cap. 4. num. 82.* ait: *Si semel admittamus Decreta Pontificum directiva, facilè hæc interpretatio se extendet ad omnia. Et saltem si directivum est, quod præcipit in virtute obedientiæ, quale erit Præceptivum?* Undè infert eandem Bullam Pianam facere omnes Rubricas Missalis præceptivas, quia mandat, ac districtè omnibus, & singulis *in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit*, ut Missam celebrent juxta ritus præscriptos in iisdem Rubricis, quæ propterea præceptivæ omnes sunt tenendæ, ut fusiùs *sin cit. Decis. Anni 1683. Mense Julio.*

Non secunda adversariorum ratio subsistit, quòd
16 non recitare Matutinum ante Missam sit res levis, & nullius revelantiæ. Nam respondetur cum Quintanadvenas *in Singularib. Theolog. Moral. tract 7. Singular. 38. num. 1.* quòd *vel minimum jota, vel simplex apex ad Augustissimum Missæ Sacrificium spectans magni haberi debet.* Et equidem si res nullius momenti est omissio Matutini, ac Laudum ante Missam; erit etiam nullius relevantiæ celebrare in loco non sacro, & non deputato ab Episcopo; vel sine Altari consecrato, aut tribus mappis non cooperto; vel sine lumine è cera, vel de nocte, aut post Meridiem; item sine vestibus Sacris, aut eis non benedictis, sine ministro, cum Calice æreo, vel vitreo, capite cooperto; hæc enim omnia prohibita sunt in Rubricis Missalis; quæ si quis ausus esset contra tenorem earundem Rubricarum adhibere; sine horrore dici non potest, quòd mortali culpa non esset adstrictus; omnes enim Doctores testantur in supradictis casibus transgressores graviter delinquere; cumque uno, & eodem textu prohibeantur antedictæ transgressiones, & omissio recitationis Matutini cum Laudibus, ut legitur in Rubrica Missalis *De Defectibus, &c. cap. 10. num. 1.* sequitur dicendum, etiam Matutini, & Laudum omissionem, nulla subsistento legitima causa, & ex solo malo habitu, & consuetudine, esse culpam gravem; juxta juris Axioma: *Una determinatio respiciens plura determinabilia, debet ea pariformiter determinare. l. Nam hoc jure, & l. Lucius. ff. De vulgari, & pupillar. substit.* Menoch. *cons. 88. num. 19.* Gratian. *Discept. forens. cap. 70. num. 39.* maximè ubi eadem est ratio, & non diversa, prout in casu nostro, nempè summa reverentia in hoc Divino opere; quod adorant Dominationes, & tremunt Potestates.

Nec tertia ratio in contrarium adducta valet; hoc 17
est, nullam esse convenientiam, connexionem, aut correspectivitatem inter recitationem Matutini, ac celebrationem Missæ; ideoque hanc præmittere, & illam postponere nullum sit peccatum; ut ait Sotus, relatus à Navarro *d. Orat. d. cap. 21. num. 30.* & Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 82. sect. 1.* Est enim evidenter falsa, siquidem cùm ab Ecclesia statutum sit, ut Matutinum, cum Laudibus dicatur de nocte, Missa autem in die, clarè demonstravit, esse aliquam connexionem inter hæc duo Religionis, & Divini cultus opera eximia; ipsamque præcedentem recitationem officii nocturni valdè conducere ad devotè Sacrificandum. Et equidem cùm Missa sit regulanda à ritu officii; ut si officium sit duplex, una tantum Oratio dicatur in Missa. Si semiduplex, secunda oratio dicatur juxta varietatem temporum, ac etiam tertia. Si dictum sit *Te Deum* in officio, dicenda sit *Gloria in Excelsis* in Missa, & alia similia; quomodo his ritibus satisfaciet in Missa, qui Matutinum non recitavit? Nonnè errores plures committet? Nonnè irreverentias plurimas patrabit? Sed ulteriùs clara, & non obscura sunt mysteria præcedentis recitationis Matutini, & Laudum; Christus enim Dominus antequam Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum institueret, & primò Sacrificium hoc Venerabile propriis manibus offerret; plures psalmos, & orationes recitavit cum Apostolis; ut probavimus in Decisionibus *De Venerabili Euchar. Sacram. Anni 1689. Decis. 17. num. 1.* & ubi morem Hebræorum de recitandis Psalmis antequam Agnum Paschalem comederent, extendimus, undè fit, ad imitationem Summi Sacerdotis, & Præceptoris nostri Christi, qui psalmos, & orationes præmisit consecrationi Eucharistiæ, ut deduximus supra *Decis. 9. num. 12.* nos quoque absque recitatione saltem trium nocturnorum, ac laudum, ad sacrificandum accedere non debere; sunt enim simul connexa, Deum laudare psalmis, hymnis, & canticis; & illum honorare Hostia, & Sacrificio. Præterea etsi Matutinum in Ecclesia cantetur de nocte; quia nocturno tempore Angelicus cantus auditus est in Nativitate Domini; undè initium recitandi officium nocturnum cœpit in Bethelem, ubi natus est Dominus. Isidor. *lib. 1. De Eccles. Offic. cap. 23.* quem refert Magrius *in Hierolexic. verb. Matutinum*, principaliter tamen ejusdem officii nocturni recitatio fit in memoriam orationis Christi, quam fecit in horto, & in obsequium suæ Sanctissimæ Passionis inceptæ post orationem ibi factam; juxta versum:

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.

Cumque celebratio Missæ sit renovatio Sacrificii, quod 18
de se ipso Christus obtulit in Cruce pro redemptione

mundi; ad hoc divinum Sacrificium peragendum non debet Sacerdos accedere; nisi oraverit ad præscriptum Ecclesiæ; recitando tres Nocturnos, ac Laudes, ad imitationem orationis Christi in horto, ut fusiùs demonstrat Guilielmus Durandus *in Rationale Divinor. Officior. lib. 5. cap. 3. & 4.* Et Jo. Billet. *in explicat. Divinor. Offic. à cap. 20. & seqq.* ubi plurimos sensus mysticos declarat; ac idem Magrius *d. Verb. Nocturnus.*

Nec quarta ratio pro contraria opinione aliquid
19 ponderis habet, quæ fundatur in consuetudine ferè universali Sacerdotum plurium, qui absque scrupulo litant, non recitato Matutino. Respondetur enim; primò negando hanc universalem consuetudinem; major enim est numerus Mystarum tum sæcularium, tum Regularium, qui tanti æstimant divinam illam actionem, ut ad illam non accedant, nisi debito Matutini, ac laudum soluto. Sed esto, quòd plurimi absque recitatione sacrificent, eorum consuetudo nullum jus, nullamvè legitimam excusationem
20 parere potest, quia cùm sit contra expressas Rubricas Missalis, est damnata, & declarata tanquam corruptela, & abusus à Decreto Sacræ Congregationis in eodem Missali impresso; certum est autem in jure, quòd quando consuetudo aliqua reprobata est tanquam abusus, & corruptela, non potest defendi, neque practicari absque culpa, etsi in ea plurimi continuent etiam per longissimum temporis spatium; ut docent Canonistæ, ac Theologi, quos allegant, & sequuntur Gonzalez *ad Reg. 9. Cancell. gloss. 33. num. 9. & 10.* & Sperellus *Decis. 37. num. 51. & Decis. 182. num. 33. nec non num. 57. & 60.* Est igitur concludendum, teneri Sacerdotem celebraturum ex vi Rubricarum Missalis, quæ habent vim legis, & præcepti præmittere recitationem Matutini, & Laudum, antequam celebret; & deficientem in hac recitatione præambula Sacrificio ex malo habitu; ex sola negligentia, & per consuetudinem, graviter peccare ob inobedientiam erga præceptum Ecclesiæ; ob inobservantiam Rituum in Missa servandorum, & ob irreverentiam, qua Divinum illud
21 opus aggreditur. Non inficior, quòd si aliqua legitima causa intercedat celebrandi, non recitato Matutino, excusari à culpa ipsum celebrantem, exempli gratia; si persona nobilis, vel Superior postulet Missam, vel populus expectet, aut pro aliquo infirmo communicando opus sit statim consecrare, ut considerant Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 2. punct. 10.* Sanchez *in Consil. Moral. libr. 7. cap. 2. dub. 40.* Castropalaus *toni. 2. tract. 6. disp. 2. punct. 4.* & alii apud Quartum *d. part. 2. tit. 1. sect. 1. dub. 1. vers. Posita vero justa causa.* At nulla subsistente causa, mortiferum erit, absque recitatione Matutini celebrare, & Rubricas Missalis spernere; qui enim transgreditur legem passim, & ex consuetudine, dicitur illam transgredi per contemptum interpretatum, & mortaliter peccare. Angelus *Verb. Inobedientia*, eo magis si per hanc consuetudinariam transgressionem lædatur finis legis, qui in nostro casu est devotio, & reverentia erga Sacrificium; quod indevotè, & irreverenter tractat, qui de præcedenti recitatione Matutini, ac Laudum non curat. Hæc de prima parte ornatus mixti in celebraturo necessarii.

Altera pars ejusdem mixti ornatus, ab Ecclesia exhibiti, continet Vestes Sacras, quas induere debet Sacerdos in Sacristia, ut ad Litandum procedat; sunt autem sex juxta Rubricam Missalis, *Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Planeta*, de quibus aliqua in particulari, nonnulla etiam in universali sunt notanda.

Amictus, qui vocatur etiam *Ambolagium, & Anabulagium* à verbo græco ἀναβάλλομαι, id est *Induor*; nec non *humerale*, antiquitùs ponebatur supra caput, 22
eodem modo, quo à Regularibus hodie observatur; ad significandum, quod Christus Dominus, qui est caput Ecclesiæ, cooperuit Divinitatem suam carne, dum venit in hunc mundum, juxta Rupert. Abb. *libr. 1. de Divin. Offic. cap. 10.* Sive velum, quo in passionis nocte Milites Redemptoris faciem velabant: nec non spineam coronam, ejus capiti impositam. Gabriel. *lect. 11. Canone. 5.* Moraliter verò significat galeam spiritualem, id est spem, qua Sacerdos munitum esse debet, ut sit paratus portare jugum Christi; qua de causa amictum à capite reclinat ad collum, & ad humeros. Quartus *ad Rubric. Missal. part. 2. tit. 1. sub num. 3.* Maronitæ, & Ambrosiani induunt amictum super Albam, teste Magrio *in Hierolexic. verb. Amictus*, ubi subdit, quòd olim ita servabant etiam Græci; sed hodie amictu non utuntur.

Alba, vocatur etiam *Camisia, Tunica linea, Supparum, Linea Dalmatica*, quia ex lino albo confici debet, nec 23
non *Poderis* à Græco vocabulo ποδήρης, quia ad pedes usque extenditur. Græci utuntur Alba ex serico vario, colore ferè cœlesti, & præcipue eorum Episcopi. In die Parasceve antiquitùs Sacerdotes utebantur Alba nigri coloris, ut demonstrat idem Magrius *verb. Alba*, subdens, quòd etiam adsuebantur frusta textilia in manicis, in pectore, humeris, & fimbriis Albæ; quem usum adhuc retinent Regularium Ecclesiæ, & capella Pontificia. In Cathedrali Viterbiensi servatur *Alba* Sancti Bonifacii Episcopi Ferentinatis 24
(de quo Card. Baronius *anno* 537. *num.* 10.) quæ habet hæc frusta attalica, etiam in *Amictu*, & in eo Gothicis Litteris, minutisque margaritis pulchrè *Tetragrammaton*, efformatur, scilicet nomen Dei ineffabile, quod Summus Sacerdos Judæorum gerebat in fronte. Alba longa est usque ad terram, quia significat perseverantiam, & lata ob Spiritum adoptionis filiorum Dei; ad differentiam Poderis Sacerdotii veteris, quæ erat stricta, propter spiritum servitutis in timore. Denotat etiam Vestem candidam, qua Christus fuit indutus, & illusus ab Herode; moraliter etiam significat munditiam cordis, & sanctitatem totius Sacerdotis, ut ex S. Thoma, & Innocentio III. docent Magrius *d. Verb. Alba*; Quartus *d. tit. 1. num. 3. & 6.* Et Gavantus *in Rubric. Miss. part. 2. tit. 1. in Expos. Tropologica*, ubi *Albam* duodecim significare ostendit, quæ in effectu restringuntur ad supradicta.

Cingulum, quod vocatur etiam *Cinctorium, Zona, Baltheus, & Ligamen Sacrum*, plures habet significa- 25
tiones, nempè innuit charitatem Christi; funes, quibus fuit ligatus, vel flagellis flagellatus, ejusdem Christi Virginitatem, custodiam cordis, ac continentiam Sacerdotis; fortitudinem, & arcum contra hostes. Gavantus *d. tit. 1.* in expos. tum Allegorica, & Anagogica, tum Tropologica. Quartus *ibid.* & Magrius *in verb. Cingulum*, subdens quòd antiquitus erat in usu etiam *Subcingulum* seu *Subinctorium*, quod 26
hodie solus Papa adhibet, cùm solemniter celebrat; & pendet à parte sinistra ad formam parvi manipuli; quo utuntur etiam Græci, sed ad modum bursæ calicis, & significat studium dandi eleemosynam pauperibus; vocantque ipsum *Perizoma* ut idem Magrius *in eodem Verb.*

Manipulus plura habet nomina apud Scriptores antiquos. Gavantus *d. part. 2. tit. 1. Litt. H.* decem recenset, Magrius verò *Verb. Manipulus*, duodecim. 27

Allu-

Alludit ad funem, qua Christus in passione ligatus fuit; & significat pœnitentiam, & fletum. Græci, & Maronitæ duos ferunt manipulos, unum scilicet pro unoquoque brachio. Diaconi, & Subdiaconi, qui vestiunt Episcopum Sacris paramentis, non debent habere manipulum in eorum brachiis, nisi post- 28
quàm ille indutus fuerit, ut sint expeditiores. *Cæremonial. Episc. lib. 1. cap. 9.* In processionibus non portatur manipulus à ministris paratis, quia usus ejus erat pro tergendis lacrymis, ac sudore in Sacrificio; extra quòd hæc absterso fieri potest sudariolo ordinario Quartus *d. part. 2. tit. 1. num. 3.* & Magrius *d. Verbo Manipulus.*

Stola, quàm Sacerdos sibi ad collum ponit, & 29
ante pectus plicat in formam Crucis, plures habet significationes; præcipuè tamen sunt, funis qua ligatus fuit Christus; ac Crux, quàm portavit; item jugum Legis Evangelicæ, cui Sacerdos ipse collum submittit, ut explicant Gavantus, & Quartus *d. part. 2. tit. 2.* & Magrius *in Hierolexico. verb. Stola.* Cæterùm Stolam fuisse vestem talarem, eamque variæ formæ apud Hebræos, & Romanos ostendi in *Decisionibus de Venerabili Eucharistiæ Sacram. Decis. XXX.* ubi plenè ex SS. Patribus, ac ex Historiis Stolarum materiam enucleavi; Stolæque Ecclesiasticæ mysterium, ac jurisdictionis signum exposui. Quibus addere licet, quòd Episcopus, dum celebrat, pendentem è collo Stolam tenet, quia habet Crucem ad pectus cùm Reliquiis Sanctorum. Concinnatores utuntur Stola; non autem Romæ ob reverentiam Papæ, qui ea utitur continuò etiam in publicis viis. At Cardinales si prædicent in Ecclesiis suorum titulorum, possunt uti Stola sub Mozzetta ad differentiam Pontificis, qui illam defert supra Mozzettam, & idem facere possunt ipsi Cardinales, & Episcopi extra Urbem in suis titulis, seu Diœcesibus, quando prædicant. Sacerdos communicaturus extra Missam, debet Stolam induere; sed omittens illam, non peccare; ut bene probat Magrius *d. verb. Stola*: Non etiam Diaconus, hic enim absque culpa non potest cantare Evangelium sine Stola. Hæc est etiam adhibenda in omnibus benedictionibus ad præscriptum Ritualis Romani, & debet esse vel violacea, vel coloris currentis diei, ut notat Magrius *verb. Benedictio col. 2.* Plura mysteria Stolæ Sacerdotalis notat Gavantus *d. part. 2. tit. 1. in Exposit. Tropologica vers. Stola decem significat.* Et Bissus *in Hierurgia Sacra Verb. Stola n. 191.* ubi advertit, etiam SS. Apostolos fuisse usos Stolis, quarum aliquæ repertæ sunt Augustæ.

Planeta pluribus nominibus apud vetustos Patres 30
vocitatur; nempè *Casula*, *Casubula*, *Penula*, *Superhumerale*, & *Phelonium*, quæ voces omnes sunt synonymæ, teste Magrio *in verb. Casula*; ubi illud observatu dignum scribit, quòd olim *Casula*, seu *Planeta*, erat rotunda, & clausa ex omnibus partibus, prout nunc extant nostra Superpellicea, sivè Cottæ sine manicis; & ideò Sacerdotes celebrantes eam revolvebant super brachia, sicut de Cottis faciunt Canonici, & Parochi Patavini hisce temporibus. At Græci adhuc conservant antiquam formam *Casularum*, seu *Planetarum*; quarum impressam figuram ponit Magrius *in d. Verb. Casula*, & *in Verb. Sallare*; ubi est imago Julii Papæ primi, vestiti cum planeta plicata, ac revoluta super brachiis, & significabat charitatem; ac vestem Christi inconsutilem, necnon vestem purpuream, qua in passione fuit Christus indutus coram Pilato. Quartus, & Gavantus *d. part. 2. tit. 1. num. 5.* subdens, quòd Planetæ S. Petri Apostoli meminit Hugo Cluniacensis *in Vita S. Hugonis Abbatis*, quæ asservatur Parisiis. Verùm quia revolutio Planetæ super brachiis erat satis incommoda ad celebrandum, recisa fuit lateraliter, & aperta, prout nunc est in usu ad formam scapularis Monachalis. Magrius *d. Verb. Casula.* Sarnellius *Litterar. Ecclesiasticar. tom. 2. Epist. 28.* Et Bissus *in verb. Planeta num. 146.* ubi §. 4. disserit de variis mysteriis, ac significatu multiplici Planetæ in quadrupli sensu Historico, Allegorico, Tropologico, & Anagogico.

Sed dicet aliquis, qui, & quales sunt hi sensus? Respondetur: Quòd sensus *Historicus*, est ille, quem 31
ad litteram percipimus, itaque factum esse, prout Scriptura narrat; puta populum ex Ægypto discessisse, Tabernaculum in deserto fuisse fabricatum. *Allegoricus* sensus est, cùm rebus, vel verbis mysticis signantur præsentia Christi, & Ecclesiæ Sacramenta; Verbis, ut *Egredietur Virga de radice ejus*; ideò nascetur Virgo Maria de Stirpe David; & Christus de Stirpe ejus. Rebus, ut populus de Ægypto per sanguinem Agni salvatus significat Ecclesiam, liberatam passione Christi à dominio Diaboli. *Tropologicus* sensus idem est, ac *Moralis*, qui adhibetur ad correctionem morum; & fit vel apertis verbis, ut *nolite diligere mundum*; vel figuratis, ut *omni tempore sint vestimenta tua candida.* Sensus *Anagogicus* est locutio, quæ de præmiis futuris, & de vita æterna, mysticis, vel apertis verbis disputat. Apertis, ut *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Mysticis, ut *Beati, qui lavant Stolas suas, ut sit illis potestas in ligno vitæ.* Ita declarat Glossa Ord. *in Exod. cap. 25. in Verb. per singulos*, & restringuntur omnes prædicti sensus in his versibus:

Littera gesta docet; quod creditur, Allegoria:
Moralis, quod agis: quò tenditur, Anagogia.

Explicat hos sensus etiam Divus Thomas 1. *part. quæst. 1. art. 10.* quem studiosum observasse juvabit.

Vestes itaque Sacræ supra recensitæ sunt ornamenta, quibus Sacerdos Missam celebraturus ornatus esse debet, circa quas Theologi tractant infrascripta quæsita, à quocumque Ministro Sacro non ignoranda.

Primò. An liceat celebrare Missam sine Vestibus Sacris? Et responsio est negativa; esset enim mortale 32
peccatum ob magnam irreverentiam Sacrificii. Tamburin. *de Sacrific. Missæ libr. 1. cap. 3. §. 1.* ubi distinguit, & ait, sine aliqua ex minoribus in casu necessitatis, puta amictu, manipulo, posse celebrari secùs deficiente alba, vel planeta, etiam si quis minaretur mortem Sacerdoti. Suarez *tom. 3. disp. 72. de Sacrificio Missæ sect. 2. §. Secundò dicendum*, etsi Navarrus *in Manual. cap. 25. num. 84.* contrarium sentiat, nisi mortem quis minaretur in contemptum religionis.

Secundò. An Vestibus non benedictis celebrare liceat? Et negativè respondet Tamburin. cum aliis 33
d. cap. 3. §. 2. subdens, si instaret magnum periculum, posse cum eis celebrari, quia minus esset scandalum, quàm sine vestibus Sacris Litare. Collegium Salmanticens. *tom. 1. de Sacramentis tract. 5. cap. 4. num. 92. & seqq.* dicens Altercari Moralistas, an vestes remaneant benedictæ, si semel ab aliquo bona fide in Missa adhibeantur; negativam tamen opinionem esse tutiorem, prout etiam, quòd benedictionem perdunt, si formam propriam amittant.

Tertiò. An teneatur Sacerdos sub mortali recitare orationes ab Ecclesia præscriptas in sumendis vesti- 34
bus Sacris? Affirmat Navarrus *d. cap. 25. num. 73.* & Azorius *part. 1. lib. 1. cap. 26. q. 5.* At sub veniali tantùm firmat ex Palao, ex Bonacina, & aliis ipsum

Collegium Salmanticens. *d. cap. 4. num. 95.*

Quartò. An prohibitum sit nudis pedibus cele-
35 brare? Respondent DD. negativè, cessante scandalo, quamvis ob decentiam calcei etiam à Regularibus severioris vitæ adhibeantur, Tamburin. *d. lib. 1. cap. 7. §. 3.* ubi DD. citat, addens ex Cassiano, quòd Monachi in Ægypto accedebant nudis pedibus ad Altare ex præcepto in quacunque functione.

Quintò. An pileolum in capite Sacerdos cele-
36 brans tenere possit? Responsio est negativa, ob Decretum prohibitivum positum in principio Missalis jussu Urbani VIII. his verbis: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacunque contraria consuetudine.* Urgenti tamen causa concurrente, non esse peccatum tenere pileolum in capite, seclusa canone, astruit Tamburin. plurib. DD. citatis *d. lib. 1. de Sacrificio Missæ cap. 7. §. 4.* asserens in Polonia omnes Sacerdotes, hyeme, velato capite usque ad consecrationem, Altari adesse. At contrarium de Polonis asserit Gobat *in Experim. Theol. tract. 3. num. 384.* ubi se informasse, ait à P. Lithuano haud sanè ignaro morum vicinæ Poloniæ; & ita credendum est de religiosissima illa Natione; extat enim textus *in cap. Nullus Episcopus. De Consecrat. dist. 1.* relatus etiam à Pignatello *tom. 9. cons. 97. num. 50.* in quo prohibetur cunctis operto capite celebrare, his verbis: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, ad solemnia Missarum celebranda, præsumat velato capite Altari Dei assistere; & qui temerè præsumpserit, communione privetur.* Qui renovatus est ex supradicto Decreto S. Congregationis posito in Missali; cujus transgressio erit culpa mortalis, ut plenè probat Sarnellius *Litter. Eccles. tom. 1. Epist. 15.* ubi demonstrat, à solo Romano Pontifice posse licentiam concedi, ut quis ad tuendam sanitatem utatur pileolo in Missa usque ad præfationem, & post communionem; & ibi ponit Breve Clementis X. hujusmodi dispensationis concessæ Eminentiss. Do-
37 mino Cardinali Ursino; addens, quòd neque in Choro, neque in Vesperis ministri induti paramentis sacris debent uti pileolo, sed solo biretto in forma Crucis, deponendo, & assumendo juxta Rubricas Missalis, & Breviarii. At in illis Divinis Officiis adhiberi posse Pileolum absque alia dispensatione respondit S. Congregatio apud Nicolium *Lucubr. Can. lib. 3. tit. 41. num. 18.* Hinc fit, non esse tutam opinionem ejusdem Gobati *tract. 8. num. 680.* (quam recensui supra *Decis. 23. num. 38.*) asserentis, patientem capitis debilitatem posse celebrare tecto ca-
38 pite cum capillitio assumptitio, vulgò *Perucca*: esset enim manifesta fraus, & violatio ejusdem *textus in cap. Nullus Episcopus*: ac prædicti Decreti Sacræ Rituum Congregationis; & tantò minùs dici debet licitus usus Perucchæ in Mysta celebrante; quò expressiùs prohibitæ sunt Perucchæ Sacerdotibus in Edictis de mandato Summi Pontificis Romæ publicatis; prout legitur in illo sanctæ memoriæ Innocentii Papæ XI. *diei 10. Octobris 1681.* cujus hæc sunt verba, aliis omissis. *Che con questa proibizione di Zazzere non s'intenda derogato alle proibizioni, che vi sono, d'usare capelli, e zazzere finte, chiamate volgarmente Perucche; con le quali molto meno sia lecito accostarsi all' Altare; è celebrarvi il Santo Sacrificio della Messa, sotto pena à chi ardisce di contravenire, della Sospensione da incorrersi ipso facta, e di scudi venticinque da applicarsi à luoghi pii come sopra.* Stat igitur Regula, quòd discooperto capite est celebrandum
39 sub pœna peccati mortalis. Colleg. Salmanticens. *d. tract. 5. cap. 5. num. 102.* Emin. Cardin. de Lugo *de Euchar. disp. 20. num. 108.* Jordan. *tom. 1. lib. 4. tit. 1. num. 304.* nisi accedat dispensatio Papæ. Gavant. *part. 1. tit. 2. Litt. F.* Bissus *in Hierurgia tom. 1. verb. Birettum num. 109.* prout accessisse pro Chinensibus dispensationem Pauli V. testatur Gobatus *d. tract. 5. num. 385.* ea ratione quia apud illam nationem, procedere coram aliquo, tecto capite, est honoris signum, sicut apud nos, illud discooperire. Et hic obiter notandum, quòd Romani Saturno sacra faciebant aperto capite; ut innuerent, cursu temporis veritatem, quam Saturni filiam dicebant manifestam fieri. Ita Tiraquell. *De præscriptionibus glossa 4. §. 1. n. 44.*

Sextò. An licitum sit, ad libitum variare colorem in vestibus sacris? Respondetur, quòd licèt impunè affirmet Suarez *tom. 3. disp. 82. sect. 2. Vers. Sacundo* 40 *est observandum.* Gobat *d. tract. 3. num. 382.* & Quartus *d. p. 1. tit. 18. num. 6. dub. 1.* eo asserto principio, quòd Rubrica Missalis sit directiva, & non inducat obligationem, Contrarium esse dicendum, siquidem Rubrica ipsa Missalis *tit. 18. num. 1.* præceptiva est; ait enim: *Paramenta Altaris, celebrantis, & ministrorum, debent esse coloris convenientis officio, & Missæ diei, secundùm usum Romanæ Ecclesiæ, quæ quinque coloribus uti consuevit, Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo, & Nigro* Verbum autem *Debent*, est verbum præceptivum; & regulariter importat necessitatem, ut bene notat Fagnanus *in cap. Qualiter 37. De Clericis non residentes.* Glossa *in Clem. At-* 41 *tendentes. Verb. debeant., de Statu Monachor.* Sylvester *in Verb. Præceptum quæst. 2.* Sanchez *in Decalogo. lib. 6. cap. 4. num. 36.* & Barbosa plurimos cumulans *in Diction. Usufrequent. diction. 77. num. 1. & 2.* Quare Rubricam ipsam de coloribus servandam esse sub præcepto, & ejus transgressionem esse culpam gravem tenent. Bissus *tom. 2. verb. Paramenta Sacra. num. 28. §. 9.* Et jure quidem; tùm quia inobservantia colorum esse non potest, nisi cum irreverentia Divini cultus, & scandalo populorum, velut si quis celebraret in solemni festo cum paramentis nigri coloris, vel in festivitatibus Deiparæ, Martyrum, Virginumvè cum colore Violaceo, aut altero, non ab Ecclesia præscripto; tum etiam quia, in lege Mosayca non licebat Sacerdotibus vestes diversi coloris induere in Sacrificiis, ut ex Alcuino deducit Gavantus *d. part. 1. tit. 18. num. 1.* & colores ipsi sunt omnes 42 pleni mysteriis; siquidem color albus significat puritatem, & vitæ innocentiam; ideò adhibetur in solemnitatibus Redemptoris, Deiparæ, Pontificum, Confessorum, ac Viduarum; juxta illud *Tren. 4. Candidi facti sunt Nazaræi ejus.* Color rubeus designat fortitudinem in effusione Sanguinis pro Christo; & eo utimur in festo Sanctæ Crucis, ac SS. Martyrum, de quibus scriptum est *Apoc. 7. 14. Laverunt Stolas suas, & dealbaverant eas in Sanguine Agni*, ac etiam in Missis de Spiritu Sancto, quia innuit fervorem, qui accedit ad energiam ignis, in cujus forma descendit Spiritus Sanctus super Apostolos. Excipitur festum SS. Innocentium ob ululatus Matrum; ad quarum mæstitiam demonstrandam intrat color violaceus, qui tanquam pallidus, & lividus, præfigurat mæstitiam, & hac de causa etiam eo utitur Ecclesia in Rogationibus, & aliis diebus jejuniorum. Viridis est Symbolum spei vitæ æteræ, ad exemplum viroris agrorum, spem copiosæ messis promittentium; ideircò adhibetur in Dominicis per annum, ad excitandos fideles ad bona opera exercenda; quibus mediantibus datur ingressus ad gloriam. Nigro tandem colore utimur in Missis pro defunctis; est enim proprius

mortis,

mortis, quæ nos ad tenebras sepulchri detrudit; ut pleniùs differit Quartus *in Rubr. Missal. d. part. 1. tit. 18. à num. 2. usque ad num. 6.* & ante ipsum Gavantus *ibid.* Carolus Septala *de Mysteriis Missæ cap. 52. à num. 32. & seqq.* qui *num. 36.* advertit, Christum Dominum instituisse Sacram Eucharistiam veste cœnatoria indutum ex traditis per Card. Baronium *ad Annum 34. num. 39.* idest Syndone alba, ex Gavanto *d. tit. 18. n. 1.* etsi probabilem esse opinionem, quòd Christus Dominus suis solitis vestimentis indutus litaverit, addat Bissus *d. verb. Paramenta sacra* 43 §. 8. advertens successivè *in* §. 9. quòd Planeta ex auro texta potest servire pro omnibus coloribus; nigro excepto; qualis creditur fuisse illa S. Macharii, qua donatus fuerat ab Imperatore Constantino teste Theodoreto *lib. 2 Hist. cap. 27.* & talis erat Planeta quondam Emin. Domini mei Cardinalis Gregorii Barbadici, venerandæ memoriæ, contexta scilicet ex auro, flavi coloris, quam quotidiè celebrans adhibebat, & in Visitatione Diœcesis secum portabat; quæ omnibus coloribus in Sacrificio par erat; quod tradit etiam Quartus *d. part. 1. tit. 18. sub num. 6. Dub. 2.* excipiens tamen colorem violaceum, ac nigrum; quibus, ait, aureus non concordat.

Septimò. An grave peccatum sit adhibere vestimenta Sacra Sacerdotis ad usum profanum? Et re- 44 spondet affirmativè Suarez *d. tom. 3. disp. 81. sect. 8. §. 4. Addendum. Et §. ultimo.* V. *Pertinet*, nec non Tamburin. *de Sacrific. Missæ d. lib. 1. cap. 2. §. 3.* & in jure habemus *text. in cap. Nuptiarum. de Consecr. dist. 2.* quod notent Confessarii, ut animadvertere possint in illos, qui personati non erubescunt incedere in bacchanalibus cum aliquo ex vestimentis Ministrorum Dei, prout memini, me vidisse quendam Superpelliceo, idest Cotta, indutum; est enim mortalis culpa ob contemptum rerum Sacrarum, & irreverentiam in vestes ad Divina officia, ob cultum Dei ordinata. Non est tamen negandum cum eodem Tamburino *ibidem*, quòd rebus non immediatè præscriptis ab Ecclesia, & non benedictis, aliquando uti in aliqua honesta occasione, etsi profana, non est peccatum: verbi gratia, in nuptiis, tapeto, pelvi argentea, manutergio, sedilibusve Ecclesiæ. Et ulteriùs, quando vestimenta sacra è vetustate sunt attrita, possunt in aliam formam converti, ad usus- 45 que profanos adhiberi, ex Castropalao *tom. 2. tract. 8. disp. 4. punct. 6. num. 25.* quod tamen, & quidem probabilius, negat Lezana *in Summa tom. 3. verb. Paramenta Sacra num. 3. & verb. vestes Sacra n. 7.* debent enim applicari, quantum fieri potest, ad alia ornamenta minutiora Altaris; cumque inutilia evadunt, sunt comburenda, & cineres in loco sacro reponendi. *cap. Altaris. De Consecr. dist. 1. cap. Ad hæc. De Relig. domib. cap. Quæ semel de Regul. Jur.* Sylvester *verb. Benedictio q 7.* Galganetus *de Jure publ. lib. 3. tit. 67. num. 3.* & Bellettus *part. 1. §. 23. num. 15.*

Ultimò quæritur, an Sacerdotes, aliique Clerici 46 defuncti sepeliendi sint de præcepto induti Vestibus sacris? Et responsio est affirmativa; quia sic mandat Rituale Romanum *in tit. de Exequiis*, his verbis: *Sacerdos, aut cujusvis ordinis Clericus defunctus, vestibus suis quotidianis communibus usque ad talarem vestem inclusivè; tum desuper sacro vestitu Sacerdotali, vel Clericali, quem ordinis sui ratio deposcit, indui debet. Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, & casula, seu planeta violacea sit indutus. Diaconus verò induatur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola super humerum sinistrum, quæ sub axilla dextra annectatur, & Dalmatica violacea. Subdiaconus autem amictu, alba, cingulo, manipulo, & tunicella. Alii præterea inferiorum ordinum Clerici superpelliceo super vestem talarem ornari debent; singuli prædicti tonsura, ac birrettis suis.* Est autem certum apud Canonistas, & Doctores, quòd Rituale Romanum est liber habens 47 vim legis; & quòd ejus Rubricæ obligant sub præcepto Loterius *lib. 1. q. 16. num. 123.* Menochius *cons. 52. num. 145.* Gratianus *Discept. Forens. cap. 111. num. 7.* & Sperellus *Decis. 179. num. 22.* Quòd quidem jure optimo constitutum est; nam si quilibet debet sepeliri cum insigniis suæ dignitatis; ut morem fuisse apud Romanos, testantur Polibius *lib. 6.* & Titus Livius *lib. 34.* & si milites tradebantur sepulturæ cum suis armis, ut legitur *in cap. In nostra. 10. de Sepulturis*; convenit etiam, ut milites militiæ sacræ, quales sunt Sacerdotes, & Clerici sepeliantur cum insigniis suis, quæ sunt paramenta Sacra, Glossa *in cap. Nemo verb. mortuum. De Consecr. dist. 1.* & ibi Canonistæ. Suarez *d. tom. 3. disp. 31. sect. 8. §. Quartò addendum* Tamburin. *d. lib. 1. cap. 2. §. 3. num. 2.* & Sarnellius *Litter. Eccles. d. tom. 1. Epist. 33.* ubi allegat textum. *in cap. Ad hæc. 2. De Auctor. & usu pallii*, quo disponitur, Archiepiscopos cum suis palliis esse sepeliendos; & ulteriùs demonstrat; apud fideles in usu semper fuisse sepelire mortuos cum cereis accensis, ac hymnis, & canticis; ut narrant S. Gregorius Nyssenus de sorore suo S. Macrina *Orat. in ejus funere.* Et S. Gregorius Nazianzenus de S. 48 Cæsareo *in ejus. fun.* his verbis: *Cum multiplici hymnorum cantu deducitur, celebrique pompa ad Martyrum sedem effertur, matre accensas faces gestante.* Necnon S. Hieronymus de obitu S. Paulæ *Epist. 27. dicens: Translata Episcoporum manibus, & cervicem feretro subjicientibus, cùm alii Pontifices cereos, lampadesque, alii choros psallentium ducerent, in medio Ecclesiæ spelunca Salvatoris est posita.*

Duo autem hic corollarii loco sunt notanda. Unum, quòd à Rituali Romano inter vestes sacras, 49 quibus induendus est Sacerdos defunctus, non connumerantur Calix, & Patena, undè deducitur, hæc vasa sacra minimè ponenda esse in manibus Sacerdotum defunctorum, esseque abusum omninò tollendum hìc Patavii; ubi plurimi solent, ex Sacrorum Rituum vel inscitia, vel inobservantia, cadaveri Mystarum in catalecto commoranti Calicem, & Patenam in manibus apponere; quod damnat etiam Sarnellius *d. Epist. 33. in fine.*

Aliud notandum est, quòd Sacerdotes, & Clerici in morte suorum parentum non debent induere vestes 50 lugubres, more laicorum; ut pluribus Synodalibus Decretis comprobat Sarnellius *d. tom. 1. Epist. 16. pag. 129.* ea ratione, quia ut scripsit S Cyprianus *in opere de Mortalitate*, dedecet Ecclesiasticos, à quibus prædicatur articulus æternæ vitæ; ac præmia à Deo promissa bene facientibus; flere, & mœstitiam profiteri, dum eorum conjuncti ad possessionem æternorum bonorum sunt vocati, quam veritatem agnoverunt etiam in Lege veteri Machabæi, dicentes 2. *Machab. 12. 45. Quòd bi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* Quare de his ait etiam Apostolus *ad Thessalon. 4. 13. Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.*

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in his Decisionibus De Sacrosancto
MISSÆ SACRIFICIO CONTINENTUR

A.

ABbas Nicolaus Papadopoli laudatus. Decis. 48. n. 32.

Abbates de Jure non consecrant Altaria; sed tantùm ex Privilegio. Decis. 13. num. 18.

Abbates an possint consecrare Altaria etiam pro Ecclesiis extraneis? Et an Calices, Campanas, & supellectilia sacra non sua. Decis. 13. n. 21. ubi negativa sententia ob Decretum S. Rit. Congr. Anno 1644. num. 22.

Abbatibus Cassinensibus concessa facultas consecrandi Altaria portatilia pro usu suarum Ecclesiarum à Pio Papa IV. anno 1565. Decis. 13. num. 20.

Abbatum potestas circa usum Pontificalium, consecrationes, & collationes ordinum restricta ab Alexandro papa VII. anno 1659. Decis. 13. num. 23. ubi ejus Decreta.

Abbates quas Benedictiones possint facere. Decis. 42. num. 78.

Abbates non possiunt benedicere Campanas non suas. Decis. 45. n. 47.

Abbatissæ an possint benedicere Moniales. Decis. 42. n. 48.

Abdias Propheta quisnam fuerit, & quo tempore. Decis. 25. n. 58.

Abelis Sacrificia comburebantur igne cœlesti. Decis. 15. n. 14.

Abel utrùm fuerit Martyr? Quo loco, & quo tempore occisus. Decis. 15. n. 20. 21. 22.

Abigail quam benedictionem exhibuerit David. Decis. 42. n. 6.

Abraham quot Sacrificia Deo obtulerit. Decis. 17. n. 1.

Abraham ubi, & quando natus? ibid. num. 2.

Abraham vidit Noe viventem, cui ex Sem erat in decimo gradu. Decis. 17. n. 3.

Abraham quo anno natus; & in qua ætate esset, dum mortuus est Noe? Decis. 17. num. 4. & 5 Quæ ejus patria? An projectus in ignem à Chaldæis? Quæ ejus Uxor? Decis. 17. num. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Abraham quo anno exivit de Patria sua. Decis. 17. num. 11. Ejus primum Sacrificium ubi factum? Quando descenderit in Ægyptum. ibid. n. 15. 16.

Abrahæ secundum Sacrificium, & tertium. Decis. 17. num. 25. 28. Ejus quartum Sacrificium. ibid. num. 30. In qua ætate circumcisus. num. 32.

Abrahæ an major virtus, vel Isaaci in eo sacrificando. Decis. 17. n. 39.

Abrahæ revelata Passio Christi futura. Decis. 17. num. 42.

Abrahæ annorum, & totius vitæ compendium. Ejus Sinus quis? Decis. 17. n. 43. 44. 45.

Abraham in litando filio an Oblationis verba proferret. Decis. 31. n. 32.

Absalon an fuerit Nazaræus. Decis. 24. num. 55.

Accessoria Vestis Clericalis sex. Et quæ? Decis. 49. num. 19.

Actio Sacerdotis celebrantis est valoris finiti. Decis. 33. num. 30.

Actionis nomen plura complectitur. Decis. 42. num. 19.

Actiones quæ licitè fiant in Ecclesia, & quæ non? Decis. 46. n. 6.

Actio publica injuriosa polluit Ecclesiam. Decis. 46. num. 20.

Adam an Deo Templa dedicaverit? Decis. 12. num. 12.

Adam fuit primus, qui obtulit Deo Sacrificia. Decis. 15. num. 1. Superavit in scientia Salomonem. num. 2. Habuit fidem distinctam Unitatis, ac Trinitatis Dei, ac Incarnationis Verbi futuræ. num. 3. possidebat omnes scientias, medicinam, & cabalam. num. 4. docuit filios, & posteros Sacrificia offerre, & Templa ædificavit. num. 11. & 12.

Adamo, & Evæ Deus immediatè, & per se loquebatur. Decis. 25. n. 19.

Adamus an Musica doctus fuerit. Decis. 37. num. 13.

Adipem animalium an Hebræi possent comedere. Decis. 27. n. 25. & 27.

Adjuratio quid, & quotuplex sit. Decis. 42. num. 37.

Adoptio filiorum per capillorum rescissionem. Decis. 48. num. 3.

Adoratio quid, & quotuplex sit. Decis. 6. num. 5. Interna, externa, & mixta. ibid. num. 6. alia Civilis, alia Sacra. Hæc Latriæ, Hyperduliæ, Duliæ. ibid. num. 8. & 9.

Adorationis internæ signa quæ sint. Decis. 6. num. 10. distinguitur ab actibus fidei, spei, & charitatis. ibid. n. 11.

Adorationis Sacræ, & externæ qui sint actus. Decis. 6. num. 12. & 26.

Adorare, idest Sacrificare. Decis. 28. n. 27.

Ædificatio Ecclesiæ requirit quatuor genera causarum. Decis. 40. n. 4.

Ægyptia Sibylla de Christo locuta. Decis. 26. num. 40.

S. Aelredi Abbatis censura in Musicam. Decis. 37. num. 50.

Ætas, & anni Thare, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi, aliorumque fratrum, & Moysis. Decis. 20. n. 8.

Ætas

Ætas, quæ in Sacerdotibus Aaronicis, ut litare, & prædicare possent. Decis. 23. num. 29.
Ætas pro Summo Pontificatu Hebræorum quæ? ibid. num. 31.
Æthiopum, & Moscorum devotio erga S. Crucem. Decis. 42. n. 29.
Aggæi Prophetæ Vita, & labores in reædificatione Templi. Decis. 25. n. 64.
Agnorum Dei cereorum benedictio antiquissima. Decis. 42. num. 65. Eorum virtutes. num. 66. A laicis tangi non possunt, nec pingi, nec vendi, num. 67. An ab Episcopis possint benedici. ibidem num. 68.
Agnus Paschalis non edebatur, nisi priùs recitatis Psalmis, & Orationibus. Decis. 9. num. 12.
Agri dabantur in dotem filiabus hebræis nubentibus in Tribu sua. Decis. 42. n. 5.
Albæ, vulgò *Camisi*, nomina, usus, mysteria. Decis. 50. num. 23. Alba S. Bonifacii Episc. & Mart. ibid. n. 24.
B. Albertus Magnus sibi viventi Missas de Requiem celebrare fecit. Decis. 36. num. 37.
Aleph continet in se nomen Dei, & quare? Decis. 15. num. 8. Habet in se Mysterium Unitatis, & Trinitatis divinæ. ibidem num. 9.
Alexandri VII. Bulla circa Musicam Monialium. Decis. 37. n. 58.
Alimenta Pontificum, & Sacerdotum Hebræorum à sex fontibus desumebantur, & quæ? Decis. 23. num. 44.
Allegoricus sensus quis sit? Decis. 50. num. 31.
Alpha, & Omega cur vocetur Christus; & non Aleph, & Thau. Decis. 41. n. 67.
Alphabeta Græcum, & Latinum in cinere, dum consecratur Ecclesia, quid significent. Decis. 41. num. 66.
Alphabetum Hebraicum cur non fiat in consecratione Ecclesiæ. Decis. 41. n. 68.
Alphabetum Hebraicum, & Græcum deserviunt pro numeris. ibid. n. 69.
Alphabeti Latini quæ Litteræ sint numericæ. ibid. num. 70.
Altare Thimiamatis in qua parte Tabernaculi Mosayci esset situm. Decis. 12. num. 16.
Altare Holocausti coopertum ære stabat extra Tabernaculum pro Victimis cremandis. Decis. 12. num. 18.
Altare Sacrum est necessarium pro celebranda Missa. Decis. 13. n. 1. Duplex est, immobile, & portatile. n. 1. ibid.
Altaria olim lignea, & argentea, nunc tantùm lapidea. Decis. 13. n. 4.
Altare quasi Alta Ara, quæ ejus altitudo? ibid. num. 6. & 7.
Altare in Areopago Athenarum, cui Deo ignoto dicatum? d. Decis. 13. n. 8.
Altaris mensa quantæ latitudinis, & longitudinis? ibi num. 9.
Altaria consecrare semper consuevit Ecclesia. Decis. 13. num. 10. sine eo mortale est celebrare. ibid. num. 11.
Altare non consecratum, si in eo celebretur, an fiat consecratum? ibid. n. 13.
Altaris fixi antiqui forma diversa. ibidem num. 14.
Altare Portatile cur vocetur Viaticum? Ejus usus antiquissimus. Ejus forma quæ? Decis. 13. n. 15.
Altaria à quibus consecrari possint? ibid. num. 17.
Altaria quando perdant consecrationem? Decis. 13. num. 31. & 74. Quid si operculum SS. Reliquiarum amoveatur, & statim reponatur? ibid. num. 32. An execratum fiat, si Sacerdos excommunicatus celebret in eo? ibid. num. 33. An sine Altare liceat celebrare? n. 34.
Altare Noeticum ex qua materia compactum? Decis. 16. num. 5.
Altare Sacrificiorum cur vocetur Mensa Domini. Decis. 27. num. 4.
Altare in scriptura significat Sacrificium. Decis. 29. num. 18.
Altaris in erectione an Dos assignanda? Decis. 4. num. 28.
Altare majus, vel aliud minus consecrandum, dum consecratur Ecclesia. Decis. 41. num. 46.
Altaria marmorea moderna descripta. Decis. 43. num. 19. Picturis ornanda. ibid. num. 20.
Altari populus vicinus stare non debet. Decis. 43. num. 53.
Ambrosiana Liturgia à quo instituta? Decis. 19. num. 32.
Ambrosianæ Missæ ordo. ibid. n. 33.
Ambrosianus Ritus Mediolani servatus. Decis. 19. num. 38. sed plures Ecclesiæ utuntur Ritu Romano. ibid.
Ambrosiani non celebrant Missam feriis sextis Quadragesimæ ex quavis causa. Decis. 19. num. 39.
Amictus nomina, & mysteria. Decis. 50. num. 22.
Amos pastor ovium, deinde Propheta, & Martyr. Decis. 25. n. 57.
Amphibologia cum restrictione mentali damnata ab Innocentio XI. Decis. 17. num. 19.
Ampullarum cum Vino, & Aqua pro Sacrificio quis locus. Decis. 43. n. 13.
Anagogicus sensus quis sit? Decis. 50. num. 31.
S. Andreas Apostolus Missam celebrat. Decis. 28. num. 14.
Angeli revelabant, ut plurimùm, futura hominibus. Decis. 25. n. 22.
Angeli auctores Musicæ. Respondent Sancto Gregorio Magno celebranti. Primò cantarunt: *Regina Cœli lætare alleluja*, eorum cantus exempla plura. Decis. 37. num. 16. 17. 18. 19.
Angelicæ Salutationis trina pulsatio, quo Auctore? An eam recitantes lucrentur Indulgentiam plenariam? Decis. 45. num. 41.
Angli didicerunt cantum ab Ecclesia Romana. Decis. 37. n. 27.
Anima donatoris domus pro fabricanda Ecclesia liberatur à Purgatorio in primæ Missæ celebratione. Decis. 33. n. 51.
Anima adolescentis defuncti Anno 1658. apparuit, & petiit suffragium Missarum sex. Item Anima cujusdam Parochi anno 1640 & 1641. Decis. 34. num. 12. & 13.
Animalia irrationabilia functa Prophetarum officio. Decis. 25. n. 36. & 37.
Anna Mater Samuelis fuit Prophetissa. Decis. 26. num. 9.
Anna filia Phanuel fuit Prophetissa. Vidua ab anno 20. usque ad 84. Habitans in cellulis apud Templum. ibid. n. 14.
Annas, & Caiphas quomodo essent simul Summi Pontifices? Decis. 22. n. 22.
Annas Summus Pontifex anno post Resurrectionem Christi. ibid. n. 29.
Anni quibus duravit usus Tabernaculi Moysis? Decis. 11. n. 24.
Anniversaria annua Congregationis Parochorum Paduæ quot? Decis. 37. n. 70.

Annu-

Annulus undè dictus? An fibula Pallii? An Sigillum? Decis. 49. num. 25. 26. 27. Signum honoris. ibid. num. 32. Usus apud Romanos. num. 33. Cur detur Sponsæ in quarto digito? num. 35. & 36.

Annulus S. Annæ ubi sit? Alii duo Deiparæ? Decis. 49. num. 39. & 40. An soluto Matrimonio sit Uxoris? num. 41. Cur detur Episcopis, Abbatibus, Monialibus? ibidem.

Antoninus Caracalla Imperator auctor Vestis Talaris apud Romanos. Decis. 49. num. 6.

Antimensis utuntur Græci pro Altare portatili. Et quid sint Antimensia? Decis. 13. num. 16.

Antiochena Ecclesia quo anno fundata à S. Petro Apostolo? Decis. 26. num. 6.

Antiphrasis quid sit? Decis. 42. num. 7.

S. Antonii de Padua Ecclesia quo anno ædificata? Decis. 40. num. 7.

Antropáspathos quæ figura sit? Decis. 16. num. 8.

Apostata à fide est, qui sacrificat Idolis, vel dæmoni. Decis. 21. num. 34. A quibus puniatur? Et quibus pœnis. ibidem. num. 35.

Apostoli ordinati Sacerdotes, & Episcopi in ultima cœna à Christo Domino. Decis. 7. num. 19.

Apostoli in toto Orbe, ubi prædicabant, Ecclesias consecrabant, Decis. 12. n. 48.

Apostoli præceptum habuerunt de Sacrificio Eucharistico faciendo. Decis. 28. num. 4.

Apostoli quo tempore cœperint Sacrificare, & celebrare Missam. Decis. 29. n. 1. Quis eorum primus celebraverit? ibidem num. 2. celebrabant cum lumine, & vestibus Sacris, num. 7. tradiderunt Liturgias. d. Decis. 29. num. 20.

Apostoli cœlibes fuerunt. Decis. 47. num. 6.

Appellatio an detur à dismembratione Ecclesiæ? Decis. 40. num. 41.

Applicatio Sacrificii Crucis in Missa fit limitato modo. Decis. 33. num. 34.

Applicatio Sacrificii est à Celebrante facienda; & hoc ob plures rationes. Decis. 36. num. 1. & 2. Et an ea possit remitti in Deum? ibid. num. 3. In qua parte Missæ sit facienda? num. 8. Et quando applicatio pro Defunctis? num. 9. olim quando fieret. num. 13. An anticipata pro eo, qui daturus est stipem, sit licita? ibid. num. 21.

Aqua benedicta Christianorum delet venialia. Decis. 27. num. 86. Ejus usus ab Apostolis introductus. Decis. 40. num. 12.

Aqua lustralis apud Hebræos ex quibus composita? Decis. 42. num. 16.

Aquæ lustralis virtutes, & miracula. ibid. num. 32. 33. 34.

Aqua benedicta deficiente irritæ sunt benedictiones Ecclesiasticæ. ibid. num. 35.

Arca Domini in qua parte Tabernaculi staret? Decis. 12. num. 15. Recuperata de manibus Philistinorum ubi custodiretur? ibid. num. 26. ubi abscondita, imminente desolatione Jerusalem? num. 27. & an à Tito Vespasiano fuerit delata Romam? num. 28.

Argumenta pro infinitate valoris Missæ ex opere operato. Decis. 33. n. 15.

Armeni, Nestoriani, & Jacobitæ litant proprio ritu, & sermone Chaldaico. Decis. 9. num 18.

Aspersio cum aqua benedicta si omittatur, irrita est benedictio. Decis. 42. num. 35.

Assidæi quinam essent? Decis. 24. n. 65.

Astronomi incipiunt diem in meridie. Et cur? Decis. 39. num. 23.

Asyli locus quinam sit? Quis apud Hebræos, & apud Gentiles. Decis. 43. num. 56. 57. 58. 59.

Atrium circa Tabernaculum Moysis quid esset? Et an illud Viri, & Fœminæ ingredi possent? Decis. 12. num. 21. & 22.

Avaritia prorsùs fugienda. Decis. 35. num. 41. Punitio Parochi avari. ibid. num. 42.

Auctoris factum in Itinere Romam versùs Cal. Januar. 1670. Decis. 39. n. 43.

Audire Missam prodest animabus Purgatorii. Decis. 34. num. 25.

Avenionensis Cathedralis Ecclesia consecrata à Christo Domino. Decis. 41. num. 74.

Aves ab Hebræis quomodo immolarentur? Decis. 27. num. 35.

Augurandi ars antiquissima, & quis Auctor ejus? Decis. 41. num. 11.

Augures Romani quot fuerint? & quando desierint. ibid. num. 13. & 16.

Auguria à quibus rebus desumerentur? Et an nunc sint licita? num. 14. & 15. Quo jure prohibita? num. 17.

Aurora quid sit? & quanto tempore oriatur ante Solem? Decis. 39. num. 31.

Aurora an physicè, seu mathematicè attendenda ad Missæ licitam celebrationem? ibid. num. 37.

Aurora politica, non visiva intra circulos Polares. ibid. num. 45.

Axa filia Caleb quo nomine petierit dotem à Patre? Decis. 42. num. 4.

Azymorum Paschæ festum quo die celebraretur ab Hebræis? Et quodnam Sacrificium eo die offerrent? Decis. 27. num. 52. & 53.

B.

Balnei dominus defunctus petiit è Presbytero se ibi lavante suffragium Missæ. Decis. 14. num. 17.

Baptismus ex opere operato remittit totam pœnam. Decis. 33. num. 18.

Baptizans plures eodem tempore facit plura Sacramenta. ibid. num. 39.

Baptizatus in eo actu debet pro se recipere fructum baptismi. Decis. 35, n. 29.

Baptismus Campanarum qualis sit? & quis ejus Auctor? Decis. 45. num. 27.

Baracca nauta naufragus quomodo salvatus? Decis. 14. n. 13.

Barbæ usus varius apud homines. Decis. 48. num. 28.

Barbam Sacerdotes Hebræi ferebant. Decis. 48. num. 29.

Barbam habebant Philosophi. ibid. num. 30.

Barba an delata, vel rescissa in Ecclesia Latina? ibid. num. 34.

Barba de posita à S. Carolo, & in aliis ab eo proscripta. d. Decis. 48. num. 35.

Barba ut deferatur à Clericis an Episcopus possit præscribere? ibid. num. 26.

Barbatarum mulierum exempla. ibid. num. 37.

Barbatæ S. Wilgefortis, ac S. Paulæ prodigium. ibid. num. 38. & 39.

Barberina Synodus Abbatiæ Farfensis laudata. Decis. 42. num. 44.

S. Barnabas ubi, & quando ordinatus Sacerdos, & Episcopus? Decis. 29. num. 10. Ab eodem S.

Barnaba fundata Ecclesia Mediolanensis. ibid. n. 11. Ejus Liturgia. n. 25.
Basilicæ ubique Deo dicatæ à tempore Constantini Magni Imperat. Decis. 12. num. 50.
Belli tempore Suffragia ex Missæ Sacrificio. Decis. 14. num. 24.
Benedicere possunt etiam qui non sunt Sacerdotes. Decis. 18. num. 11.
Benedicere idem est ac consecrare, & sanctificare. Decis. 42. num. 9.
Benedicere populum per vias spectat ad solum Episcopum. Decis. 42. num. 73.
Benedictio quid importet in Divina Scriptura? Decis. 16. num. 11.
Benedictio Noetica quot bona continuerit? Decis. 16. num. 12.
Benedictio, hæc vox habet quinque significationes. Decis. 42. num. 2.
Benedictio an danda populo in Hymno *Pange lingua* ad illa verba: *Sit & benedictio?* Decis. 42. num. 3.
Benedictio aliquando idem ac maledictio, ibid. num. 8.
Benedictionis Ecclesiasticæ definitio, Decis. 42. num. 18.
Benedictiones an sint validæ, si fiant sine signo Crucis? ibid. num. 28.
Benedictiones aliæ Ecclesiasticæ, aliæ Laicæ. ibid. num. 47. quis earum Minister? ibid. An requirant præsentiam rei, vel personæ benedicendæ? num. 49. & numero 52.
Benedictionum Ecclesiasticarum causa finalis duplex; & quæ? Decis. 42. num. 51. Earum fructus. ibid. num. 53.
Benedictio S. Francisci Xaverii proficua alearum lusori. Decis. 42. n. 57.
Benedictionum aliæ divisiones. ibid. n. 58. 59. & 60.
Benedictiones spectantes ad solum Papam, quæ? ibid. num. 61.
Benedictionis Rosæ aureæ mysterium, & origo. Decis. 42. num. 62. Item Agnorum Dei cereorum. ibid. num. 65.
Benedictio solemnis per verba: *Sit nomen Domini benedictum, &c.* an dari possit à simplici Sacerdote? Decis. 42. num. 72.
Benedictionum Episcopalium quatuor genera. ibid. num. 71.
Benedictiones propriæ Parochorum; aliorumque Sacerdotum quæ? ibid. num. 74. 75.
Benedictiones mulieribus post partum à quo dandæ? ibid. num. 76.
Benedictiones Abbatum quæ? ibid. num. 78. aliorum Prælatorum Regularium. num. 79.
Benedictiones Ecclesiarum, Oratoriorum; Cœmeteriorum. ibid. num. 82.
Benedictionis Ecclesiæ, & Consecrationis ejus differentia. Decis. 46. num. 15.
S. Benedictus Abbas dono Prophetiæ ditatus. Decis. 25. num. 15.
Beneficiatus quando teneatur expendere in ornamentis Ecclesiæ? Decis. 44. num. 7. 55. & 62.
Beneficium non confertur in invitum. Decis. 35. num. 10.
Birrus quid sit? Decis. 49. num. 55. & 62.
Bona temporalia impetrantur Sacrificio Missæ. Decis. 14. num. 27.
Bonifacius Papa VIII. indulsit Episcopis celebrare Missam in omni loco decenti. Decis. 12. num. 55.
Bonitas Prophetæ an satis sit pro certitudine Prophetiæ? Decis. 24. num. 41.
Bosorra Arabissa Uxor Jobi. Decis. 20. num. 19.
Boves immolandi ab Hebræis cujus ætatis esse debebant? Decis. 27. num. 31.
Brachiis expansis orare quid innuat? Decis. 6. num. 19.
Breve Pauli V. pro Oratoriis privatis Procuratorum S. Marci Venetiarum. Decis. 12. num. 60.
S. Brinulphus Episcopus quomodo obtinuerit conversionem Ladalai Regis Svecorum? Decis. 14. n. 9.
Bubulcus ausus celebrare Missam punitus. Decis. 31. num. 40.
Buccina armoniaca, vulgò *il Cornetto* an prohibenda in Capella Musicali? Decis. 37. num. 45.

C.

Caathitæ qui fuerint? Quæ ornamenta Tabernaculi portarent per desertum? Decis. 24. num. 13.
Cabala quid sit? Decis. 15. num. 5. Cabalistica scientia quotuplex? ibid. num. 6. quæ bona, & quæ mala? num. 10.
Cadavera infidelium, hæreticorum, schismaticorum, & excommunicatorum exhumanda, & projicienda ex Ecclesia antequam consecretur. Decis. 41. num. 12. & an Usurariorum? ibid.
Cadavera excommunicatorum divinitùs ejecta è sepulturis. Decis. 46. num. 60.
S. Cæcilia martyrio coronata anno 232. Decis. 37. num. 32.
Cælibatus Sacerdotum quibus rationibus impugnetur? Decis. 47. num. 13. Et quibus rationibus defendatur. ibidem num. 18.
Cæmeterii expensæ ad quem spectent? Decis. 44. num. 15.
Cæmeterium quando polluatur ex pollutione Ecclesiæ? Decis. 46. n. 33.
Cæmeterii reconciliatio semper Sacerdoti committi potest. ibid. n. 71.
Cæremoniale Episcoporum habet vim legis. Decis. 45. num. 56. Et quas consuetudines tollat? ibid.
Cæremoniæ, quibus consecrabantur minores Sacerdotes Hebræorum. Decis. 23. num. 7. Quot diebus reiterarentur? ibid. num. 10.
Cæremoniæ quæ, & quot servandæ in consecratione Ecclesiæ? Decis. 41. num. 54. Earum mysticæ significationes. ibidem num 55.
Cæsares cur vocentur Imperatores? Decis. 41. num. 36.
Cain, & Abel an pluries sacrificaverint? Decis. 15. num. 13.
Caini sacrificia non grata Deo ob quatuor causas. Et quæ? Decis. 15. num. 16.
Cainus res sacrificatas in suum usum convertebat. ibid. num. 19.
Caiphas, & Anna quomodo essent simul Summi Pontifices? Decis. 22. num. 22.
Calamus aromaticus quid esset? Decis. 42. num. 14.
Calcei clericorum cujus coloris? Decis. 49. num. 23.
Calendarium annuum Patavinum à quo formetur? Decis. 38. num. 14.
Calicem Domini bibere, quid significet? Decis. 29. num. 17.
Calix, & Patena an ponendi in manibus Sacerdotis defuncti? Decis. 50. num. 49.
Campanæ necessariæ ad Sacrificium Missæ. Decis. 45. num. 1. Earum varia nomina. ibid. num. 2. Quando adinventæ? ibid. num. 15.

Campanarum parvarum usus in lege Moysis. Decis. 45. num. 16.
Campanæ an essent apud Gentiles? ibid. num. 17. Quando cœperint adhiberi apud Christianos? ibid. num. 18.
Campana sic dicta ab ære Campano. Decis. 45. num. 22.
Campanis quando Græci usi sint? ibidem num. 25. A Duce Veneto eas habuerunt. ibid.
Campanæ non permittuntur à Turcis. Decis. 45. num. 26.
Campanarum baptismus qualis? & quis ejus Auctor? ibid. num. 27. Earum mystica significatio. num. 28. Cur non pulsentur in triduo Passionis Christi? ibid. num. 29.
Campanarum usus ob sex causas, & quæ? d. Decis. 45. num. 31. An cum eis vocandus populus ad arma? num. 33.
Campanarum sonitus, quibus casibus adhibendus? ibid. num. 40. Ad Angelicam salutationem sonandæ; & quo Auctore? Et an cum Indulgentia plenaria? ibid. num. 41.
Campanæ an benedicendæ antequam ponantur in Campanili? ibid. num. 45. Quo tempore pulsandæ? num. 46. An benedicendæ ab Abbatibus? num. 47. Earum numerus apud Regulares? num. 48. Indiscretus earum sonitus prohibendus. ibid. num. 49.
Campanas pulsare ad quos de jure spectet? Decis. 45. num. 51. Sabbato Sancto quando, & quomodo pulsandæ? ibid. num. 54. 55.
Campanis pro reficiendis ad quem spectent expensæ? d. Decis. 45. num. 58. Item Salarium pro eis sonandis? ibid.
Campanæ an ponendæ super Oratoriis privatis? Decis. 10. num. 59.
Campanæ benedictæ terrent Dæmones. Exempla. ibid. num. 60. fugant tempestates. num. 61.
Campanarum de se sonantium exempla. ibidem num. 62.
Campanæ duæ inusitatæ magnitudinis, *Erfordiensis* una, altera *Pekinensis*.
Pondus & mensura, utriusque. ibidem numero 64.
Campanula pulsanda in Missa ad elevationem Sacramenti. Decis. 43. num. 15.
Campanile necessarium apud Ecclesias; & ejus nomina plura. Decis. 45. num. 1. & 2.
Campanilia Heduense. S. Marci Venetiarum, S. Justinæ, ac Palatii Communis Paduæ laudata. ibid. num. 12. 13. 14. S. Petri Romæ num. 23. In eorum culmine cur ponatur Gallus? numero 30.
Campanilis Sipontini carmine. Decis. 45. numero 32.
Campanili pro ædificando an vicinus cogi possit vendere suam domum? ibid. num. 44. An faciendum in Oratorio Privato? ibid. num. 59.
Candela æquè illuminat stantes in eadem sphæra. Decis. 33. num. 43.
Candelæ accensæ in Missa quid significent? Earum numerus, ac materia. Decis. 43. num. 8.
Candelabra cum candelis accensis pro Missa. Eorum mysticus sensus. Decis. 43. numero 7. & 9.
Candentis ferri contrectatio ad se expurgandum ab objecto crimine, an nunc sit licita? Decis. 27. num. 84.
Canis B. Margaritæ de Cortona. Decis. 25. num. 37.
Canon Missæ probat, eam esse Sacrificium. Decis. 28. num. 10. A quo sit compositus? ibid. num. 21.
Canonici Patavini tenentur scire cantum Gregorianum. Decis. 37. num. 54.
Canonicorum origo. Decis. 38. num. 5.
Canonicatus Patavini quare alii sint pingues, alii non? Decis. 38. num. 6.
Canonicorum proprium institutum est cantare in Choro. ibid. num. 7.
Cantores Ecclesiastici à prima ætate instruebantur Decis. 37. num. 25. eorum aliqui facti Summi Pontifices. ibid. num. 26.
Cantus in Missis in primitiva Ecclesia qualis fuerit? Decis. 37. num. 6. Anno 364. soli Clero demandatus. ibid. num. 22. Reformatus à S. Gregorio Magno. ibid. num. 23.
Cantus Gregoriani commendatio. d. Decis. 37. num. 53.
Capellanus an pro quatuor petentibus ejus Missam ad diversos effectus, possit eam celebrare? Decis. 34. num. 3. Tenetur servare mentem testatoris Decis. 36. num. 22.
Capellanus an possit cessare à celebratione, ut emat ornamenta Altaris? Decis. 44. num. 13.
Capite cooperto an liceat celebrare Missam de licentia Episcopi? Decis. 23. num. 36.
Cap. *Non mediocriter. de Consecr. dist. 5.* multipliciter declaratur. Decis. 33. num. 44.
Capitula, seu Congregationes artificum non sunt facienda in Ecclesia. Decis. 46. num. 7.
Cardinales quas benedictiones facere possint? Decis. 42. num. 69. Et quas, si sint tantùm Sacerdotes, vel Diaconi? ibid. num. 70.
Cardinales Cornelii promotio ad Purpuram, & ad Episcopatum Patavinum. Decis. 24. num. 24.
Cardinalium familiares an possint celebrare ante Auroram, & post meridiem. Decis. 39. num. 42.
Carnes an homines comederent ante diluvium. Decis. 16. n. 13.
S. Caroli Borromei jejunia, & vigiliæ pro consecratione Ecclesiarum. Decis. 41. num. 22.
S. Carolus Borromeus ad sonitum Angelicæ Salutationis, eam genibus flexis recitabat. Decis. 45. num. 42. idem faciebat Ven. Card. Barbadicus ibid.
Caroli Magni Imperatoris donationes factæ Romanæ Ecclesiæ. Decis. 4. num. 9.
Carolus V. Imperator exequias vivus sibi fecit. Decis. 36. n. 39.
Casia, seu Cassia odorifera quæ? Decis. 42. numero 15.
Castitas erat necessaria Hebræis Sacrificaturis, ac abstinentia à Vino. Decis. 23. num. 34.
Castitas servata ab omnibus ministris sacris per tria prima sæcula. Decis. 47. num. 19. Pro ea custodienda cautelæ tres. ibid. num. 26.
Catalogus omnium Pontificum Hebræorum, Decis. 22. n. 31.
Catechumeni an sint capaces fructus Missæ. Decis. 36. num. 27. Eorum duæ classes, & quæ? ibid. num. 28. An iis mortuis diceretur pro eis Missa de Requiem. ibid. num. 30. An ipsi possint contrahere Matrimonium cum Christiana. ibid. num. 33.

Catechumenatus quantum olim duraret? & quid hoc tempore? d. Decis. 36. n. 29. & seqq.
Cathedralis Patavinæ ordo antiquus circa Baptismum infantium natorum in Quadragesima. Decis. 36. num. 32.
Cathedralium, aliarumque Ecclesiarum dos quanto esse debeat? Decis. 40. num. 25.
Cauda Victimæ quare comburenda in Sacrificio. Decis. 27. num. 39.
Cautelæ tres pro castitate servanda. Decis. 47. num. 26.
Causarum genera septem in Sacrificio. Et quæ? Decis. 14, num. 4.
Causa finalis in Sacrificio duplex; & quæ? ibid. num. 2,
Celebrans an possit discedere ab Altare pro oblationibus recipiendis. Decis. 4. num. 22. An peccet dicendo alta voce verba consecrationis? Decis. 31. num. 41.
Celebrans si post consecrationem decumbat; & vino cretico sumpto convaleat, an perficiet Missam; si ibi sit alius Sacerdos jejunus. Decis. 32. numero 40.
Celebrantis absque devotione parvus, aut nullus est fructus ex opere operantis. Decis. 33. numero 12.
Celebrans potest nolle pro se fructum Missæ specialissimum. Decis. 35. num. 7.
Celebrans solemniter an teneatur legere Epistolam, ac Evangelium; item Prophetias in Sabbato Sancto. Decis. 38. num. 24.
Celebrare an liceat cum una sola specie? Decis. 32. num. 12. & 31. An extra locum Deo dicatum? Decis. 41. num. 1.
Celebrare an liceat non recitato Matutino cum Laudibus. Decis. 50. num. 21. An nudis pedibus? ibid. num. 35.
Cerei accensi in exequiis fidelium. Decis. 50. num. 48.
Cervisiæ benedictæ à S. Bernardo effectus. Decis. 42. num. 55.
Chachamin sunt Rabbini Talmudici. Decis. 24. num. 37.
Chaldæi cur ignem adorarent? Decis. 17. numero 7.
Charitatis lege omnibus prodesse debemus. Decis. 33. num. 33.
Chenchræ quisnam locus sit? Decis. 24. numero 52.
Chinenses Sacerdotes cur celebrent capite cooperto? ut nos non nudis pedibus. Decis. 23. numero 39.
Chorda serica, vel de canape quando in Bullis Papæ? Decis. 49. n. 29.
Christiani quàm pii in oblationibus? Decis. 4. num. 8. Cur vocati latebrosi, & lucifugæ? Decis. 39. num. 2.
Christophorus Columbus ubi, & quando mortuus, ac sepultus Decis. 23. num. 15. Epitaphium ejus sepulchri, ibid. num. 16.
Christi omnis actio debet esse nostra instructio. Decis. 48. num. 7. Ejus capilli an longi? ibid. num. 8. & 16.
Christus bis sacrificavit, & ubi? Decis. 4. num. 25.
Christus Summus Pontifex, & Sacerdos in æternum. Decis. 7. num. 18. an genitus etiam ex stirpe Aaron? ibid num. 21. An unctus Sacerdos ritu Mosayco? ibid. n. 26. Ipse Hostia, Templum, & Altare. Decis. 13. num. 42.
Christi virtutes figuratæ in Victimis antiquorum. Decis. 16. n. 10.
Christus, ac S. Joannes Baptista cur cœperint prædicare solùm in ætate annorum triginta. Decis. 23. num. 30.
Christus an fuerit Nazaræus? an sibi totonderit capillos. Decis. 24. num. 56. An ut homo semper ditatus dono Prophetiæ? Decis. 25. num. 68. Litavit Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini. Decis. 28. num. 3. Utrùm se communicaverit cum Eucharistia in cœna? ibid. num. 5. Quibus verbis præceperit Sacrificium Eucharisticum? ibidem num. 9. Est vera Victima in Sacrificio Missæ. Decis. 30. num. 2. In sumptione destruitur quoad esse Sacramentale. ibid. num. 4.
Christus in Emmaus an consecraverit Eucharistiam? Decis. 32. num. 9. est totus sub utraque specie ibid. num. 24. Est primus, & principalis offerens in Missa. Decis. 33. num. 5. Est infinitæ dignitatis. ibid. uum. 17. Ejus merita sunt infinita. num. 19. Cur voluerit, ea nobis applicari in Missa modo finito. n. 36.
Christus qua hora sit crucifixus. Decis. 38. num. 11. Ipse est fons, est auctor omnium benedictionum. Decis. 42. num. 20. Concessit Ecclesiæ facultatem instituendi Sacramentalia, num. 21. Quas res ipse benedixerit signo Crucis? ibid. n. 24.
Christi nomen in Annulis Christianorum. Decis. 49. num. 31.
Ciboria ad Altaria quid sint? Decis. 43. numero 18.
Cibus in die jejunii olim sumebatur tantùm in Vespere. Decis. 38. num. 12.
Cicindelia unde dicta. Decis. 43. num. 29.
Cimmeria Sibylla, sive Cumæa, aut Italica quando fuerit? & quæ prophetizaverit? Decis. 26. num. 29.
Cincturam an Clerici debeant adhibere? Decis. 49. num. 20.
Cineres Vaccæ Rufæ apud Hebræos ad quid valerent? Decis. 42. num. 17.
Cinguli nomina, & significationes. Decis. 50. num. 25.
Cinnamomum Hebræorum quid esset. Decis. 42. num. 12.
Circuitus Ecclesiæ facti ab Episcopo, dum eam consecrat, quid significent. Decis. 41. num. 60.
Circumcisio Hebræorum an fuerit verum Sacramentum Decis. 17. num. 35.
Claudia Procula Uxor Pilati an Prophetissa? Decis. 26 n. 17.
Cleophas iens in Emmaus quisnam fuerit? Decis. 32. n. 27.
Clepsydræ apud Romanos Horologia aquea. Decis. 45. n. 38.
Clericalis dignitas servanda. Decis. 49. numero 50.
Clerici omnes olim Choro addicti. Decis. 38. num. 4.
Clerici interna puritas, ac gravitas exterior. Decis. 49. num. 51. & 53. Quibus vestibus sepeliendi. Decis. 50. num. 46.

Clerus in Lege Mosayca qualis esset. Decis. 22. num. 1.
Cleri Patavini opulentia, & divitiæ. Decis. 43. num. 42.
Clypeus mysticus est Christus. Decis. 37. numero 66.
Cœcitas oculorum pœnosissima infirmitas. Decis. 19. num. 3.
Cœlitibus, ac Sanctis an Missa applicari possit. Decis. 36. n. 24.
Cœtus, seu Collectæ festum Judæorum, & Sacrificia. Decis. 27. n. 61.
Cogitationes hominibus an à Dœmonibus cognoscantur. Decis. 24. num. 9.
Coitu ab Hebræis habito tenebantur lavare totum corpus; & cur? Decis. 27. num. 74.
Coitum exercentium in Ecclesia punitiones. Decis. 46. num. 57.
Collaria Clericorum qualia esse debeant? Decis. 49. num. 21.
Collectæ festum Judæorum. num. 61.
Collegia Patavina Juristarum, & Philosophorum non aggregant in se, nisi Nobiles. Decis. 24. numero 44.
Collegialitatis signa quænam sint. Decis. 38. num. 20.
Color violaceus in Vestibus Episcoporum, & Alumnorum Seminarii cur? Decis. 23. num. 17.
Columbæ cur non litarentur ab Hebræis pro Hostia pacifica? Decis. 27. num. 27.
Coma signum excellentiæ. Decis. 48. num. 11. ejus ratio signum servitutis. ibid. num. 12. ac mœroris num. 14. in Clericis peccaminosa. ibidem num. 6.
Commemoratio plurium fieri potest in Missa. Decis. 33. num. 20.
Communio fidelium sit etiam extra Sacrificium? Decis. 30. num. 11. Communio in Missa quid significet? ibid. num. 19. Est destructio Victimæ immolatæ. num. 20.
Concilium Quinisextum cur sic dictum? Decis. 47. num. 21. concessit Uxores ministris Sacris Ecclesiæ Græcæ. ibid. num. 20.
Concilium Tridentinum prohibuit omnibus celebrare Missam extra Ecclesiam. Decis. 12. num. 56.
Concupiscere mulierem innuptam, pejerare, vindictam sumere non esse peccatum Scribæ docebant? Decis. 24. num. 35.
Conditiones præscribendæ ab Episcopis pro celebratione in Oratoriis publicis Villarum. Decis. 40. num. 34.
Confessarius an possit applicare pœnitentiam pœnitentis pro animabus Purgatorii? Decis. 35. num. 28.
Confraternitas Cœcorum in Cathedrali Paduæ? Decis. 39. num. 7.
S. Congregatio de Propaganda Fide cur? & à quo instituta? Decis. 9. num. 23. illa S. Rituum à quo? ibid. num. 44.
Conscientia pura primus ornatus Sacerdotalis. Decis. 47. num. 2.
Consecrare, & offerre Hostiam, est unum, & idem. Decis. 30. num. 27.
Consecratio an sit destructiva Victimæ in Missæ? Decis. 31. num. 8. An sit essentialis Sacrificii? num. 13. quomodo ponat ibi Corpus. & Sanguinem Christi. num. 14.
Consecratio, & sumptio Hostiæ an sint duo Sacrificia? ibid. num. 34. est pars magis essentialis Consecratio. num. 35.
Consecratio unius speciei an possit stare sine altera? Decis. 32. num. 4. 20. & 21. Si prima fuerit invalida, iterum faciendam? ibid. num. 34.
Consecrationis Ecclesiæ quatuor nomina. Decis. 41. num. 4. Ejus definitio. ibid. num. 19. Quo die facienda? num. 20. An sit reiterabilis? num. 37. Ejus, ac benedictionis differentia. Decis 46. num. 15.
Constantinus Imperator an potuerit donare Papæ Urbem Romæ? Decis. 40. num. 23.
Constitutio posterior tollit anteriorem. Decis. 12 num. 62.
Constitutiones Pontificiæ contra Libros Talmudicos. Decis. 24. n. 42.
Constitutiones Synodales, si extent, circa expensas Ecclesiarum, & paramentorum, servandæ. Decis. 44. num. 4.
Constitutio Synodalis obligat Diœcesanos sub mortali. Decis. 50. num. 11.
Consuetudo Rusticorum faciendi oblationem in Missa, & osculandi manipulum. Decis. 4. num. 20.
Consuetudinis quot requisita? Decis. 44. num. 5. & 6. Attendenda in provisione paramentorum Ecclesiæ. ibid. Varia est in Diœcesi Patavina. ibid. num. 16.
Consuetudo contraria Tonsuræ clericali nihil valet. Decis. 48. num. 22.
Consuetudo damnata ut abusus, etsi longæva, nullius est valoris. Decis. 50. num. 20.
Consummatum est, dictum à Christo in Cruce, ad quid referatur? Decis. 28. num. 39.
Contemptus legis est peccatum mortale. Decis. 50. numero 6. Oritur ex mala consuetudine. ibidem num. 7.
Copula carnalis prohibita in Templis etiam ab infidelibus. Decis. 46. num. 56.
Corpus Christi in Missa quomodo destruatur? Decis. 10. num. 8. In ultima cœna non erat exsangue. Decis. 32. num. 8.
Credo an cantandum cum Organo? Decis. 37. num. 38.
Criminosis raduntur Capilli. Decis. 48. numero 13.
Crucis signum impressum ab anima Purgatorii. Decis. 34. num. 18.
Cruces impressæ in parietibus Ecclesiæ consecratæ quid significent? Et quare ungantur, & illuminentur? Decis. 41. num. 71. & 72.
Crucis signum adhibendum in omni benedictione? Decis. 42. num. 23. non sculpendum in terra. ibid. num. 27.
Crux fuit Altare, in quo Christus seipsum obtulit? Decis. 13. num. 41. dicta à cruciatibus. Decis. 42. num. 25.
Crux an semper ponenda in Altari pro Missa? Decis. 43. num. 6.
Culpa gravis an sit non cantare duas Missas in Collegiatis, quando à Rubricis præcipiuntur? Decis. 38. num. 16.
Cultus Divinus tripliciter fieri potest. Decis. 5. num. 1. In quibus consistat? Decis. 7. num. 4. Quando differat ab honore? ibid. num. 5. Est supre-

ſupremus in Miſſa. Deciſ. 28. num. 40. Eſſe debet cauſa finalis in ædificandis Eccleſiis. Deciſ. 40. num. 45.
Cumana Sibylla ubi fuerit? Ejus Vaticinium. Deciſ. 26. num. 31.
Cuſſinus in Altari quid ſignificet? Deciſ. 43. num. 11.

D

DAgobertus Rex Francorum quomodo liberatus à Purgatorio? Deciſ. 43. num. 45.
Dalmatiæ Miſſa dicitur in eo Idiomate, Deciſ. 9. num. 8.
Danielis Prophetæ Vita, Deciſ. 25. num. 53. Ejus effigies cur inſculpta in ſepulchris antiquorum Chriſtianorum? ibid. num. 54.
S. Danielis Martyris Eccleſia Parochialis Paduæ quando, & qua occaſione fabricata? Deciſ. 40. num. 50.
Debbora an Prophetiſſa? Deciſ. 26. num. 6.
Debent Verbum eſt præceptivum. Deciſ. 50. num. 41.
Debitor non reſtituens in vita an abſolvendus? Deciſ. 24. num. 22.
Decimæ an ſolverentur à Gentilibus? Deciſ. 18 num. 7.
Decreta S. Congregationis circa oblationes in Miſſa. Deciſ. 4. num. 21.
Decretum Urbani VIII. de unico ſtipendio pro unaquaque Miſſa. Deciſ. 33. num. 58. Aliud S. Congregationis Concilii. Annis 1626. 1627. & 1659. Deciſ. 35. num. 32. & 33.
Decreta SS. Patrum, ut in Eccleſiis mulieres ſtent ſeparatæ à viris. Deciſ. 40. num. 16.
Dedicare quid ſit? Deciſ. 41. num. 6.
Dedicatio Eccleſiarum à quibus inſtituta? ibidem. num. 47.
Dæmones an poſſint revelare futura, & occulta? Deciſ. 25. num. 5. Quomodo illudant phantaſiam hominis? ibid. num. 26.
Dæmoniacis revelationibus an ſit credendum? ibid. num. 10.
Definitionis proprietas. Deciſ. 32. num. 2. & 3.
Defunctorum Miſſæ an pro viventibus dicendæ? Deciſ. 36. num. 36.
Dei ſolius eſt ſcire futura, & occulta. Deciſ. 25. num. 4.
Dei ſcientia circa futura contingentia. ibidem. num. 11.
Deus eſt principium omnium rerum, & eas poteſt ad libitum deſtruere. Deciſ. 6. num. 3. An videri poſſit in ſua eſſentia ab homine viatore? Deciſ. 25. num. 21. *Non in manufactis Templis habitat*: Quomodo intelligendum? Deciſ. 41. num. 49.
Deipara in hac vita an interdum viderit Divinam eſſentiam? Deciſ. 29. num. 11. Nullam immunditiam legalem contraxit. Deciſ. 27. num. 78.
Delatio Tabernaculi, & Arcæ quomodo commiſſa Levitis? Deciſ. 24. numero 12.
Delicta, quæ non gaudent immunitate loci ſacri? Deciſ. 43. num. 61.
Delphica Sibylla quæ, & quando fuerit? Quid prædixerit de Chriſto? Deciſ. 26. num. 27.
Delubra unde dicta? Deciſ. 12. num. 4. Cur Templa ſic nominata? Deciſ. 41. num. 7.
Denarius quanti valebat apud Hebræos? Deciſ. 42. num. 13.
Detectio Capitis ſignum adorationis. Deciſ. 6. num. 14.
Diabolus ſcribit peccata commiſſa in Eccleſiis? Deciſ. 43. num. 55.
Diacodion Medicorum undè dictum? Deciſ. 45. num. 3.
Diaconiſſe olim quænam eſſent? Qualia earum officia? An adhuc extent Mediolani? Deciſ. 43. num. 48. & 49.
Diana an aſtiterit nativitati Alexandri Magni? Deciſ. 43. n. 43.
Dictio Verbi antecedentis non replicata in ſequenti. Deciſ. 43. n. 26.
Dies quid, & quotuplex ſit? Deciſ. 39. num. 19. & 20. Qui Eccleſiaſticus? Qui artificialis? ibid. num. 24. & 26. Dies artificialis duplex. num. 27. Dies Intercalares, Caniculares, & Critici quinam ſint? ibid. num. 29.
Differentia duæ inter Liturgias Romanam, Gallicanam, & Mozarabicam. Deciſ. 9. num. 31.
Differentiæ inter peccatum, & delictum. Deciſ. 27. num. 18.
Differentia inter cenſuras, & pollutionem Eccleſiæ. Deciſ. 46. n. 31.
Digitorum manus hominibus nomina. Deciſ. 49. num. 37. Ante cibum ſunt groſſiores; & cur? ibid. num. 38.
Diptycha quid eſſent? Deciſ. 36. num. 11.
Diſciplinæ juvant animas Purgatorii. Deciſ. 34. num. 14.
Diſcipuli ubi ſederent, magiſtro docente. Deciſ. 24. num. 34.
Diſputabile, an Sacerdos poſſit cedere alteri ſuum fructum ſpecialiſſimum Miſſæ. Deciſ. 35. num. 18.
Divinum Suppoſitum in Chriſto an offeratur in Miſſa? Deciſ. 30. num. 3.
Diurnæ Miſſæ pro jure præceptæ? Deciſ. 39. num. 17.
Docere populum an ſpectaret ad omnes Levitas. Deciſ. 23. n. 22.
Doctrinam Chriſtianam docentibus plures Indulgentiæ conceſſæ. Deciſ. 23. num. 23.
Doctores an poſſint tenere Annulum in Miſſa. Deciſ. 49. numero 47. Antiquis adhærendum magis, quam modernis. Deciſ. 50. num. 13.
Domus, & Dominicum idem eſt ac Eccleſia. Deciſ. 12. num. 7.
Domus Lauretana conſecrata in Eccleſiam à SS. Apoſtolis. ibid. n. 47.
Domus Dei cur vocetur Eccleſia? Deciſ. 41. num. 48.
Donationes Conſtantini Magni. Deciſ. 40. num. 22.
Donatio Eccleſiæ facta Monaſterio facit eam de Menſa, & confertur ſine concurſu. Deciſ. 40. num. 51.
Donatio facta Eccleſiæ an requirat ſolemnitatem? Deciſ. 43. num. 44.
Dos pro Eccleſia. Deciſ. 40. num. 20. & 24. Pro Oratoriis publicis. numero 27. Stipulanda ante Eccleſiæ conſecrationem. Deciſ. 41. num. 30.

Dosithei qui essent? exemplum nautæ Dosithei. Decis. 24. num. 66 & 67.
Dubium, an Ecclesia sit consecrata? quomodo resolvendum? Decis. 41. num 38.
Dubius si sit casus pollutionis Ecclesiæ, quid agendum? Decis. 46. num. 48.
Duces Veneti cur olim absque coma? Decis. 48. num. 19. Et cur alii barbati, alii non? ibid. num. 33.
Durlindana ensis Oclandi ubi servetur? Decis. 45. num. 63.
Dux Venetiarum donavit Campanis Imperatori Græco. Decis. 45. num. 25.

E.

Ecclesiæ nominis significatio. Decis. 22. num. 8.
Ecclesia cur oret, animas deferri in sinum Abrahæ. Decis. 17. num. 46. Universalis offert Sacrificium Missæ. Decis. 33. num. 7. Multiplicat Missas pro eadem necessitate, ibid. num. 26. Non prohiber Sacerdoti applicare fructum suum alteri. Decis. 35. num. 43. Est benedicenda, vel consecranda pro celebratione Missæ. Decis. 40. num. 3. Debet respicere ortum Solis. ibid. num. 5. S. Sophiæ de Padua, à quo consecrata? ibid. num. 6. aliæ plures. ibid. S. Cajetani in Villa Terræ nigræ quando ædificata? ibidem num. 26. Campilongi de Olerio, & della Rocca. num. 39. Regularium an ædificandæ de licentia Episcopi. num. 42. Earum ædificatio opus Deo gratissimum. num. 46. Plures ædificatæ jussu Deiparæ. num. 47. & seqq. Montis Ortoni quando, & à quo ædificata? & S. Danielis Paduæ. ibid, num. 49. & 50. Ejus consecratio à quo facienda? Decis. 41. num. 24. A cœlitibus consecratæ. ibidem num. 73. & 74. Cur non omnes consecrentur? Decis. 42. num. 1. Quot modis violentur, aut profanentur? Decis. 46. num. 2. & 3. Aut execrentur? ibid. num. 14. An consecrata ab Episcopo hæretico sit polluta? ibid. num. 61.

Edicta Romani Pontificis contra comas Clericorum. Decis. 48. num. 25.
Ægyptii an sacrificarent pecudes? Decis. 8. numero 11.
Effectus pollutionis loci Sacri. Decis. 46. numero 30.
Efficacia repræsentativa Sacrificii cruenti Crucis an sit in consecratione unius speciei tantùm. Decis. 23. num. 6.
Egeni prohibiti quærere eleemosynas per Ecclesiam. Decis. 43. num. 50.
Ego volo celebrare Missam, &c. est oratio dicenda ante Missam cum Indulgentia 40. annorum Decis. 33. num. 46.

Elamitarum Regis pugna contra Regem Sodomorum. Decis. 17. num. 26.
Eleazari Machabæi fortitudo. Decis. 11. numero 3.
Elevatio Hostiæ, & Calicis est in omnibus Liturgiis. Decis. 31. n. 28.
S. Elias, & Elisæus an tria vota Religiosa emiserint? Decis. 27. num. 60.
S. Elisabeth Mater Præcursoris Prophetissa. Decis. 26. n. 13.
Emanuel Paleologus Imperator donat partem Vestis Christi Regi Castiliæ. Decis. 23. num. 14.
Ementrudis testamentum. Decis. 43. numero 39.
Ensalmi Superstitiosi. Decis. 42. num. 46.
Encænia quid sit? Decis. 41. num. 5. & 51.
Epaunum quid sit? Decis. 13. n. 5.
Episcopi an possit concedere licentiam celebrandi extra locum Sacrum? Decis. 12. num. 66. In consecratione liniuntur Oleo Sacro in capite. Decis. 23. num. 8. sit die Dominico. Decis. 29. num. 13. Debent quotidie celebrare Missam, vel eam audire. Decis. 33. num. 55. Possunt moderari onera Missarum nondum acceptata. Decis. 37. num 71. An ante Auroram possint litare? Decis. 39. num. 36. Dant licentiam ædificandi Ecclesiam, sed cum dote. Decis. 40. num. 29. & 32. Si decedant, dum consecrant Ecclesiam, quid agendum? Decis. 41. num. 25. Examinent exorcismos. Decis. 42. num. 45.
Episcopi an possit benedicere Rosas aureas, & Agnos cereos. Decis. 42. n. 68. Quando teneantur providere Ecclesias de ornamentis. Decis. 44. num. 12. An possint induere Vestes Sericas. Decis. 49. num. 18.
Episcopalium benedictionum quatuor genera. Decis. 42. n. 71.
Epitaphium Christophori Columbi. Decis. 23. num. 16.
Eremitæ Moniales de Padua, Decis. 46. numero 12.
Erfordiensis Campana. Decis. 45. num. 64.
Erithræa Sibylla, & ejus vaticinia de Christo. Decis. 26. num. 28.
Esau an Simoniacus? an damnatus? Decis. 19. num. 8. 14. 18.
Esseni quinam essent? Quot eorum classes? Decis. 24. n. 61. & seqq.
Essentia Sacrificii Missæ, in quibus consistat? Decis. 31. num. 3. & 13. Consecrationis Ecclesiæ? Decis. 41. num. 26.
Ethnici, & gentiles an aliquando prophetaverint? Decis. 25. num. 35.
Eva fuit Prophetissa, & quare? Decis. 26. numero 2.
Eucharistiæ Sacrificium quando, & à quibus impugnatum? Decis. 8. num. 15. Epulum, & Sacrificium in ultima cœna. Decis. 27. num. 2. Sacramentum, & Sacrificium. Decis. 28. num. 2. An consecrata in Emaus. Decis. 32. num. 28. Antiquitus quomodo Christiani eam reciperent. Decis. 40. num. 11. olim servabatur in Sacristia. Decis. 46. num. 39.
Eunuchi an essent apud Hebræos. Decis. 24. num. 62. An sint irregulares. Decis. 37. numero 49.
Europæa Sibylla, & quid prædixerit? Decis. 26. num. 39.
Excommunicatio an contra locustas? Decis. 42. num 39. contra fractores Ecclesiarum reservata Papæ Decis. 46. num. 41.
Excommunicatus Sacerdos si celebrent, an polluat Altare? Decis. 13. num. 33.

Excommunicatis an Missa applicari possit? Decis. 36. num. 34.
Execratio Ecclesiæ quid sit? & quomodo fiat? Decis. 46. num. 14.
Exempla Missæ celebratæ sine Altare. Decis. 13. num. 36. Existentium in Purgatorio, liberatorum Sacrificio Missæ. Decis. 14. num. 21. Infidelium miraculosè conversorum ad fidem. Decis. 21. num. 17. Sanctorum, qui in spiritu elevabantur à terra. Decis. 25. num. 28. Infantium prophetizantium. ibid. num. 32. Sacerdotum, in Purgatorio ob avaritiam. Decis. 35. num. 42. Incontinentium à Deo punitorum. Decis. 47. num. 25.
Exorcismus quid sit? Decis. 42. num. 36. Ad exorcizandum, cujus requiratur licentia? ibid. num. 43.
Expensæ pro ornamentis Ecclesiæ an præferendæ alimentis Capellani? Decis. 44. num. 8.
Expiationis festum Hebræorum, tempus, Sacrificia, ac cæremoniæ. Decis. 27. num. 58.
Extasis quid, & quotuplex sit? Decis. 25. num. 25.
Extravagantes Joannis XXII. & Alexandri VII. contra Musicam. Decis. 37. num. 51.
Ezechielis Prophetæ Vitæ compendium. Decis. 25. num. 52.

F.

Fabricæ redditus annui quomodo expendendi? Decis. 44. num. 2. 3.
Facultas Ecclesiæ circa Sacros Ritus. Decis. 9. num. 41.
Famosum quid sit? Decis. 46. num. 26.
Fana quare sic dicta? Decis. 12. num. 5.
Favori suo quilibet renunciare potest. Decis. 35. num. 9.
Fæmoralia an Judæi portarent? Decis. 23. num. 20.
Feriæ quid essent apud Romanos? Decis. 8. num. 4.
Fermentum an adhibitum in Sacrificiis Aaronicis? Decis. 17. num. 5.
Festa Hebræorum alia ordinata à Deo, alia à Rabbinis. Quæ, & quot essent? Decis. 27. à num. 45. & seqq.
Fideles orationibus se debent adjuvare. Decis. 35. num. 25.
Fides vera semper prædicata infidelibus. Decis. 21. num. 19.
Figura *Antropáspathos* quæ sit? Decis. 36. numero 8.
Figuræ antiqui testamenti de Sacrificio Missæ. Decis. 18. num. 22.
Filii Dei, inter quos Satan, qui fuerint? Decis. 19. num. 21.
Finis quadruplex Sacrificiorum Mosaycorum. Decis. 27. num. 17.
Flagella in Pharaonem missa quæ? Decis. 17. num. 24.
Floribus an ornanda sint Altaria? Decis. 43. num. 24.
Focolare unde sic dictum? Decis. 8. num. 2.
Fœdera quomodo fierent ab antiquis. Decis. 24. num. 23.
Fœminæ quomodo expiatæ ab originali ante Christum? Decis. 17. num. 36.
Fœtus in extractione à ventre Matris quot observanda? Decis. 41. num. 35.
Fontes aquarum olim ante Ecclesias; & cur? Decis. 40. num. 10.
Forma ordinationis Sacerdotum nostrorum quæ? Decis. 31. num. 29.
Fractio Hostiæ in Missa an sit de essentia Sacrificii? Decis. 31. num. 5.
Franciscæ Fatnesiæ favor factus à Deipara. Decis. 14. num. 30.
S. Francisci Seraphici iter per terram Sanctam. Decis. 20. num. 14.
S. Francisci Xaverii charitas erga pœnitentem. Decis. 35. num. 6. Ejusdem benedictio proficua Aleatori. Decis. 42. num. 57.
Frangere panem quid sit in Scriptura Sacra? Decis. 29. num. 8.
Fratrum Humiliatorum lis pro sonandis Campanis ante alios. Decis. 45. num. 57.
Frondes festivæ ad ostia Ecclesiarum. Decis. 43. num. 34.
Fructus Missæ triplex, & qui? Decis. 33. num 2. Alius ex opere operato, & alius ex opere operantis. ibid. num. 11. An crescat, vel decrescat ex devotione, seu multitudine adstantium? ibid. num. 21. & 22. Alia ejus divisio. num. 41. de eodem plura in tota Decis. 33. usque ad totam. Decis. 34. Et tota Decis. 35. An sit major in Missa solemni, quàm in privata? Decis. 37. num. 60. 61.
Functiones Ecclesiasticæ an faciendæ in Ecclesia polluta? Decis. 46. num. 64.
Fur æris campanis occisus à malleo Campanæ. Decis. 45. num. 24.

G.

Galli, & Angli didicerunt cantum ab Ecclesia Romana. Decis. 37. num. 27.
Gallus cur ponatur in culmine Campanilium? Decis. 45. num. 30.
Gallicana Liturgia qualis esset? Et quando ei successit Romana? Decis. 9. num. 30. & 35.
Gemellorum in utero Matris medica observatio. Decis. 47. num. 34.
Genitores offerentes Religioni filios malos sunt similes Caino. Decis. 15. num. 17.
Gentilium Sacrificia inter convivia. Decis. 27. num. 3. Eorum Sacerdotes quomodo electi? Decis. 7. num. 15. Humanas Victimas mactabant. Decis. 8. n. 13. Nudis pedibus Templa ingrediebantur. Decis. 12. n. 9.
Genuflexio cur sit actus adorationis? Decis. 6. num. 13.
Georgius Cornelius Episcopus Patavinus anno 1644. quomodo pacificaverit homines septem Communionum. Decis. 24. num. 24.
Gerronitæ portabant operimenta Tabernaculi per deserta. Decis. 24. num. 14.
Glossæ opinio prævalet opinioni aliorum Doctorum. Decis. 46. num. 45.
Gonorrhæa quid, & quotuplex sit? & eam habens an possit petere debitum? Decis. 27. numero 71.
Gradus duo peccati humani generis, & qui? Decis. 28. n. 33.

Græ-

Græci antiqui quibus Liturgiis utebantur? Decis. 9. num. 15. qnando cœperint uti Campanis. Decis. 45. num. 25. An olim intonsi, ut nunc? Decis. 48. num. 27. eorum Prælati abstinent ab usu annuli? Decis. 49. num. 43. Etiam in Sacris habent Uxores? Decis. 47. num. 15.

Gregorius III. noluit Bohemos celebrare in illa Lingua? Decis. 9. n. 9.

S. Gregorii Missæ 30. quomodo celebrandæ. Decis. 14. n. 19.

Gregorius S. R. E. Card. Barbadicus commendatus. Decis. 40. n. 19.

Guilielmus Dux Aquitaniæ quomodo conversus ad bonam frugem à vita mala? Decis. 14. numero 8.

H.

HAbacuc Propheta quis fuerit? Ejus vita. Decis. 25. n. 62.

Habitantes prope polum quomodo cognoscant Auroram, ac Meridiem pro celebranda Missa. Decis. 39. n. 44.

Habitualis intentio an sufficiat pro applicatione Sacrificiis. Decis. 36. num. 5.

Habitus Clericorum, qualis esse debeat? Decis. 49. n. 49.

Hemorrhoissæ mulieris Hebreæ Sacrificium. Decis. 27. n. 75.

Hæreticorum objecta contra Sacrificium Melchisedeci. Decis. 18. num. 10. contra Sacrificium Missæ. Decis. 28. n. 25. contra ornamenta Ecclesiæ, & Altarium. Decis. 43. num. 2. An eorum consecrationes sint validæ. Decis. 46. num. 61. Odio habent Tonsuram clericalem. Decis. 48. num. 26.

Haran quænam Civitas esset. Decis. 17. numero 13.

Hebræi ter in anno aliquid offerre Deo tenebantur. Decis. 4. n. 7. Quare orent capite tecto. Decis. 6. n. 15. introibant Templum depositis calceis. Decis. 12. num. 10. Utuntur alphabeto pro numeris. Decis. 15. num. 7. Amabant musicam. Decis. 37. num. 15. de jure omnes erant servitio Dei mancipati. Decis. 22. num. 2.

Hellospontica Sibylla ubi nata? Quid de Salvatore prænunciaverit? Decis. 26. num. 32.

Hemerobaptistæ qui essent? Decis. 24. num. 68.

Hæredes Prælati de qua ejus culpa teneantur. Decis. 40. n. 31.

Herodiani quinam essent? Decis. 24. num. 69.

Hibernia quando receperit Liturgiam Romanam? Decis. 9. n. 37.

S. Hildefonsus donatus planeta à Deipara. Decis. 29. n. 29.

Hircus sacrificatus cur vivus mittebatur ad Desertum? Decis. 10. n. 6.

Historia cujusdam Theodosii Hebræi. Decis. 23. num. 6.

Historicus S. Scripturæ sensus quis sit? Decis. 50. num. 31.

Holda mulier Prophetissa. Decis. 26. num. 8.

Holocaustum Sacrificium quodnam esset? Decis. 14. num. 5. Ejus victima masculini sexus. Decis. 27. num. 20.

Homicidium commissum in Ecclesia eam polluit. Decis. 46. num. 44. nisi sit inculpabile, vel cum moderamine inculpatæ tutelæ. ibid. numero 47. & 49. Quid si ex sententia Judicis? aut defensam bonorum? vel honoris? ibid. numero 50. & 51.

Homo ad quæ teneatur erga Deum. Decis. 5. num. 2. & 3. Nefas est, si se submittat alteri, quam Deo. Decis 6. num. 4.

Honorii II. privilegium pro Fratribus Prædicatoribus celebrandi extra Ecclesiam. Decis. 12. num. 61.

Hora cantandi Missas in Collegiatis. Decis. 28. num. 9.

Horarum computatio circa diem. Decis. 39. num. 21.

Horæ undè dictæ? Decis. 45. numero 36.

Horæ canonicæ an recitandæ in Ecclesia polluta? Decis. 46. num. 63.

Horologia Solaria quando, & à quo inventa? Decis. 45. num. 34. Illud Ezechiæ monstrabat semihoras. ibid. numero 35. Quando recepta à Romanis? ibid. numero 37. Cum Rotis. numero 39.

Hosanna quid significet? Decis. 41. numero 63.

Hostia cur sic dicta? Decis. 8. numer. 1. an daretur inanimis? ibid. num. 10. Pacifica quæ? Decis. 27. numer. 23. & 24. Quæ pro peccato? ibid. num. 29. In Missa quæ sit? Decis. 30. num. 1. Si caderet in Calicem, quid agendum? Decis. 31. num. 10. An quæ datur laicis, sit pars Victimæ? Decis. 32. num. 25. Si ea sumpta moriatur celebrans, an alius teneatur sumere sanguinem? ibid. num. 39.

Humiliatorum Fratrum lis pro pulsandis campanis ante alios fratres. Decis. 45. num. 57.

Hus Patria Jobi ubi sit? Decis. 19. num. 11. & 12.

Hymni compositi à S. Ambrosio. Decis. 37. num. 29. non pulsantur ab organo eorum Strophiæ, in quibus est genuflectendum. ibid. num. 35. *Ut queant laxis, &c.* à quo compositus? ibid. num. 12.

I.

JAcobi Patriarchæ sacrificia. Decis. 19. num. 10. ejus verba ad Patrem an mendacia? ibid. num. 13.

P. M. Jacobus Salomonius è familia Prædicatorum laudatus. Decis. 25. num. 8.

S. Jacobus Apostolus cur dictus frater Domini? Decis. 29. num. 3. An haberet comam? Decis. 48. num. 9.

Iconoclastæ qui? Decis. 43. num. 21.

Idiomata, quibus Missæ celebrabantur? Decis. 9. num. 6, 7. 8.

Idololatriæ ex ignorantia invincibili veræ fidei an salventur, Decis. 21. num. 13. & 14.

Idololatria quid, & quotuplex sit? & an detur sine peccato? d. Decis. 21. à num. 1. & seqq.

Jejunia an juvent animas Purgatorii? Decis. 34. num. 14. ut serventur, qua hora concedendum? Decis. 39. num. 9. præmittenda diei consecrationis Ecclesiæ. Decis. 41. num. 21. & 22. Et cur? ibid. num. 56. necessaria pro castitate. Decis. 47. num. 27.

Jephta an ferè sacrificata? Decis. 8. num. 9.

S. Jeremiæ Vita. Decis. 25. num. 50.

JESUS MARIA ab Anima Purgatorii devote prolatum. Decis. 34. num. 15. & 17.

S. Ignatius an Deus Patres in hac vita sic locutus. Decis. 25. num. 20.

Ignorantia an detur excusans infideles ab igne æterno? Decis. 21. num. 11. & 12.
Immolationes idolorum de quibus; & quot rebus? ibid. num. 27.
Immunitas loci sacri. Decis. 42. num. 57. & seqq.
Immunditia Hebræorum quæ, & qualis? Decis. 27. num. 68. & seqq.
Imperiale præceptum Clericis, ut cantent in Choro Decis. 37. num. 24.
Impetratorius Missæ fructus. Decis. 34. num. 9.
Inadvertentia inculpabilis an detur in celebrante? Decis. 32. num. 33.
Inauguratio, & exauguratio quid sint? Decis. 41. num. 9.
Incertum, an Sacerdos suum fructum alteri cedere possit. Decis. 35. num. 18.
Incestuosi sunt infames, & irregulares. Decis. 22. num. 8.
Indorum sacrificia cum victimis humanis. Decis. 21. num. 32.
Indulgentiæ dies quando incipiat? Decis. 39. num. 25. Quæ dentur ab Episcopo Ecclesiam consecrante? Decis. 41. num. 52. Quæ in recitanda Salutatione Angelica, dum ea pulsatur? Decis. 45. num. 41.
S. Inæ Regis Britanici liberalitas. Decis. 43. num. 38.
Infantes Prophetantes. Decis. 25. num. 32. nati in Quadragesima baptizabantur Sabbato Sancto Decis. 36. num. 31. mortui sine Baptismo, ubi sepeliendi? Decis. 41. num. 33.
Infideles an salvari possint? Decis. 21. num. 15. An iisdem Missa applicanda? Decis. 36. num. 25.
Infidelitas quotuplex detur? Decis. 21. num. 10. & 16.
Iniquum dari uni tantùm, quod prodest pluribus. Decis. 33. num. 27.
SS. Innocentes cur Victimæ vocati? Decis. 11. num. 4.
Innocentium VIII. an dispensaverit, ut celebraretur Missa in Norvegia sine vino? Decis. 32. n. 16.
Instrumentalis Musica. Decis. 37. num. 28. & 30.
Intentio pro applicatione Missæ? Decis. 36. num. 4. & seqq.
Interessentes Missæ sunt offerentes Missam. Decis. 33. num. 9.
Intorticia pro elevatione Hostiæ. Decis. 43. num. 14.
Joannes Baptista Ceffis laudatus. Decis. 15. num. 17.
S. Joannes Baptista cur cœperint prædicare in ætate 30. annorum? Decis. 23 num. 30.
Job quis fuerit? Ejus Vita. Decis. 20. per totam.
Joelis Vita. Decis. 25. num. 56.
Jonæ Vita. Decis. 25. num. 59.
S. Joseph de stirpe David. Decis. 7. n. 23.
Joseph Patriarcha an fuerit Nazaræus? Decis. 24. num. 54.
Irregularitates Levitarum quæ? Decis. 23. num. 32.
Isaac quot annis fuerit cœcus? Decis. 19. num. 2.
Isaiæ Vita. Decis. 25. num. 49.
Ismael filius Abrahæ? Decis. 17. num. 31.
Israelitæ sacrificantes filios suos? Decis. 21. num. 29.
Itineris causa an litandum ante Auroram? Decis. 39. num. 36.
Judæis an licitum sacrificare homines? Decis. 8. n. 8.
Judices an timere debeant, si citentur à reis coram Deo? Decis. 12. num. 69.
Juge sacrificium quodnam esset? Decis. 27. num. 43.
Jurapatronata Paganorum. Decis. 21. num. 24.
Jurgia punita in Purgatorio. Decis. 34. num. 23.
Justus Monachus proprietarius. Decis. 14. num. 18.

K.

KIppurim Hebræorum quid esset? Decis. 27. num. 58.

L.

LAbrum æneum Hebræorum. Decis. 12. num 19.
Laica benedictio quæ? Decis. 42. num. 52. & 80.
Laici apud Hebræos an accederent ad Altare Victimarum? Decis. 27. num. 22. An possint exorzizare? Decis. 42. num. 42. Cur sepeliantur induti habitu S. Francisci? Decis. 49. num. 65.
Lampadarum in Ecclesiis usus. Decis. 34. num. 27.
Lapides Ecclesiæ profanatæ. Decis. 46. num. 13.
Lapsus in Luxuriam. Decis. 47. num. 32.
Lauretanæ domus motio. Decis. 40. num. 52.
Lectores infantuli martyres. Decis. 49. num. 61.
Lectorum in Ecclesia habitus. ibidem. num. 54.
Lectorilis pro Missale nomina. Decis. 43. num. 12.
Legata Missarum. Decis. 33. num. 31. Pia quæ sint. Decis. 43. n. 30. & 43.
Lenticulæ quare dentur in die omnium mortuorum? Decis. 19. num. 7.
Leprosorum sacrificia quæ? Decis. 27. num. 67.
Levi tres filii, & qui? Decis. 24. num. 8.
Levitarum Hebræorum tres ordines, & qui? Decis. 7. num. 14. Quare electi à Deo pro sacrificiis, non autem Rubenitæ. Decis. 22. num. 5. Eorum numerus, & officia. Decis. 24. per totam.
Lex pœnalis an latè interpretanda? Decis. 46. num. 38.
Libellatici Christiani quinam essent? Decis. 21. num. 37.
Libri an scripti ante diluvium? Decis. 12 num. 11.
Licentia pro ædificandis Ecclesiis. Decis. 40. num. 32.
Limbus ubi sit? Decis. 17. num. 44.
Lipsana quid sint? Decis. 13. num. 30.
Litaniarum origo, Hebræorum, Paganorum; & an eis licitum sit sanctos addere? Decis. 41. num. 61. & seq. Unde dictæ? Decis. 1. num. 4.
Litare unde dicatur? ibid. num. 3.
Litteræ S. Congr. ne celebretur extra locum sacrum. Decis. 12. num. 58.
Liturgia quid significet? Decis. 1. num. 5. Variarum nationum. Decis. 9, num. 20. quæ fuerint præcipuæ? ibid. num. 24. & seqq. Earum exempla. Decis. 29. à num. 21. & seqq.
Loca sacra quæ sint? Decis. 46. num. 32.
Locustæ cibus S. Jo. Baptistæ quæ? Decis. 41. num. 58. An excommunicari possint? Decis. 42. num. 38.
Lucernæ antiquorum perpetuæ. Decis. 43. num. 31.
Ludi prohibiti in Ecclesiis. Decis. 43. num. 52. 8. prohibiti Clericis. Decis. 47. num. 29.
S. Ludovici Regis devotio. Decis. 31. num. 37.
Lume a' Vivi dall' esempio de' Morti, Liber utilissimus. Decis. 34. n. 11.
Lumina in Missa adhibita ab Apostolis. Decis. 9. num. 5.
Luna dilecta à Mahometanis. Decis. 6. num. 21.
Lutheri impietas. Decis. 28. num. 8.
Lux candelæ virtus naturalis. Decis. 33. numero 23.
Lybica Sibylla quæ? Decis. 26. num. 33.

M.

Macula moralis cur sit pollutio Ecclesiæ? Decis. 46. num. 18.

Magister Cæremoniarum Paduæ laudatus. Decis. 38. num. 15.

S. Malachiæ soror à Purgatorio liberata. Decis. 14. num. 20.

Malachiæ Prophetæ prædictiones. Decis. 25. num. 66.

Maledictio expressa nomine benedictionis. Decis. 42. num. 8. Parentum nociva filiis. ibid. n. 81.

Mandarinis Indiani sacrificia. Decis. 21. num. 38.

Mandatarius non excedat fines mandati. Decis. 35. n. 13.

Manifestum quid sit? Decis. 46. n. 25.

Manipulus spicarum Hebræorum. Decis. 27. num. 54.

Manipulus pro Missa. Decis. 50. num. 27.

Manuum elevatio signum est adorationis, item deosculatio earum. Decis. 6. num. 17. & seqq.

Marcus Cornelius Episcopus Patavinus. Decis. 49. num. 2.

F. Marcus de Aviano Capuccinus. Decis. 47. num. 8.

Mardocheus cur non adorabat Aman? Decis. 6. num. 7.

MARIA Deipara ex Regia Stirpe David. Decis. 7. num. 22. Item ex stirpe Aaronica. ibid. num. 24. Prophetissarum Regina. Decis. 26. num. 10. An in hac Vita viderit Divinam Essentiam? ibid. num. 11. an scripserit Epistolas. ibid. num. 12.

Maria Magdalena Prophetissa. Decis. 26. num. 19.

Maria soror Moysis Prophetissa. ibid. num. 5.

Maronitæ populi catholici. Decis. 9. num. 19.

S. Martha an fuerit hemorrhoissa? Decis. 27. num. 76.

Martyria SS. an sacrificia? Decis. 11. per totam.

Martyrum festivitates omissæ in Quadragesima. Decis. 39. num. 11.

Mater an incidenda in Ventre? Decis. 41. num. 34.

Mathildis donatio Ecclesiæ Romanæ. Decis. 43. n. 37.

Matrimonia Hebræorum ubi registrarentur? Decis. 7. num. 25. Vetita ministris sacris. Et quo jure? Decis. 47. num. 4.

Matutinum an de præcepto recitandum ante Missam. Decis. 50. num. 1.

Mediolanensis Ecclesia à quo fundata? Decis. 29. num. 11.

Mel an in Sacrificiis? Decis. 27. num. 7. & 8.

Melchisedech quisnam fuerit? An Sacerdos? An sacrificare consueverit? Et alia plura de eo. Decis. 18. & Decis. 32. num. 13. & Decis. 47. num. 24.

Melitenses an audiant Missam siccam? Decis. 31. num. 38.

Memento in Missa quare secretum? Decis. 4. num. 19. ad quid introductum? Decis. 36. num. 10. & 19.

Mendacium an fuerint verba Sacræ ad Pharaonem? Decis. 17. num. 18.

Mendacium Ordinum Prælati quas benedictiones, & consecrationes possint facere? Decis. 13. num. 25.

Mensa panum Propositionis. Decis. 12. numero 17.

Menses ab Hebræis quomodo regulentur. Decis. 27. num. 51.

Menstrua quid, & quotuplicia? Decis. 27. num. 72. 81. 82.

Meraritæ qui essent, & eorum officium? Decis. 24. num. 15.

Meridies quando sit? post eum an liceat celebrare Missam? Decis. 39. à num. 46. & seqq.

Merita Christi quomodo nobis applicentur? Decis. 28. num. 32.

Metonymia quæ figura sit? Decis. 29. num. 19.

Meum denotat dominium. Decis. 22. num. 3.

Micheæ Prophetæ vita, & mors. Decis. 25. num. 60.

Minchà quid esset? Decis. 27. num. 36.

Ministrare Domino quid sit? Decis. 29. num. 9.

Missa Mozarabica qualis? Decis. 9. num. 29. An olim diceretur extra Ecclesiam? Decis. 12. num. 53. Hodie quid? ibid. num. 65. 66. Continet in se omnia Sacrificia Mosayca. Decis. 34. num. 2. Ejus fructus quotuplex, & qualis? ibid. per totam Decis. Celebrata fuit ab Apostolis, ac deinde semper. Decis. 29. num. 27. Idem est cum Sacrificio Crucis. Decis. 30. num. 9. Quæ sint de ejus essentia? Decis. 31. per totam. Requirit ambas species panis, & vini. Decis. 32. Ejus fructus triplex. Decis. 33. & Decis. 34. De Missa solemni. Decis. 37. & Decis. 38.

Missæ celebrandæ tempus. Decis. 39. Locus. Decis. 41. Vestes Sacræ. Decis. 50.

Mna quanta pecunia esset? Decis. 37. numero 64. 65.

Moloc Idolum quodnam esset? Decis. 21. num. 30.

Manachus extra cellam, piscis extra aquam. Decis. 27. num. 14.

Monastica Vita quando, & à quo habuerit originem? Decis. 24. num. 58.

Moniales an expediat, eas scire cantare, & sonare? Decis. 37. num. 57. S. Petri de Padua initium, & privilegia. Decis. 40. num. 8. & 9. Earum Monasteria an Episcopus possit erigere? ibidem num. 44.

Montis Ortoni Ecclesia quando constructa? Decis. 40. num. 48.

Montium major altitudo quæ? Decis. 45. num. 5.

Mors Christi repræsentata in communione Eucharistica. Decis. 32. num. 7.

Mosayca Lege durante quot loca pro Sacrificiis. Decis. 12. num. 13.

Moscovitæ celebrant ritu Græco. Decis. 9. num. 16.

Moyses an fuerit Summus Pontifex? Decis. 22. numero 12. Erat de progenie Caath filii Levi. Decis. 24. num. 10. Doctus erat in Musica. Decis. 37. num. 14.

Mozarabica Liturgia quæ? quis ejus Auctor? Quibus precibus fieret? Quando mutata in Romanam? Decis. 9. num. 26. 27. 29. 36.

Mulieres cur caput velent? Decis. 6. num. 16. non ministrant celebranti, & stant separatæ à viris. Decis. 13. num. 37. 38. Hebrææ quot modis essent immundæ? Decis. 27. num. 73. à quo benedicendæ post partum? Decis. 42. num. 76. Earum familiaritas fugienda. Decis. 47. num. 30. & 33.

Mulis oneratis quare appendantur tintinnabula? Decis. 37. num. 44.

Mures in agris Romæ anno 1690. Decis. 42. numero 41.

Musica quæ, & quotuplex? Ejus auctores? Quando introducta in Ecclesia? An laudanda, vel proscribenda. Decis. 37. à num. 9. & seqq.

Musici

Musici castrati an sint irregulares? ibidem num. 49.
Laici an permittendi in Ecclesia? Decis. 49. n. 60.
Myrrha electa quænam sit? Decis. 42. num. 11.
Mysterium horarum, in quibus cantantur Missæ. Decis. 38. num. 10.
Mysteria in signo Crucis contenta. Decis. 42. num. 31.
Mysteria in consecratione Ecclesiæ. Decis. 41. num. 55.

N.

Nadab, & Abju cur occisi à Deo. Decis. 23. num. 2.
Nahum Prophetæ vita. Decis. 25. num. 61.
Nathinæi quinam fuerint? Decis. 14. num. 22.
Nazaræi qui? & eorum Regulæ? Decis. 24. num. 50. 51. Eorum sacrificia quæ? Decis. 27. num. 65.
Nemo potest eodem tempore velle, & nolle. Decis. 35. num. 12. neque scire an sit in gratia absque revelatione. ibid. num. 36.
Neomenia quale festum? & quale ejus Sacrificium. Decis. 27. num. 50.
Noctis Natalis Domini Missæ tres qua hora dici possint? Decis. 39. num. 33.
Nocturnæ Missæ quæ? quando cessaverint? Decis. 39. num. 3. & seqq.
Noe sacrificia, Mysteria, Benedictio. Decis. 16. per totam. Ejus mors. Decis. 17. num. 5.
Nomina offerentium legebantur in Missa. Decis. 4. num. 18. eadem in Memento alta voce. Decis. 36. num. 12.
Notorium quid sit? & quotuplex? Decis. 46. num. 23. 24.
Novatiani quas Vestes portarent? Decis. 49. numero 12.
Nullus de condigno meretur pro alio. Decis. 35. num. 21.
Numerositas populi an sit causa novæ Parochiæ. Decis. 40. num. 37.
Numerus major, vel minor populi in Missa? Decis. 33. num. 42.

O.

Oblatio quot significet? & de ea plura. Decis. 4. an sit Sacrificium? Decis. 5. num. 5. & Decis. 28. num. 12. & Decis. 30. per totam.
Octava Dedicationis Ecclesiæ. Decis. 41. num. 50.
Octava sæculo cœpit cantari Missa quotidie. Decis. 38. num. 3.
Occisio Martyris in Ecclesia eam polluit. Decis. 40. num. 52.
Occulta pollutio Ecclesiæ, quæ dicatur? ibid. num. 27.
Odor ex combustione Victimarum. Decis. 27. num. 34.
Odoratus quomodo sit Deus Sacrificium Noe. Decis. 16. num. 7.
Offerentes Missam sunt sex, & qui? Decis. 33. n. 4.
Offerre Hostiam quid sit? Decis. 31. num. 30.
Offertorium cantabatur in Missa, donec fideles faciebant suas oblationes. Decis. 4. num. 15. Missæ Desunctorum declaratum. Decis. 14. num. 22.
Officia Summi Pontificis Hebræorum, quæ? Decis. 22. num. 21.
Oleum Sanctum Aaronis. Decis. 22. num. 14. Oleum Jacobi Patriarchæ. Decis. 40. num. 21. Oleum Moysis pro consecratione Tabernaculi. Decis. 42. num. 10.
Oracula Gentilium. Decis. 25. num. 6. Gerionis in Villa Apponi Paduanæ Diœcesis. ibid. num. 7.
Orandum ubique; non ubique sacrificandum. Decis. 12. num. 1.
Oratoria privata omnium Procuratorum Sancti Marci Venetiarum. Decis. 12. num. 60.
Oratoria publica, Decis. 40. num. 32. 33. Privata an benedicenda? Decis. 42. num. 83. An capacia pollutionis? Decis. 46. num. 19. & 34.
Orationes in induendis Vestibus sacris. Decis. 50. num. 34.
Ordines cur alii majores, alii minores? Decis. 37. num. 62. eorum materiam an Ecclesia possit mutare? Decis. 45. num. 53.
Organa quando inventa? Decis. 37. num. 31. Famosa ubi sint? ibidem num. 40.
Organista quis esse possit? d. Decis. 37. num. 36.
Ornamenta Ecclesiæ quæ? & qualia esse debeant? Decis. 43. per totam.
Osee Prophetæ Vita, Decis. 25. num. 55.
Ostiarii cum Cotta pulsent Campanas. Decis. 45. num. 52.
Otium nocivum castitati. Decis. 47. num. 28.
Ovetum Urbs Hispaniæ Tarraconen. Decis. 29. num. 30.
Ozias Rex quare à Deo punitus? Decis. 3. num. 4. Et lepra percussus? Decis. 7. num. 13.

P.

Pacifica Hostia quæ, & quotuplex. Decis. 27. num. 23. 24.
Pagani cur levarent manus ad Solem? Decis. 6. n. 22.
Palestinæ Idololatria, & quæ? Decis. 12. num. 42.
Pallii ad Altare color, & forma. Decis. 42. num. 5.
Pallium, seu Mantellum Clericorum quale? Decis. 49. num. 8.
Panes Primitiarum. Decis. 10. num. 5.
Panis, & Vini substantia an destruatur in Missa. ibid. num. 11.
Panis quomodo offerretur in lege Mosayca? Decis. 18. num. 13. Fermentati Hebræorum. Decis. 27. num. 56. Qualis in primitiva Ecclesia? Decis. 29. num. 16. An ejus substantia sit materia Sacrificii? Decis. 30. num. 5.
Pantheonis Templi pulchritudo. Decis. 12. num. 44.
Papæ pedes cur deosculentur? Decis. 6. num. 24. Papa pro libito revocat Privilegia. Decis. 15. num. 24. Potest dare licentiam celebrandi sine Altare. ibidem num. 35. & extra Locum Sacrum. Decis. 40. num. 2. Adhibet tria sigilla, & quæ? Decis. 49. num. 28.
Paphnutius an impugnaverit cœlibatum Clericorum, Decis. 47. num. 14.
Parasceve in die an Missa sit Sacrificium? Decis. 30. num. 21.
Parochi esse debent mansueti. Decis. 34. num. 24. Quo die non possint recipere stipem pro Missa? Decis. 35. num. 40.
Parochialia jura quæ sint? Decis. 40. num. 35.
Parochialis nova quando sit erigenda? ibid. num. 36.
Parochorum benedictiones propriæ, quæ sint? Decis. 42. num. 75. Eorum expensæ in Ecclesia, & campanis? Decis. 44. num. 17.
Partecipare de Altari quid sit? Decis. 30. num. 22.
Particulæ consecrandæ, quo tempore debeant esse in Altari. Decis. 4. num. 26.
Parvitas temporis an excusat circa celebrationem Missæ post meridiem, vel ante Auroram. Decis. 39. num. 47.

Index Rerum Notabilium.

Paſcha Azymorum quo die celebraretur? Et quod Sacrificium illius diei? Deciſ. 27. numero 52. & 53.

Paſſer ſacrificatus proleproſo, & quomodo? Deciſ. 10 num. 7. & Deciſ. 27. num. 15.

Paſſio Chriſti quomodo ſufficiens ſit pro ſalute omnium? Deciſ. 28. num. 34.

Paſtophorium quid ſit? Deciſ. 46. num. 40.

Patavini Cleri divitiæ. Deciſ. 43. num. 42.

Patenam cum Calice non ponenda in manu Sacerdotis defuncti. Deciſ. 50. num. 49.

SS. Patres ſemper Miſſam eſſe Sacrificium verum profeſſi ſunt. Deciſ. 28. num. 19.

Patronus Eccleſiæ ad quas expenſas teneatur? Deciſ. 44. num. 10.

Patrueles, Conſobrini, & Amitini qui ſint? Deciſ. 17. num. 21.

S. Paulæ Barbatæ prodigium. Deciſ. 48. num. 39.

S. Paulinus Nolæ Epiſcopus auctor Campanarum. Deciſ. 45. num. 21.

S. Paulus Apoſtolus ubi ordinatus, & factus Epiſcopus? Deciſ. 29. num. 12.

Paulus Papa V. abſtulit Epiſcopis facultatem concedendi Oratoria privata pro Miſſa. Deciſ. 12. num. 58. Idem Papa conceſſit illa omnibus Procuratoribus S. Marci Venetiarum. ibid. num. 60.

Pauperes ditati ob devotionem erga Miſſam? Deciſ. 14. num. 18.

Peccatores publici an pro eis dicenda Miſſa? Deciſ. 36. num. 33.

Peccatum mortale eſt celebrare ſine Altare. Deciſ. 13. num. 11.

Pedibus nudis an liceat celebrare Miſſam? Deciſ. 50. num. 35.

Pediculari morbo afflictus Rex Hiſpaniarum. Deciſ. 19. num. 24.

Pekinenſis maxima Campana. Deciſ. 45. numero 64.

Pentecoſtes feſtum, & ejus diei ſacrificium. Deciſ. 27. num. 55.

Penula S. Pauli Apoſtoli quid eſſet? Deciſ. 28. num. 17.

Perſica Sibylla quæ, & quando fuerit? Deciſ. 26. num. 34.

Perſonalia jura an alii cedi poſſint? Deciſ. 35. num. 17. & 30.

Perucha an teneri poſſit à celebrante? Deciſ. 23. num. 38. & Deciſ. 50. num. 38. & 39.

S. Petrus Apoſtolus celebravit Miſſam primus omnium. Deciſ. 28. num. 13. Ejus Planeta ubi ſit? ibidem num. 16. Solemniter celebravit Antiochiæ. Deciſ. 29. num. 5. Liturgiam compoſuit. ibid. num. 22.

Petrus Vellejus ſibi funeralia fecit. Deciſ. 36. num. 38.

Petrus Puteus, quomodo converſus ad bonam vitam? Deciſ. 14. num. 14.

Pharaones, & Ptolomæi Regis Ægypti. Deciſ. 17. num. 23.

Phariſæi quinam eſſent? Eorum vitia, & errores. Deciſ. 24. num. 43.

S. Philippo Nerio ſubtractum donum cognoſcendi ſpiritum Urſulæ Benincaſæ. Deciſ. 25. num. 39.

Philippi Diaconi quatuor filiæ Prophetiſſæ. Deciſ. 26. num. 21.

Phrigia Sibylla, quæ? Deciſ. 26. num. 35.

Phylacteria Phariſæorum quid eſſent? Deciſ. 24. num. 47.

Pictorum Catalogus ubi? Deciſ. 43. num. 22.

Picturis ornandæ Eccleſiæ, ibidem num. 20.

Pietas, & gratitudo quid ſint? Deciſ. 7. num. 6.

Pilatus ubi obierit? Deciſ. 25. num. 18.

Pileolus tenetur in Miſſa de licentia ſolius Papæ. Deciſ. 23. num. 37. & Deciſ. 50. num. 36. Et an licitus in choro? ibid. num. 37.

Pileus Clericorum qualis? Deciſ. 49. num. 24.

Pinnaculum Templi quid eſſet? Deciſ. 45. num. 11.

Piſces cur proſcripti in Sacrificiis? Deciſ. 27. num. 13.

Piſcis benedictus à S. Bernardo. Deciſ. 42. numero 54.

Planeta S. Petri ubi ſit? Deciſ. 28. num. 16.

Planetæ nomina, forma, myſteria. Deciſ. 50. num. 30.

Plebis Sacci infans diſertè locutus. Deciſ. 25. num. 33.

Plumbeum ſigillum Ducis Venetiarum. Deciſ. 49. num. 30.

Pœnalitates hujus vitæ juvant animas Purgatorii. Deciſ. 34. num. 26.

Pœnæ contra Apoſtatas. Deciſ. 21. num. 35.

Pœnitens, qui ſacrificavit Idolis, an abſolvendus? Deciſ. 21. num. 39.

Pollutionis Eccleſiæ materia plenè explicata. Deciſ. 46.

Polytheiſmus proceſſit è ſex radicibus. Deciſ. 21. num. 7.

Pontificalium uſus quando conceſſus Abbatibus? Deciſ. 13. num. 19.

Pontifices Hebræi an eſſent perpetui? Deciſ. 22. numero 21. iiſdem dabatur coadjutor. ibid. num. 28.

Procuratorum S. Marci Venetiarum Privilegium perpetuum habendi Oratorium privatum. Deciſ. 12. num. 60.

Profanatio Eccleſiæ, quæ, & quotuplex? Deciſ. 46. num. 3.

Prophetarum qualitates, & alia. Deciſ. 25. per totam.

Prophetiſſæ mulieres quæ, & quot fuerint? Deciſ. 26. per totam.

Propoſitiones damnatæ circa ſtipendia Miſſarum ab Alexandro VII. Deciſ. 33. num. 59.

Proprium ſequitur ſuum ſubjectum. Deciſ. 35. num. 14.

S. Proſdocimus primus Paduæ Epiſcopus. Deciſ. 12. num. 49.

Proteſtatio ponenda in libris quoad miracula. Deciſ. 24. num. 44.

Protonotarii Apoſtolici an teneant Annulum in Miſſa. Deciſ. 49. num. 48.

Publicum quot modis dicatur? Deciſ. 46. numero 21.

Puer naſcens de nocte, qua die dicatur natus. Deciſ. 39. num. 22.

Pueri Hebræi quo loco ſtarent in Templo. Deciſ. 40. num. 15.

Puerperæ immunditia, expiatio, & Sacrificium. Deciſ. 27. num. 77.

Purgatorii Animæ ſemper Sacrificio Miſſæ adjutæ. Deciſ. 14. num. 16.

Pyramides unde dictæ; & de eis plura in Deciſ. 45. à num. 6. & ſeqq.

Q.

QUæſtuare in Eccleſia ſemper prohibitum. Deciſ. 12. n. 52.

Qui-

Quibus vestibus sint Clerici sepeliendi? Decis. 50. num. 46.
Quilibet in re sua est moderator, & arbiter. Decis. 35. num. 4. & 27.

R.

Rabbinorum errores, & deliramenta. Decis. 24. num. 39.
Rahab num Prophetissa? Decis. 26. num. 7.
Raptus quid sit, seu extasis. Decis. 25. num. 27.
Ratio Missæ pendet à voluntate Christi instituentis. Decis. 32. num. 23.
Rebeccæ revelata præeminentia Jacobi. Decis. 19. num. 15. & Decis. 26. num. 3. & 4.
Rechabitæ qui essent? Eorum observentia. Decis. 24. num. 57. & 59.
Reconciliatio Ecclesiæ pollutæ. Decis. 46. num. 67. & seqq.
Regulares quare celebrent Missam non cum Ritu Romano. Decis. 9. num. 46. possunt celebrare in Capellis intra eorum claustra. Decis. 12. num. 63. An recipiant puerperas ad Purificationem. Decis. 27. num. 80. An teneantur quotidie cantare Missam in suis Ecclesiis. Decis. 38. num. 19. An possint celebrare ante Auroram, & ante meridiem? Decis. 39. num. 41. An possint fundare novos Conventus. Decis. 40. num. 43. Eorum privilegia contraria Tridentino Concilio revocata. Decis. 41. num. 28. An benedicere possint supellectilem sacram. Decis. 42. num. 79. An reconciliare suas Ecclesias pollutas? Decis. 46. numero 68.
Religio in Deum qualis virtus sit? Decis. 7. num. 3. Est virtus præstantior cæteris. ibid. num. 7.
Reliquiæ Sanctorum an sint de essentia consecrationis Altarium? Decis. 13. num. 27. Quare adorandæ tota nocte ante consecrationem Ecclesiæ? Decis. 41. num. 59.
Remissio pœnarum in Sacramento Baptismi, & Pœnitentiæ an possit alteri applicari. Decis. 35. num. 16.
Repræsentatio mortis Christi an possit haberi in una sola specie consecrata? Decis. 32. num. 5. & 11.
Respublica tria habere debet, Leges, Sacrificium, & Sacerdotes. Decis. 28. num. 11.
Restaurata Ecclesia an iterum consecranda? Decis. 41. num. 31.
Retractata quando sit intentio applicationis Missæ. Decis. 36. num. 6.
Revelationum natura, modus, & certitudo. Decis. 25. à num. 18.
Rituale Romanum habet vim legis. Decis. 9. num. 43. & Decis. 50. num. 47.
Ritus qui, & quotuplices sint. Decis. 9. à num. 2. & seqq. in consecratione Levitarum qui? Decis. 24. num. 6. In Sacrificiis Hebraicis. Decis. 27. à num. 32. & seqq. Pro Ecclesiæ consecratione. Decis. 41. per totam, In benedictionibus Ecclesiasticis. Decis. 42. num. 22. In celebratione Missæ. Decis. 9. num. 44. & Decis. 50. num. 5.
Roma Sacrorum Rituum magistra. Decis. 42. num. 77. Per Constantinum Imperatorem donata Papæ. Decis. 43. num. 36.
Romanus Ritus quo tempore acceptus in Gallia, & in Hispania? Decis. 9. n. 28. & 35.
Romanorum usus circa Annulos. Decis. 49. num. 33.
Rosæ aureæ Papalis benedictio, & mysterium. Decis. 42. num. 61.
Rubem cur perdiderit Sacerdotium? Decis. 22. numer. 7.
Rubricæ Missalis habeat vim legis, & non solum sunt directivè, sed omnes præceptivæ. Decis. 50. num. 3. 4. 5. 14. 15. & per totam.
Rugæ in Ecclesiis antiquis quid essent? Decis. 43. num. 41.

S.

Sabbas ob vestem humilem honoratus. Decis. 49. num. 59.
Sabbati Sacrificium? Decis. 27. num. 48. Quæ licita Hebræis eo die? ibidem. num. 49.
Sebbato Sancto Campanæ non pulsantur ante illas Ecclesiæ Matricis. Decis. 45. num. 55.
Sabinianus Papa an auctor Campanarum? Decis. 45. num. 20.
Sacerdotales benedictiones quæ? Decis. 42 numero 74.
Sacerdotes in lege naturæ, Moysis & Evangelii. Decis. 7. Aaronici quales, & quanti essent? Decis. 23. per totam. Legis gratiæ qui? Decis. 28. num. 26. Negligentes in celebratione peccant. Decis. 34. num. 10. & 19. Eorum obligatio circa applicationem Sacrificii. Decis. 36. per totam. Circa Tonsuram clericalem. Decis. 48. per totam. Circa Vestem talarem, & modestiam exteriorem. Decis. 49. Circa puritatem internam, & præparationem ante Missæ Sacrificium. Decis. 50.
Sacramentum in quo differat à Sacrificio? Decis. 32. num. 22.
Sacrificare non licet, nisi solis Sacerdotibus. Decis. 7. num. 9.
Sacrificii plura nomina. Decis. 1. per totam. Aliud metaphoricum, aliud verum, & proprium. Decis. 2. Quæ sint essentialia Sacrificii? Decis. 3. Ejus definitio. Decis. 4. Soli Deo exhibetur. Et an Christo, ut homini? Decis. 6. In loco Sacro. Decis. 12. Et in Altari. Decis. 13. Ejus fructus, & effectus. Decis. 14.
Sacrificia Legis naturæ quæ? Decis. 15. De Patriarchis Sacrificantibus à Decis. 16. usque ad Decis. 20. De Sacrificiis Paganorum. Decis. 21. De Sacrificiis Hebræorum. Decis. 27. De Sacrificio in lege Gratiæ. Decis. 28. Ejus veritate. Decis. 29. Ejus essentia in quibus consistat, quæ sit ejus Victima. Decis. 30. & 31. De ejus multiplici fructu, & applicatione. Decis. 33. & seqq. De Sacrificio solemni. Decis. 37. De Tempore, & loco Sacrificii offerendi. Decis. 39. & Decis. 40.
Saducæorum secta, & eorum errores. Decis. 24. num. 48.
Sal cur ponatur in aqua benedicta? Decis. 40 num. 13.
Salem quæ Urbs fuerit? Decis. 18. num. 5.
Salutationis Angelicæ Indulgentia. Decis. 45. num. 41. & 43.
Samaritanorum Templum ubi, quando, & quomodo ædificatum? Decis. 12. num. 40.
Samia Sibylla. Decis. 26. num. 30.
Sancti à mulieribus fugientes. Decis. 47. num. 31.
Sanguinis comestio cur, & quando vetita? Decis. 16. num. 14. & Decis. 27. num. 26.
Sanguis hominis occisi an fluat coram homicida? ibid. num. 88.
Sara Uxor Abrahami quando nata? & alia plura de ea. Decis. 17.

Scenopegiæ festum Judæorum. Decis. 27. numero 60.
Scotatio quid esset? Decis. 4. num. 9.
Scribarum secta, & vita. Decis. 24. num. 26. & seqq.
Seminifluus erat immundus. Decis. 27. num. 70.
Senedrim Concilium Judæorum. Decis. 22. num. 18.
Sensus quadruplex Scripturæ Sacræ. Decis. 50. num. 31.
Sepeliendi sunt Clerici cum vestibus sui Ordinis. Decis. 50. num. 46.
Sibyllæ quæ, & quot fuerint? Decis. 26. numero 25.
Siclus nummus cujus valoris esset? Decis. 19. num. 12. & Decis. 23. num. 48.
Siloe quid esset? Decis. 27. num. 62.
Simile pro Sacrificio Hebræorum? Decis. 27. num. 37.
Sinensium Templa antiquissima. Decis. 12. num. 45.
Sisoes quid sit? Decis. 48. num. 17.
Sophoniæ Prophetæ Vita. Decis. 25. num. 53.
Species Sacramentales in Missa quomodo immutentur? Decis. 10. num. 12. An sint pars Victimæ? Decis. 30. num. 6.
Spiritus Sancti assistentia Ecclesiæ Catholicæ. Decis. 9. num. 21.
Stipendia plura pro una Missa an licita? Decis. 33. num. 29. 56. 60. Decis. 34. num. 6. & 7. & Decis. 35. num. 31.
Stolæ usus, & significatio. Decis. 50. numero 29.
Subdiaconi olim uxorati. Decis. 47. num. 16.
Substantia panis, & vini an sit materia Sacrificii Missæ. Decis. 30. num. 5.
Summus Pontifex Hebræorum quæ facere posset, & quæ non? Decis. 22. num. 19. & Decis. 23. num. 24.
Superior an possit applicare Missam sui subditi? Decis. 36. num. 23.
Synagogæ quomodo ædificatæ? Decis. 24. numero 32.

T.

Tabernaculum Moysis quomodo ferebantur? Decis. 24. num. 12. Quot ejus partes? Decis. 27. num. 21. Ejus forma, & duratio. Decis. 12. num. 14.
Talmud Hebræorum liber pessimus? Decis. 24. num. 38.
Talus quid sit? Decis. 49. num. 4.
Tarantolæ morsus, & medicamen. Decis. 37. num. 42.
Templariorum Religio quando extincta? Decis. 12. num. 68.
Templum Sacrum quid sit? Et de Templo Salomonis plura. Decis. 12.
S. Teresiæ devotio. Decis. 33. num. 50.
Thare Pater Abrahæ. Decis. 17. num. 14.
Thymiama quid esset? Decis. 27. num. 42.
Tiburtina Sibylla. Decis. 26. num. 36.
Tobaleæ tres super Altare ex qua materia? Decis. 42. num. 4.
Tonsuræ clericalis origo? Decis. 27. num. 66. de ejus forma, & obligatione in Clericis. Decis. 48. per totam.
Tropologicus S. Scripturæ sensus. Decis. 50. num. 31.
Turcæ odio habent Campanas. Decis. 45. num. 26.
Turris Babel, & David in Sion. Decis. 45. num. 4. & 10.
Turtures non litabantur pro hostia pacifica, & cur? Decis. 27. num. 37.

V.

Vaccæ rufæ Sacrificium. Decis. 27. num. 85.
Venetorum devotio erga Missam. Decis. 43. num. 51.
Vespertinæ Missæ quænam essent? Decis. 39. num. 8. 10. 14. & 15.
Vestes Sacræ Sacerdotum, & Pontificum Hebræorum? Decis. 23. num. 11. & seqq. Sacerdotum Christianorum. Decis. 49. per totam.
Victima in lege naturæ, & Mosayca. Decis. 8. per totam, & Decis. 27. à num. 16. & seqq.
Victima in Sacrificio legis gratiæ? Decis. 30. per totam.
Voce alta non proferenda verba consecrationis in Missa. Decis. 31. num. 41.
Urbanus VIII. prohibuit Oratoria privata. Decis. 12. num. 59.
Ursinus Cardinalis laudatus. Decis. 41. num. 23.
Uxores semper prohibitæ Ministris sacris in Ecclesia latina. Decis. 47. num. 17.

Z.

Zachariæ Prophetæ Vita. Decis. 25. num. 65. Patris S. Joannis Baptistæ. Decis. 22. num. 26.
Zelotypiæ Sacrificium. Decis. 27. num. 83.
Zodiaci signa recta, & obliqua. Decis. 39. numero 32.

FINIS.


CLERICATI
Th
914 a